



R-4764

HOMILIARVM

CLARISSIMI VIRI

D. IOANNIS ECKII, VNICI

PROPE HOC SECVLO CATHOLICAE FIDEI ASSERTORIS, HAERETICORVMQVE OMNIVM IMPVGNATORIS,

TOMVS TERTIVS,

QVI EST PECVLIARITER DE SANC[illegible].

ADDITAE SVNT HOMILIAE ALIAE SEX: QVARVM VNA HABITA EST IN EXequiis [illegible]issimi imperatoris Maximiliani: reliquae sunt de speranda ex Turcis victoria, ad reuerendiss. Cardinalem Bernardum episcopum Tridentinum.

Libreria del Carmen Calzado de Avila. Año de 1786.

BIBLIOTECA REGIONAL DIPUTACION LEON

PARISIIS,

Apud Ponetum le Preux, Bibliopolam vniuersitatis addictum via ad D. Iacobum, sub insigni Lupi, è regione Mathurinorum commorantem.

1553.

m 524
R. 692



S. D. N. CLEMENTI VII. PONT. MAXIMO POST OSCVLA PEDVM BEATORVM,

Dei gratiam ac felicitatem.

QVOD ſuperiori anno, beatiſsime pater, ſum pollicitus, en tertium Tomum homiliarũ de Sanctis aduerſus Lutherum & alios Eccleſiæ hoſtes, emittemus, potiſsimum ad honorem Dei ac cælitum omniũ, & vt qui abſque cortice (vt in prouerbio eſt) naturæ nequeunt, in promptu & ad manus habeant, quod plebeculam doceant, & lupis ac canibus ſchiſmaticis reſpondeant opus, vt arbitror, animarum ſaluti non inſalubre. Ideo ſupremo animarum curato, Chriſti in terris vicario, potiſsimum labor iſte erat dedicãdus, vt ſub illius nominis auſpiciis centuplum afferret fructum in ſancta Eccleſia catholica. Deus optimus maximus ſeruet ſanctitatẽ tuam diu incolumẽ. Ingolſtadij. ſeptimo Februarij, Anno gratiæ 1534. S. T.

ſeruitor
à pedibus
Ioannes Eckius.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO
PATRI ET DOMINO D. BERNARDO
S. R. E. tt. S. Stephani in monte Cælio
Cardinali, & episcopo Tridentino,
principi dignissimo ac Mecœnati semper obseruando,
Ioannes Eckius.
S. D.

FACIT *ingenij tui candor, reuerendissime pater, celebris clementia, atque animus ille tuus in eruditos omnes ac studiosos propensissimus, vt non dubitem, quin & beneuolenter, si quæ in re mihi possit glorificari, votis meis respondeas. Hinc mihi in mentem venit Tomum tertium homiliarum de Sanctis, aduersus hostes Ecclesiæ elaboratum, atque S. D. N. dedicatum, R. P. T. transmittere, quæ labores nostros sanctitati suæ commendet. Magnus reuera fuit labor in edendis homiliis Germanicis: at profectò maior iam fuit in describendis ac restituendis vbilibet sanctorum patrum sententiis, vt nisi festo mihi ac pluribus negociis obruto, aliquis subsidiarius succurrisset, velut Hercules Atlanti, Ioannes Menizingerus, qui diligentem operam vertendo nauauit, adhuc in medio mari longe à portu fluctuarem. Fateor opus esse minus læuigatum & politum, quod si non in plures annos, saltem in plures menses fuerat premendum, & Aristarchi virgula pleraque notanda. Verum cum plures improbè instarent, vt ederetur, iudicaui satius præmaturo eis morem gerere libro, quam suo eos fraudare desiderio. Perge itaque bonis auibus optime princeps, & liberalissimus ipse, literas ac literatos foueas ac tuearis. Ingolstadij, septimo Februarij, quæ est Richardo Anglorum regi ac Sueuiæ duci sacra, anno restitutæ saluti* XXXIIII. *supra sesquimillesimum.*

SVCCINCTA

Libreria de Avila. 3

SVCCINCTA COMPLEXIO EORVM QVAE IN EPISTOLA GERmanica continentur ad reuerendiſſimum principem electorem D. Ioannem à Metzenhauſen archiepiſcopum Treuirenſem.

IN HOC tempore periculoſiſſimo admodum neceſſaria eſt prælatis Paulina admonitio, Epheſiis facta: Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quibus poſuit vos ſpiritus ſanctus epiſcopos, &c. Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces, nō parcentes gregi. Quid enim aliud ſunt Lutherani, Capharnaitæ, Iconoclaſtæ, Parabaptiſtæ, quam truces, rapaciſſimíque lupi, imò lupis veſpertinis, vt Abacuc inquit, velociores? Tam breui tempore, omnes fere Germaniæ angulos infecerunt, & ſacrū officium miſſæ in pluribus locis, pluſquam Turca fecerit in vniuerſa Græcia, funditus cum ſacris aris deleuerunt. Et profecto nimis temeraria & ſtulta eſt eorum præſumptio. nam ſi quid eis præcipitur à Cæſare, poteſtate à Deo ordinata, recuſant id facere, conſcientiæ prætextu, cum tamen ipſi ſub poteſtate Cæſaris conſtituti, nihil iuris habeant, niſi quod Cæſaris clementia, vt vaſalli obtinent: audent tamē tā imperioſe ſubditis contra bullam apoſtolicā, & Cæſaris edictum nouas & antiquas hæreſes imponere, quantumuis ſubditi ſe grauatos aſſerant: & ſuperiorū mandatis, ac propriæ remorſu conſcientiæ, atque adeo iuri aduerſantur nobis congenito: Omnia quæcūque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Iuſtè profecto dei iudicio, poteſtate qua abutuntur, priuarentur. Humilitatem porrò fictam iactitant, dum rectius ex ſcripturis edoceri petunt, quod ſi pio animo fiat, furiis aguntur, ſcripturas lacerant, aut omnia iugulāt, patribus iniuriātur, & libellos famoſos emittūt, vt ſciamus veriſſimum eſſe, quod Chriſtus dixit: Nolite ſanctum dare canibus. Canes enim ſunt hæretici, vt S. Pau. inquit, Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem. prædicatores eorum ſunt filij Herodis puericidæ, qui diligenter quærebat de puero, quaſi ipſum eſſet adoraturus: & tamen nihil aliud parabat, quam Ieſum atrociter iu-

gulare. Ad eum modum isti veritatem fidei quærunt, non vt amplectãtur, sed vt paratiores esse queant ad impugnandum. Auari enim sunt & cupidi, vt verissimè de eis dixit Paulus. nam totus ferme fidei eorum scopus est, vt cœnobiorum, collegiorum ac beneficiorum bona diripiant. Superbi sunt, qui plus eruditionis & iudicij sibi tribuũt, quam vniuersis conciliis, sanctis patribus, & toti Ecclesiæ catholicæ. blasphemi sunt in Christum & suum sacramentum, in sanctos omnes, ac imagines eorum. Inobedientes sunt, cum pontificios ac Cæsareos iussus contẽnant. Quàm autem voluptati seruiant, facilè est videre in eorum sacerdotibus, qui horas canonicas negligunt, nõ ieiunant, nõ orant, non celebrant, non confitentur, nec continent nec abstinent, & in summa velut Menelaus, nihil in se habent sacerdotio dignum, vt mirum sit, quomodo magistratus istorum leuitatem ferre possit. Quàm inconstantes sint, toties mutatæ ordinationes monstrant.

¶ Nulla spes de hæresiarchis reducendis est reliqua, quia vt Paulus inquit, Mali homines & seductores proficient in peius, errantes & in errorem mittentes. Verùm vt plebs Baioariæ in fide catholica conseruaretur illustrissimi principes mei Gulielmus & Ludouicus bono zelo moti, iusserunt vt homilias facerem, auertendis hæresibus commodas. Absoluti sunt tomi priores duo de tempore, iam verò tomus tertius prodit, reuerendissimæ amplitudini tuæ dicatus, quam à Deo vocatam arbitror ad hunc dignitatis apicem, vt labenti causæ fidei, sua authoritate & singulari prudentia subueniat, cui me commendo. & te deus sospitem ac incolumen seruet.

SOLI DEO GLORIA.

IN FERIIS S. ANDREAE APOSTOLI EVANGELIVM Matthæi 4.

IN illo tempore, *Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare. Erant enim piscatores. Et ait illis, Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus, secuti sunt eum.* Marc. 1. Lucæ 5. Mar. 3.

IN NOMINE TVO DVLCIS IESV. HOMILIA PRIMA.

NVnc iam Christi baptismum, ieiunium, & tentationem, & quomodo post vincula Ioannis à Nazareth recesserit ille in Capharnaum, & ibidem cœperit prædicare atq; annuntiare regnum cœlorum, ex ordine descripsisset Matthæus, euangelium hinc sequitur hodiernum, quòd sic habet, *Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres.* Fratres ij duo, iam antea discipuli fuerunt Ioannis Baptistæ, cuius doctrina iam præparati instructioresque redditi erant ad suscipiendam Christi fidem. Contendit quoque hic Chrysost. nō idem esse quod hoc loco & Ioannis primo commemoratur, idq; ex tempore, loco, personis, ordine etiam & modo vocationis, quibus omnibus maxima arguitur vtriusque facti diuersitas. Atque vt res hæc magis pateat, docent hic doctores apostolos illos in sacris literis ter à Christo fuisse vocatos. Primum omniū, quum baptizatus iam erat dominus die 6. Ianuarij, non ita multo post stabat Ioannes & ex discipulis eius duo, respicienſq; Iesum ambulantem dixit, Ecce agnus dei. Et audierunt eum duo discipuli loquētem, sequutiq; sunt Iesum. Ioan. 1. Ioan. 1. Quorum alter Andreas extitit: is cum inuenisset fratrem suum Simonem, dixit ei: Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus. Vocatio autem hæc nihil minus quam quod ad apostolatum sit facta, sed ibi tantum in cognitionem ipsius venerunt, siquidem & illum tantum diem remanserunt cum eo, deinceps reuersi in ædes suas, Similiter & secunda vocatio contigit, quando sedente in Petri naucula domino & prædicāte, magnam piscium multitudinem Luc. 5.

cœperunt, relictisq́ue omnibus sequuti sunt illum. Ea quoque vocatio ante hanc nostram facta est, & tamen tunc paulò longius remanserunt apud dominum, illumq́ue, partim miraculis cõmoti, partim doctrina secuti sunt, quanuis tandem redierint ad sua iuxta communem doctorum sententiam. Namque & Theophylactus sic ait, quod vbi iam Ioãnem viderunt vinctum, reuersi sunt ad piscatoriam, sicq́ue veniens Christus piscatus est eos vocans ad apostolatũ: non quod hîc apostolos constituerit ipsos, sed quia officiũ apostolatus tantum promisit eis, inquiẽs: *Venite post me, faciam vos piscatores hominum.* Tantum voluit, constituitq́ue apud se facere illos piscatores, neque statim id fecit, sed vocauit solùm, vt sequerentur, nec ita porro relinquerent, vt fecerant antea. Facti sunt igitur hodie discipuli & sequaces tantum domini, eousque dum cõstituerẽtur apostoli, idq́; tandem Matthæi decimo. 2 Ait euangelista ambulasse Christum iuxta mare Galilææ. idipsum sanè siue mare, siue stagnum, quia delectabiles aquas habebat, & copia piscium redundabat, ideo multitudinem incolarum circa se continebat, quod & dominus, idcirco frequenter transnauigabat, sicut in euangelio legimus, vt populis circuniacentibus miracula sua ostenderet, atque verbo prædicationis eos ad viam salutis inuitaret. Quãuis & alias expositiones multas habeat, quibus nunc vltrò supersedemus. Exiuit itaq; dominus ad stagnũ seu mare, iuxta idioma linguæ Hebraicæ: & exitus huius causa fuit, quoniã in iis quæ patris sui erant, oportebat ipsum esse. illius autem voluntas erat, vt vniuersum redimeret genus humanũ, illustraretq́; Luce legis euãgelicæ. Atque ad id placuit auxiliatores sibi adiungere, qui in plantanda ædificandaq́; Ecclesia adiutores sibi essent: iuxta illud Pauli, Dei sumꝰ adiutores: dei agricultura estis: dei ædificatio estis. Quando igitur operis suscepti adiutores habere voluit, eosdẽ vt quæreret conducerẽtque, ipsum exire oportuit, quod sanè hîc eum feciſſe apertum est, nõ ignarus (siquidem omniscius erat) fratres illos duos iam tum in mari esse. Ab initio autem, inquit Chrysostomus, prædicationis suæ vocauit apostolos dominus, vt sic nihil verborũ & factorum Christi eos lateret, & cum gaudio dicere possent sicut Petrus ante concilium Iudæorum dixit: Nõ possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui. Egressus inquam est

Theoph. *Mat. 4.* *Beda.* *Luc. 2.* *2. Cor. 3.* *Chrysost.* *Act. 4.*

ad

ad mare siue stagnum Galilææ dominus, non temerè vtiq; nec fortuito, sed diuina illa, quam habebat, pręscięntia. *Ambulãs itaque iuxta mare, vidit duos fratres,* sane non tã oculis corporis quam misericordiæ dicente Sapiẽte, Respectus in electos illius: & Dauide canente, Oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorũ. Fratres ij duo Andreas & Simon erant, qui etiã Petrus dictus est: non tamen adhuc iam in hac vocatione, sed aliquanto post quum præmissum illud nomen indidit ei dominus ad confessionẽ suã, qua de re plura dicturi sumus in festo S. Petri. Sequitur hîc, *Mittentes rete in mare, erant enim piscatores.* Magna hæc & eximia fuit operis illius significatio, ad quod ministerio eorum vti voluit dominus. sicut enim in stagno iam hîc eiiciebãt retia sua, ita voluit quoque ille eos rete verbi diuini & sermonis sancti ex variis scripturarum locis hinc inde cõtextum, eiicere in mare mundi huius, sicque capere pisces, hoc est, homines, vt hoc modo ad vitam piã deoq; beneplacitã peruenirent. siquidẽ hoc illud rete est, quo prædicatores, isti hominũ piscatores, pisces extrahunt è mari mũdi huius, & perducunt in portũ æternæ felicitatis. Atq; de istiusmodi piscatoribus dixit dominus per propherã, Mittã piscatores multos, & piscabuntur eos. Externum itaq; illud piscatorũ officiũ, alterius adhuc futuri officij signũ euidẽs erat. Homines autẽ piscẽ quoq; appellatione intelligi, testẽ etiã habemus ꝓphetã Abacuc, dicentẽ, Facies homines quasi pisces maris.

Sapi. 4. *Psal. 13.* *Mat. 16.* *Mat. 16.* *Iere. 16.* *Abac. 1.*

3 Quærunt hîc doctores, quur dominus prędicatores gratiæ noui testamenti elegerit non regum filios, non doctores aut scribas, sed homines & facultatibus pauperes & opificio piscatores, cuiusmodi fuerũt Andreas, Petrus, Ioannes, Iacobus, &c. Respondet Hieronymus, & ait: Piscatores & illiterati mittuntur ad prædicandum, ne fides credentiũ, nõ virtute dei, sed eloquẽtia atq; doctrina fieri putaretur. Eodem facit, quod Beda inquit, Ad noui testamẽti gratiam in mundo prædicandam, non filij regũ, non scribæ, primò eliguntur: nimirũ ideo, quia quæ infirma sunt apud homines, fortia sunt apud deum: & deus quidem quæ stulta sunt mũdi elegit, vt confundat sapientes: & infirma quoque mundi elegit, vt cõfundat fortia: & ignobilia mũdi & contẽptibilia elegit deus, & ea quæ nõ sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Profecto

Hieron. *Beda.* *1. Cor. 1.*

si per potentes & optimates fidem suam in mundum hunc disseminasset, poterat inde gloriari isti & extolli, quasi per eos idem præstare non potuisset. Nunc autem humilientur omnes, & docti, & sapientes, cogitent quoque salutem nostram vniuersam, à simplicissimis (si mundum respicias) & indoctis hominibus toti orbi annuntiatam esse, quod illis ne nisi diuina virtute adiuti præstare neutiquá valuissent.

1. Cor. 1. Hoc ipso tamen, quod neque diuites, neque nobiles, nec doctos, neq; potentes ad id muneris elegit deus, verum fecit illud, quia quod stultum est dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Videte igitur, inquit Paulus, vocationem vestram fratres. Nos quoq; hic docemur quanto facilius dominū in euangelio se

Luc. 14. quantur pauperes quā diuites, nam ideo quoq; pauperes ad apostolatū elegit. & alibi dixit dominꝰ, Si quis venit ad me, & non odit patrē suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suā, non potest meus esse discipulus. Id quum difficilè admodū fit diuitibꝰ, fit vt minus expeditè vacare possint officio euāgelico, quāuis remuneratio magna & merces eximia eos maneat iā pa-

Marc. 10. rata, qui illi obsequuntur: iuxta hoc quod dominus dicit, Amē dico vobis, nemo est qui reliquerit domū, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrē, aut filios, aut agros propter me & propter euangeliū, qui non accipiat centies tantum nunc in tēpore hoc, & in sęculo futuro vitā æternam. Magna quidem hæc est merces, sed diuitibus ad merendum operosa admodū & laboribus plena, cuius rei exemplum satis magnum de se adolescens ille præbuit, qui quum interrogasset dominum, dicens, Quid faciens vitā æternam pos-

Mat. 19. sidebo: & audisset respondere eum sibi de præceptis legis, subiunxit, Omnia hæc custodiui à iuuentute mea: quid adhuc mihi deest? Et ait illi Iesus, Si vis perfectus esse, vade, vē de omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurū in cœlo, & veni sequere me. Quum audisset autem adolescens verbū, abiit tristis. erat enim habens multas possessiones. At Iesus dixit discipulis suis, Amen dico vobis: quia diues difficile intrabit in regnū cœlorū. Et iterum dico vobis, Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorū. Neq; vero mirū cuiquam videri debet, diuitias magnum esse impedimētū in euangelicæ

doctrina,

doctrina, quãdo & Crates ille Thebanus aurum obiecit in mare, eo quod in disciplina philosophica ipsum impediret. Quodque plurimùm nos in via salutis offendant diuitiæ, parabola ista euangelica satis arguit, vbi spinis comparantur, quæ suffocant verbum dei, & item alia quædam, quę ex multis ad nuptias inuitatis vnum ad negociationem suam abiisse commemorat. Alibi quoq; legitur, quia quũ pater- *Mat.13.*
familias ad cœnam magnam plurimos inuitasset, excusantibus se omnibus, dixit quidã: Iuga boum emi quinque, & *Mar.22.*
eo probare illa: rogo te, habe me excusatum. Et quid iis immoror, tota vndique plena est scriptura, quomodo diuitiæ
hominis auocẽt à regno dei, sicuti dominica 21. à feriis pen- *Luc.14.*
tecostes per longum recensuimus? 4 Discant hic penes quos stat electio episcoporum, præpositorum, parochorũ, prædicatorum, ne ita temere personarum tantum habito respectu, diuites, potentes & nobiles eligant, nihil aut certè parum attẽdẽtes doctrinam, cęteraque ad huiusmodi functiones pertinentia: quod nunc prohdolor in magna Christianismi parte fieri cernimus, vnde vix dici potest quãtum detrimenti fidei nostræ & Ecclesiæ sanctæ accesserit. Nam laborante & ægrotante capite, quomodo non & membra male habent? Sunt qui huius mali causam in curiam referant Romanam, & verùm id quoq; est. non raro videas ibi nonnulla vtcunq; succedere, quæ forent emendanda. Interim tamen attendant & nostri principes, nobiles, & optimates ciuitatum, quibus & ipsi sacerdotia conferant, venatoribus nimium suis, aucupibus, & quiteloneis præfecti sunt. Videas non raro in vrbibus sic agi, vt consulis alicuius cognato, aut qualicunque amiculo conferatur sacerdotium, neglecto interim alio presbytero magis idoneo, sed pauperculi ciuis filio. Quid multa? necessarium admodum forethuiusmodi abusus in omnibus omnium hominum ordinibus reformare. Sed quando fiet hoc? Quis est qui ten- *Act.10.*
tare audeat? Christus ad apostolatum electurus nonnullos, neq; diuitias, nec nobilitatem, neq; potentiam respexit, vt posit hîc vere dici, quod Petrus ait, In veritate cõperi quia non est personarum acceptor deus. Quid quod grauiter
prohibitus nobis est ille personarum respectus, teste Iaco- *Iaco.2.*
bo, Fratres mei, nolite in personarũ acceptione habere fidẽ domini nostri Iesu Christi, & inde, Si persona accipitis,

Colo.3. peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores.
Rom.2. Eodem respexit Paulus, quum dixit non esse acceptionem personarum apud Deum. Quod & prædixit de Christo E-
Esa.42. uangelicus propheta Esaias, non clamabit, neque personam accipiet. Atqui vnum est quod hîc obseruãdum venit, quoniam homines in electionibus suis, non quidem debẽt personam inspicere, hoc est, externam cõditionem: sed interim
Exo.18. considerare eos oportet eruditionem, doctrinas, honestatẽ, diligentiam & id genus alia. Hoc enim Moysen quoque fecisse legimus, iuxta consilium Ietro, dicẽtis sibi, Prouide de omni plebe viros sapientes & timentes deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiã, & cõstitue ex eis tribunos, cẽturiones, quinquagenarios & decanos. Ecce quomodo & Moyses conditionem & dispositionem illorũ respexit. Verùm hîc dominus homines indoctos & rudes, piscatores nimirum elegit, exemplũ nobis largitus vt sequamur, non attendẽtes personas hominum. Rursus in eo quod imperitos illos homines ad tam sublimẽ excelsi muneris functionem euexit, eum imitari non debemus: ipse enim indoctos illos doctos reddere, & ex malis poterat facere optimos, nec quicquam illam suam electionem minus bona electorũ dispositio impediebat. norat siquidẽ præficere eis magistrum,
Ioan. 14. ex quo etiam omniscij fierent: iuxta illud quod dixit eis, Paracletus ille, quem mittet pater in nomine meo, docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quęcũq; dixero vobis. Nec
Act. 9. absimile est quod in Paulo operatus est: quẽ si purus homo elegisset, minus rectè fecisset, vtiq; lupũ ouibus præficiens. At vtcũq; ille malus erat & persequutor Ecclesiæ, poterat eũ dominus facere agnũ, & ex persequutore vas electionis. Et hoc quidem est quod dicunt doctores immensum quid interesse inter electionẽ dei & hominum. Homo enim quũ quid eliget, oportet bonitatẽ antea in re eligenda inueniat, aut vt minimũ credat esse in ea bonum, cuius gratia rẽ istã eliget. Diuersum autem accidit in electione diuina, vbi non est opus adesse bonitatem, sed ipsa dei electio rem bonã efficit. (siue vt alias dicimus: nos eligimus, quia res est vere bo-
Rom.8. na vel apparẽter, deus autẽ sua electione facit rem esse bonam) Ita Paulus inquit, quos vocauit, illos & iustificauit: & quos iustificauit, eos & magnificauit (iustificatio per gratiã, magnificatio per gloriã) O felicẽ vereq; beatũ hominẽ, quẽ

hoc

hoc modo elegerit dominus electione finalis gratiæ, non quomodo elegit Iudam, de quo & dixit, Nonne duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est: sed sicut Petrum & Andream hic elegit per gratiam & illic ad gloriam. & sicut de se suiq; similibus loquutus est Paulus, dicens, Elegit nos ante mundi constitutionem: de quibus Dauid quoque ait, Beatus homo quem tu elegeris & assumpseris, inhabitabit in atriis tuis. Deus ille misericors & miserator dominus, dignetur nos quoque eligere hic per gratiam suam, & illic ad gloriam æternam: idq; per suffragia & intercessionem sanctorum Apostolorum Andreæ, &c.

Ioan. 6.

Ephe. 1.

Psal. 64.

HOMILIA II.

NOTA in vniuersum ecclesia Christiana, fratres dilectissimi, hodierna die laudat veneraturq; deum in suo sancto apostolo Andrea, paucis exceptis neochristianis, qui malunt in gratiam vicini alicuius, diem facere festum in nuptiis ipsius, quàm in honorē virginis matris, omniumq; sanctorum. Quomodo autem ad apostolatū peruenerit sanctus Andreas, hodierna nobis refert lectio euangelica. *Ambulans enim Iesus iuxta mare Galilææ, quum vidisset Petrum & Andream, dixit eis, Venite post me, faciam vos piscatores hominum.* Verbi huius meminerint quotquot vel episcopos eligunt, vel parochos, vt & ij piscatores fiant hominū, non censuum tantum & reddituum, non piscatores præbendarum, quarum vnam ita super aliam cōgregant, vt asinus saccum sacco tātisper accumulat, dum ipse tandem sub pondere succumbat. Non sic Paulus fecit, cū ait ad Corin. se non bona eorum, sed ipsos quærere. Quamobrē verus etiam ille piscator extitit hominum, sequutusq; est dominum, homines quoq; reti sermonis inde capientem. Quisquis ergo piscatione sua multitudinem attendit præbendarum, magnitudinem honoris & bonorum, is sane piscator hominum non est. Atq; idipsum hoc est quod tam propriè hic dominus ait: *Venite post me*, nimirum, quia post Christum venire debent omnes animarum curatores, ipsumq; sequi, iuxta illud Iob, Vestigia eius sequutus est pes meus: viam eius custodiui, & non declinaui ex ea. Sic Paulus & Christum sequutus est ipse, & ad sequendum illum alios quoq; cohortatus est, dicens, Fratres, imitatores mei estote, sicut & ego

2. Cor. 12.

Sequi Christum Iob 23.

1. Co. 11.

Christi: quũ interim alij concupiscentiã suã, complures etiã
Eccle.31. pecuniã tantũ sequantur, contra istud Sapientis, Beatus vir
1.Cor.1. qui post aurũ non abiit. *Venite*, inquit dominus, *Post me*, significare volẽs præcedere se oportere tam vita quã doctrina: quia quicũque aliud fundamentũ ponit præter id quòd positum est, nihil ædificabit. In multis aliis locis docet, imò præcipit dominus veniendũ esse post se: quoniam quisquis post ipsum nõ ambulat, procul à via aberrat. Si quis, ait ille, vult venire post me, tollat crucem suam & sequatur me.
Mar.18. *Luc.9.* & alibi, Siquis post me vult venire, abneget semetipsum & tollat crucem suã quotidie super se. Vnde præclare hic di-
Ioan. 10. cit dominus, *Venite post me.* siquidẽ quicũque ingrediuntur & veniunt aliũde, fures sunt & latrones, Omnes igitur tum prædicatores, tum episcopi, tum parochi, præ omnibus & super omnia Christum ante oculos habere debẽt & animarum curã, vt sic veri sint hominũ piscatores & huiusmodi quidẽ, de quibus dominus ait, quia sagena mari immissa
Matt.13. capiãt omnis generis pisces, impletamq; illam attrahant ad littus, bonos collecturi in vasa sua, malos autem eiecturi, quod demum per angelos constat esse futurum. 2 Ait porro euangelista piscatores illos duos statim relictis reti-
Theoph. bus sequutos esse dominum, vbi Theoph. Vide inquit, obedientes homines, statim sequuti sunt, vnde manifestũ, quod hæc secunda vocatio sit, antea enim docti erant à Christo, deinde reliquerunt eum. nunc autẽ viso ipso, statim sequuti sunt eum Hic nos festinatam & præproperam illã consideremus obedientiã horum duorum discipulorũ, simul &
Chryso. fidẽ, sine qua obedire non poterant domino. Quam obrem suauem admodum & iucũdã piscationem oportet habuisse dominum. siquidẽ in medio operis constituti, cum illum audiissent iubentem, nihil distulerunt, nihil omnino cunctati sunt: non dixerunt, reuertimur domum, loquemur propin-
3.Re.19. quis, sed cuncta ilico relinquentes, fecerunt: quod Eliseus quoq; sub Elia legitur impleuisse, qui quanuis cum duodecim bobus araret, tamen quamprimum palliũ suum super illum iniecisset Elias, relictis bobus cucurrit post Eliã: quanuis textus illum antea parentes suos osculatum esse commo-
Chryso. morat. Talẽ quippe, inquit Chrysostomus, à nobis obediẽtiam Christus efflagitat, vt neq; punctum temporis differamus, etiã si nos aliquid necessarium vrgere videatur, quando

do nihil cuique charius esse debet animę suæ salute. Atque ideo iuueni isti petenti à domino, vt abiens prius sepeliret patrem suum (quãuis sepultura parentis opus bonum sit) respondit tamen, tu me sequere. & sine vt mortui sepeliant mortuos suos. Admiratur hanc discipulorũ fidem & Grego. dicés, Nulla Petrus & Andreas Christum miracula facere viderant: nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, & tamẽ ad vnum domini præceptum, hoc quod possidere videbantur, obliti sunt. Et quanta nos eius miracula videmus? quot flagellis affligimur? quantis minarum asperitatibus deterremur? & tamen vocantem sequi contemnimus. In cœlo iam sedet, qui de conuersione nos admonet. Iam iugo fidei colla gentium subdidit, iam mundi gloriã strauit, iam ruinis eius crebrescentibus, districti iudicij sui diem appropinquanté denuntiat, & tamen superba mens nostra, non vult hoc sponte dimittere, quod quotidie perdit inuita. Diceres, pauperculus fuit Petrus piscator, nihil habuit diuitiarum, victũ manu & arte quærebat, quo facilius qui parũ habuit, quicquid habuit relinquere potuit: sicut & socij sui Ioannes & Iacobus, quorum inopiam bene signauit euãgelista dum ait, *Inuenit eos reficiẽtes retia sua.* Tanta erat egestatis grauitas, vt vetera contexerunt, quia emere noua nequibant. Hieron. ad hoc respõdens quoque, Omnia, inquit, relinquit, qui voluntatem habendi deserit (quod etsi nõ legatur in Hieronymo Basileæ impresso, tũ in antiquis codicibus scriptis hoc legitur.) Estq; hæc perfecta & deo beneplacita paupertas, abiicere animũ, voluntatemq; suã coercere in eo, ne quid singulare priuatim possideat. q̃ facere debẽt religiosi, qui paupertatẽ vouẽt domino (qua de re alias) idẽ porro sentit & Greg. hic in homilia dicens, In hac re, fratres charissimi, affectũ potuis debemus pẽsare quã censum. Multũ reliquit, qui sibi nihil retinuit. multũ reliquit, qui quantumlibet paruũ, totum tũ deseruit. Certe nos & habita cũ amore possidemus, & ea quæ minime habemus, ex desiderio quærimus. Multũ ergo Petrus & Andreas dimisit, quãdo vterque etiam desideria habendi dereliquit. Multũ dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentis renuntiauit. Tunc enim demum illud acceptabile deo & gratum est, qui animũ, non bona respicit: nec quãtum sibi offeratur, sed ex quãm magno & feruenti ani-

Matth. 8.

Gregori.

Chryso.

Hieron.

Gregori.

mo,considerat. 3 *Relictis*, inquit euangelista, *Retibus secuti sunt dominum*. Duo hic commemorat Matthæus, alterum,quia reliquerunt retia:alterum, quod & insuper do-
Hieron. minum sequuti sunt. Illud prius multi etiam ex ethnicis viri clarissimi strenue præstiterunt, Socrates, Bias, Thales, Crates Thebanus, qui etiam aurum proiecit in mare, Fabricius Romanus & plerique alij. Sequi autem dominum, Christianæ perfectionis est,& ad bonos fidelesque tantum
Iob 23. pertinet,teste Iob: Viam eius custo diui,& nō declinaui ex ea. sic sequuti sunt dominū tres illi pueri in fornace ignis,in
Dan.3. captiuitate Babylonica,quum dicerent,Sequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam. Ita videmus quā exiguo pretio regnum cœlorum sibi isti com-
Gregori. parauerint apostoli, scilicet retibus antiquis vix dum bene consutis, quæ etiam regni cœlorum proprietas est, quam
Luc.19. designauit Grego.quum ait,Regnū dei tantum valet quantum habes. Valuit nanque Zachæo dimidium substantiæ,
Mat.10. valuit Petro & Andreæ dimissis retibus & naui, valuit & viduæ duobus minutis,valuit alteri calicem aquæ frigidæ. Regnum itaque dei (vt diximus) tantum valet quantum habes,vsq; adeo exiguo dat vitam æternam pretio deus hominibus piis, vt etiā latro iste in crucem suffixus, cum iam
Luc.23. nil posset,ac ne membrum quidē corporis sui aliquod mouere præter linguam, emeruerit apud deum vno verbo paradisum,eo quod apud deum nunquam vacua est sine munere manus,modo pectoris scrinium bona repletum sit vo-
Gregori. luntate. Quumque omnes in vniuersum Christiani superfluam istam eāq; malam rerum temporalium concupiscentiam abiicere debeant,tum verò maximè hoc prædicatores facere addecet,qui proximos suos perfectè diligere tenentur,idque vt faciant expeditius,studeant in hoc seculo nihil amare, nihil vnquam appetere, nihil etiam vel cum ap-
Esa. 60. petitu posidere. Atque ideo de euangelicis & apostolicis prædicatoribus recte dixit propheta, Qui sunt ij qui vt nubes volant,& quasi columbæ ad feneſtras suas? Vidit nimirum ille quomodo ij terrena omnia contempturi essent, suoq; pectore appropinquaturi ad cœlestia, vt sic deplue-
rent verbum dei, & miraculis coruscarent. Hoc enim est quod eos volare perhibet,nubesque appellat,quoniam per verbum suum sanctum,doctrinámque sanam & vitam in-

conta-

contaminatam, procul ab omni rerum terrenarum immunditia abducerentur. Sed & ſicut colũbæ tum ſimplices ſunt, tum felle omni carent, ita apoſtoli quoque huiuſmodi virtutibus erant præditi. Cæterùm euangeliũ hoc adhuc doctores myſticè exponunt, quod vltro hic præterimus. Quũ enim Simon obedientem ſignificet, & Andreas virilem, Chriſtianos omnes accurrere decet, vt duorum iſtorum nõ minum ſignificationem in ſe habeant, ſintq́ue mandatis diuinis obedientes, & propria agnoſcãt peccata, fortiter quoque & viriliter ſuggeſtionibus reſiſtant diabolicis, vnde fiet vt fœliciter Chriſtum ſequãtur. 4 De ampliſſima apoſtolatus dignitate alias in communi de apoſtolis dicturi, nũc hiſtoriam & vitam S. Andreæ breuiter explicabimus. Neque hic quicquam me mouet, quod neochriſtiani nullam huic rei fidem habent. id enim ſine omni fundamento & aduerſus rationis dictamen faciunt vniuerſum. Nam quum recipiamus hiſtoricos tam recentes quam veteres, Romanos etiam Græcos & Perſas, qui tamen præterquã quod ethnici fuerunt, in multis quoque turpiter aberrarunt: qua fronte fidem negare audent hiſtoriis de vita ſanctorum à ſancta eccleſia receptis? O homines peruerſos & degeneres filios, qui matris ſuæ Eccleſiæ catholicæ reiiciunt hiſtorias, & ethnicorũ ſcripta obſeruant. Nihil itaque vos inſtabiles iſti & inconſtantiſſimi homines à veritate dimoueant. S. Andreas in Bethſaida Galilææ natus, frater S. Petri extitit, & S. Ioannis Baptiſtæ diſcipulus: quúmque Ioannes Chriſtum digito monſtraret, & ipſe ſecutus eſt illum, & ad eundẽ Petrum quoque adduxit. bis ille cum Petro etiã vocatus eſt à domino cũ piſcarentur in mari, hic ipſe cum cæteris etiam ad apoſtolatũ accitus eſt: ſecundúmq; apud Matthæũ & Lucam obtinet locum à Petro in catalogo apoſtolorũ, quanuis Marcus ei quartũ tribuat. Andreas ille, teſte Ioanne, interfuit, quãdo quinque milia hominũ pauit dominus quinque panibus hordeaceis & duobus piſcibus in deſerto, ratus tantillum ciborũ nihil ſuffecturũ in tãta hominũ multitudine. Andreas quoque in die palmarum inſinuauit domino eſſe quoſdam ex gentibus qui ſe videre cuperent. Poſt diuiſionem autem apoſtolorũ iuſſu domini, Andreas, authore Sophronio, venit in Scythiã & Sogdianã, prædicauítque ibidẽ & Saccis ſimul ac AEthiopibus in magna ciuitate Auguſta,

Ioan. 1. *Luc. 5.* *Matt. 10.* *Luc. 6.* *Marc. 3.* *Ioan. 6.* *Ioan. 11*

Vide Philaletum epistolam cleri recensentem de martyrio. sancti Andreæ.

capto hinc à Myrmidonibus Matthæo, & excæcato, mirabiliter illuc dominus misit Andream, qui Matthæo visum restitueret: quo facto, quum prædicaret Andreas in Achaia, multósque ad Christi fidem conuerteret, præfectus regis Edissenorum Egeas eum crucis adiudicauit suspédio, quam ille magna cum lætitia & suscepit & saluauit, in eáque vsque ad alterum diem pependit, prædicauit, & ad fidem conuertit multos. Egeas porrò quum illum propter populi clamorem deponere viuum vellet, orauit apostolus dominũ, vt in pace spiritũ suum susciperet, sicq; lux ipsum circunfulsit, & in eius splendore spiritũ deo tradidit, atque in ciuitate patras à nobili matrona Maximilla sepultus est, vnde reliquiæ illius Cõstantinopolim vsque deductæ sunt temporibus Constantini, die 8. Maij. Deinde cum Græciam totam suæ tyrannidi subiiceret Turcarũ imperator, Christianus quidã & catholicus princeps Thomas dux Moreæ, caput S. Andreæ ablatum inde in Romã transtulit, & Pio secundo dedit, qui sacellum pulcherrimũ in honorem sancti Andreæ erexit in ecclesia sancti Petri, vbi reliquiæ illæ adhuc quiescunt. Vos iam dominum deum deprecemini, &c.

IN FESTO S. BARBARAE VIRGINIS ET MARTYRIS EVANGELIVM.

Matthæi 25.

IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc, Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ. quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum. Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. moram autem faciente sponso, dormitauerũt omnes & dormierũt. Media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerũt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt, Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes, Ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias,

nuptias, & clausa est ianua. nouissime verò veniũt & reliquæ virgines, dicentes, Domine, domine, aperi nobis. At ille respondens, ait, Amen dico vobis, nescio vos. vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. *Luc. 19.* *Mar. 13.*

HOMILIA VNICA.

PARABOLAM hanc, inquit Hieronymus, quidã simpliciter in virginibus interpretãtur, quarũ aliæ iuxta Apostolũ, & corpore & mẽte sunt virgines, aliæ virginitatẽ tantũ corpore seruãtes: vel cætera opera bona nõ habẽt, ppositio suo similia, vel parentum custodia reseruatæ, nihilominus mente nupserunt. Sed mihi alius sensus videtur, & non ad virginalia corpora, sed ad omne hominũ genus cõparatio pertinere. Sicut enim dicit dominus duos fore in agro vno, quorũ altero assumpto relinquatur alter, & duæ molẽtes in mola, vna assumetur, & vna relinquetur, &c. ibiq; vniuersum genus hominũ significatur, qui sunt in Ecclesia, & extrinsecus velut arare & molere videtur, quæ tamẽ omnia ficto simulatoq; animo p hypocrisim faciunt: ita hic denario virginũ numero omnes intelligũtur Christianorũ turbæ qui apparẽt quidẽ hominib⁹ credere in deũ, ipsi quoq; scripturarũ iactant scientiã. & tamẽ in illis fatuæ interim aliquot sunt virgines, fidẽ nimirũ rectã nõ habẽtes, neq; eam piis operibus exercentes. In eadẽ porrò sententia est & Augustinus quũ ait, Nõ videtur mihi ista parabola ad eas solas pertinere, quæ ppriæ excellẽtiori sanctitate virgines in Ecclesia nominãtur, quas etiã vsitatiori vocabulo sanctimoniales appellare cõsueuimus, sed ad vniuersam hæc parabola pertinet ecclesiã: siquidẽ, si ad religiosas tantũmodo personas referenda esset, maior est earum numerus, quàm vt cum denario cõueniat, quãuis ex decem istis quinque adhuc fatuæ existant. Cæterùm sanctæ animæ virgines idcirco appellantur, quia gloriantur in vnius dei notitia, & mens earũ idololatriæ turbine nõ constupratur. in sacris enim literis idola venerari, adulterari est & fornicari, teste Dauide qui ait, Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. & de Manasse quoq; legitur in hunc modũ. Reliquerunt deũ patrum suorũ, & fornicati sunt post deos populorum terræ, quos abstulit dominus corã eis. Sed & Oseas ꝓpheta sic ait, Fornicati sunt, & non cessauerunt, quoniã dominũ dereliquerunt in non custodiendo. & deinde, Spiritus *Hieron.* *2. Cor. 11.* *Matt. 14.* *Augusti.* *Hieron.* *Psal. 72.* *1. Par. 5.* *Oseæ 4.*

furnicationum decepit eos, & fornicati sunt à deo suo. super capita montium sacrificabant, & super colles accendebant thymiama subtus quercũ & populum & terebinthum. Quid multa? plerisque adhuc aliis scripturæ locis idololatria fornicationis nomine exprimitur: & quum quis relictis diis multis, in cognitione perseuerat & cultu vnius veri dei, eius hominis anima vere virgo dicitur, quod nullum cõ
Theoph. mittat cum diis alienis adulterium. Theophylactus paulò diuersa sententia, Sub persona, inquit, virginum proponit parabolam de eleemosyna, vt quoniam magnum opus est virginitas, ne quis illud vnum curãs, alia negligat, sed discat
Chrysost. quod absque eleemosyna etiã virgines cum scortis eiiciantur. Et merito quidẽ: nam quod homo virginitatẽ amittit, fit illud eo quòd à natura & innata ista concupiscentia mala afficitur: id autem qui sericordia nulla mouetur, ab externis diuitiis superatur. Grauius igitur est, aliquem à leuioribus & vilioribus vinci, vt auarus habendi studio occupatur, quam à libidine superari. Imò stolidus & fatuus admodum est, qui quum ardentem vicerit naturalis concupiscentiæ fomitem, insuper ab exigui lucelli cupidine superatur.

2 *Simile* ergo *est regnum cœlorum decem virginibus, &c.* Regnum cœlorum, ait Gregorius, præsentis temporis Ec-
Gregor. clesia est in hac vita, id ille declarat, sicut & nos superius in quadam homilia fecimus. Decem virginibus simile est regnum cœlorũ, quæ omnes sunt piæ & sanctæ Christianorũ
2. *Cor.* 11. hominum animæ. virgines enim illæ sunt in fide, quotquot
Augus. in Ecclesia catholica existunt, dicente Paulo, Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Quod verbum Apostolus, teste Augustino, non solum sanctis monialibus, sed vniuersæ ecclesiæ dixit. Virginitatis huius destructor & hostis diabolus est, quem procul fugere & euitare debent omnes Christiani, sicut ibidẽ sequitur. Timeo ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sermones vestri, & excidãt à simplicitate (vbi Augustinus legit castitate) quæ est in Christo Iesu: quanuis ergo pauci virginitatem seruant in corpore, omnes tamen eam custodire debent spiritualiter in pectore, sicut infra latius explicabimus.

Quid autem sibi vult quod regnũ cœlorum dominus virginibus decem cõparat, quarum quinq; prudentes & quinque fatuæ erant? In quinque ait Gregor. sensibus corporis

vnusquisque

vnuſquiſque ſubſiſtit: geminatus verò quinarius denarium perficit. & quia ex vtroque ſexu fidelium multitudo colligitur, ſancta Eccleſia decem virginibus ſimilis denuntiatur. Neque diſcedit ab hac ſententia Auguſt. cum dicit, Omnis anima in corpore ideo quinario numero cenſetur, quia ſenſibus vtitur. nihil enim eſt quod ſentimus ex corpore, niſi ianua quinque partita, aut videndo, aut audiendo, aut odorando, aut guſtando, aut tangendo. Qui ergo ſe abſtinet ad illicito vſu iſtorum propter ipſam integritatem, virginis nomen accepit. Iam verò ſuccurrit hic dubium, quo tandem modo virgines quinque fatuæ dicantur, ſimúlque virgines exiſtant, neque id tantũ, ſed & lampades inſuper ſecum acceperint. Reſpõdeo & dico varias quidem eſſe eius rei expoſitiones, quas hic eo maxime vobis cõmemorare libet, vt inde præparetis animos veſtros, ſitíſque in numero virginum prudentũ, quæ cum ſpõſo Chriſto introierũt ad nuptias felicitatis æternæ. Chriſtiani, inquit Auguſti. virgines ſunt propter abſtinentiã ab illicitis ſenſibus, lampades habentes propter bona opera, de quib⁹ dominus ipſe dicit, Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificẽt patrem veſtrum qui eſt in cœlis. Duo ecce hæc ſunt quæ Chriſtianum decent, neq; tamen ſufficiunt: ſiquidem etſi lampades habeãt bonorum operum, virgines tamẽ adhuc fatuæ eſſe poſſunt. Quod ſi ergo non omnes illi ad nuptias conueniunt, qui & ab illicitis ſibi cauent, & opera bona habent, quid ſpei erit iis qui nec animam ſuam ab illicitis rebus auocant, neq; opera bona faciunt, ſed in atra tenebrarum verſantur caligine? Non enim aliud hîc fatuarũ & prudentum virginũ cernitur diſcrimen, niſi quod illæ oleũ non habebunt: quod & ideo magnũ quiddã ſignificare oportebit. Quid igitur deſignabit? charitatem nimirum, iuxta illud Pauli, Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro, Si linguis hominũ loquar & angelorum: charitatem autem nõ habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalũ tinniens, Palam ergo hîc eſt, Paulum excellentiorem viam dicere charitatem, quam eodẽ loco ille ſuper alia dona ſpiritus extollit. Auguſtinus quoque idipſum ex olei natura & ſimilitudine colligit. Supernatat enim in cæteris humoribus, quomodo & charitas ſuperat reliquas virtutes & donationes dei.

Auguſti. *Matth. 5.* *1. Cor. 13.* *Auguſti.*

3 Gregorius hanc parabolæ partem paulo diuerſius expo *Gregor.*

nens, docet nos oleum in cordibus nostris habere, vt placeamus deo. Sunt plerique cõtinentes qui ab exteriori appetitu se custodiũt, & spe ad interiora rapiuntur, carnem macerant, & toto desiderio ad supernã patriam anhelant, æterna præmia expectant, pro laboribus suis recipere humanas laudes nolunt. hi nimirũ gloriam suam nõ in ore hominum ponunt, sed intra cõscientiam cõtegunt. Hæ virgines prudentes sunt, quoniam in lampadibus, hoc est, cordibus splendo-
2. Cor. 1. rem gestant gloriæ suæ, dicente Paulo, Hæc est gloria nostra testimonium cõscientiæ nostræ. Fatuæ autem virgines oleum nullum habent, dum gloriam nõ quærunt in sua ipsorum conscientia, sed coram hominibus. ideoque &
Matt. 6. mercedem suã omnẽ, iuxta verbũ domini, receperunt. Sed virgines illæ quæ ad spõsum perueniunt, omnem gloriã suam
Psal. 44. intus solummodo inquirũt, dicente Dauide, Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. Neque multum dissimilis sententiæ sunt, qui dicunt lampades significare fidem, quia sicut lampades domũ, ita fides illuminat animam. Lampadem porrò istam recipiũt fideles à deo per sacerdotẽ in baptismo & licet istiusmodi lãpadem diu secũ circunferat aliquis, neq; in ea sit oleũ charitatis diuinæ & meritoriorũ operũ, fides illa
Iacob. 2. tota mortua est, vana inutilis & otiosa: cuiusmodi fides ista est neochristianorũ, qui fidem suã omnem cũ habeãt in ore, nihil interim boni fouent sub pectore, & operibus carẽt in manibus. Neq; enim oleũ habent in lampadibus suis, ideoq; virgines tantũ fatuæ exiſtunt, nec quisquã horũ Christianorum cum Christo ingredi poterit ad nuptias salutis æternæ.

4 Ex istis iam rationibus satis manifestè liquet, cur dominus regnum cœlorũ virginibus compararit, quarũ quinque fatuæ & quinque sint prudentes, &c. quod Auguſt. & Gregor. de quinque sensibus non incõmodè expoſuerunt. eorum enim diligens custodia apprime necessaria est iis qui virginalem castitatem seruare volunt. Et quanuis in sacris literis denarius numerus vniuersitatem rerum plerunque significat, tamen peculiari nõ caret ratione, quod ex vtraque parte virgines quinque coniunxit, propter sensus quinque quos in sedula custodia cum omnes habere debẽt, tum verò maximè eã quæ mulieres & virgines pudicas decet disciplinã. Nisi enim oleũ adhibuerint sapientiæ salutaris, perierint. Idipsum in prima virgine fatua cernimus Eua,
Gene. 2.

quæ

quæ non satis custoditis fuit auribus, dum locum dedit diabolo & suggestioni ipsius, qui noxius extitit abusus, quoniã audire malum quid faciat boni? vnde & Sapiens dixit, Sepi aures tuas spinis, & linguam nequã noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. Vbi primum fœminæ aut virgines cœperint ex præsumptione ad omnia auscultare, bonam amiserunt pudicitiç partem: ita enim Euæ etiam cõtigit, quæ non prius periit quàm serpẽtem audisset. Sic Paulus ait, Corrumpũt bonos mores colloquia praua. Ad hæc, oculis esse parum præmunitis, fatuas quoque efficit virgines, quomodo & in Eua factum est, quç cum vidisset, quod bonum esset ad vescendum & pulchrum oculis aspectuque delectabile, tulit de fructu illius, & comedit. Neque dissimili exemplo etiam accidit Dinæ filiæ Iacob, ea enim cum temeraria quadam præsumptione exiisset visura mulieres regionis illius, rapta à Sichem & vitiata est. plerunque etiã spectatum (vt ille ait) veniunt, spectentur vt ipsæ, quod in ruinam eis cedit. quamobrem Dauid admonens, ait, Auerte oculos tuos ne videant vanitatem. Expertus hoc ille dixit: norat enim quomodo visus nõ custoditus fatuas reddat virgines, quando viderat ipse Bethsabee lauantem se, vnde & adulterium cum ea, & homicidium consequutum est Vriç. Quo etiam respiciẽs, dominus præmonuit nos dicẽs: Quicunque viderit mulierem ad concupiscendum eam, iã mœchatus est eam in corde suo. Sic infatuati sunt in Sara vxorẽ Abraham, Pharao & Abimelech: sic vxor Putipharis, lasciuos & impudicos oculos suos petulanter cõiecit in Ioseph, petiitque ab eo adulterium, quod cum abnueret ille, mendacio impudentissimo ipsã eum detulit ad dominum suum, quasi ipse vim pudicitiæ suæ inferre voluisset, quo mendacio quid quæso vt fucatius, ita & iniquius & turpius? Sic filij Israël cum viderent filias Moabitarum & Madianitarum, præcepit dominus principes populi in cruces suffugi aduersus solem, plenaque est istiusmodi exemplis vniuersa scriptura, quæ volens hic prætereo. Quòd si autem quilibet homo ipsum Iob imitaretur, sane in album prudẽtum virginum referretur. sic enim Iob ait, Pepigi fœdus cũ oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Ad hæc tertio quoque sensu odoratus infatuantur virgines, quoniam & in ipso voluptatem conquirere, abusus magnus simul

Eccl. 28.
1. Cor. 15.
Geneſ. 3.
Geneſ. 34.
Pſal. 118.
1. Reg. 11.
Mat. 5.
Gen. 12.
Gen. 20.
Gen. 39.
Num. 25.
Iob 31.

& euidens est lasciuiæ signum: sicuti grauiter minatur domi
Esa. 3. nus filiabus Ierusalem, eo quod amblarent extenso collo, & nutibus oculorum irent, plauderent insuper, & composito gradu incederent. ideo inquit Propheta, Decaluabit dominus verticem earum, & crinem earum nudabit. Deinde ex omni mundo mulieri & inter ornamenta vniuersa ait se eis etiam ablaturum olfactoriola, & huiusmodi quidem vir
Sap. 2. gines fatuæ erant, de quibus Sapiens dixit, Venite & fruamur bonis quę sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant, Istiusmodi fatua & illa fuit mulier
Prouer. 7. lasciuia ac petulans, quæ allicere & decipere volens adolescentem dixit, Intextui funibus lectulum meum, straui tapetibus pictis ex Aegypto, aspersi cubile meum myrrha, aloë & cinnamomo. In iis nanque superfluitatę quærere & abusum ad peccandum, res longè inquisitissima est.

¶ Fatuæ insuper redduntur virgines gustu & tactu impudico, qui omnem corrũpit mũditię cordis, oleúmque gratiæ
Prouer. 6. diuinæ effundit iuxta illud Sapientis. Turpitudiné & ignoOsea. 7. miniam congregat sibi, & opprobrium illius nõ delebitur.
Pro. 20. & istud item Oseæ, Omnes calefacti sunt quasi clibanus.
Ephe. 5. Nimius etiam in cibo & potu excessus, peccandi pronitatem inducit, quoniam luxuriosa res vinum est, quo Paulus
Vinum. quoque nos admonet inebriari non debere. siquidem in eo luxuria est. Eodem pertinet illud Hieronymi, Si experto
Hieron. creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, vt spõso Christi vinum fugiat pro veneno. Hæc aduersus adolescentiam prima arma sunt dæmonum. Vinum & adolescétia duplex incendium voluptatis. vbi primum mulier aut virgo temulentiæ assueuerit pudor omnis periit: disciplina quoque & honestas vitæ vniuersa: quoniam ebrius scelerum omnium est vile mancipium, nec vitium aliquod est quod vincere possit, qui hoc crimine est detentus, tota enim hic emoritur sapientia, totusq́ue homo è sapiente stultus, ex stulto insanus redditur, mores omnes corruunt, & homo in porcum
Gen. 19. versus videtur. siquidem ille tunc linguæ suæ magister non
Osea 4. est, & quicunque non celat arcanum, nihil loquitur honestum. Lot si inebriatus non fuisset, proprias filias suas duas nec vitiasset, nec impregnasset. Verèque adeò dictum à propheta

propheta. Vinum & ebrietas auferunt cor. Sed de iis alias copiosius. Sicut autem pro fatuo, habetur, qui sensibus abutitur exterioribus, ita non paulo etiam stultior est qui interioribus male vtitur, puta qui turpia imaginatur, qui obscœna vanáque cõcupiscit & in iisdem exæstuat, siue id fiat ad luxuriam, siue gulam, siue superbiam, siue ad auaritiam, aut iram, inuidiam & odium, quicquid id genus est malorum affectare & imaginari turpissimum est, sicut dominus dixit mulieri impudicæ, Fecisti tibi imagines masculinas. *Ezc. 16.* Possent hæc omnia ad longum per singula membra extendi, sed hîc iam finis & modus esto. Vos communibus votis orate dominum deum, &c.

DE SANCTA BARBARA.

BARBARA Dioscori filia, in ciuitate Nicomedia virgo fuit sapientissima, oleumque charitatis diuinæ secum sumpsit in lãpade animæ suæ. Eius pater infidelis, in turri munitissima ipsam concludi curauit, in qua fenestras tres parari iusserat, quoniam tres essent qui mundum hunc illuminarent vniuersum, deus pater, filius & spiritussanctus. In eadem turri illuminata illa fuit diuinitus, & à S. Ioanne baptizata, suoque digito crucem impressit in lapidem. Pater autem cum nullo modo à fide Christi auertere eam posset, præfecto ipsam obtulit, qui eam verberibus primum cædi iussit & viscera, vulnera quoque recentia cilicio confricari, verùm illa sicut in fide ab angelo iam ante informata, ita nunc quoque ab eodem sanata est, vnde in furorem versus tyrannus, pedibus eam suspendi fecit, mammillasque ei præscindi, latera etiam facibus vri, nudámque per vrbem duci, vbi tamen ab angelo contecta est. Ad extremum parenti illum restituit, qui eductam eam decollauit, ibique ipsa pro omnibus qui memoriam sui habituri essent, orauit ad dominum. pater autem in itinere iam reuertens domum, igne cælitus dimisso, misere periit. Virgo hæc sanctissima cultores suos absque venerabili sacramento mortem obire non sinit, idque multis exemplis comprobatum est: posset per longum probari. Dolorque hîc ei fuit longe acerbissimus, quod eundem habuit & parétem & persequutorem atque adeò carnificem. Caput ipsius deinceps Constantinopolim translatum est,

& illud imperator quidam Venetis donauit, qui ipsum Venetias deportauerunt in templum suum, vnde per eosdem clam delatum est in Prusiam. Fuerunt quoque eius nominis plures aliæ sanctæ virgines, quæ propter fidem Christi immaniter trucidatæ sunt, vt non procul à Roma in regno Neapolitano & alibi, cuius caput Coloniæ apud minores in magna reuerentia seruatur. Eas omnes implorate sedulo, vt pro vobis intercedant ad dominum.

¶ Reliquam Euangelij huius partem require infra in festo S. Agnetis.

IN SOLENNI DIE S. PONTIFICIS NICOLAI EVANGELIVM. Lucæ 19.

Mat.25. Mar.31. I *N illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc. Homo quidam nobilis abiit in regionẽ longinquam, accipere sibi regnum, & reuerti. Vocatis autem decem seruis suis: dedit eis decẽ mnas, & ait ad illos. Negociamini dũ venio. Ciues autem eius oderant eum, & miserunt legationem post illum, dicentes, Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est vt rediret accepto regno, & iussit vocari seruos, quibus dedit pecuniam, vt sciret quantum quisque negociatus esset. Venit autem primus, dicens, Domine, mna tua decem mnas acquisiuit. Et ait illi, Euge bone serue, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatẽ habens supra decem ciuitatis. Et alter venit dicens, Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait, Et tu esto super quinque ciuitates. Et alter venit dicẽs, Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario. Timui enim te, quia homo austerus es, tollis quod non posuisti, & metis quod nõ seminasti. Dixit ei, De ore tuo iudico te serue nequã. Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens, cũ vsuris vtique exegissem illud? Et astantibus dixit, Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei, Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet quod habet auferetur ab eo.*

Mat.25.

Mat.13. Marc.4. Sap.8.

HOMILIA

HOMILIA VNICA.

FRATRES chariſsimi, hæc ſancti euangelij lectio (liceat enim mihi cum Gregorio ſic exordiri) ſolicite conſiderare nos admonet, ne nos qui plus cæteris in hoc mundo accepiſſe aliquid cernimur, ab autore mundi grauius inde iudicemur. Cũ enim creſcunt dona, rationes etiam creſcunt donorum. Huc huc reſpiciant omnes, quotquot à deo receperũt vel diuitias vel dominia vel ſcientiam & rationis acumẽ, vel poteſtatẽ, &c. conſiderent quomodo hæc omnia impendant, ſiquidẽ reddẽda de iis ratio grauis erit mortis tempore, & tandẽ in die nouiſsimo. Sunt qui gloriantur iam de multis elati, & tamẽ veniet tempus quo nolent ſe ea vel habuiſſe. Subdit itaque Gregorius, Tanto humilior atque ad ſeruiendum prõptior quiſque debet eſſe ex munere, quanto ſe obligatiorem conſpicit in reddenda ratione. Diligẽter itaque fratres mei hoc obſeruare euangelium, vt ſciatis quomodo donis dei vtamini. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam. *Grego.*

Nobilem, inquit Theophylactus, hominem Chriſtus ſeipſum introducit. Nam licet homo fuerit, manſit tamen in faſtigio & nobilitate deitatis. & is quidem abiit in regionem longinquam, quãdo aſcendit in cœlum. peculiariter autem Chriſtus homo dicitur, ſicut & peculiari modo homo fuiſſe ſuper omnes agnoſcitur, ita etiam Dauide dicente de Maria, Homo natus eſt in ea, ipſe fundauit eam altiſsimus. Homo minem Chriſtum vocat qui quãuis deus erat, in ſimilitudinem tamen hominũ factus, habitu eſt inuentus vt homo. Et is quidem abiit, ſiquidẽ iam antea de cœlo venerat in hunc mundũ per incarnationem: iuxta illud, In propria venit, & ſui eũ non receperunt. Diceres, quomodo conueniant hæc, quod Ioannes ait Chriſtũ in incarnatione ſua in propria veniſſe: & hîc Lucas dicit eũ abiiſſe in regionẽ lõginquã, idq; pergere, tẽpore aſcenſionis, quo maxime videtur in patriã ſibi propriã, quia in cœlũ, deueniſſe. Reſpondetur ad hæc, quia bene dicit Ioãnes Chriſtũ in carne veniẽtẽ, in propria veniſſe. ſiquidem proprius ac ſuus dei eſt ratione creationis mundus hîc vniuerſus. ex eo enim & per eũ factus eſt, teſte Deuide, Dñi eſt terra & plenitudo eius. Vel etiã ſpecialiter cum in Iudæa natus ſit, regio hæc illi propria dicitur, propter electionẽ ſanctorũ patrũ ſuæq; gentis ſicut & ipſe ait, *Theoph.* *Pſal. 86.* *Philip. 2.* *Ioan. 1.* *Cyrillus.* *Pſal. 23.*

Exod. 4. Deu. 23. Filius meus primogenitus Israë. ¶Testatur idem in cantico suo Moyses, dicens, Quando diuidebat altissimus gentes, cõstituit terminos populorũ iuxta numerum filiorũ Israël. & pars quidem domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. Ex more enim perpetuo veteres diuidere soliti sunt hæreditates suas funiculis: iuxta illud Dauidis, Fu-

Psal. 15. nes ceciderunt mihi in præclaris. Et hoc est quod Ioãnes ad diuinam naturam respiciens, dixit dominum in propria venisse. Sed quod idem ascensionem suam in cœlum peregrinationem vocat, ad humanitatem referendum est, idq; ip-

Grego. sum declarans Gregorius ait, Carnis locus proprius terra est, quæ quasi ad peregrina ducitur, dum per redemptorem nostrum in cœlo collocatur. procul enim aberat cœlum à natura hominis, opera quoq; hominum à cœlestibus multũ distabant, dicente domino per prophetam, Sicut exaltantur

Esa. 55. cœli à terra, sic exaltatę sunt vię meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Sunt adhuc qui referant hęc eo, quod dominus à Iudæis commigrauit ad gentes, quem sequuti etiam apostoli, à Iudæis tanquã indignis

Act. 13. Eccl. 24. secesserunt ad prædicandum gentibus euangelium Christi, sicut dixit Paulus, & ante eum in spiritu prœuidens idipsum Sapien. exclamauit, Doctrinam quasi ante lucanum illumino omnibus, & enarrabo illã vsq; in longinquum. Verumtamen superior expositio mihi non paulò accommodatior huic cõtextui esse videtur.

Theop. 2 Homo, inquit, quidam nobilis abiit in regionẽ longinquam accipere sibi regnũ, & reuerti. Regnum illud vitę æternæ accepit Christus, quod & sibi electis omnibus meruit. Regnum hoc ipsum suscepit, vt secundũ quod homo, sederet in dextra throni magnificentiæ cum carne. ibidem

Psa. 109. ille sedebit tantisperdum inimici sui omnes ponantur pro scabello pedum suorum, quod demum fiet incõ summatione seculi. omnia enim, etiam quæ nolent, illius subdita erũt imperio. Hunc ipsum autem oderunt fratres sui Iudæi, di-

Ioan. 19. centes, Nolumus hunc regnare super nos, quãdo Pilato dicenti, Regem vestrum crucifigam? responderunt, Regem non habemus nisi Cæsarem. & deinceps corripuerunt Pilatum, dicentes, Noli scribere, Rex Iudæorũ. Idipsum considerans dominus, ait in euangelio, Viderunt opera mea, &

Ioan. 15. oderunt & me & patrem meum, vt impleretur sermo qui

in lege

in lege eorum ſcriptus eſt, Odio habuerunt me gratis. Et ea quoq; ratio eſt, quur hominẽ ſe nuncupet, & nobilem quidem ſecundum natiuitatem, non autem regem. Siquidem in ſuo priore aduentu non venit in regia maieſtate, ſed humilis & manſuetus, ſedens ſuper aſinam. In altero autem venturus eſt cum gloria magna, recepta tunc in ſe maieſtate regali, iuxta illud Danielis, Ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, & datum ei eſt regnum, omneſq; populi, tribus & linguæ ipſi ſeruient, quamuis illud etiam de regno Chriſti in hac eccleſia intelligi poteſt, quod perfecte aſſecutus eſt poſt reſurrectionem ſuam, ſicut & dixit diſcipulis ſuis, Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. per hoc enim rex factus eſt electorum omnium Chriſtianorum, vt iam poſsimus dicere cũ propheta, Dominus legifer noſter, dominus rex noſter, ipſe ſaluabit nos. Eo ipſo regno cœpit ille primum regnare ſuper gẽtes, dicente Dauide, Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentibus. Porro ne longius ab hac euangelica parabola diſcedamus, perſeuerare nunc libet in priore illo ſenſu, dicendo dominum recepiſſe regnum in vita æterna, non pro ſe tantum, ſed & ſuis electis omnibus, ſicut ipſe ait, Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnũ. Ita enim cum electis ſuis conregnat Chriſtus, vt ipſi interim reges efficiantur cum ipſo, iuxta illud quod Ioãnes inquit, Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, fecitq; nos regnum & ſacerdotes deo & patri ſuo. Regnum itaque Chriſti hic incipit in fidelibus ſuis: quoque plus poteſtati diaboli decedit, eo magis regnũ Chriſti accreſcit, id etiam teſtante Ioanne, Facta eſt ſalus & virtus & regnum dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius, quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum. Quod autem commodius intelligatur de regno Chriſti in cœlis, quod ille iam poſsidet, ſuisq; etiã præparauit electis, ſicut dixit ad apoſtolos, vox iſta facit quæ ſequitur, reuerti, Nam abiiſſe dominum ad occupandum regnum, tuncq; reuerſurum, nuſquam melius intelligi poteſt quam in ipſa aſcenſione ſua in gloriam maieſtatis. reditus autẽ fiet in die nouiſsimo ad iudicium viuorum & mortuorũ, iuxta illud quod dixerunt angeli ad apoſtolos, Sic veniet quemadmodũ vidiſtis eum euntem in cœlum. 3 Abiturus itaque nobilis ille ad ſuſcipiendum re-

Pſal. 34.
Zach. 9.
Dan. 7.
Matt. 2.
Eſa. 33.
Pſal. 21.
Luce. 12.
Apoc. 1.
Apo. 12.
Ioan. 14.
Act. 1.

gnum, decem ex ſeruis ſuis ad ſe vocauit, ſingulisq́ ſingula tradidit talenta, &c. fecit hoc quidem Chriſtus, quãdo fi-
Cregor. delibus ſpiritalia dona conceſsit. Omnes enim homines regis illius decet eſſe ſeruos, quos ille rationales ideo creauit, vt ipſum laudarẽt, colerent, prædicarent. Summa ſiquidẽ li
Bernar. bertas eſt, ſeruire deo, imo ſeruire illi, cũ eo regnare eſt, vt ait Bernardus. Vnde fit vt equidem arbitrer dñm in numero ſeruorũ denario, intelligere voluiſſe vniuerſam omnium
Auguſt. hominũ multitudinẽ: vel vt Auguſt. loquitur, totã vniuerſi tatem rerũ, quãuis hoc Theophy. referat ad eccleſiæ miniſtros, quibus commiſſa ſunt officia eccleſiaſtica, qui & propter perfectionem denario numero ſignificãtur: quoniam quicunque ad huiuſmodi adminiſtrationẽ ſunt vocati, perfectam habent ordinationẽ in triplici ſtatu diaconorũ preſ-
Dionyſ. byterorũ, & epiſcoporũ. ſicut enim tres ſunt actus hierarchiæ inter ipſos ſanctorum angelorum choros, ita iidẽ actus tres ſunt in illis ordinibus tribus. Diaconi nanque per doctrinę ſuæ eruditionem purgant, presbyteri per baptiſmũ, in quo paruuli lumen accipiunt fidei, illuminãt: epiſcopi autem perficiunt, dum presbyteros ordinãt. Omnibus itaque iis, dum à deo vocantur, in vnctione & cõſecratione ſua peculiaria quædã dona conferuntur, de quibus dura eis aliquã do reddenda eſt ratio. Idq́ue adeo verũ eſt, vt etiã ij qui ad ſpiritualem vocati & eccleſiaſticã poteſtatẽ, duriorem ſtrictiorẽq́ue ſint reddituri rationẽ in die nouiſſimo. ideoq́ue non exigua eſt animarum cura, neq; omnino cõtemnenda. ſed nec parum eſt, prædicatorem aut epiſcopum eſſe. Attamen nos Gregorium & Bedam ſequentes, malumus hæc de
Cregorẽ. Beda. omnibus intelligere hominibus, quoniã & ipſi omnes ampliſſima à deo accepere talenta donorum. Hic cõſiderandũ etiam venit, quomodo numeri ſeruorũ & ponderis ſiue talentorum meminerit, dum ait decem talenta data eſſe ſeruis decem, non ſic quaſi ſingulis decem ſint talenta collata, ſed ſingulis ſingula tantũ, cuíque ſeruorum vnum, idq́ue ex ſequentibus facile colligere eſt, vbi monſtratur quantũ quilibet ſeruus ſuo talẽto lucrifecerit. Auguſt. per talenta decẽ, legem quæ decem præceptis concluditur, intelligit: per ſer-
De quæſt. Euangel. uos, eos qui ſub lege fuerũt, quibusq́ue gratia euangelij eſt annunciata, vnde verum legis intellectum colligerent, ſicut poſt reſurrectionem ſuã dominus diſcipulis explicauit ſenſum,

ſum, quo intelligerent ſcripturas. Idipſum etiã facere miniſtros addecet, qui vocati ſunt à deo, atq; in hoc vnum elabo rare, vt plebi Chriſtianæ verũ ſcripturarum aperiant intellectum. Poſſent hic multa dici, quomodo miniſtri vocentur à deo, quid facere debeant vt norint ſeruos ſe eſſe Chriſti, neque dominantes (vt ait Petrus) in clero. Neque parũ multa hic afferre poſſem de talẽtis, quæ largiter adeo erogat deus miniſtris ſuis, quibus ea nec vendidit nec oppignorauit, ſed libere cõtulit. ſicut alibi ait dominus, Gratis accepiſtis, gratis dare. Et ad extremũ tandem hic negociationem oſtẽdit, dum eos cũ illis iubet negociari. Sanctum illud negociũ eſt & pia vſura, quando quis fœnus exercet cum donis dei, vt augeãtur illa in intellectu, voluntate & opere eorũ, quæ placita ſunt deo ad ædificationẽ pximi. Sed prohdolor quã multi ſunt, qui in temporalibus fœnorãtur, pauperibusq; ſanguinem & ſudorẽ exſugunt, imo & quamplurimi adhuc ſuperſunt, qui in ſpiritualibus quoq; vſuram exercẽt: quãdo inter eccleſiaſticos etiam non paucos reperias, qui cum debeãt reliquis exẽplum bonũ proponere, ipſi vſurarij ſunt maiores turpioresq;e, quam Iudæus aliquis ſexagenarius.

Lu.24.

1. Petr.5.

Mat.10.

4 Sequitur, Ciues eius oderant eum, & miſerunt legationem poſt illum. Ciues, inquit Beda, impios Iudæos dicit qui non tantum hic dominũ perſequuti ſunt ad mortẽ crucis vſque, ſed deinceps quoque poſt mortẽ, in diſcipulis apoſtolis & omnibus qui in eum crediderũt. vſque adeo contẽpſerunt illius prædicationẽ & euangeliũ regni cœleſtis. Et bene dominus ciues vocat, quãdo etiã Dauid vniuerſam ſynagogam ciuitatem appellauit, inquiẽs, Quã glorioſa dicta ſunt de te ciuitas dei? Ciuitas illa cũ ſancta extitit, eius ciues placebãt deo. neq; mirũ, quia Iudæi tũc populus erant electus domino ex vniuerſo terrarum orbe. Siquidẽ notus tũc tantum in Iudæa erat deus, in Iſraël magnum nomen eius. Quum primum autem cœperunt ciues iſti odiſſe dominũ, ſtatim reiecta eſt ciuitas hæc iſta, factaq;e abhominabilis deo, iuxta illud Eſaię, Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis plena iudicij? iuſtitia habitauit in ea, nũc autẽ homicidę. Et ciuitatẽ itaq; reliquit dominꝰ & ciues ſuos, ſibiq; aliã præparauit eccleſiã ſanctã, quam nomine ciuitatis etiã Ioannes dignatus eſt appellare, dicẽs, Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalẽ, nouã deſcẽdentẽ de cœlo, à deo paratã. In ea ci-

Beda.

Pſal.86.

Pſal.75.

Eſaiæ.1.

Apo.21.

uitate ciues ſunt omnes Chriſtiani, qui & cauere ſolicite debent, ne de ſe dicatur illud quod de iſtis ciuibus, quoniam oderunt eum. Miſeruntq; inſuper legationem poſt eum, non vt honorarent, ſed perſequerentur ipſum. In hac legatione Paulus quoque fuit antequam cõuerteretur ad Chriſtum. receptis enim literis à principibus ſacerdotum ad ſynagogam Damaſcenam, perſequebatur omnes Chriſtiani nominis viros & mulieres, vt vinctos perduceret in Hieruſalem. Quomodo autem recuſarint Iudæi regnum Chriſti, iam ante commemorauimus. Poteſt & in hunc ſenſum intelligi, quod dominus ciues voluerit ſignificare huius mundi, qui nomine ciuitatis accipiatur, ſicut de Galaad ſcriptũ eſt, Galaad ciuitas operãtium idolum, ſupplantata ſanguine. In ea ciues mali ſunt, & cuſtodes per ignorantiam cæci, atque adeo claudi, cum viam non ambulent virtutum, de quibus dicitur in figura Dauidis, quiſquis abſtulerit cæcos & claudos odientes animam Dauid. 1. Chriſti. Et hi nimirum ciues mali mũdi huius, nuncios mittunt poſt Chriſtũ, nolentes ipſum regnare ſuper ſe. Qui ſunt autẽ nuncij iſti? quæres forſitã. Plurimi ſane nimiũq; multi iis noſtris tẽporibus nuncij emittuntur poſt Chriſtum, tyranni, qui fidem Chriſtianam funditus extinguere conati ſunt, è quorum numero iam olim fuerunt Nero, Domitianus, Traianus, Decius. Diocletianus, Maximianus, quos ſequuti ſunt AEgyptiaci Sultani, Agarenorum imperatores & reges, & poſt eos Turarum Amiri, Tartarorũ Cham, &c. qui etiam iuxta commerita peccatorum noſtrorum, magnam Chriſtia niſmi partem ſuo ſubiugarunt imperio: neque deſiſtunt à cœpto, quin prouincias Chriſtianorum affligant & perſequantur. Inter iſtos porro nuncios numerandi quoque veniunt hæretici peruerſi, qui catholicã fidem impugnant, ſuoſq; errores vndique immiſcent. ij enim dum veritatem fidei renuũt accipere, Chriſtum quoque nolũt ſuper ſe regnare, in cuius regno veritas eſt & dominatur. Quid quod & ciues mali ſunt & poſt Chriſtum nuncios mittunt, quotquot palam vitam viuũt ſceleratam, in quibus etiam Chriſtus non regnat, ſed mundus, diabolus & cõcupiſcentia carnis. Iſti enim tyranni regnum ſibi vendicant in huiuſmodi hominibus, quoniam iuxta ſentẽtiam Iob, diabolus rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ. Ita in fideles hæretici, indurati

Act. 9.

Oſee. 6.

2. Reg. 5.

Iob. 41.

rati & peruersi Christiani, omnes nuncios mittunt ad domum, neque volunt illum regnare super se, clamantes sicut Iob meminit, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, quia noluerunt intelligere vt bene agerent. Sed tu ô domine Iesu Christe, gratiam nobis tuam benignus impende, vt te non odientes, magis ad S. Nicolai exemplum diligamus, gratiáque quam largiris, bene vtamur, & per eam vitam æternam consequamur, Amen. *Iob. 21.* *Psal. 35.*

¶ Reliqua huius euangelij pars, non multum absimilis est euangelio, quod in die S. Martini legitur. ibi require, & diuersitatem vtriusque cum expositione inuenies.

DE S. NICOLAO.

SANCTVS Nicolaus piis & Christianis natus parentibus, adhuc infantulus feria quarta & sexta semel tantũ suxit vbera, quod euidens argumentum futuræ sanctitatis extitit, sicut alia quoque plura de infantia sua descripta sunt miracula. vnde occasione sumpta, lubet ex ipsis sacris literis rationes inquirere, cur & quum paruulis sanctimonia tanta diuinitus conferatur. Principio constat eam in nonnullis à deo electis infantulis iam inde ab vtero matris esse, idque tantum ex gratia & bonitate diuina, sine omni præuia causa. Sic sanctificatus in ipso matris vtero est Ioannes Bapt. dicente ad Zachariam angelo, Spiritusancto repleb itur adhuc ex vtero matris. Sic & Hieremias propheta sanctificatus legitur, confitẽte in domino, quum per ipsum ait, priusquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, sanctificaui te (quãuis sunt qui hoc nõ de propheta, sed ipso Ioanne dictum arbitrentur.) Gratia hæc Esaiæ quoque collata est, quod ex suis verbis palã colligitur. Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Sic secundum quosdam Enoch etiam & Elias sanctificati sunt. Sic & Iacobus iustus, qui & frater domini dictus est, Egesippo & Hieronymo authoribꝰ, sanctificatus fuisse creditur. Sic prę omnibus credendũ est, sanctificatam fuisse virginem matrem, neque id communi reliquorum modo. siquidem non tãtum in vtero matris, sed & in cõceptionis suæ principio sanctificata est, ita vt nulla fue

Paruulorum sanctitas. *Lucæ 1.* *Esa. 49.* *Hiere. 1.*

rit peccati, ne originalis quidem, cõtagione coinquinata. Illa enim amica dei, tota fuit pulchra & immaculata. Idem
Cant. 4. multi sentiunt de S. Iosepho nutritio Christi, de quo infra.

2 Sanctificantur nonnulli paruulorũ quum iam fuerint nati idque vel per parentum fidem, vel per ipsa sacramenta. Eo facit institutio circũcisionis in veteri test. & in nouo, baptismi, vbi paruulo labes peccati originalis deletur vestisq; innocentiæ & gratia dei cõmunicatur. Debet tamẽ hic nõ nihil obseruari diuersitatis, quãdo nõ eandẽ paruuli omnes gratiã habent, quã S. Nicolaus habuit. Ad illius itaq; discrimin is obseruationẽ constãs hæc sanctorũ patrum sententia est, quod paruuli quãtũ in ipso sitũ est baptismo, æqualẽ omnes gratiam suscipiũt: neque maiorem filius regis recipit,
Actu. 9. quã cuiuslibet Pastoris. siquidem non recipit deus hominis personam in sacramento. (intellige post passionẽ Christi.)

3 Et quanuis iam ratione baptismi æqualis gratia paruulis confertur, potest tamen aduentitia ac extranea adhuc aliqua occurrere causa, quæ faciat vt alius alio maiorem suscipiat: puta per sedulam & piam orationem parentum, patrinorum, vel presbyteri baptizantis. Bonum igitur est, parentes quamplurimũ & maxime piè pro filiis suis orare. Patrini quoque, qui & ipsi non secundum fauorem, sed probitatem sunt eligendi, multum deuote pro paruulo Deum orare tenentur. 4 Sequitur inde, paruulos etiam qui statim à baptismo decedunt, non æqualiter esse beatos. cum enim inæqualiter sint à Deo donati, inæqualem quoque à Deo recepturi sunt beatitudinem. Et hoc est quod prophe-
Zacha. 4. ta inquit, Exæquabit gratiam gratiæ, hoc est, gratiam præsentis vitæ adæquabit gratiæ gloriæ futuræ. 5 Rursus hinc consequitur, quòd cum confirmatio verum sit legis euangelicæ sacramentum, & omne sacramentum gratiam cõferat quam signat, paruuli confirmati maiorem auctiorémque gratiam habent iis, qui baptizati sunt tantum & non confirmati. Vnde & paruuli istiusmodi quum ita decedunt è viuis, altiorem in cœlo sedem, gloriámque assequuntur maiorem non confirmantis: quia iuxta gratiæ amplitudi-
Matt. 20. nem, erit & mensura felicitatis. ipsa enim est vestis illa nuptialis. Et retulerit plurimum, statim à baptismo cum paruulis festinare vt cõfirmentur: neq; ad id rationis vsu opus
Gerson. est quicquam neque memoria, vt testatur Gerson, sed satis

est,

est parentes aut amicos eorum confirmationis huius meminisse. Vbi incusanda venit episcoporum incuria & negligentia, qui aliquandiu diœceses non visitant, quídque cum ipsi omnia episcopalia non conficiant, ob auaritiam suffraganeos non sustituunt. Quod ergo in sua infantia S. Nicolaus miracula multa fecit, id fieri potuit eo, quòd vel secundum beneplacitum dei gratiam ab ipso tantam susceperit: vel vt ait Scotus, quod parentes sui maiorem ei gratiam piis suis precibus impetrarunt, quæ sic initium illi foret tam miraculosi operis. Inde quoque à parentibus suis in timore Dei educatus, post mortem eorum hæreditatem amplam possedit, vnde pauperibus largiter subuenit: præcipuéque cuidã vicino pauperi & iam afflicto, propter egestatem succurrit tribus auri massis, vnde ille filias suas tres, de quarum iam prostitutione cogitauerat, elocauit. Deinceps reuelatione diuina factus episcopus in Myrea, quum primus manè ante ædem sacram constitisset, multa in vita sua miracula fecit, cæcam illuminauit mulierem, in caritate annonæ frumenta multiplicauit, tres pueros & deinde principes tres à morte liberauit tandémque fine fœlici migrauit ad dominum. corpúsque illius à Christianis vsque in Baru delatum oppidum Neapolis, postea quam à Turcis Mirea expugnata est. Inuocari solet sanctus ille Nicolaus, vt deus per intercessionem ipsius homines protegat & tueatur in mari, omnibúsque fluminibus & aquis. Vos igitur quoque deprecemini dominum Deum, &c.

IN SOLENNI FESTIVITATE CONCEPTIONIS GLORIOSAE VIRGINIS MARIAE EVANGELIVM Matthæi primo.

LIBER *generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autẽ genuit Ezram, Ezrã autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson, Naasson autem genuit Salmon, Salmon autem genuit Booz de Raab. Booz autẽ genuit Obed*

ex Ruth. Obed autem genuit Ieſſe. Ieſſe autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiã, Abias autem genuit Aſa. Aſa autẽ genuit Ioſaphat, Ioſaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ionathan. Ionathan autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autẽ genuit Manaſſen. Manaſſes autem genuit Amon. Amon autem genuit Ioſiam. Ioſias autem genuit Iechoniam & fratres eius in trãſmigratione Babylonis. Et poſt tranſmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliachim. Eliachim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autẽ genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt IESVS, *qui vocatur* CHRISTVS.

HOMILIA PRIMA.

CONSVLTVM videtur dileſtiſſimi in Chriſto fratres aliquot tantum circa hoc euangelium occurrentes explicare quæſtiones: quandoquidem ipſe contextus alias vt plurimum ex hiſtoria pendet, ſicut generationum alia ex alia velut radice exurgit. Et principio quidem admirari quis hic poſſet, cur Matthæus dum euangelium ſcribere orditur, librum vocitet generationis. Ad hoc reſpõdemus, librum iſtum quem hic ſcribere Matthæus auſpicatur, ipſiſſimum (liceat ſic loqui) eſſe euangelium. Quãdo autem principio Chriſti exorditur deſcribere genealogiã, per quam renati nos ſumus, merito ille euangelium ſuum, librum vocat generationis Chriſti, ipſum quoq; terminat in regeneratione noſtra, dum formam explicat baptiſmi in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Omnia porrò quæ in medio poſita ſunt, de doctrina miraculis, paſſione, morte & reſurrectione Chriſti, faciũt ad regenerationem noſtrã in ſpiritu & aqua. Altera ratio Hieronymi eſt. Quum quatuor euãgeliſtæ per quatuor animalia in Ezechiele ſint repræſentati, & in Apocalypſi Ioãnis, vt oſtenderet Matthæus verum ſe eſſe euãgeliſtam, declarauit librum generationis Chriſti eſſe euangeliũ ſuum, ſeq́ue adeo modo hoc ſpecie hominis eſſe ſignatũ, dum generationem

Hieronym. Ezech. 3. Apoc. 4.

nem Christi humanam descripsit. Cæterùm Rabanus cau- *Rabanus.*
sam adducit huiusmodi, quoniã Matthæus lingua Hebræa
suum scripsit euangeliũ, sicut & Hieronymus & Eusebius
testantur. Iudæorum autem hic mos est. vt ex principio to-
tum cognominent librum. sic enim primum Moysi librum,
quem nos à creatione mundi genesim dicimus, illi Bresith
vocant, quoniã id est libro isti apud eos exordium, In prin- *Gen. 5.*
cipio creauit deus. Ratio quarta assignari talis potest. Moy-
ses dum mundi describit creationẽ inter cætera sic inquit,
Hic est liber generationis Adam, à quo omnes homines se-
cundum carnem habent originem. Quum autem Christus *1. Cor. 15.*
sit Adam cœlestis, per quem omnes renascimur spiritu, si-
cut ex illo Adam carnaliter nati sumus. ideo Matthæus li-
brum suum similiter in hunc modum auspicatur, *Liber ge-*
nerationis IESV CHRISTI. Cæterùm cur de carnali Chri
sti generatione Matthæus scribat, rationem affert Chryso- *Chrysost.*
stomus illam, quod euangeliũ suum & Iudæis propria eo-
rum lingua scripsit, quibus antea nota erat diuinitas. Ioan-
nes autem, quia gentibus scripsit euangeliũ suum, quæ adeo
fuerant per idololatriam seductæ, vt veram deitatem non
agnoscerent, ab eadem exorsus est, & illam eis in euangelio
suo manifestauit. Hieronymus etiam talem hic mouet quę- *Hieron.*
stionem. Quum Esaias de Christo dicat, Generationẽ eius *Esa. 53.*
quis enarrabit? quid est quod Matthæus contra euangelici
prophetæ oraculum, generationẽ Christi sibi sumit explic-
candam? Responsio, Nemo sane credat euangelistam esse
prophetæ contrarium, quoniam propheta de generatione
Christi loquitur secundum diuinitatem: quæ vt ineffabilis
est, ita multis modis humanum superat intellectum. Euan-
gelista autẽ temporalem & carnalem tantũ enumerat Chri-
sti natiuitatem, sicque de corporalibus rebus exorditur, vt
per hominem discamus agnoscere deum, ideo enim ipsum
primum statim vocat Iesum Christũ, vt Iudei ad quos scri-
bit, dominũ Iesum verũ crederent esse Messiam ipsis in lege
promissum, ex quo salutẽ suam omnem expectarent, iuxta
veram nominis rationẽ: quoniam Iesus lingua Hebræorũ,
saluatorem significat, sicut & angelus dixit ad Ioseph, Voca- *Matth. 1.*
bis nomẽ eius Iesum. ipse enim saluum faciet populũ suum
à peccatis eorum. Tertio loco occurrit quærendum, Quur
tandẽ ex omnibus maioribus Christi, euãgelista duos tantũ

nominat Dauid & Abraham, atque ex iis primo iuniorem. ¶ Quod duo illi tantum præ cæteris exprimuntur, in causa fuisse videri potest, quod ipsis promissio Messię venturi, & ex eorum stirpe nascituri, expressius quam cæteris facta est. siquidem ad Abrahã dixit deus, Eo quòd obedisti voci meę
Gen. 20. benedicentur in semine tuo omnes gẽtes terræ. Simili iura-
Psal. 131. mento pollicitus est & Dauidi dicens, Iurauit dominus Da uid, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponã su-
Psal. 88. per sedem tuam. & alibi, Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mẽtiar, semen eius in ęternum manebit, & thronus eius sicut sol in conspectu meo. Tam magnifica promissa non legimus alicui patrũ de Messia esse collata. ¶ Altera ratio est, quoniã per istos duos præcipuè significãtur tria hæc. sacerdotium, regnũ, & prophetia. Christus autẽ rex simul & sacerdos & propheta esse agnoscitur, quo magis merito præ cæteris illi in sua genealogia exprimuntur. Et esse quidẽ Abraham prophetam, testatur dominus cũ ait ad Abimelech:
Gene. 20. Redde viro vxorẽ, & orabit pro te, quia propheta est. Simi li modo & Dauid per excellentiã propheta dicitur, sed & Abraham sacerdotiũ Christi designat, qui etiam obtulit se-
Gene. 21. metipsum in ara crucis, iuxta figuram in qua dixit dominus Abrahæ, Tolle filium tuũ, & offer mihi in holocaustum su-
Heb. 12. per vnum montiũ quem mõstrauero tibi. Ita de eodem Paulus inquit, Vnigenitũ offerebat in quo susceperat promissiones. Sanè enim figura illa extitit eius, quod deus pater immolaturus esset vnigenitum filium suum in ara crucis pro omnibus totius mundi peccatis, Atque ideo sicut Abraham sacerdotium Christi, ita Dauid rex regnum Christi repræsentat, de quo angelus dixit, Sedebit in domo Iacob in æter-
Luc. 1. num, & item Esaias, Multiplicabitur eius imperiũ. Cur au-
Esa. 9. tem Dauid ante Abraham nominetur, in causa esse videtur
Hieron. Chrysostomo & Hieronymo, quòd propter regnũ hic magis in memoria hominum vigebat. Hieronymus quoq;, Ordo, inquit, ille quidem præposterus, sed tamẽ necessario est commutatus. si enim primo posuisset Abrahã & postea Dauid, rursus ei repetendus fuerat Abraham, vt generationis series texeretur. Ad hæc, promissio facta sane est Abrahæ. sed electio in Dauide. maior autem est electio quam repro-
Beda. missio, vt ait Beda. Quanuis & hæc causa subesse potest, ꝙ Christus antea vsurpauit regalem dignitatem, dũ legẽ nouã nouumq;

nouumque testamentum ferret, quam immolaretur. Ideo eũdem ordinem, quem ipse seruauit Christus in regali suo & sacerdotali munere, etiam euangelista recte illo ipso vsus est in constituendis figuris, vt Dauidem Abrahæ antepone ret. Idipsum quoq; in eo declarauit Euangelista, quod ait *Iesu Christi*. Christus enim vnctum sonat Græcis, Hebræis vero Messias dicitur. Iam verò tam reges quàm sacerdotes veteris testamenti vngebãtur, vt ex Exodo & Regum histo- *Exo. 29.*
ria satis liquet. Vngebantur autem oleo sancto, idq; ex cor- 30.
nu super capita ipsorũ eleuato stillabat. Addit Theophyla- *1. Re. 10.*
ctus factũ hoc esse, quod apud Iudæos celebrior erat Dauid *Theop.*
& posterior quoq; Abrahamo, regnoq; clarior, & idẽ seruabat verum typũ Christi. Et proprie voluit hoc exprimere euangelista, dum Iudæis scribebat, nõ ignaris vtiq; Christum ex semine Abrahæ & stirpe Dauid nasci debere, quoniam & deinceps illi à domino interrogati, cuiusnam filius esset Messias, responderunt, Dauidis. Hoc itaq; veluti fun- *Matt. 22.*
damentum primum ponere voluit euangelista, dominũ Iesum filiũ esse Dauidis & Abrahæ. Quid quod super eo frequenter etiã disputarunt Iudæi, nolentes Messiã ex Galilæa esse venturũ? Quamobrem Pharisæi ad Nicodemũ dixerũt, *Ioan. 7.*
Nunquid & tu Galilæus es? scrutare scripturas, & vide quia à Galilæa propheta non surgit. Norant illi vtiq; Bethleem esse locũ natiuitatis Messiæ: iuxta quod & respõderunt Herodi. Verum interim Nazarenum patria credebant esse dominum, ad quod declinandum porro Matthæus Christi natiuitatem in Bethleem cõmemorat. ¶ Quæstio quarta mo- *Mat. 2.*
uetur talis, Quid sit quod Matthæus genealogiã Christi cõtexens, à summo descendit vsq; ad Christum dominum, Lucas autem contra, à Christo ascendit vsque ad Adam? Et ibi quidem respõdetur, quoniam Matthæus temporalẽ voluit describere natiuitatem Christi, decuit ergo vt ab eo incipe- *Beda.*
ret narrationẽ suam, cui primum promissio data est, fore vt ex stirpe sua Messias secundum carnem nasceretur. Quum autem Lucas maluerit spiritalem & mysticam Christi natiuitatem recensere, quæ & ipsa vt per Christum facta est, & in illius cœpit baptismate, ad declarãdum omnes omnibus retro seculis non ab Abrahã tantum, sed & ab ipso primo omnium parente Adam spiritualiter esse natos per fidẽ & meritum futuri meditatoris atq; Messiæ: idcirco nimirũ

Lucas ſtatim poſt baptiſmũ Chriſti etiam deſcripſit genealogiam, & ſic aſcendit vſque ad Adam. ſiquidem ſine merito Chriſti nullus illorũ renatus eſt ſpiritu: ſed ſicut ab Adã omnes nati ſunt ſecũdum carnem, ita à cœleſti illo Adamo omnes eos quoque renaſci oportebat ſpiritu. Quo nomine etiam Lucas narrationem ſuam concludens, ſic ait, Seth, qui *Luce. 1.* fuit Adam, qui fuit dei, quaſi diceret, nemo filius dei, niſi per Chriſtum renaſcitur, ideóque & baptiſmum regenerationis ſacramentum inſtituit. Habent alias quoque differentias multas Matthæus & Lucas, ſed eas in alium locum reiicimus. ¶ Quinto loco ambigitur, Quare non dixit euangeliſta, Abraham genuit Iſaac & fratres eius, ſicut dixit, Iacob *Gen. 21.* genuit Iudam & fratres eius. Ad quod reſpondetur, nec Iſmaëlem, neque Eſau fratres Iacob commemorari, quoniam dixit dominus ad Abraham, In Iſaac vocabitur tibi nomẽ. & hoc eſt quod Iſmaël & Eſau prætermittuntur. ſed quod filij Iacob exprimuntur, eo fit, quod & patriarchæ illi fuerunt, & capita duodecim tribuum Iſraël. nam qui hîc prioribus quatuordecim locis numerantur, patriarchæ omnes extiterunt. Simili de cauſa & Zaram nominat fratrem Phares, propter illud inſigne miraculum, quod in ipſius natiuitate contigit, ſicut in hiſtoria Geneſeos patet. Quęres autẽ, *Gene. 38.* cur euãgeliſta Thamar hîc referat, Raab, ſimiliter & Ruth, *Ioſu. 2.* quæ tamen in ſcripturis inſignes habetur ex quibuſdã inho- *Ruth 3.* neſtè & turpiter actis. En ad hoc tibi reſpondet Hiero- *Hieron.* nymus, & ait, Notandum, in genealogia ſaluatoris nullam ſanctarum aſſummi mulierum, ſed eas quas ſcriptura reprehendit, vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata deleret. Vnde nos quoque docemur *Ambro.* inquit Ambroſius, non pudere debere Eccleſiam de peccatoribus congregari, quum dominus de peccatoribus naſci non dedignetur. Inſuper, vt diſcamus labem natiuitatis, vel parentum malignitatem, nemini obſtaculum ponere virtutum & operũ bonorum, ſicut etiam nullus gloriari nimirum debet de maiorum ſtemmatibus virtutúmque ornamentis: ſed potius omni ſtudio curare, vt ipſis par ſit in virtutibus. Prẽterea hoc etiam in hac re nobis mõſtratur, quod dominus etiam in maioribus ſuis & parentibus participare *Chryſoſt.* cœpit beneficium redemptionis. Chryſoſtomus excuſat ipſam Thamar, quoniam condormierit Iudæ, eumq; fefelle-

rit

rit meretriculæ, neque tamen id fecerit in hoc, vt animũ suũ & volũtatem malam expleret, sed ex radice & stirpe sancta filium haberet. Iudas quoque peccatum hoc amare defleuit, sicut in libro de testamento patriarcharum legitur. Et quãuis quatuor illæ mulieres hîc nominantur, Thamar, Raab, Ruth, & Betsabea, omnes istæ tamen ad extremum pias & honestas sese exhibuerunt. Sic ecclesia quoque, vt ait Beda, *Beda.* prius aliena, ignominiis plena, & sterilis habebatur, sed ad Christum vt legitima coniuncta est matrona. Exponit ille etiam singularum harum mulierum nomina, & ad ecclesiã refert. sed id ego breuitatis studio prætermitto. Quod autẽ nonnulli conantur mulieres has bonas facere, nobisq́; persuadere eas ad eximia optimarum virtutum ornamenta hîc esse commemoratas, id tantum valere sino, quantum cuiq́; placitum fuerit. nobis interim scriptura sufficit, quæ peccatum Thamar complectitur cũ proprio socero. Raab quoq; *Iosu. 2.* appellat meretricem (licet isti scioli & inepti rerum omniũ innouatores, eam velint facere hospitem, non meretricem.) *2. Re. 1.* Constat insuper Betsabeam cum Dauide commisisse adulterium. Quo fit vt non persuadear, quo discedam à constanti sanctorum patrum sententia. malo autem missos facere recentiores istos cum expositionibus suis, quæ vt plurimũ falsæ, fere semper de errore sunt suspectæ. Iesse pater Dauidis, alio etiam nomine dicitur Esai & Naas. verum euangelista maluit eo nomine vti, quo Esaias vsus est, cuius etiam prophetia in Christo est consummata. ¶ Septimum & vltimum dubiũ sit illud, Cur solus ex omnibus Dauid hîc rex dicitur, cum tamẽ etiam alij plures reges hîc numerati, eiusdem dignitatis appellatione non commẽdentur. Quare etiã non mater Salomonis aperto nomine exprimitur, vt Thamar, & Raab. Respondetur quia Dauid primus rex fuit in tribu Iuda, quo magis merito rex cognominatur. Ad hæc voluit Matthæus insinuare, quomodo patriarcharum ordo regali etiã sit excellentia sublimatus, quandoquidẽ & Messiæ regnũ immutabile, nulliq́; vicissitudini obnoxiũ, promissum erat. De Betsabea autem sic respõdet Beda, quoniã *Beda.* hoc ideo putant factum, quia tres aliæ supra dictæ, licet criminosæ fuerint, in partubus tamen filiorum, per quos currit genealogia, non solum culpari, sed etiam laudari meruerunt. Hæc vero, adulterio & homicidio perpetrato, Daui-

1. Re. 16. *2. Re. 17.* *Esa. 11.*

di regi genuit filium, intãtum culpabili matrimonio, vt mẽrito videatur in saluatoris genealogia nõ nominata, Potest tamen & hęc subesse causa, quoniam si quis inde suspicetur propter peccatum Dauidis declinatam esse promissionem diuinam, ad id ipsum præueniendum, Matthæus non tantũ nomen Salomonis filij Dauid exprimit, sed eundem etiam apertè ex adultera natum dicit, quo nomine sunt qui orasse
Psal. 50. Dauidem putent illud in psalmo, Miserere mei domine, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas quum iudicaris. Iustus vtique fuit dominus, dum Dauidi promissa seruauit. Dicit autem iudicium hominum, arbitrantium ipsum propter peccatum Dauidis ei adempturum benedictionẽ promissam: quod tamen factum nõ est, ob insignem ipsius pœnitentiam & cor ardentissimè contrarium, ad exemplum omnium peccatorum, ne desperẽt de misericordia dei. Atque hæc iam super euangelio dicta sufficiant.

¶ Homilias reliquas huius Euangelij require in festo natiuitatis Mariæ.

HOMILIA II. IN DIE CONCEPTIONIS VIRGINIS MATRIS.

¶ Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Can. 4.

DILECTISSIMI in Christo fratres, hac tam solenni festiuitate per vniuersam Ecclesiam catholicam cum omni gaudio summaque alacritate exordiũ recolimus nostræ salutis, quãdo nobilissima anima Mariæ creata & sanctissimo corpusculo est infusa, citra omnem originalis peccati contagionem, quod nulli alias hominũ contigit, nisi Marię, & Christo domino. Eaque anima sanctissima ab ipsa sancta & indiuidua trinitate electa est ex vniuerso mundo, vt mater fieret filij dei, ideoque omnium preciosissimè à deo redimita atq; donata est, præ omnibus omnium hominũ animabus, quotquot ab initio mundi ad finem vsq; sunt conditæ. Quum itaq; hodie Maria concepta sit in vtero Annæ, merito gaudeamus omnes, illíque congratulemur: quoniam sicut ipsam

ipſam deus filius elegit matrem, deque eius conceptione gauiſus eſt: ita & nos collætemur matrem noſtram, omniſque tum gratiæ, tum miſericordiæ parentē eſſe conceptam. Imo mundus totus exultet, tantam ſibi iam hodie contigiſſe aduocatam. Quid enim (vt inquit Auguſtinus) ſanctius, quidve in vniuerſa generis humani progenie poſſet oriri dignius hac ipſa virgine, quam ſibi deus elegit & prælegit habitaculum? Gaudete itaque & exultate angeli, quoniam illa iam nata eſt, cuius filius ruinas reſtituturus eſt angelorum. Lętamini & vos primi parentes noſtri Adam & Eua: veſtrum enim ſemen iam hic caput conterit ſerpētis. & filius ille educet vos, de laeu miſeriæ, in quo non eſt aqua, Gaudete etiam vos quotquot in terra viuitis homines omnes. ſiquidē nunc redemptoris veſtri mater cōcepta eſt. Exultate & ô cœli, quia concepta iam eſt illa, cuius filius nouos in cœlis facturus eſt ciues. Sed quid obſtat quin dicā apertè. Cuiuſcunque hominis anima non lætatur de tam ſancto virginis matris conceptu, fruſtra ſe Chriſtianū iam profitetur, nec partē expectabit hæreditatis æternæ? Gaudete & vos mulieres, omniſq; ſexus exulta muliebris: ſublata nanq; iam eſt maledictio Euæ, & per Mariā in benedictionē, immenſamq; dignitatē & laudē conuerſa. Lætamini in domino pij omnes, & cōgratulamini filio dei attenta aure percipiētes laudem, qua ipſe matrē ſuā dignatur, inquiens, *Tota pulchra es amica mea*, &c. Aue Maria. Hoc ipſo, quē corā facere inſtituimus, ſermone dilectiſsimi breuiter de peccato originali nōnulla dicemus, auxiliāte gratia dei: deinde quāta gloria, gratia, & dignitate virgo mater in ſua conceptione ſit ab omni iſtius peccati contagione diuinitus præſeruata. Et principio quidem, quando ex neochriſtianis ſunt, qui contendunt peccatum originale nihil eſſe, aut certo commentum merum, ex ipſis ante omnia ſcripturis probādum nobis occurrit, omnes in vniuerſum homines in originali peccato naſci. Neque enim hodie, aut heri nata iſta hæreſis eſt, iamdiu eandem tenuit Pelagius & alij quidam, quos Hieronymus, atque Auguſtinus valide impugnarunt: confutarunt etiam illam concilia Mileuitanum, & Carthaginenſe. Mirum tamen hoc ſit, ſciolos iſtos ea eſſe temeritate, vt ore impudentiſsimo ſancto reluctentur ſpiritui, peccatum originale in ſcripturis manifeſtiſsime

Auguſt.

Cene. 3.

Zach. 9.

Peccatum originale.

Hieron. Auguſt.

exprimenti. siquidem ita Dauid, Ecce, inquit, in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.
Psal.50.
Ephe.2. Quid quòd apertissimè etiam Paulꝰ fuisse nos natura filios iræ perhibet non secus atque cæteros? & alibi quoque ait, Omnes peccauerũt, & egent gloria dei. & apertiùs deinde, Sicut per vnum hominẽ peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatũ mors, ita in omnes homines mors pertrãsijt, in quo omnes peccauerunt. An non sunt hæc manifesta verba, quibꝰ probatur omnes nos natura esse filios iræ? vnde colligitur, etiam filios iram incidisse diuinã. & quandoquidem peccarunt omnes, ipsos etiam filios à peccato non esse immunes, vt rectè dixerit inde Paulus, Sicut per inobedien
Rom.3.
Rom.5. tiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi. Ecce quod multi sunt peccatores propter inobedientiam Adæ. sed quomodo interim alios homines potest Adã facere peccatores, vt illud tamen nõ pertingat filios? constat igitur omnes homines in originali peccato cõcipi. 2 Quod quum ita sit etiã hactenus ex scripturæ testimonio ab Ecclesia constanter obseruatum, videamus iam & dispiciamus, quid sit illud quod peccatum dicimus originale. Mitto autem hic quod tum philosophi, tum medici de hominis disputant cõceptu, dicẽtes sperma humanum primis diebus septem alsimilari lacti, deinde nouem sequentibus fieri massam sanguineam, exhilibus, hinc inde diductis lineis distinctã, post hæc duodecim alijs cõfirmari in carnẽ, reliquis autem octodecim mẽbra formari simul & discerni: ita vt primum statim quę & principem locum obtinent, cõformentur, putà cor, hepar, cerebrum, &c. ad extremum manus & pedes, eoq;
Generatio hominis.
5. Aug. q. 8. folio. 83. q. quod interpositum est tempore, quicquid in homine est, vt stomachus. vesica, pulmo, splen, vmbilicus, ossa venę, cutis, musculi, cartilagines, &c. potest tamẽ idipsum, vel tardius, vel celerius absolui, secundum quod calor vel intẽsior vel remissior est, & cõstitutio melior. formatio enim corporis masculi, perfici potest diebus trigintaquinque, vel 40. vel etiam 45. & tunc mouebitur die 70. aut 80. aut 90. nasceturque deinde mẽse 7 8. aut 9. Ridiculum itaque est, quod matres singulis cõceptibꝰ æqualia supputant tẽpora, quod & absurdũ & impossibile est. nãque illa in Machabæis mu-
2. Mat. 7. lier, mensibus nouem fouerat conceptum. vnde & dixit, Fi
Sap. 7. li mi, miserere mei quæ te in vtero nouem mensibus portaui,

ui. Sed & Sapiẽs de ſeipſo dicit, Decem menſium tempore coagulatus ſum, vbi tu 30. dies ſemper pro menſe ſupputabis. Eſt & circa fœmellas, authore Auguſtino, diuerſitas quędam, quoniã vbi corpuſculũ maſculi 40. diebus formatur fœmella dies requirit 80. quanuis idipſum quoque plus minúſve eſſe poteſt. Quandocunque autem id fiat, nos hic magnopere non laboramus neque enim prius anima infunditur, quam corpus formetur, ſinguliſq́ue perfectè organis inſtruatur. Tunc tandem cum iam corpus omnia habet hominis membra, in momento (ait Auguſtinus) anima à deo creatur, ſimulq́; creando corpori infunditur, vt ſic paruulus efficiatur homo viuens, moueaturq́ue. eodem vero plane momẽto etiam ille peccatum acquirit originale. Hæc eo recenſui lubentius, vt dum auditis conceptionem celebrari B. Mariæ, nõ intelligatis nos eo ipſam venerari quod ſic cõcepta ſit, ſed potius quomodo ſanctiſſima ſua anima mundiſſimo ſit infuſa corpuſculo, ſicq́ue intelligitur de conceptione paſſiua, non actiua. ¶ Quando itaque iam conſtat, quomodo paruuli corp⁹ formetur in vtero matris, ſimulq́; & anima infundatur, & peccatum accedat originale, quęritur iam vnde illud adueniat. neq; enim idipſum habet paruulus ex deo, qui peccati omnis expers eſt: neque ex anima, nã & ipſam nulli⁹ labis particípẽ omnino mũdiſſimã creauit deus. ſed neq; ex carne: neq; enim illi peccatũ ineſſe poteſt: neq;, vt maximè inſit, infundere illud in animã poterit, quum nemo det quod nõ habet. Neq; vero ex parentibus id ipſum accedit, qui per baptiſmũ ab eo ſunt liberati, & poſſent forte ab omni eſſe peccato immunes. Ex Adamo itaq; prouenit illud, lõgáq; origine manat, ita ſentiente Ambroſio: quoniam corruptio in carne permanet propter offenſam diuinam. ſiquidem ſententia aduerſus Adam prolata, manet firma & inconcuſſa, atque ex corporis conſortio anima etiam quadam labe inficitur. Oritur ergo originale peccatum in anima hominis, dum corpori vnitur, quod formatur ex ſemine proueniente à primo homine tranſgreſſore Adam. Quumq́ue omnes homines ab Adam deſcẽdant, nõ eſt quiſquam eorum qui peccato illo careat, niſi ij qui ſinguIari prærogatiua ab eo ſunt liberati. Et eſt hoc quidẽ quod hactenus diximus, neq; omnino nihil, nec tamen omnia. age igitur propius ad rem accedamus, eãq́ue nõ ita pertranſeaſ-

De eccle. dogm.

Ambro.

Eccle. 7.

Eccl. 17. *Iustitia originalis.*

mus sed apertius explicemus. Quum creauit hominem deꝰ, rectum vtique fecit & creauit eum, idq́ue singulari quadã factum est gratia dei, quæ animæ Adæ infusa est, nõ pro se tantum, sed & posteritate tota. Ita Sapiens, Creauit inquit, deus hominẽ, & secundum imaginem suam fecit illumatq; secundum se vestiuit illũ virtute. Eius virtutis munus proprium extitit, vt faceret inferiores animæ vires & concupiscentias plane obedire rationi. Vnde sequitur, Quod si Adã nõ peccasset, neq; in ipso, nec posteris suis aliqua fuisset concupiscentia praua, nec vlla inordinata cõmotio sen-

Anselmus

sualitatis(quam dicimus)aduersus rationẽ. Sed neque mala fuisset aliqua ex carne cogitatio, vnde alius ex alio fuisset offensus, Et hinc quidem illa Adæ & Euæ nõ etiã inde erubescẽtiũ nuditas. proueniebat em illud ex hac originali iu-

Gene. 2.

stitia, quæ faciebat omnia membra obtẽperare rationi. Ista porro originalis iustitia, factura etiã fuerat, vt tẽpore quisque suo edens & bibens, nullã vnquam, vel famẽ, vel sitim, vel denique sentiret ægritudinẽ. Nullũ animal ipsi nocuisset mordẽdo, impetendo, vorãdo: non ignis, nõ aqua. Omnia enim animalia homini paruissent, fuissetq́ue vt in regno suo rex, ita Adam in paradiso. Porrò donũ illud originalis iustitiæ, vt pro se suisque posteris acceperat Adã, ita vicissim pro se illisq́ue amisit, non secus quã rex aut imperator si cui arcem confert occupandã pro se suisq́ue successoribus: quod si aliquo commisso mereatur ille vt feudum auferatur, illud vtiq; sibi suisq́; posteris amiserit omnibus.

4 Est ergo originale peccatũ, originalis iustitiæ defectus, quã homines habere debebant, hincq́ue fit, vt efficiãtur filij iræ. omnes enĩ qui ex Adã & virili semine cõmuni nascuntur lege, eandẽ habere iustitiã deberent quã Adam suscepit à deo: dumq́ue eam, quã non habent habere debẽt, idipsum sane illud est quod peccatum dicimus originale. Vt tamen plene omnia intelligatis, scire vos conuenit, in peccato originali esse duo, alterũ defectum illum, seu priuationẽ originalis iustitiæ, illudq́ue quum sit formale in anima est, & ita peccatum originale formaliter est priuatio. sine enim iustitia illa, odit hominẽ deus, ob amissum magnum illud gratiæ suæ precium. Alterum materiale est, humanæ carni insitũ, incensio nimirum & libido ista efferuescens, maligna & virulẽta, quæ dominatur in homine, ipsaq́ue tum inficit, tum

irritat

irritat cõcupiſcentiã, rationi reſiſtit, dum eã ad omne opus bonum tardam efficit & ignauam, proná vero & præcipitẽ ad peccata. Indè promanãt, præſumptio, temeritas, liuor, ſuperbia, auaritia, ambitio, omniũ autem maxime, vniuerſa libidinis & luxurię concupiſcentia. Vitium porro hoc putat Auguſtinus profectũ eſſe ex iſto ſerpentis ſibilo in paradiſo, aut ex fructu vetito. Tu quoq; quid Paulus dicat auſculta, Ego inquit ille, carnalis ſum, venundatus ſub peccato nõ enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malũ, illud facio. ſi autem quod nolo facio, cõſentio legi, quoniam bona eſt: nunc autem ego iam non operor illud, ſed quod habitat in me peccatũ: ſcio enim, quia nõ habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonũ. Nam velle adiacet mihi, perficere autẽ bonũ non inuenio. non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago. ſi autẽ quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem volẽti mihi facere bonũ, quoniam mihi malum adiacet. condelector enim legi dei ſecundum interiorẽ hominem: video autẽ aliam legem in mẽbris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis, &c. En tibi Paulum docentẽ quò inclinet ratio, quoque concupiſcentia vergat, quæ non inhabitat tantũ, ſed & regnat in membris. vnde & legem vocat membrorũ, quę alias lex carnis, tyrannus, vitiũ naturæ & languor, fomes & concupiſcẽtia dicitur. Eo facit etiam illud Iacobi, Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. deinde concupiſcentia quũ conceperit, parit peccatum: peccatum vero cũ cõſummatum fuerit, generat mortem. Hęc illa ægritudo & languor hominis longe acerbiſsima eſt, quam hîc in mundo habere poteſt. ab ea enim prouocatur ad omne peccati genus. Hic iſte lãguor eſt, qui facit quod omnis omnium hominũ ſenſus & cogitatio ab adoleſcentia ſua vergit in malum. Hic ipſe languor graue & moleſtũ nobis efficit quicquid bonũ eſt. ſiue enim orandum eſt, ſiue inuiſendum templum domini, ſiue ſtudendum, ſiue verbum dei audiendum: ecce languet homo, entorpet, moleſta ſunt ei omnia, ſtatim ipſum capit ſatietas & faſtidiũ rei, nimis longa & diuturna ſunt ei omnia. Rurſus, ſi ſaltandum ſit, ſi ſpectandæ choreæ, ſi ludendum, cantandũ, currendum, aut ſimile nugarum genus exercendum:

Contra Iulianum.

Rom. 7.

Iacob. 1.

Cene. 8.

Mala concupiſcẽtiæ.

ibi accurritur, nec quicquam ibi est molestum. An nõdum
Sapien. 9. satis agnoscitis ægritudiné illam, quæ & animi vires & corporis debilitat atque grauat. corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam. Et iste quidem fomes exæstuans subinde & feruens, ex peccato Adæ nascitur. qui iustitiã amisit originalem, statimque postea Adam & Eua sensertũt istum languorem & pugnam cũ ratione sensualitatis, nonne enim
Gene. 1. mox post peccatum agnouerunt nuditatem suam? Neq; vero refert Moyses ipsos antea non cognouisse se esse nudos, sed quia non erubuerint prius: postea autem tandem inclinationem hanc malignam senserunt, & commotionem affectionemque in membris suis, ideo enim tunc primum pudore correpti sunt. Et nos quoque in nobis iam ipsis facile experimur, quid insit nobis, radix nimirum omnis peccati. Quur etiam & quomodo nunc omnis iuuẽtus velut equus fexox præcipiti cursu ruat in malum, non est quod paruulos quicquam doceas mali, iam ante innatũ habẽt magistrũ, qui eos omnem doceat malitiam. Vsqueadeo miserrimi sumus homines, ita ab immésa decidimus maiestate sublimique; nobilitate, in qua deus hominem cõditerat, vt eam iam simus calamitate, tamque indurata in malis omnibus acerbitate, tam peruersa, praua & perditissima natura, vt omnis etiã cogitatio nostra tãtum ad peccata vergat & vitia. Ab eiusmodi tamen labe & contagione peccati, magna dei clementia immensaque misericordia, præseruata est virgo mater Maria, quæ sine peccato originali, citraq; infectæ carnis languoré cõcepta est. Eã nos iã oẽs suppliciter inuocemus, &c.

HOMILIA III. IN FESTO CONCEPTAE VIRGINIS MATRIS.

QVotquot ex Adam nati sunt homines, in anima sua defectum habent gratię originalis, quę tamé illis inesse debebat. idipsum aũt est quod peccatum dicimus originale. In corpore quoque concupiscentiã habent mouentem & allicientem ipsos ad omne malum, & retrahentem ab eo quod honestum, bonum, deoque beneplacitũ est. Peccatum porrò originale in baptismo remittitur, ita vt amplius non imputet ad malum deo paruulo, quod originali careat iustitia, sed gratiã ei suam largiatur, stola insuper innocentiæ exornet

net illum, vnde filius æternæ ſalutis efficitur, dummodo in illa perſeueret innocentia. Veſtis tamen illa nō vſque adeo munda eſt, vt olim in paradiſo fuerat, quando adhuc peccatum originale labem & maculam ſuam, reliquias iſtas priſtinas non dimittit: quæ licet peccata non ſint, ſunt tamen effectrices peccati, & ad peccandum grauiter alliciunt, numeróque in primis quaternario comprehenduntur. Primum locum obtinet peruerſa illa concupiſcentia carnis, de qua ſuperiore homilia diximus. ea enim in ſe peccatum nō eſt, Iacobo teſte, & tamen ex peccato eſt, ipſáque ad peccandum prouocat, & cum conceperit, nil niſi peccatum parit. vnde fit vt non raro peccati nomine ſignificetur, non ſecus quàm ſiquis characteres ornatos & concinnos pingat, is manum dicatur habere agilem, manúmq; eam eſſe ſuam, vbi nomine manus ſcriptura venit intelligenda, quæ per manum exarata eſt tantum, authore Auguſtino. Atque illa etiam cauſa eſt, quamobrem Paulus huiuſmodi languorem carnis peccatum vocitet, quæ tamen peccatum non eſt, vt peccatum patrat. Eodem facit quod Auguſtinus ait concupiſcentiam dimitti, non vt non ſit, ſed vt non imputetur. Ex ea autem concupiſcentia praua oritur illa continua in nobis pugna carnis & ſpiritus, hoſtili enim conflictu iſta aduerſus hunc, & hîc contra illam concupiſcit. nec deſinit hoc bellum, ſed ad finem vſque perſeuerat & mortem.

Hugo. Anſelm. Iacob. 1.

Cōtra Iulianum.

De bo. cōiug.

¶ Remanet etiam nobis ex originali peccato poſt baptiſmum frequens & dura corporis paſſio. hinc enim fames & ſitis, hinc frigus & æſtus, inde quoque febres, puſtulæ, & pellere quâ neſcit medicina, podagra, peſtis, calculi, & quid denique non? Omnes ſanè hinc morbi ſcaturiunt, quotquot homini vel à natura, vel qualibet externa vi aduenīūt, omne id vtique vitium eſt peccati originalis, & in Adam inſuper actualis. Tertium quod ex originali peccato remanet, ignorantia eſt, vbi quàm multa dicenda forent de ſublimi Adæ nobilitate, qui deum immortalem quantum eleuatus fuit à deo in vniuerſa omniū rerum cognitione? vnde & ex naturali proprietate ſingulis rebus propria indidit nomina. Ab iſta autem tam ſublimi ſcientia tantum decidimus, vt nullam iam ſubſtantiam in propria cognoſcamus eſſentia, ſed per accidentia ſolum. Inſuper etiam vſqueadeo inopes facti ſumus in intellectu noſtro, vt intellectꝰ noſter ſi quid noſſe

cupiat, illud mendicato cogatur ex ſenſibus cognoſcere. id enim ipſum eſt quod philoſophi dicũt. Nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu. Vt iam immenſa & inſignis ſit ſtoliditas, quenquã ſe de ſua velle ſcientia in tantis ignorantiæ tenebris iactanter efferre. ¶ Quarto, ex peccato originali etiã mors nobis ſupereſt omnibus. nam ſic Sapiẽs ait, *Sap.1.* Non fecit mortẽ deus, nec lætatur in perditione viuorum. quod ſi igitur deus mortis autor non eſt, peccatum hominis vtiq; mortis cauſa erit, quoniã ſic Auguſtinus inquit corpus propter peccatũ eſſe mortuũ. Idq; nobis effecit ꝓpter peccatum ſuũ actuale, nos autẽ patimur hoc ob originale pecca- *Augu.4. de trini.* tum noſtrũ. Et ideo Paulus dicit, per vnũ hominẽ mortem intraſſe in mundũ. Quod ſi nõ peccaſſet Adam, ipſe cũ om- *Roma.5.* ni poſteritate ſua fuiſſet immortalis. habiturus em̃ erat poteſtatem non moriendi, ſi præcepta dei ſeruaſſet. Quatuor hæc quæ obiter paucis iis commemorauimus, Beda teſtatur ex peccato originali nobis remãſiſſe. 2 Diceres iam, Quũ Adam iuſtitiam illam originalem amiſerit, quid eſt quod in in filiis idipſum grauiter adeo punit deus, qui tamen dicit *Eze.18.* per prophetã, Filius nõ portabit iniquitatem patris, ſed anima quæ peccauerit, ipſa morietur? Ad hoc reſpondemus, & dicimus, quãdoquidem iuſtitiam illam originalem, Adam non pro ſe tantũ, ſed pro tota poſteritate ſua habuit, ideóq; ſicut aliquis vaſallus, ita ipſe quoque pro ſe ſuíſque omnibus amiſit, nõ aliter atque cum radix infecta fuerit, & fructus & rami omnes vitiantur. Ita Adam quoq; vniuerſi generis humani radix exiſtit, omnéſque ab illo homines, quos ſingularis prærogatiua nõ tenet, infecti ſunt per peccatum ſuum. Et hoc eſt quod dicitur à patribus, peccatum hominis perſonam corrumpit hominis, ſicut peccatũ Adæ corrumpit perſonam & naturam ipſius. Quod autẽ ad Ezechielem attinet de iniquitate patris nõ portanda filio. verùm vtique eſt de pœna æterna poſitiua, ſed tamen adhuc portare bene *Thren.5.* poteſt pœna priuatiua, quę eſt pœna dãni, ſicut alio ſermone fuit deductũ. Ita enim Hieremias dicit, Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorũ portauimus, puta, hîc in tempore. Vt, ſi nobilis quiſpiam virtutis nobilitatíſque ſuæ oblitus, Cæſareã offendat maieſtatẽ, qua gratia ſtemmata omnia illi & inſignia ſua adimãtur, fiãtque ex nobili ignobilis, inſuper etiã ſi in poteſtatem & manus veniret

niret imperatoris, capitalem haud euaderet ſententiam. Is ſi forte liberos acquirat, eos vtique licet capitis ſupplicio non puniret imperator, ob paternũ ſcelus, attamen ignobiles haberentur ex patre, cui imperator nobilitatem ſuam omnem pro ſe & poſteris ademiſſet. Ita hic quoque paruuli propter peccatũ Adæ hîc tẽporaliter puniuntur, priuati & deſtituti omni nobilitate Adæ, quoniã neque filij ſunt dei, neque ad aulam perueniũt regni cœlorũ: nõ tamen ideo actuali ſupplicio deputantur inferni. pœnã habent damni non ſenſus, coguntur inſuper hæreditate carere cœleſti, quãdo hoc pater eorum meruit Adam, vt omni excideret hæreditate cum poſteris ſuis. Et ad huiuſmodi peccatũ ſufficit aliena voluntas, quoniam peccatum, autore Auguſtino, eſt adeo voluntarium, vt ſi non eſſet voluntarium, non eſſet peccatum. Sicut autẽ hic aliena valuntas potuit paruulo prodeſſe, ita eadem potuit obeſſe, nõ ſecus ac ſiquis exhęredato patre, omni excidit hæreditate. Atque hæc etiam cauſa eſt, cur iſta illicita concupiſcentia magis in genitalibus appareat membris, vbi plus reſidet libidinis, vnde quiſque maiorem concipere verecundiam quàm aliunde deberet: genitali enim iſta virtute peccatum originale in poſteros diffunditur, humanáque natura, quæ in illa radice latitat, infecta turpiter polluitur, vt ſupra diximus. Hinc intellectus patet verborum Auguſtini, quum ait, Dum ſibi inuicem vir mulierque miſcentur, peccatum in paruulos non tranſmittit propagatio, ſed libido: nec fœcunditas humanæ naturæ facit homines cum peccato naſci, ſed fœditas libidinis, quam habent homines ex condemnatione iuſtiſſima illius peccati. Sin autem rationem ſpectes originalis huius peccati, ex inobedientia Adæ illud proficiſcitur. *De vera relig.* *De fide ad Petrum.*

3 Sequitur inde, quomodo peccatũ originale in animam perueniat. quãuis enim neque ex Adam, neque ex traduce fiat aut ſit anima, ſed ſua cuique paruulorum anima à Deo creatur & infunditur, iuxta illud Pſalmi, Qui finxit ſigillatim corda eorum. & iſtud domini verbũ per os prophetæ dicitur, Et omnem flatũ ego feci. (ſecundũ ſeptuaginta.) Omnes etiam errores quotquot hinc emerſerunt, in multis locis validè cõfutat Auguſtinus, & præcipuè in epiſtola ad Hieronymũ de origine animæ, & ad Optatum ſimiliter etiam Hieronymus libro ſecundo cõtra Ruffinum. Hæc inquam *Pſal. 32.* *Eſa. 57.* *Auguſt.* *Hierony.*

quanuis ita sint, attamen anima corpori vnitur ex parentũ semine conformato, quod ipsum infectum & corruptum est, suáque caret iustitia originali, quam habere debebat: inde ergo anima peccatum acquirit originale. quamobrem & Paulus ait omnes nos in Adam mori, & in Christo rursus viuificari, omnésque natura esse filios iræ, non secundum animæ quidem, sed corporis naturam, quod per generationem ab Adam descendit. Obiicies, Quid si parentes sint ambo baptizati, coniugalémque statum honestè viuant, ita vt sine peccato possint operibus vacare coniugalibus, quo tunc modo poterit originale peccatum è parentibus proficisci, quorum non est aliquod in ea re vitium? Aut potest ne quisquam, quo caret ipse, alteri dare? Sed respondeat ad hæc Augustinus tibi. is enim sic ait. Et si parentes peccato careant originali, potest tamen illud habere paruulus ex eis natus, nõ secus quam circuncisus Iudæus filium generat incircuncisum. Cui subscribit & Gregorius, dicens, Quomodo palea, quæ opere humano tanta diligentia separatur, manet tamen in fructu, qui de purgato nascitur tritico: ita peccatum quod in parentibus per baptismum mundatur, manet in eis quos genuerunt. Eius rei causa hæc est, quod pater substantiam geminam habet, alteram secundũ naturam corruptam, quomodo filius est Adæ: alteram secundũ gratiam dei, quã habet ex baptismo, vnde mẽbrũ est Christi. Quod ergo pater gignit & mater filium parit, nõ ex substantia est gratiæ, sed naturæ corruptæ. Vnde & filius tanquam membrũ & hæres Adæ, in peccato nascitur originali. Hinc etiã ratio patet cur filius peccatũ illud tantum, & nõ reliqua ex parentibus attrahat. sicut enim personalis probitas & honestas parentũ non deriuatur in filios, ita nec personale peccatum, puta furtum, homicidiũ & similia. Cõtra autem, sicut originalis iustitia, nisi eam perdidisset Adam, in omné transfusa esset posteritatem: ita omnes Adæ filij ea carent, quam tamen debebant habere, vnde in eos peruenit ira Dei.

Contra Iulia. & de bapt. paruulo.

Gregor.

De cõcept. virg.

4 Multa hic inuenio, de quibus quæri potest. Primum, An peccatum originale in omnibus hominibus sit æquale. aut, an in aliis grauius maiúsque reperiatur quam in aliis. Vbi respõdet Anselmus, & ait, Quũ vna inobedientia protoplasti causa sit peccati originalis omniũ, necesse est peccatum originale esse æquale in pueris. Ad hęc æqualis cum sit

iustitiæ

Iuſtitiæ originalis defectus in omnibus, quis neget & peccatum originale eſſe æquale? Atque hoc verum quidem eſt de peccato originali, loquendo eſſentialiter & in ſe: ſin autem de eo loquamur materialiter, hoc eſt de languore & infectione carnis, non iam erit illud æquale. experimur enim magno diſcrimine alios aliis magis ad libidinem moueri, alios in furtum magis eſſe præcipites, alios ad contentiones & rixas. huiuſmodi nãque inclinationes & affectiones plurimum ſibi vendicant in membris noſtris, & in aliis tamen magis. Itaque quanuis proprie vnum tantum eſt peccatum originale, tamen propter varias & multiplices iſtiuſmodi cõcupiſcentias, dici poteſt peccata originalia eſſe plura, vel etiam tot, quod ſunt in homine affectiones malæ, (materialiter ſaltem, nõ etiam in formali ratione) Aliâs quo ad peccatum originale eſſentiale, vnum tantũ in homine peccatũ eſt, ſed illud innumeras habet operationes, vnde & Dauid in iniquitatibus ſe conceptũ quæritur & clamat, non quod originalia peccata in ſe plura exiſtant, ſed quia quo ad languorem iſtum, inclinat & irritat ad multa peccata, ideo ipſum quoque plurium numero exprimitur. Poſſent adhuc quæſtiones multæ non minus conducibiles induci, vt ſi ſolus peccaſſet Adam, & non etiam Eua, an adhuc filij huius in peccato originali concepti fuiſſent. Aut viciſſim, ſi Eua tantum peccaſſet, & non Adam, quî tunc contigiſſet. Item, an paruuli nati, aliunde etiam contraxiſſent peccatum originale, quàm ex gula & eſu cibi vetiti. Verùm hæc & iſtruſmodi alia multa ſcholis excutienda relinquamus: Nos autem, vt aliquando tandẽ materiã hanc finiamus, ſummatim vniuerſam eam ad capita reuocemus. Sunt ergo in peccato originali duo, defectus iuſtitiæ originalis, & languor iſte ac debilitas carnis. Prius illud à deo dimittitur in baptiſmo, non ſic tantum, quod deinceps deus non exprobret, ſed ita etiam, vt paruulo gratiã ſuam largiatur. Alterũ diximus eſſe ardentẽ iſtam carnis noſtræ cõcupiſcentiam, eaque in baptiſmo non adimitur, quanuis minui poſſit. hinc enim fœtent & ſordibus ſcalent, quotquot baptizati non ſunt, puta Iudæi, Aethiopes, Tartari, Turcæ: eaq; ratio eſt, quur mul ti Turcarum baptizari ſe ſinant, non vt in Chriſtũ credant, ſed vt ne fœteant, vbicũque enim Iudæi plures ſunt & ſudant, quis ſordidiſſimũ eorum fœtorẽ ferre queat? Quæres,

Nõ baptizati fœtent.

Quum in baptiſmo peccatũ originale dimittat deus, quur non etiam ea quæ ſequuntur illud, dimittit & aufert? Reſpondetur, quia iam tunc non eſſet amplius aliquod fidei meritum. id enim ſi ita fieret, omnes ſe baptizari permitterent, nõ quidem ex dilectione dei, ſed metu pœnæ temporalis & huius felicitatis amore. Et tamen facit hoc ad exercitationem virtutum, ad incrementum meriti & remunerationis æternæ, atque vt eo ſæpius orare deum cogantur & impellantur homines. Mala ſiquidem quæ nos premunt ad deum nos ire cõpellunt, ait Gregor. Rurſus quæris, Quandoquidem mors, peccati originalis pœna exiſtit, pœna vtique eſt cõmerita, & quomodo igitur meritoria eſſe poterit in ſanctis martyribus? Reſpondeo, quoniam mori omnino neceſſariũ eſt, ſic enim omnibus hominibus conſtitutum eſt ſemel mori. Verùm hoc ex miſericordia fit & gratia, dum permittit deus vt ex neceſſitate virtutem faciamus, ſicque quod ex neceſſitate debemus, ex charitate gradum fieri & meritoriũ poteſt, idque per bonam voluntatem & patientiam. Atque hoc accuratius vos obſeruare admoneo chariſſimi. fur enim aut latro in ſcelere deprehenſus, capitali ſupplicio occiditur iuxta ordinem iuris. quod ſi is voluntatem ſuam omnem deo offerat, & ſupplicium patienter ſuſtineat ad peccati ſui remiſſionem & ſubleuationem, ecce iam illud ei fit meritoriũ, deoque beneplacitũ, licet mors erat ineuitabilis illi. Atque in hanc rem videte præclarũ Chryſoſtomi eloquentiſſimi doctoris verbũ, Si de copia rerum in penuriam cadis, deo permittente, ſi ignis ingruens tuam ſubſtantiam abſumpſit, & totam domũ tuam populatus eſt, & agis gratias deo qui prohibere potuit & nõ prohibuit, tantam accipies mercedẽ, quantam, ſi omnia illa in manus pauperum repoſuiſſes. O verbum cõſolatorium, ô doctrina ſalutarem, omnibus cõducibilem qui in tribulatione verſantur, quibus res parũ proſperè ſuccedũt, vnde diſcant ex neceſſitate facere virtutẽ, cuius rei exemplũ habemus in Iob, qui liberis boniſque ſuis omnibus amiſſis, dixit, Dominus dedit, dominus abſtulit. ſicut domino placuit ita factum eſt. ſit nomen domini benedictũ. Sic tu quoq; fac, quiſquis egeſtate & miſeria premeris, fameq; torqueris, patere & mala omnia ꝓpter deum ſuſtine patienter, & erũt ea cuncta tibi meritoria. Etiã ſi in lecto decumbis inter extrema ſuſpiria, animam

Gregorius.

Hebr. 3.

Chryſoſt.

Iob. 1.

animam iamiam exhalaturus, voluntatem tuam diuinæ accommoda, mortemq́ue offer deo, & erit illa tibi coram deo magno merito, cedet insuper in remissionem peccatorum & pœnitentiam salutarem: atque huiusmodi quædam morientibus sedulo sunt inculcanda. Cætera, de quibus sic adhuc ambigi posset circa peccatum originale, de pœna, supplicio, & remedio ipsius missa libenter facimus. nunc laudemus simul & deprecemur dominum deum, inuocemus virginem matrem, &c.

HOMILIA IIII. ET VLTIMA
IN DIE CONCEPTIONIS MARIAE.

Pœna originalis peccati.

PECCATVM originale hominem in ira diuina constituit, membrumq́ue facit esse diaboli, concupiscentiis multis malis adimplet, ad peccata inclinat, portas cœlorũ occludit, impotentem reddit & inualidum ad resistẽdum tentationibus diaboli, animam insuper tenebris & caligine obfuscat, nisiq́ue illud ei dimittatur, æterna etiam felicitate priuat. Quum itaque peccatum originale vsqueadeo deo sit aduersum, hominemq́; abiectum & deteriorem reddat, nemo Christianus credat dominum Iesum dilectissimã suã genitricem Mariam in tantas fœdissimi peccati sordes & in irã dei cadere permississe, quando arctius magisq́; matrẽ suã dilexit Christus, quã vnquam aliquis filius in vniuerso mũdo. vnde credendus est eam honorasse in omnibus quãtum potuit. Quoniã quum etiã cũ deo patre præceptũ illud de honorandis parẽtibus nõ in veteri tantũ lege tulerit, sed & in noua renouarit, vtiq; idipsum etiam in sua matre seruauit: tantoq́; dignatus illã honore est, vt confusa nõ fuerit cõram diabolo ex peccato originali, prius cœpit enim ille facere quã docere. & sic Augu. ait, Quicquid tibi vera ratione faciendũ occurrit, scias deũ fecisse, bonorum omniũ conditorẽ. Et Sapiens igitur id ita in spiritu cognoscẽs, dixit in persona domini, Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Quod si autẽ peccatũ originale in Maria vsquam fuisset, tenebris vtiq; & omni macula non caruisset. Huiusmodi autẽ puritatẽ Mariæ à peccato originali inde colligere possumus, quod eã deus pater elegit ante secula, vt esset mater filij sui: iuxta illud q̃ in ipsius persona Sapiẽs inquit:

Exod. 20 Matt. 15.

Act. 1. Augusti.

Can. 4.

Prouer.8. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antiquam terra fie-
Lucæ 1. ret. Inuenit enim illa, vt ait angelus, gratiam apud dominũ.
Sin autem per peccatum originale ancilla diaboli facta fuis-
Lucæ 2. set Maria, quis locus extitisset reliquus suæ electioni ab æ-
terno, aut quantum etiam dehonestasset hoc Christum, si
matrem habuisset ancillam diaboli? Aut quis hoc persuade-
ri posset vt crederet de ea, quę benedicta fuit in mulieribus
Ad Eusto- vt maledictioni subiecta fuisset peccati originalis? Itaque &
chium. Hieronymus ait, Nulli dubium est de matre domini, quo-
niam talis debuit esse, quæ non posset argui de peccato. Id
De conce. enim ad ignominiam vergeret Christi, quod credi nullate-
pcir.c.18. nus debet. Et Anselmus illi subscribens, inquit, Decuit vt
conceptio illius hominis de matre fieret purissima. nempe
decens erat, vt ea puritate, qua maior sub deo nequit intelli
gi, virgo illa niteret, cui deus pater vnicum filium suum da-
bat. Nemo itaque vestrum cogitare huiusmodi quid præsu
mat de Maria matre dei, regina cœlorum, angelorum domi
na, & ea quæ formidini sit & horrori omnibus dæmonibus
quasi in peccato sit originali concepta. Quin potius refu-
gium nostrum est illa, aduocata nostra, auxiliatrix, corona
& dignitas omnium mulierum. Quapropter procul absit à
nobis, vt gloriæ nostræ vitium aliquod aut peccatum aseri-
bamus, sed magis cum sancta matre Ecclesia exclamemus,
Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferã
nescio, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio cõ
tulisti. Virginitatem porrò hanc non in corpore tantũ, sed
& in anima sanctissimæ virginis credere nos conuenit. Si
enim Eua tota pulchra omnisque maculæ expers fuit in sua
creatione, quãto magis Maria omni caruerit peccato & ipsa
pulcherrima tota? Aut deceret ne à famula dominam su-
Regula perari, quum tamen dicat Bernardus: Quicquid aliis etiam
Bernar. pauci simis est concessum, hoc Mariæ non est denegatum.

2 Quanuis argumenta hæc cuique Christiano sufficiant
ad credendum quod per se certissimũ est, Mariam sine pec-
cato originali esse conceptam, accedant tamen insuper ra-
tiones plures, & loci scripturarum sanctorúmque patrum
& Ecclesię Christi, facientes ad laudem & gloriam virginis
Mariæ. Ecclesia nanque in officio missæ verbis vtitur Sapiẽ
Prouer.8. tis de virgine matre: Dominus possedit me ab initio viarum
suarum. Quod si id ita est, vtique peccato originali caruit

ipsa

ipsa. eos enim qui peccatis premuntur, diabolus possidet mundi huius princeps. Ideo autem quia dominus eam possedit, dixit angelus ad ipsam, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Possent hîc induci etiam sequentia verba Sapientis, quoniam loquitur ibi de omnibus diebus omnique tempore. Semper igitur illa fuit in gratia dei, neque potuit in peccato originali sic esse concepta. Ad hæc si penitius recogitemus quàm merito optimoque iure Christus matrem suam præseruauit ab omni alieno dominio, videbimus vtique & persuadebimur facile credendum nemini esse, ipsi dominatum esse diabolum quod factum sane fuisset, si in peccato originali esset concepta. omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati. & quisquis ab alio superatus est, seruus ipsius efficitur. Et exiguum quid foret, si antea peccatum originale habuisset, & deinde per gratiam dei fuisset expurgata, quoniam sic in nihilo Ioannem superaret Baptistam, nec Esaiam, neque Iosephum maritum suum, & alios quosdam se multo inferiores. Et hoc est quod Ambrosius ait, Egreditur virga de radice Iesse, & flos de germine eius ascendet. Virga, inquit ille, Maria ipsa est, in quo nodus nullus fuit peccati originalis, neque cortex venialis. Id ipsum etiam manifestè docuit Moyses, quando dominus dixit ad serpentem, Ponam inimicitias inter mulierem & te, inter semen mulieris, & semen tuum, & ipsa conteret caput tuũ. Quod si itaque Maria vel momentum vnicum in peccato fuisset originali, non habuisset vtique cum diabolo inimitias, neque etiam caput illius contriuisset. Ita enim Augustinus, Subiectum, inquit, esse peccato originali, est caput diaboli, eo quod principium illud est, quo diabolus hominem in suam adducit potestatem. Quod si igitur caput & initium contriuit, quid reliquum est nisi eam peccato originali caruisse? (Non curo hîc tragœdiam, articulum illic esse masculinum, & ad semen referri, quum doctis Hebræis cõstet, Hu etiam articulum esse fœmininum.) Adducunt in hoc nonnulli etiam figuras, quibus in Maria repræsentata est, vt arcam Moysi, quæ fabricata fuit ex ligno Sethim, quod putredini obnoxium non est. ita enim & caro virginis immunis extitit ab omni peccato, siquidem rosa illa est Iericho, quæ etiam spinis caret, vt Maria peccato. Maria quoque est palma exaltata in Cades. Palma victoriæ sym-

Ioan. 12. *Luc. 1.*

Ioan. 8. *1. Pet. 2.*

Ambro.

Genes. 3.

Augu. super gen.

Exo. 25.



bolum est, quod & in manibus martyrum vidisse se testatur
Apoc. 7. Ioannes. Ita Maria variis semper extitit virtutibus, & diabolum vndiq; superauit, in natiuitate, per omnem vitam, &
Cano. 2. & 6. in mortis articulo. Sic eam spōsus lilium vocat inter spinas, & auroram quæ non caret lumine, quoniā ita Maria quoq;
Psal. 18. illustrata fuit gratia dei, Dauid eā quoq; solē vocat, in qua Christus posuit tabernaculū suum. Sol hic nullas peccati ad-
Sapi. 7. mittit tenebras. Sapiens insuper ipsam sole vocat lucidiorē,
Apoc. 7. & Ioannes eam vidit amictam sole. Possent istiusmodi multa induci, quibus tamen breuitate tēporis persuasus, superse deo lubens. 3 Cogitaret autē quispiam intra se, Superiori homilia dictum est, originalis peccati pœnam mortem esse:
Genes. 3. iuxta verbum domini, Quacunq; hora comederitis, morte
Rom. 5. moriemini. & illud item Pauli, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. Maria ergo quum non habuerit peccatum originale, quomodo mortua est? vbicunque enim causa & ratio pœnę nō est, ibi pœnam quoq; non esse conuenit. Respōdetur, Quanuis variæ sint causæ cur puniat deus, sicut in quadā homilia disseruimus, ideoq; hic missum facimus, tamē hominem aliquē nō mori neq; de natura est hominis, nec contigit vnquā. siquidem quum ex elementis compositus sit contrariis, quæ con-
Libr. 2. de bapt. parnul. & ad Fel. c. 18. tinuo operātur ad inuicem, fit vt natura sit mortalis. Et ob eam rem dicit Augustinus, Christus volens assumpsit defectus naturæ, & ita etiam non occisus, tandem mortuus esset naturaliter præsenio. Deinde constat homines in paradiso & statu naturę immortales futuros fuisse. id autem dico nō euenisse ex ipsa eorum natura, sed gratia dei, qui illis lignū vitæ dedisset, vnde satiati essent aduersus omnem fragilitatem, & quum iam accessissent tempus priusquam morerentur, trāstulisset eos deus ex paradiso in vitam æternam. Vn-
Augusti. li. 3. super Gen. & li. 12. de ciui. capi. 21. de Augustinus dicit, Homo si creatori suo tanquā vero domino subditus, præceptum eius pia obedientia custodiret, in consortium transiret angelicū sine morte media, immortalitatem sine vllo termino consequutus. Porrò, quum homo (generaliter loquendo) priuatus sit ista gratia per peccatum Adæ & subsequens peccatū originale, fit vt ille iā mortalis sit propter peccatum, Vbi etiam quis non habet priuilegium illud quod in paradiso fuit, etiam sine cōmerito suo adhuc tamen legibus mortis obnoxius est ex natura, & si

quidem

quidem Maria mortua est naturaliter absque omni peccato, eo tantum, quod non habuit donum illud paradisiacum aduersus mortem, non secus quam Lazarus pœnam originalis culpæ prima sua morte absoluit: & tamen quado eum dominus resuscitauit à morte, deinde adhuc denuo naturaliter mortuus est, non ex peccato originali. Hinc itaque patet, duo illa dona esse distincta, peccato originali carere, & immortalem esse: alterumque conferri à deo posse sine altero. Quur autem Christus pientissimę matri non etiã donum communicarit immortalitatis, multæ possunt assignari rationes, quarum vna hæc est, quod ita bene decuit matrẽ æquari filio, qui & ipse peccatũ non fecerat, neque dolus in ore eius inuẽtus erat: & tamen quãuis sanctissimus erat ille, mori nõ recusauit. & cur itaque Maria à morte esset immunis? Christus caput Ecclesię mortuus est, cõueniebat ergo etiam Mariã membrũ illius mori, quando mẽbra sequi debẽt caput suũ. Ad sustol'ẽdas etiã occasiones multarũ hæresum maximè decuit mori Mariã: quæ si fuisset immortalis, nõne magnã speciẽ pleræque habuissent hæreses, Christũ quoq; verũ ex carne corpus non habuisse, sed phantasticum tantũ, vt somniarunt Manichęi: aut cœleste corpus ipsum attulisse secũ, vt impudenter nugatus est Valentinus? Ad hæc omnia & similia euertenda, multum coducibile erat Mariam quoque corpus verũ & mortale habuisse, ex qua quia filius dei homo factus, humanam assumpsit naturam, veram quoque habuisse carnem merito credendus est. Quid quod multum etiam mereri potuit in suo mortali & passibili corpore, dũ omnes tribulationes & afflictiones cum puero Iesu quoque sustinuit patienter? patientia enim opus perfectum habet. Et eo amplius passio meritum auxit Mariæ, quo innocentior ipsa passa est talia.

Ioan.11.

Col.1.

Ioan.1.

Iaco.1.

4 Fuit igitur Maria in conceptione sua immunis ab omni peccati originalis macula, idq; ex gratia dei, ita vt cũ anima ipsius à deo creata & corpori est infusa, simul & iã tunc illi deus ex speciali gratia gratiã suam & dona infudit, vnde præseruata est ab omni contagione originalis culpæ simul & actualis peccati. Sequitur inde, nihil aduersari Mariæ huiusmodi dicta, Christus omnium hominum est redemptor, quando ille & Mariam redemit, non quod à peccatis eam purgarit, sed quia ab illis ipsam præseruauit, quæ etiam

redemptio longè perfectior est, quàm si ipsam permisisset
labi in peccatum originale, & deinceps sanctificasset eam in
Luc. 1. vtero matris, sicut Ioannem Baptistam: sicut is quoque ma
gis propitius alicui est, qui eum non sinit in lutum cadere,
quam qui sinit, & subleuat tandem. Neminem etiã hîc mo-
ueãt communes illi scripturarum loci, puta cum Dauid in-
Psal. 19. quit, Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, nõ est
qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum qui Christus est. Et
Esa. 53. propheta cõqueritur omnes nos sicut oues aberrasse, & Pau
Rom. 3. lus ait, Omnes in Adam peccauerunt, & egẽt gratia dei. ac
Rom. 5. deinceps, Per vnum hominem peccatum in hunc munmum
intrauit, & per peccatum mors: ita in omnes homines mors
pertranſiit, in quo omnes peccauerũt. Et ad Corinthios, V-
2. Cor. 5. nus pro omnibns mortuus est Christus & resurrexit. Atq;
Psal. 13. hoc est quod Dauid inquit, Non iustificabitur in cõspectu
& 21. tuo omnis viuens. Et ipse apud Dauidem Christus ait, Erue
domine à framea animam meam, & de manu canis vnicam
meam. Ecce vnicã, siquidem vnica Christi anima, vt testa-
Augusti. tur Augustin⁹, immunis fuit ab omni peccato. Paulus quo-
Roma. 11. que, Omnia, inquit, conclusit deus sub peccato, vt omnium
misereatur. Hi & huiusmodi loci nihil minus probant, q̃
Mariam in peccato originali esse conceptam, sed Christum
solùm ex natura & essentia sine illo conceptum fuisse, quan
do & ipse solus sine virili natus est semine. Maria autem be
neficium istud ex natura non habuit, quum nata sit ex com-
mixtione duorum seminum vsu communi naturæ & aliorũ
hominum cõsuetudine, quo nomine etiam peccatum origi-
nale contrahere debebat. Sed filius ipsius Christus immẽsa
gratia & miseratione sua eã seruauit, quomodo iam & redẽ
ptor eius est. Quid quod etiam vniuersales scripturarum lo
quutiones non semper omnes includunt homines, vt quum
Esa. 4. ait Esaias, Videbit omnis caro quod os domini loquutũ est,
& tamen multi Christum non viderunt? Matthæus quoque
refert exisse ad Ioãnem Hierosolymam, totamq; Iudæam
Matt. 3. & omnẽ regionem Iordani finitimã. Et Paulus sese omnib⁹
1. Cor. 9. omnia factũ prędicat, vt omnes lucrifaceret, atq; in alio lo-
co, omnes, inquit, quæ sua sunt quærũt, non quæ Iesu Chri
sti: Christus etiã ipse dicit, Omnes qui ante me venerũt, fu-
Ioan. 10. res sunt & latrones. Loci isti quanuis sint vniuersales, tamẽ
non de omnibus, sed pluribus tantũ aut malis intelliguntur.

Ita

Ita cum in ſacris literis legis omnes peccaſſe, de omnibus, non præſeruatis accipiendum eſt. Sic generalis illa mulierũ lex de partus dolore: Mariam tamen nõ includit, ſicuti nec peccatũ originale. perfectiſsimè enĩ eam Chriſtus redemit, & ideo anima ipſius merito magnificauit dominum, ſpiritus quoque ipſius exultauit in deo ſalutari ſuo. ſiquidẽ ipſa radix illa ſancta fuit, de qua naſciturus erat ramus ſanctiſſimus Chriſtus dominus. Quod ſi igitur ramus ſanctus, quomodo non & radix beata erit? quo nomine & ſponſus in ſpiritu præuidens eam, ait, Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te: quæ benedicta hic in terris eſt inter mulieres, & benedictus etiam fructus ventris ſui Chriſtus Ieſus in ſecula, Amen.

Gene. 3. *Lucæ* 6. *Rom.* 11. *Can.* 4.

DE S. THOMA APOSTOLO,

EVANGELIVM. IOAN. 20.

IN illo tẽpore, Thomas vnus ex duodecim, qui dicitur didymus, non erat cum eis quando venit Ieſus. Dixerunt ergo ei alij diſcipuli, Vidimus dominum. Ille autem dixit eis, Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio eorum, & dixit eis. Pax vobis. Deinde dicit Thomæ, Infer digitũ tuum huc & vide manus meas, & affer manum tuã, & mitte in latus meũ, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas & dixit ei, Dominus meus, & deus meus. Dicit ei Ieſus, Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: beati qui nõ viderunt & crediderunt.

HOMILIA PRIMA.

EVangelica hiſtoria hæc, quãdo per ſe ſatis aperta eſt, prolixiori declaratione opus non habet. Paucis itaque & curſim ſingula abſoluemus. Et principio quidem, quod nonnulli grammatici hic deprauarunt textum, Thomam Didymum, quem veteres maioréſque noſtri homines, ſane diligẽtiſſimi dubitatorem verterunt, ex Hebræo transferentes gemellum, quoniã ibi thom gemellum ſignificet. Nos tamen nihil mouet tam

inconstans rerum omnium innouatio, dum video nouitatē istam recentiorem, dum plus audent quàm possint, rarò erroribus carere. Vnde & fit, vt nolim à sententia veterum patrum discedere, qui sedulitate assidua diligenter omnia inquisierunt, maxime quum ista iuniorum opinio non careat errore, quo simul insciti am suam produnt linguæ Hebraicæ, in qua thom dubitantem significare, satis abundæ nobis
1. Par. 26. sacræ testantur literæ, vbi sagitta in incertum missa refertur
Theop. vulnerans Achaz. Est & in eadem sententia Theophylactus circa vocem Græcā Didymus. Sic enim ait, Quid est quod Didymus dicitur? interpretatio est nominis Thomas. merito autem meminit interpretationis eius nominis, vt ostēdat nobis quod dubitator quidam sit, & id vitij à principio habuerit, vt & nomen indicat, quæ etiā ratio est, quur hic nos nomen Didymi exposuerimus pro dubitatore. Nunc tandem ad contextum properemus. *Thomas vnus ex duodecim, non erat cum eis quādo venit Iesus*, puta die ipso paschæ, quādo Christus discipulis suis noctu apparuit, non fuit cum eis Thomas. Diceres, Lucas refert duos illos discipulos reuer-
Luc. 24. sos ex Emaus, inuenisse alios vndecim congregatos, quid est
Lib. 3. de ergo quod Ioannes ait Thomam abfuisse? Respondet Au-
consec. Euāg. ca. 25 gust. vtrunque verum esse quod ambo narrāt Euangelistæ, sed tamen ita constare, quod inde Thomas exierit, antequā eis dominus hæc loquentibus appareret: factumque, id est, dispensatione diuina, cuius ratio gemina redditur, quarum altera hæc est, vt resurrectio Christi, in qua plurimum roboris fidei nostræ situm erat, ex dubitatione Thomæ firmioribus roboraretur argumentis, ad eruditionem nostram totiusque ecclesiæ. sic Gregorius ait, Quid fratres charissimi inter hæc animaduertitis? nunquid casu gestum creditis, vt electus ille discipulus tunc deesset, post autē veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpās crederet? non hoc casu, sed diuina dispensatione factum est. ita enim admirabili, quodam modo operata est diuina benignitas, vt dum Thomas vulnera tangeret magistri, in nobis cicatrices curaret infidelitatis. plus enim incredulitas nobis Thomæ profuit, quā reliquorū discipulorum subita fides, dū ipsius dubitatione animus noster est in fide cōfirmatus. Atque hoc
Beda. est quod ait Beda, Thomas qui dubitauit, mihi plus profuit quam Magdalena quę cito credidit. Alteram porrò causam reddit

reddit Bernardus, exiſtimãs Thomã, quũ iam à ſancta receſſerat cõgregatione, indignũ fuiſſe qui Chriſtũ videret. Falleris, inquit ille, ô Thoma, quãdo arbitraris te Chriſtũ inuenire extra cœtũ ſanctorũ, qui ſemper eſt in milibus angelorum. 2 Thomæ autẽ ad alios diſcipulos reuerſo dixerunt illi, *Vidimus dominum.* Chryſoſtomus arbitratur nondũ rediiſſe Thomam à fuga, quando à domino cũ aliis aufugerat in horto. Sed ex Luca colligim⁹ ipſum noctu affuiſſe, reuerſis duobus ex Emaus. Reliqui decem qui remãſerant, viderũt vtique dominum cũ magno gaudio, iuxta illud Ioannis, Gauiſi ſunt diſcipuli viſo domino. Ecce quantũ dãni recepit Thomas, quod à ſancto cœtu receſſit: primũ enĩ omniũ gaudio priuatus eſt, quod alias habuiſſet, cõſpicatus dominũ poſt tanta ſupplicia & mortẽ ignominioſam, tãta cũ maieſtate ex mortuis reſurrexiſſe. Deinde acceſſit illi nonnihil mali & ex incredulitate, quãdo dixit, *Niſi videro in manibus ſuis fixuras clauorũ, & mittã digitos meos in loca clauorũ, & manum meam in latus ſuum, non credam.* Cyrillus hic multũ fortiter pro Thoma contendit, valide elaborans & enitens apoſtolum Chriſti defendere, dicenſq́ue ipſum triſtem admodum fuiſſe & multũ anxium ex morte Chriſti, & ſic cum cæteris apoſtolis dominũ vidiſſe. Verum ipſa Chriſti verba culpam Thomę manifeſtè arguunt, dum dixit ille ad eũ per modum increpationis, *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis:* vnde ſatis liquet, Thomam per oĉtiduum iſtud nõ credidiſſe Chriſti reſurrectionem: ſiquidem tanta ſupplicia in eo viderat paſſionis & mortis acerbiſsimæ, vt nollet ex aliorum hominum ſermone experimentum credere vitæ. Eſt hic quidem apud ſanctos patres quæſtio, An mortaliter peccarit Thomas in illa tarditate credendi, quoniã, vt Chryſoſto. ait, tardior ille fuit ad credendũ ea quæ diuinitatis Chriſti erant: ſicut in cœna dixit ad dominũ, Domine, neſcim⁹ quo vadis, & quomodo poſſumus viã ſcire? Vnde hic ad credendũ fuit tardior. Sunt qui medium ſentiãt, & dicant Thomã, etſi nõ crediderit, non tamẽ omnino diffidiſſe, ideoq́; nec incredulum penitus extitiſſe, ſed tantũ, ne leuis haberetur, fidelitatem ſuam ad tempus ſuſpẽdiſſe. Quicquid tamẽ illud eſt, adeõ ſanè neceſſariũ non eſt Thomam magnopere excuſare, quoniam ſi permiſit dominus Petrum cadere, alióſque apoſtolos omnes offendi, quis miretur idẽ etiam Thomæ cõti-

Bernar.

Chryſo.

Luc. 14.

Ioan. 20.

Cyrillus.

Th. an peccauit.

Chryſoſto.

Ioan. 14.

Luc. 14.

gisse? Et est hoc quoque in Thoma peculiare quiddam: quā-
uis enim alij etiam discipuli ad credendum erant tardiscu-
li, sicut illos duos stultos & tardos corde vocat dominus, &
Mar.10. aliis etiam congregatis exprobrauit incredulitatem & duri-
tiem cordis, quod iis qui viderant eum resurrexisse nō cre-
diderūt, tamē peculiariter illud exprobrauit dominus Tho
mæ, dicens, *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Hoc ex illo etiam
satis constat, quod non tardus tantum ad credendum fuit
Theoph. Thomas, sed & in petendo immodestus, dum duobus sensi-
bus visu & tactu, cupiuit reddi certior. Merito itaque argui-
tur vt supra modum curiosus. ita enim Theophyla. ait: Si-
cut facile credere leuitatis est, ita valde obluctari rusticita-
tis est crassitudo. Vide nanque quomodo neque oculis di-
cebat se credere, sed &, *nisi misero manum meam*, addidit.

3 *Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Tho-
mas cum eis.* Quæres hic forsitan, Quur tādiu distulerit do-
minus, neque citius electo suo apparuerit discipulo. En tibi
Chryso. respondet Chryso. & ait interea à discipulis edoctum, vt
iisdem auditis in maius traheretur desiderium, & magis, in
fide confirmaretur. Neque tamen illud etiam temerē, aut
sine nostræ informationis factum est exemplo. hinc enim
Cyrillus. iure, vt ait, Cyrillus, sanctæ congregationes die octo in ec-
clesiis fiunt: & foribus sublimiore modo clausis visibiliter
inuisibiliterque ingressus, stetit in medio discipulorum, pa-
cem precatus illis. Qua de re plura vide parte. 1. de tempo-
re in homiliis paschalibus. Quanuis etiam eo existimari po
test voluisse dominum octauo demum die resurrectionis
suæ, fidem in Thoma adstruere, quod dies octauus ad resur-
rectionem pertinet, vniuerso hoc mundo septem ætatibus
seu diebus reuoluto. sicut enim septem diebus septimanæ
vertuntur, ita ætatibus septem vniuersus mundi cursus ab-
soluitur, & ideo extremus dies iudicij dies erit dominicus,
qui etiam dies futurus est perpetuus, semperque duraturus:
Psal. 112. iuxta illud Dauidis: Hæc est dies quam fecit dominus. sed
hæc aliās. *Post dies octo congregatis discipulis erat etiam cum
eis Thomas.* Fecerunt sanè hoc apostoli ex mandato Christi
vsque ad Pentecosten, quando ascensurus in cœlum, dixit
ad illos. Sedete in hoc loco & orate donec induamini virtu-
Luc.24. te ex alto. Quanuis quo ad literam ita conueniebant occul-
tè, nocturno maximè tempore propter metum Iudæorum.

Simulque

Simúlque dominus discipulos suos salutasset in vniuersum omnes, ipsiúsque pacem comprecatus esset, verus ille Salomon & pacificus existens, conuersus dixit Thomæ, *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* O immensam domini misericordiam, ô ingentem pietatem Christi, qui labi quidem permisit discipulum in incredulitatem: sed ipsum in ea non deseruit, dicente Dauide: Quum ceciderit iustus, non collidetur: dominus enim supponit manum suam. Ita hic quoque Christus manu sua suffulsit Thomam, ne ipsum in peccatis dimitteret, sed illius exemplo Christiani omnes in fide resurrectionis solide firmarentur. Quàm porrò piè & paterne rem omnem dominus Thomæ proponit, latus ostendit, quod magna charitate vrgente, vulnerari sibi permiserat: fixuras quoque clauorum in manibus, quibus cruci affixus extiterat, vniuersumque genus humanum redemerat. quasi diceret, Considera Thoma dilectionem meam erga te, & omnes totius mundi peccatores in cruce exhibitam, ne sis amplius incredulus: ecce hæc omnia pro tuis & vniuersi mũdi peccatis sustinui, esto igitur fidelis. Agnosce me Thoma huiusmodi signis pietatis & misericordiæ, sicut ego pro te passus sum: illa autem in corpore meo portabo ad superandos & euincendos omnes ab infidelitate & ingratitudine sua. Quisquis sibi in theatro pectoris sui proponat Christum aperto latere, confossis manibus, dicentem Thomæ, *Infer manum tuam in latus meum*, vnde quis non credat exhorruisse Thomam, penéque exanimatum esse in conspectu dei creatoris sui? Atqui hic quæstio nascitur, an corporaliter tetigerit Thomas cicatrices & vulnera Christi. sunt enim qui putent ipsum ea fuisse reuerẽtia, vt statim viso & cognito domino prociderit in terram, dominum & Deum suum inclamans. Et ij aiunt rusticũ nimis fuisse & crassum, si in benedictum Christi corpus latúsque suas manus immisisset, inque eius rei argumentum asserunt illud quod deinceps dixit dominus, *Quia vidisti me Thoma credidisti.* vnde liquet cum ipso testimonio Christi, Thomam ex visu credidisse, quando non dixit ad eum dominus, quia vulnerum meorum contrectasti cicatrices, ideo credidisti. Et communiter hic consentiunt doctores, Thomam statim viso domino credidisse quidem, sed tamen ad iussionem Christi latus

Psal. 36.

An Tho. tetigerit Christum.

quoque & cicatrices manuũ tetigisse, quod magis propter
1. Ioan. 1. nos fecit dominus q̃ Thomæ gratia. Sic Ioannes ait, Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ. Ita Thomas sibi vidit vulnera Christi, ad ædificationem autem fidei
Leo. nostræ etiam tetigit. Vnde & Leo ait, Quis dubitet à mortuis rediisse saluatorem, cuius præsentiã agnouit oculus, attrectauit, manus, digitus perscrutatus est? Et infra, vt omnẽ suspicionem incredulitatis à nobis excluderet, suffecit ad fidem propriam vidisse quod viderat: sed nobis opus erat, vt tangeret quem videbat. Sit itaque constans sententia, Thomam etiam tetigisse dominum. Alia hîc occurrit quæstio,
Quomodo vulnera habuit Christus, qui iam resurrexerat
Roma. 8. immortalis, teste Paulo: Vulnera autẽ habere, corpus arguit
Cicatrices corruptibile. Respondet Beda, Christum vulnera sua qua-
Christi. tuor de causis reseruasse. 1 Ad confirmandam simul & probandã resurrectionis suæ veritatem, quoniam hoc vno Thomam ad fidem adduxit, & alibi omnibus suis discipu-
Luc. vlt. lis manus & pedes ostendit, inquit Lucas: Manus quoque &
Ioan. 20. latus, vt ait Ioannes. 2. Vt Christus quũ precaretur apud patrem suum cœlestẽ, pro nobis ostendere ei posset, quæ & quãta pro nobis in corpore suo sustinuisset. ita enim Ioan-
1. Ioan. 2. nes dicit, Si quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autẽ tantum, sed etiam pro totius mundi. 3 Vt agnoscant electi quanta misericordia & pietate sint redempti, ostendente eis Christo signa mortis & eximiæ suæ charitatis, ait Bernardus. Ad extremum, vt in extremo iudicio declaret peccatoribus quãm iusto iudicio condẽnentur, proponens impiis vulnera, quæ ille ab
Zacha. 12. eis iniquissimẽ susceperit, iuxta prophetã, Videbunt in quem transfixerunt. An autem cicatrices illas vulnerum semper
q. 1. par. 6 seruaturus sit dominus, super hoc ait, Augustinus contra paganos, Sciat sanè qui has proposuit quæstiones, Christũ post resurrectionem cicatrices, non vulnera demonstrasse dubitantibus, tunc autẽ illæ falsę cicatrices fuissent, si nulla vulnera precessissent. Voluit autem certæ dispensationis gratia, vt eis quos ædificabat in fide nõ ficta, nõ aliud pro alio, sed hoc quod crucifixum viderent resurrexisse monstraret. In hunc sensum arbitrantur sancti patres cicatrices in

Christo

Christo semper mansuras, similiter & in martyribus. Sic Beda super Lucam ait, Christus cicatrices seruauit, non ex impotentia curandi, sed vt in perpetuum suæ victoriæ circunferat triumphum, Gregorius quoque in moralibus inquit, Si quid in corpore Christi post resurrectionem potuit immutari contra veridicam Pauli sententiam, post resurrectionem dominus rediit in mortem, quis dicere vel stultus præsumat. nisi qui veram carnis resurrectionem denegat? Audite & B. Augustini verbum præclarum & egregium, Nescio quomodo, inquit ille, sic afficimur amore martyrum beatorum, vt velimus in illo regno in eorũ corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt, & fortasse videbimus. Neque enim aliqua illa in eis erit deformitas, sed magis decor & dignitas quædam, fulgebítque hic in corpore, non tamen corporis, sed virtutum honestas & pulchritudo. Quapropter & dicunt doctores, non alia futura in sanctis martyribus vulnera, quam sunt pulchra quædam lineamenta & gemmæ, magno fulgore exornantia corpus in perpetuũ ornamentum, sicut alias serica & preciosa ornamenta cœmelia quę decorant habitum corporis. Obiiciat autem aliquis, Quando solas vulnerum cicatrices habuit dominus, quomodo intelligitur iussisse Thomam immittere manum in latus? Respondeo quod per immissionem hanc non est accipiendum latus adhuc fuisse apertum sicuti in cruce fuerat, ea enim & temeritas magna apostoli, & infirmitas in Christo futura erat, sed quia in locum cicatricum & vulnerum iussus est inferre manum, sicuti nos interdum iubemus nobis latera contingi. Chrysostomus tamen putat latus Christi apertum fuisse, & Damascenus libro 4. cap. 1. & 19. ait Christum seruasse cicatrices vulnerum non quidem secundum naturam, sed secundum præsentem dispensationem & potuit hoc ille commode facere, vt quadraginta istis diebus hic in terra discipulis suis apertis apparuerit vulneribus, eáque post ascensionem amplius non habuerit aperta. Quomodo piè credendum hoc est, etiam num hodie posse Christum religioso & pio alicui homini apertis apparere vulneribus, aut certe vulnerum vestigiis. At nos iam dominum deum deprecemur, nósque sancto apostolo Thomæ commendemus.

Beda.

Gregorius

Lib. 22. ciuit. c. 20.

Chrysost.

Damas.

HOMILIA SECVNDA.

SANCTVS Thomas apostolus nō erat cum reliquis decem, quādo in die sancto Paschæ apparuit ei dominus: qui octauo die postea reuersus, dixit Thomæ, *Infer digitum tuum huc.* Vbi cogitare apud se quispiā posset. corpus Christi cum palpabile fuerit, seq; tangi permiserit, quæritur an inde sequatur illud etiam mortale fuisse, iuxta illud quod
Gregorius. ait Grego. Corrumpi necesse est quod palpatur: & palpari non potest, quod nō corrumpitur. Respondeo huic, & dico verum sane esse, quod omne corpus palpabile, per se corruptibile est, nisi ex alio dono aut diuersa qualitate fiat immortale. (Alia est adhuc solutio clarior, sed populo nimiū difficilis intellectu. Corpus tāgibile tactu physico, id est actiue & passiue, illud est corruptibile. Sed corpus tangibile tactu mathematico, id est, quorum vltima sunt simul, nō est propterea corruptibile.) Eius rei hoc tibi sume exemplū, lignum aliquod putre aut vermiculus nocte lucens, cōditionem siue proprietatem geminā habet: alteram lucidam, qua etiam atra nocte refulget: Alterā veri sui coloris, quē etiam interdiu refert. Ita corpus quoque glorificatū duplicem habet proprietatem, alteram secundū propriam suam naturā,
Luce 24. & sic tangi palpariq; potest. sic Christus quoque dixit ad apostolos, Palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Alterum donum quoddā est, eo quod subtile efficitur & spiritui similimū, eo quod palpari se nō sinit. Potest ergo corp⁹ clarificatū exhibere se secundū suam proprietatē, & sic palpabile est: vel iuxta subtilitatem, & sic palpari nō potest. Eodémque modo corpus glorificatum abscondere se potest & celare, aut videndū se exhibere. Hoc de S. Bartholomæo apostolo refertur, ipsum etiam immortali corpore visibilem aut inuisibilem sese exhibere potuisse pro arbitrio suo. (Habes par. 3. q. 22. art. 2.)
Gregorius. Quod autē Gregorius ait, Corrumpi necesse est quicquid palpatur, eo sensu dictū est, quod ea quæ crassa sunt, suæq; materiæ causa tangi possunt, ea suapte natura corruptibilia sunt: corpus autem quia corporalis dispositionis gratia multum solidum est, tangi facile potest. Vtique igitur etiam dominus in suo glorificato corpore videri tangíque se permisit, quādo voluit: quū verò noluit: neq; videri potuit neque palpari,

palpari, nō quidem ex ipſa corporis natura, ſed virtute gloriæ. Et ideo Gregorius ait, In eadē hac re duo mira & iuxta humanam rationem ſibi valde contraria oſtendit, dum poſt reſurrectionem ſuā corpus ſpiritu incorruptibile, & tamē palpabile oſtendit. Etiam quod clauſis ingreſſus eſt foribꝰ, impaſsibilitatem ſuam demonſtrauit: quod tangi ſe permiſit, naturam oſtendit paſsibilē, gloria verò impaſsibilem ipſum reddidit. ſiquidem quod nos tam admiranda facta credimus, fidē nobis faciunt alia quæ maiori ſunt admiratione digna. 2 Confunditur circa hunc contextum valideq; refellitur hæreſis Eutycetis, qui voluit corpora eorum qui à morte reſurrexerint, vento eſſe ſubtiliora & aëre, Contra eum miſſus eſt S. Gregorius, quum adhuc inferioris eſſet dignitatis, puta apocriſarius, qui nunc legatus dicitur, Conſtantinopolim vſque. & ibidem hæreſim hanc extinxit, ſicut in vita Gregorij legere eſt: ipſeque eius rei mentionem facit ad Leandrum epiſcopum. Corpora etenim in tenuitate & ſubtilitate tanta, quomodo retinerent formam & effigiem hominis? aut quo pacto verum ſeruarent ſanguinem, carnē, venas, oſſa, neruos & ſimilia? Aduerſus erroneam iſtā ſectā facit, quod hīc dominus de latere & manibꝰ ſuis teſtimoniū affert, & quando apud Lucam dixit, Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Membra igitur vera aderūt in reſurrectione hominum, ſed tamen impaſsibilia illa, ſubtilia, &c. Conſpicatus ita que dominum Thomas, audita ipſius iuſsione exclamat, Dominus meus & deus meus. Hæc illa magnifica Thomæ confeſsio eſt, quam in nullo euangelij loco de aliquo legimus apoſtolo. Vidit enim ille (vt ait Auguſtinus) hominem, & confeſſus eſt deum. per hoc tamen quod dominicum corpus palpauit, ſine dubio credidit, quod nō vidit. Reliqui apoſtoli tātum dixerant, Vidimus dominum nihil profeſsi de ſua maieſtate, ſicut hīc Thomas geminam in vna perſona naturam teſtatus eſt. Ita enim Theophylactus ait, Duas naturas & vnam hypoſtaſin vnius Chriſti docuit. dicendo nanq; dominum, humanam indicat naturā, quomodo & de hominibus dicitur ille dominus, ſicut, Domine, ſi tu ſuſtuliſti eū. Dicēdo autem deus meus, diuinam ſubſtantiā oſtendit, & ita vnū & eundem eſſe dominum & deum. Sic quoq; Thomas dum illum ſuum dominum fatetur, ſe ſeruum ipſius effecit: ſicut

Gregor.

Luc. 24.

Auguſti.

Ioan. 10.

Theop.

Ioan. 20.

*Psal.*111. Dauid inquit, Seruus tuus ego sum, & filius ancillæ tuæ. Nullam istarum professionũ reliqui fecerunt apostoli, qui
*Luc.*24. teste Luca etiam spiritum se videre putarunt. ideo increpãs eos, dixit, Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Quúmque ostendisset eis manus & pedes, adhuc illis nõ credentibus, &c. ait Lucas. Sed nõ incommodæ quæstionis cuiusdam admonuit me Maria Magdalena, quæ hic proponenda est. cogitares forsan, Quid est quod diuersis adeo modis egit dominus cum Maria Magdalena & hic
*Ioan.*20. cum Thoma? Mariam prohibet à cõtactu sui, Thomam vltro palpare iubet. Et adhuc difficilior fit quærendi ratio ex verbis domini. sic enim ait, Noli me tangere, quia nondum ascendi ad patrem meum. Quod sic hæc causa est quur eum Magdalena non tangat, neque Thomæ palpandus erat. neque enim tunc etiã ascenderat ad patrẽ. Locus hic & Augustino & Cyrillo difficilis iudicatus est, & in scholis ad longum posset extendi, nos paucis explicabimus. Quod Magdalenam vetuit tangere, referri potest quod videbatur illa ex pristina cõsuetudine eũ tãgere voluisse, præ lætitia quoque nihil de eo magnũ cogitasse. Et hoc quidẽ in se verum est, sed quæstioni satis nõ facit, cum dominus ait se nondum
Chrysost. ascendisse ad patrẽ. Augustinus itaq; in ea est sententia, vt
Augusti. putet Christũ hic loquutũ non de corporali sua ascensione, sed de ascensu suo in corde per veram fidẽ, quomodo necdum ascẽderat ille ad patrẽ in animo Mariæ, quoniã ascẽsio
*Hebr.*1. Christi in cœlũ, significat Christũ æqualem esse deo patri.
*Colos.*3. vnde & in symbolo cõfitemur ascẽdisse eum in cœlũ, iámque sedere ad dexterã patris. Magdalena autẽ idipsum non credidit, eo ꝙ quæsiuit de furto corporis sui, cuius curã nõ habuisset, si Christũ patri æqualẽ esse credidisset. Cuius rei euidẽs illud habemus argumentũ, quod cæteræ mulieres pedes domini tetigerũt. Thomas verò quãdo iam credat Chri-
*Matt.*82. stum verũ esse deum, adeoq; deo patri æqualem, sicq; iam Christus in corde suo ascẽderat, meruit ille tãgere Christũ.

3 Christus se exhibuit Thomæ: Thomas in eum credidit. Christus iussit eum inferre manum in latus suum. Et tetigit eum Thomas simúlque magnifice cõfessus est, Dominus meus & deus meus. Ad hoc sententiam Christi audite, *Quia me vidisti Thoma credidisti*: non ait, tetigisti me, sed
August. quia vidisti me. vnde fit vt dubitet Augustinus, an tetigerit

Thomas

Thomas dominum aut non. ſed de hoc ſatis dictum eſt ſupra. Nunc Chriſti verba tantum ponderemus, quoniam ea plena ſunt ſapientię & ſalutaris doctrinæ. Si enim venturi eſſent aliqui nolentes credere, niſi palparent dominum, excuſaturi ſuam incredulitatem exemplo Thomæ, eorum ſententiam hoc verbo dominus refutat, cum ait, *Quia me vidiſti Thoma, credidiſti. beati qui non viderunt & crediderũt.* Verbum hoc nobis multam conſolationem affert & gaudium magnum, eo quod non videntes credimus tamen. Diceres enim, ſi in illa incidiſſem tempora, quibus Chriſtum videre potuiſſem miracula facientem, facilius crederem. Imo per hoc nihil tibi decidit, adeo vt accedat magis. *Beati enim qui non viderunt & crediderunt.* quo dicto confirmare dominus voluit fidem gentium, qui poſt ſuam aſcenſionem tandem per ſigna & doctrinam apoſtolorum erãt creditуræ. Sed de iis quoque plura deinceps. Hic iam quæſtio incidit, quomodo verba illa Chriſti conueniant inter ſe. *Thoma, quia me vidiſti, credidiſti:* quum tamen ex Paulino dogmate, fides argumentum ſit rerum non apparentium. hinc & Auguſtinus ait, Quid eſt fides, aliud niſi credere quod non vides? Quur ergo hic dominus dicit, quia me vidiſti, credidiſti? quum inſuper in alio loco dicat Apoſtolus. Quæ videntur, temporalia ſunt: quę autem non videntur, æterna ſunt? Reſpondeo, quoniam aliud vidit Thomas, & aliud credidit. Chriſtum ille vidit hominem, & credidit deum quem non vidit. itaque & illa fides Thomæ de rebus fuit non apparentibus. ex eo enim quod vidit Thomas ſigna iſta diuinitatis & operationem ſuam in humanitate, ſtatim credidit diuinitatem. Eiuſdem ferè ſententiæ fuerunt veteres doctores, quia credere eſt de aliqua recogitare cum aſſenſu rei cui ſimpliciter adhæret, eaque propriè perfectio eſt fidei & donum dei, ſicuti & fidem dei donũ vocat Paulus, quum inquit, Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. alij enim datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alij fides in eodem ſpiritu, fides hæc homini confertur per infuſionem luminis à deo, quo adhæremus primæ veritati ſuper omnibus propter ſeipſam, vt ait Dionyſius, ſicq; immobile quoddam fundamẽtum eſt fides fidelium omnium & veritatis, neque eſt ex humana ratione & intelligentia, vt vanè & curioſe ſomniãt neochriſtiani. Alterũ in fide eſt co

Cyrillus. *Chryſoſt.* *Hebr. 11.* *Auguſti.* *2. Cor. 4.* *Gloſſa.* *Gregor.* *1. Cor. 12.* *Dionyſ.*

ram meminisse & cogitare credenda: iuxta illud Pauli, Fi-
Rom.10. des ex auditu est, auditus autem per verbum dei. Vidit autem Thomas, hoc est, præsentialiter recogitauit, sicut extrinsecus vidit & audiuit, lumen tamen fidei inuisibiliter ei infusum est diuinitus. Et quid multa? Quod Maria & apostoli & alij multi dominum, viderunt, aliique crediderunt, alij non, quod viderunt, id opus non erat credere: propter tamen miracula quæ videbant, credentes virtutem diuinam & ipsam diuinitatem quam non videbant, in eo ipso discrimen habuerunt ab infidelibus.

4 Quum dicit dominus, Beati qui non viderunt & crediderunt, principio intelligi debent verba hæc non de præterito, sed futuro. sed quod de futuris tanquam præteritis loquutus est dominus, propter certitudinem factum est: quo-
Augusti. niam certum adeo erat in prouidentia dei, vt si iam factum esset. Vnde & Augustinus ait, Præteriti temporis vsus est
Theoph. verbis, tanquam ille qui quod erat futurum, in sua prædestinatione nouerat iam factum. Deinde absit vt quisquam hęc verba ita intelligat, quasi S. Thomas priuatus sit beatitudine, sed sic consolari voluit dominus eos qui non viderant, vt nos quoque beati esse possemus, qui tamen dominum in sua visibili specie nō vidimus. Ad hæc cogitare quis posset, quomodo beatos hîc prædicet dominus, qui etiam non videntes crediderunt, qui tamen alibi beatos dixit esse oculos qui viderent, quæ viderāt apostoli. Respondetur, quia sicut
Lucæ 10. Thomas beatus extitit & vidit, suaque visione fidem nostram confirmauit, quum ipsi non videamus, testante Petro
1. Pet.1. quum ait, quem quum nō videtis diligitis, in quē nūc quoq; non videntes creditis: ita & apostoli eo quod viderūt dominum, ministri facti sunt verbi dei. Alij autē qui ea nō viderunt, beati tamen facti non sunt, nō sequētes fabulas vt crederent eis. Ideo & Lucas ait, Sicut tradiderūt nobis ministri sermonis. quanuis alibi loquutus ad apostolos est dominus de visione, qua illi corporaliter aduentū viderūt & præsentiam Messiæ, in carne, quod patres antiqui tāto desiderio &
Tomo 2. ardore cupierunt, sicuti dominica. 1. & 4. à feriis paschæ ad longum est explicatum. Atqui nos, quibus nō licet esse tam beatos, vt hic in terra videamus Christum domini in carne: oremus deum vt ille nobis gratiam largiatur & virtutem, ipsum cū sancto Thoma cōspiciēdi in æterna patria, Amē.

DE

DE SANCTO THOMA APOSTOLO.

THOMAS vnus ex duodecim tardus admodũ extitit in credẽdis illis quæ narrauerũt apoſtoli & diſcipuli Chriſti, ſed multam fidem adhibuit verbis Chriſti, cuius vulnera ſancta palpauit. Poſt apoſtolorum diuiſionem, cum ipſe eſſet in Cæſarea, apparuit ei dominus, ipſumque adduxit ad Abbanen. ſummum Indici regis præfectum, quem ille emiſerat ad inquirendum architectum aliquem egregium, qui ſibi palatium extrueret. In via venerunt ad regis cuiuſdam nuptias, in quibus muliercula Hebræa cantilenas ſuccinebat Hebraicas, & architriclinus Thomam ibidẽ percuſsit in maxillam, eo quod non comederet. Vbi Thomas Hebraice dixit ad eum, Quia canis circunferet huc iſtam manum tuam in palatio. Neque multo poſt dilaniato illo à leone, detulit canis manũ ipſius in palatium ad conuiuium. Idipſum Hebræa iſta conſpicata, quum verba Thomæ intellexiſſet, procidit ad pedes eius, & omnia palam enarrauit. Cui ſcripturæ, inquit Auguſtinus, licet nobis non credere, non eſt enim in catholico canone, & tamen hiſtoria hæc legitur. Ibidem etiam S. Thomas ſponſum & ſponſam mirabiliter conuertit ad fidem, Deinde profectus cum Abbane ad regem Indiæ, pecuniam acceptam ad ſtructurã palatij pauperibus erogauit, ipſumque regem in fide erudiuit. qui iratus primum, deinde tamen quum fratrem ſuum vidiſſet mirabiliter reſurgentem, conuerſus eſt ad Chriſtum. Poſt hæc alio profectus ſecundum quoſdam, tres magos baptizauit, & in ſuperiori India multos homines conuertit, reginam quoque cum ſorore, quo nomine ille deinceps à rege & ſocero ſuo Cariſio multis eſt affectus ſupplicijs. primum enim ſupra ferrum ignitum & candeſcens, ire coactus eſt, deinde in fornacem ardentem coniectus. Adductus autem in templum ſolis oratione ſua efficit vt idolum conteretur & periret, vbi in furorem conuerſis ſacerdotibus templi ab vno eorum confoſſus eſt gladio, vel ſecundum Iſidorum, lancea. Cæterũm Thomam non aſſuiſſe in aſſumptione Mariæ, ſed ipſam deinde apparuiſſe & cingulum ei ſuum donaſſe, nihil habemus ſolidæ ſcripturæ. Similiter Præſtanum Indiæ regem Calixto 2. retuliſſe, S. Thomam in ciuitate Hulna annuatim communicare homi-

Ioan. 10.

Lib. 1. 2. de ſer. dom. in monte.

Chryſoſt.

nes, ex nullis monumentis fit verisimile. Corpus tamen ipsius ex India translatum est in ciuitatem Ediſſam, vbi multa fieri miracula narrantur. quibus iam pro temporis breuitate omissis, deprecemur dominum deum, &c.

DE NATALI CHRISTI,

AD GALLICVM EVANGELIVM.

Lucæ 2.

IN *diebus illis, Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem, Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eo quod esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret, & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce angelus domini stetit iuxta illos, & claritas dei circunfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus. Nolite timere. Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus dominus in ciuitate Dauid. & hoc vobis signum, Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis exercitus, laudantium deum & dicentium, Gloria in altissimo deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Mat. 2.

Act. 12.

Act. 9.

Ephe. 2.

HOMILIA PRIMA.

DESCRIPTVRVS Christi natiuitatem Lucas, tanquam veridicus historiographus, omnes ad rem necessarias circunstantias expressit, vbi primum sic orditur, Exiit edictum à Cæsare Augusto. Multo iam tum tempore multa magnaque bella gesserant Romani per vniuersum orbē, sicuti multi veteres narrant historici, T. Liuius, L. Florus & alij. Appropinquante autem

autem tempore natiuitatis Christi, tanta pax facta est, vt totꝰ orbis sub vnico describeretur imperatore Augusto, quod insolitæ pacis & concordiæ signum extitit. Ita Beda inquit, *Beda.* Pacatissimo tempore seculi procreatur Christus, qui pacem quærere docuit, & pacis sectatores inuisere dignatur. Sed quod ille signū dare potuisset certiꝰ, nisi vniuersum orbem vni subiectum fuisse domino, quem ipse per suos prefectos curarit describi, Nónne sic impleta est prophetia Esaiæ de *Esaiæ 2.* Christo? Iudicabit gentes, & arguet populos multos. & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: nō leuabit gens cōtra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Idem & Michæas consimilibus verbis comme *Mich. 4.* morat. Esaias autem deinceps sic ait, Habitabit lupus cum *Esaiæ 11.* agno, & pardus cum hœdo accubabit. vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Hęc omnia de illa vniuersali pace prędicta sunt, quam scriptura huiusmodi verbis circunscribit, quanuis iuxta literam quoque fieri potest, vt multi ex gladiis suis vomeres & falces sibi cō pararint. Et in hac pace tanta Christus natus est anno imperij Augusti quadragesimo secundo, quem etiam Iosephus *Iosephus.* tūc monarcham fuisse refert. Ita per lupos intelligi possunt furiosi, è quorum numero Paulus fuit, qui deinceps inter oues Christianas habitarunt. Porrò de sacri Romani imperij dignitate, & quando honore illud dignatus est deus, quę omnia diligenter attendere omnes tum principes tum ordines imperij, & Christianam obedientiam Cæsare atque catholicæ maiestati constanter exhibere debent, plura nūc dicere vltro supersedeo, & ob honoré tantæ festiuitatis de na *1. Reg. vlti.* tali Christi Iesu sermonem cōtexere pergo. Imperator Augustus vniuersum iussit orbem conscribi. Dauid aliquando populum Hebræū numerauit, & peccauit, grauiter super hoc correptus à domino. An autem hîc etiā simili facto peccarit Augustus, quorsum attineret vos hominem ethnicum excusare, quanuis si eo animo fecit tantū, vt accepta per singulorum hominum capita cōgestaq; pecunia, regna sua per totum orbem in pace tueretur, sanè nō peccauit. Sicut enim Chrysostomus ait, census ille omnem mouit Iudęorum in- *Chrysost.* dignationem aduersus Romanos, quare & interrogabant dominum, dicentes, Licet ne censum dare Cæsari? Et si af- *Mat. 22.* fectum huiusmodi habuisset, neque sic incusandus esset,

quando & Paulus ait, Reddite omnibus debita. cui tributū,
Rom.13. tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorē, honorē̄, quid
multa? nihil aliud respexit hic Augustus quam temporalem
administrationem, veram per ipsum implere voluit omni-
potens deus, quod ab æterno prædestinauerat fieri debere
in filij sui natiuitate. 2 Gregorius descriptionem hanc
Greg. paulò altius inducit, & ait, Quid est quod nascituro domi-
no mundus describitur, nisi hoc quod aperte monstratur,
quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in
æternitate? quotquot enim beantur, ad id non tantum ab æ-
terno sunt prædestinati, sed & temporaliter per gratiā spi-
Esaiæ. 4. rituſſancti consignati sunt & conscripti, de quibus Esaias
sic ait, Erit omnis qui relictus fuerit in Sion & residuis in
Ierusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vi-
Dan. 12. ta in Ierusalem. Sed & Daniel inquit, In tēpore illo salua-
bitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in li-
bro. Sic descripti fuerunt apostoli, de quibus dominus di-
Lucæ. 10. cit, Gaudete, & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in
cælo. sic descripti fuerunt & Corinthij, quibus Paulus ait,
2. Co. 3. Vos epistola estis Christi ministrata à nobis & scripta non
attramento, sed spiritu dei viui. Imò & deus inscribit cu-
iuscunq; hominis conscientiæ verbū suum & doctrinam sa-
Dan. 7. lutarē̄. Hinc est quod cōscientiæ hominum libri appellan-
tur, sicut Daniel libros apertos esse vaticinatur. Sed & noti-
tia Christi quā de sanctis suis habet, liber est, vt ibidē̄ com-
memorat Daniel, alium quoque esse librum, apertum, qui
Malac. 3. sit liber vitę. de eo etiam Malachias sic ait, Scriptus est liber
monumenti coram eo timentibus dominum, & cogitanti-
bus nomē̄ eius. Hic ille codex est, ad cuius præscriptum iu-
Psal. vlt. dicantur viui & mortui iuxta illud Dauidis, Vt faciat in eis
iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis eius.
Cæterum inter descriptionem illam dei & Cæsaris quan-
Apo. 14. tum interest? hic enim illud fecit ratione census & subsidia-
rij stipendij, Christus autem suos conscribit in signum vitæ
æternæ, sicut Ioannes ait, Vidi super montem Sion agnū,
& iuxta eum centum quadraginta quatuor milia, & habe-
bant nomen suum & nomē̄ patris sui scriptum in frontibus
eorum. Huiusmodi alię rationes plurimæ assignari possent
eius rei, quod sub Augusto descriptus est orbis, quo nomi-
ne magis etiam decuit tunc nasci Christū. Quod ad literam

autem

autē voluit hic euangeliſta docere Iudæos, adeſſe iam tempus impletæ prophetiæ Iacob de aduentu Meſsiæ, quando ablato iā de Iuda ſceptro, penes Romanos omne erat imperium & dominium, tum Iudæorum, tum orbis vniuerſi. *Cen. 49.* Vos itaq; dilectiſsimi dum auditis Chriſtū pacatiſsimo tempore natum, anno Auguſti quadrageſimo ſecūdo, vt & ipſe inter deū & homines pacem cōfirmaret, & ſuos ad æternam conſcriberet felicitatem: inter vos etiam pacem cōſeruate mutuam, odium ex animis veſtris procul abiicite, alter alteri ex charitate fraterna condonet, in honorem pacifici pueri Ieſu, & in ſuam cuiuſq; animæ ſalutem. 3 Euangeliſta deſcriptionem hanc primum factam ait à præſide Syrię Cyrino, non quod antea nulla facta ſit, plures enim vt *Deut. 28.* *Lib. 17.* Ioſephus teſtatur eſſe factas, ſed non per vniuerſum orbē. *Semper.* Sed hæc ab Auguſto inſtituta, primū in Iudæa exerceri cœpta eſt, vnde ad oculum pateret Iudęis prophetias ſuas eſſe impletas. iam enim locum amplius non habebāt. quod olim dixerat dominus, Cōſtituet te dominus deus tuus in caput, non in caudam: & eris ſemper ſupra, & nō ſubter, ſi tamen audieris mandata domini dei tui. (Semper autem non dicit perpetuam durationem, ſed lōgam, ſecundum vſum etiam linguæ ſanctæ) Conſummatum id iam erat, finemq; ceperat ſubiectis illis Cæſari: iuxta iſtud Threnorum, Princeps *Thre. 7.* prouinciarum facta eſt, ſub tributo. Aſsignari ſolēt & plures aliæ rationes, cur deſcribere cœperit Auguſtus orbem in Iudæa. & Hieronymus quidē putat id ideo factū, quod *Hieron.* Iudæa medium in terra locum occupet, quod tamen abſolute intelligendum non eſt, quia ſic æqui noctiali ſubiecta eſſe deberet, & æque diſtare à polis, cum interim latitudo eius ſit triginta duorū graduum: ſed tantum quoad terram habitalem, Iudæa media collocari poſſet. eſt enim in quarto climate & in gradu ſexageſimoſexto longitudinis. Sic in libro Iudicum legimus populū deſcendiſſe ab vmbilico terræ. vmbilicum autem medium accipimus, quamuis nō cum præciſione. ſic de Chriſto etiā Dauid ait, quia operatus eſt ſalutem in medio terræ. Quando itaque Cyrinus deſcribebat homines ſingulos, eos oportebat dare denarium, vt nomen quiſq; ſuum profiteretur Cęſari. ſic ſinguli in ſuas ci- *Iudic. 9.* uitates abibāt, vt ſiſteret ſe in eadem vrbe in qua natus erat. *Pſal. 73.* O domine deus, gratiam nobis tuam benigus impende, vt

per tuam ſanctam natiuitatem perueniamus in eam ciuitatem, vnde excidimus, in regnum cœlorũ: iuxta illud propheticum, Tollam vos de gentibus, & congregabo vos de vniuerſis terris, & adducam vos in terram veſtrã. In ea hominum multitudine profectus eſt & Ioſeph à Nazareth Galilææ, in Bethlehem ciuitatem Dauid. Ecce autem quam cõmode Cæſar prophetiæ inſeruit, ideo eũ fit deſcriptio, vt quum omnes in ſuas patrias irent, aſcenderet & virgo in Bethlehẽ, naſcereturq; ſic dominus in Bethlehẽ ac impleretur prophetia, vix nanq; iam in Bethlehem ventura erat Maria, niſi Auguſtus orbem deſcribi demãdaſſet. Quidam hic expendunt etymõ nominis Ioſeph, cui reſpondet apud Romanos Auguſti appellatio vtrũque enim auctum vel auditum ſignificat. Verùm hoc maiori recogitatione dignum eſt, quod diligenter adeo euangeliſta deſcribit, vnde exierit Ioſeph, quia à Galilæa de ciuitate Nazareth, abiit in Bethlehem Iudææ. ſiquidem & aliud Bethlehem, autore Hieronymo, adhuc erat in Galileę ſub tribu Zabulõ, quod etiam ex Ioſue liquet apertius. Hinc eſt quod proprie adeo Lucas Bethlehẽ hic deſcripſit, vt melius cum prohphetia Micheæ conueniret, qua de re plura in feriis Epiphanię.

Hie. 36. *Theop.* *Ioſeph.* *Auguſt.* *Hieron.* *Mich. 5.* *Ioſue. 19.*

4 Occurrit hic quæſtio, quandoquidem Ioſeph & Maria fuerunt de domo & tribu Dauid, quur ille non profectus eſt Hieruſalem, vbi deſcribi multo poterat honeſtius, quando illa ciuitas Dauid iam olim dicta fuerat, ſicut ſcriptum eſt. Cepit Dauid arcem Sion, hæc eſt ciuitas Dauid. & alibi, Sepultus eſt Salomõ in ciuitate Dauid. ſepultus eſt autem ille in Hieruſalem ſupra montem Sion, vel ſcriptura ita quoq; teſtante, Hieruſalem ciuitas eſt Dauid. Reſpõdetur, oportebat Chriſtum naſci de tribu Iuda, ſicut Iacob in ſpiritu præuiderat, & Ioãnes exclamat, Ecce vicit leo de tribu Iuda. Iacob quoq; dicebat, Catulus leonis Iuda. Quãdo igitur naſci oportuit illum de tribu Iudæ, voluit in illa etiam regione naſci, quæ tribui Iudæ adiudicata fuerat. In diuiſione autem Hieruſalem non tribui Iudę contigerat, ſed Beniamin, ſicut in Ioſue ciuitates Beniamin commemorantur, in quibus etiam Iebus eſt, puta Hieruſalem, quæ quod ciuitas dicitur Dauid, non fit ratione diuiſionis aut tribus & generationis, ſed quia filij Beniamin non præualebant Iebuſeũ expellere ex Hieruſalem ſiue Iebus, quod tamen

2. Reg. 5. *3. Reg. 1.* *Apoc. 5.* *Gen. 49.* *Ioſue. 18.* *Ciuitas Dauid* *Hieruſa. ex victoria, non diuiſione.* *1. Re. 16.* *1. Re. 2.* *De locis Heb.*

tamen præstitit Dauid, deinceps ciuitas dicta est Dauidis ex victoria, nō diuisiōe. Christus aūt de tribu Iuda natus, nasci insuper voluit ea parte regionis quæ ad tribū Iuda pertinebat. Verū & Dauid in Bethlehem natus est, sicut legitur qñ misit dñs Samuel vt vocaret Esai Bethlehemitam cum filiis suis, ex quorū numero Dauid quoq; vnus extitit Ad hæc, Dauid nō Hierosolymis, sed in Bethlehē sepult⁹ est. testatur enim Eusebius & post eū Hierony. suis seculis in via à Bethlehem in Hebron, sepulchra Dauidis & Iesse visa, quo nomine Petrus dixit Iudæis, Dauid mortuus est & sepultus, cuius etiam sepulchrum apud nos est vsque in hodiernum diem, non ait, quia hic est. Quod autem narrant nonnulli de marsupiis octo, quæ ideo confici Salomon ipse curarit, non magni facio: ex iis vnum aiunt aperuisse Hyrcanum, & inde regi Antiocho trecenta numerasse talenta, eundem quoq; de reliqua pecunia ædificasse xenodochium seu hospitale in Hierusalem, ad mitigandam murmurationem plebis. Atq; hinc cœpisse hospitalia pauperū, hęc omnia missa facio. Iosephus tamen mentionem quoque facit eius rei, testaturq; sepulchrum Dauidis fuisse in Hierusalem, & Herodē aperuisse loculum seu marsupium vnum, immensamque inde pecuniam exemisse, alios loculos inueniri non potuisse. Verùm id mihi non omnino fit verisimile, tantum pecuniæ tam longo tempore vno in loco relictam fuisse in summis etiam periculis, quando Hierosolyma ipsumque templum, dirutum, & deinceps sumptibus ex plebe collectis est rursus extructum, vbi non pepercissent argēto huic, quanta ipsius est apud homines cupiditas. Quicquid tamen illud est, nobis satis est, causis iam assignatis voluisse dominum nasci in regione tribus Iudæ quo ad sortem, ad implendam prophetiam quæ sic habebat, Et tu Bethlehē Ephrata, paruulus es in milibus Iuda. ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Estque ille non exiguus eius ciuitatis honor, nec parua dignitas, eam sibi ab æterno elegisse Christū, vt in ea nasceretur quando etiam loci nomen nō incongrue sibi conueniebat. Bethlehē enim domus panis interpretatur, ait Grego. Et licet nomen istud merito habuit propter fertilitatē suam, magis tamē merito propter Christū sic dicta est, qui (vt ipse ait) panis viu⁹ est

Histo. schola. Act. 2.

Li 13. ca. 15.

Mich. 5.

Gregor.

qui de cœlo descendit. Bene ergo infrugifera multũq; fer-
Ioan. 6. tili ciuitate natus est, qui animas electorum in æterna patria
satiaret. Atq; ideo tota etiã circuniacens regio Ephrata di-
Ruth. 2. cebatur, quod & Christus ipse fructibus abundet: iuxta il-
Matt. 11. lud, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos. Recens itaq; ille natus paruulus, nobis quo-
que suam impartiri dignetur fertilitatem, vt post hanc vitã pane & saturitate potiamur fœlicitatis æternæ, Amen.

HOMILIA II.

Chryso. DOMINO dirigente, inquit Chrysost. Au-
gusti. hoc edicto cen fuit, vt vnigenito patris famuletur, nam hoc edictum matrem attrahebat in patriam, quam prophetæ prædixerant. scilicet Bethlehẽ Iudæ. & quamuis Hierusalem quoque ciuitas dicta sit Dauidis, tamen & Belthlehem sic appellata est, in qua & natus erat. Hoc autem ideo diligentius enarrauit euangelista, vt in memoriã reuocaret
Psal. 11. lectori promissum Dauidi præstitum, De fructu vẽtris tui ponam super sedem tuam. satis etiam hoc est euangelistę, ostendisse Iosephũ fuisse de domo Dauid, vñ colligi queat, Mariã quoq; de eadem fuisse tribu, ex cõsuetudine Iudęorum, quod qui vnius erant tribus, matrimonium poterant contrahere. qua de re alias plura. Profectus est Ioseph in Bethlehẽ cum desponsata sibi iam grauida virgine Maria.
Gala. 3. quod vide quam candide exprimat euangelista, vt innotesceret, Mariã non ex virili semine, sed admiranda spiritu
Gene. 3. sancti virtute concepisse. Præmissis illis loci, tẽporis & personarũ circumstantiis, sequitur vltra natiuitas Christi: quo-
Cãtic. 4. niam dum erãt in Bethlehem, impletum est tempus pariendi. Tempus illud sanctum extitit, imo plenitudo ista temporis, quando cœlum gratia sua dominus aperuit, & Christum, Messiam, mundi redemptorem in terram misit. Sine dolore autem Maria peperit illum, quãdo in ea maledictio Euæ locum non habuit, cui dixit dominus, Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries filios. neque ipsa etiam in peccato est concepta originali, siquidem ab istis doloribus & omnibus aliis naturalibus morbis liberata fuit, eo quod (cessante causa, cessat & effectus) tota pulchra & immaculata sine peccati originalis contagio cõcepta est, deinde quoque virgo permansit inuiolata in par-

tu &

tu & poſt partum quod ad longũ poſſet extendi. nũc tamen ſufficiat, quod Chriſtus quũ clauſo ſurrexerit ſepulchro, ad diſcipulos etiã occluſis ingreſſus ſit foribus: quãto magis inuiolato matris clauſtro venit in hũc mundũ? quãdoquidem ille vtiq; plus curauit integram conſeruare pudicitiã, quam intacta ſepulchri oſtia (quod etiam clauſum ſignificat in dictione Iemarbe apud Eſaiã) idq; & ꝓpheta voluit deſignare Ezechiel, qui quũ portã vidiſſet clauſam, dixit ei dominꝰ, Porta hæc clauſa erit, & non aperietur: & vir non tranſibit per eam, quia dominus deus Iſraël ingreſſus eſt per eam, & erit clauſa principi. Ecce ꝓpheta dum portãter clauſam affirmat, virginitatem ipſius ante, in, & poſt partũ, inſinuat. *Matt.28. Ioan.20. Eſa. 9. Eze.41.*

2 Quum impletum iam eſſet Mariæ tempus pariendi, peperit filium ſuum primogenitum. quod nõ ſic accipiendum eſt, quaſi alios deinde poſt Chriſtum Maria peperiſſet filios, ſicut impius aſſeruit Heluidius, cuius fundamenta & rationes erroneas ſanctus Hieronymus valide infringit: ſed ita, quod ante eum nullus natus eſt ex Maria. Et quia in veteri teſtamento magna ſemper dignitas extitit primogenituræ, ideo vt eum honorem Chriſto quoque tribueret euangeliſta, primogenitum vocauit, quomodo eum Paulus etiam primogenitũ appellat in multis fratribus. De dignitate porrò primogenitorũ, vide homilias in feſto purificationis. Quid multa? primogenitus ille fuit matris ſuæ in humana natura, primogenitus fuit in ſuſceptione humanitatis in gratia. vnigenitus in ſubiecto diuinitatis, vnigenitus in natura, qui nocte hodierna in mundũ hunc natus eſt in tẽpore, ſicut ab æterno exiuit à patre. ¶ Maria porrò paruulum iam natũ pãnis inuoluit, & poſuit in præſepe. Quod euidẽs magnúmq; extitit paupertatis pariter & humilitatis exemplum, quã propter nos rex gloriæ ſuſcepit hodie, atq; ideo quælibet Chriſtiana anima merito debeat percipere corde. vnde & Hieronymus ait, O quid erat videre filium dei inuolutum pannis, vagientẽ, lachrymantem, & frigore tabeſcentẽ? Quod ſi nos iam ad genua ꝓcidentes dicimus, O digniſſime rex angelorũ, qui noſtri cauſa eo deueniſti neceſſitatis, vt ex paupercula virgine natus in tugurio & caſa viliſſima, etiã domo careres, in qua tuto caput reclinares tuum, quid vis pro tantis tibi beneficiis rependi? aurũ, argentum, aut gemmas? ſtatim reſpondere nobis queat puer Chriſtus, *Hieronym. Beda. Roma.1. To. præſenti. Ad Euſt.*

Diuitais veſtras nõ volo, voluptates auerſor, & potentiam recuſo. Ecce carnem naturámq; veſtram ſuſcepi, pro vobis etiam paratus ſum annis trigintatribus cõtinuo laborare in frigore, ſiti, fame, anguſtia, perſequutione, plagis, verberibus, ſanguiníſque profuſione vſque in mortem acerbiſſimam. Placere mihi vultis quos diligo, peccata mihi veſtra donate, eam humeros meos deponite, pœnitentiam ex cordibus veſtris agite pro delictis veſtris, pro quibus ego ſatisfaciam, pœnitentiam ego veſtram portabo. Quid autem tu hîc ſanctiſſima virgo actitabas? quídve tecum tacita cogitabas, videns rerũ omnium cõditorẽ in humana carne natum, in frigore, in loco miſerabili, vbi etiã cunis carebas, quibus regem illum gloriæ cõponeres? ſine dubio à lachrymis tibi temperare non potuiſti ex tanto maiore dignitate, quanto certior ipſa fuiſti ſublimitatis myſteriorum conſilij diuini.

Beda. Habet in Beda contemplationem multũ deuotam, quomodo quilibet homo ex intimis animi medullis dicere de-

Pſal.115. beat ad puerũ Ieſum cum propheta, Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Is enim cui vere ca-

Pſal.47. nimus, Magnus dominus & laudabilis nimis, & magnitudi-

Ioan.14. nis eius nõ eſt finis, iam nobis paruulus natus eſt, vt nos ma-

Pſal.103. gnos faceret, & ex peccatoribus iuſtos. Ille qui in cœlis ſedet ad dexterã patris, iam loco caret in diuerſorio, tantũ vt beatã nobis pararet manſionem in domo patris ſui. Qui cœlum & terrã decorat, qui amictus eſt lumine ſicut veſtimento, vilibus pãnis inuoluitur, vt nobis veſtem recuperaret innocentiæ & immortalitatis, quam in primo Adam amiſeramus. Ecce quem cœli & quidẽ cœli cœlorũ non cõprehen-

Chryſoſt. dunt, in anguſto præſepi recũbit Chryſoſtomus ſic ait, quoniam propter multitudinem eorum qui cõuenerãt cauſa faciendæ profeſſionis, nõ inuenerunt ſibi domũ hoſpitalem, ſed diuerterunt ſub porticu quadam peruia, Et hinc veteres aiunt natum Chriſtum in via domus. Atque dum euangeliſta præſepe commemorat, prodiderunt nobis maiores noſtri, ſicut in cantico canimus & ex picturis colligimus Mariam puerum recens natum in præſepe repoſuiſſe iuxta bouem & aſinum: quod quãuis non referant euangeliſtæ, piè tamen credendum eſt, ex ore & prædicatione apoſtolorum eſſe profectũ ad hæc noſtra tempora vſque. ſiquidẽ & euan-

Hieron. geliſta præſepis meminit, ad quod ſanctus Hieronymus cõmigrauit,

& qui ſequũtur

migrauit, & circa illud habitauit. Ad hæc Esa. ait, Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. vnde colligere quidam nituntur, ista etiam bruta animalia puerum Iesum vt Deum & cõditorem suum coluisse, sicuti & asinam Balaam legimus esse loquutam. & non abnuere hinc videtur, quod dicit Abacuc secundum translationem septuaginta, In medio duorum animaliũ cognosceris. & ecclesia in quodam respõsorio matutinarum, hodie canit animalia vidisse natum dominum, vbi locum quoque prophetæ inducit, qui ab bouem & asinum tantum referri potest. *Esa.1.* *Num.22.* *Abac.1.* *Respon.*

3 Multum hic se exercet Beda in mystico sensu, itaque ille etiam nobis, sed breuiuscule est inducendus. Puer Iesus quum primum natus est in terra, statim locum sibi delegit præsepis, quo brutis alimenta ministrantur, significare per hoc volens eum esse se, qui fideles omnes in sancta mensa altaris pascere vellet ministerio suæ incarnationis: & quod omnes qui se humiliter sequerẽtur, intrinsecus esset satiaturus. Per bouem ergo Iudæos intelligimus, qui legis iugum portauerant, & verba satis ruminaueraut itaque decoxerãt. Asinus autẽ Gentiles designat, idololatriæ sordibus pollutos, ex quo gemino populo plurimi ad gratiam peruenerũt euãgelij, & Iudęi quidẽ sub ipsam statim vocati sunt Christi natiuitatem in pastoribus, gentes autẽ in tribus magis tanquam primitiis. Eodem modò piè etiam hæc contemplatus est Ambrosius, & ait, Ille paruulus, ille infantulus fuit, vt tu vir possis esse perfectus, ille inuolutus fuit in pannis, vt tu mortis laqueis sis absolutus: ille in præsepibus, vt tu in altaribus: ille in terris, vt tu in cœlis. qui quum diues esset, propter nos pauper factus est, vt illius inopia vos ditaremini. Maluit se egere, vt omnibus abũdaret. me illius infantiæ abluunt fletus, mea delicta lachrymę illę lauerunt. plus igitur domine Iesu iniuriis tuis debeo, quod redemptus sum, quã operibus quod creatus sum. nõ prodesset nasci, nisi redimi pfuisset. Beda per boues Iudæos intellexit, qui domino proximi fuere, & ad præsepe venerunt primi. ita enim ait euangelista, Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum, & ecce angelus domini stetit iuxta illos. Nõ iuit, inquit Chrysosto. angelus Hierosolymam, nõ requisiuit scribas & pharisæos. erant enim corrupti, & præ inuidia cruciabãtur, sed ij erant *Beda.* *Beda.* *Chrysost.*

Beda. ſynceri antiquam cõuerſationem patriarcharum & Moyſi colentes. quanuis etiam pulcherrima ratione domino nato paſtores vigilant, gregémq; ſuũ ab inſidiis noctis cuſtodiendo defendunt, vigilia ſua teſtimonium dantes magno illi ouium paſtori iam nato, qui fideles enutrit animas, ſicut ipſe de ſe teſtatur. Tu autem hic cõſidera paſtores eos fuiſſe ſecundum literam, vt ſic ex eorum ſimplicitate colligeretur, rem nõ fictam aut ita ſubornatã eſſe. Ad hæc alieni & ignoti non erant, ſed in eadem illa regione paſcebant, neque vel ſomnium hoc vel figmentum erat. vigilabant enim. Et quũ in vnum ſuſpicio cadere potuiſſet mali, plures eorum fuiſſe perhibentur. Omnia igitur hæc cõiuncta, certam faciunt

Hierony. teſtimonij huius fidem. Sanctus Hieronymus qui aliquãdiu in Bethlehé iuxta præſepe domini habitauit, cuius etiã corpus ſanctũ vna cũ præſepi deinceps Romam tranſlatũ eſt in ſummã eccleſiam Mariæ maioris, is refert mille circiter paſ

De locis Heb. ſibus à Bethlehem procul turrim fuiſſe Ardor nomine, quę interpretetur turris gregis, quodam vaticinio paſtores dominicę natiuitatis conſcios ante ſignificans. Iuxta illam turrim paſtores cuſtodiebant gregem ſuum, ſicut & ſancti pa-

Mich. 4. tres intelligunt verba Micheæ, Et tu turris gregis, nebuloſa filia Sion, vſque ad te veniet. (potes totum applicare de paſtoribus ſymbolice, & quod paſtores debent eſſe ex eadem regione, id eſt illa prouincia, non alienigenæ, ſi quando indigenæ poſſunt haberi. Multa item de diuerſis noctibus & vigiliis, ſed tranſeo illa ſymbola, quia nihil eis facilius.)

Beda. 3 Stante itaque iuxta illos angelo domini, claritas dei circunfulſit eos. Ecce angelus apparuit Mariæ Ioſeph, & iam paſtoribus, quibus ad augmentum maioris gaudij, etiam viſus eſt in claritate, quod antiquis patribus non acciderat: ſiquidem priuilegium illud recte huic tempori eſt ſeruatum, quando exortum eſt in tenebris lumen rectis corde. & ſic nato iam nouo lumine in hunc mundũ, decebat vt qui nunciaret illud, homines nouo luminis radio illuſtraret, quod

Actu. 12. neque patriarchis neque prophetis contigerat. Cum huiuſmodi luce apparuit & angelus Petro in carcere: & alius ité de cœlo deſcendit poſt Chriſti reſurrectionem. Paſtores autem timuerunt timore magno, tum ob angeli maieſtatem, tum ex luminis claritate. Horror hic ex humana prouenit fragilitate, quæ peccatum inſequitur: idq́ue ſanè miſerabile

eſt,

est, nos horrere & tremere plerunque ad ea quæ nobis consolationem & gaudium afferunt. Humana enim infirmitas quam incidimus ex peccato, etiam suæ beatitudinis quã expectat, non sustinet claritatem. Ex hoc est quod grauiter debilitantur homines, dum rapiuntur in spiritu ad rerum diuinarum contemplationem, eaque in nobis peccati culpa est, quod in infirmitaté labitur corpus, dum animus ad Deũ ascendit per meditationem. Id nobis suo exemplo tres confirmant apostoli, qui visa domini transfiguratione cecide- *Matt.27.*
runt in facies suas. Paulus quoque in apparitione luminis *Actu.9.*
cæcus factus est & corruit. Sed & Daniel insuper ait, Vidi *Dan.10.*
visionem grandé, & non remansit in me fortitudo, sed species quoq; immutata est in me, & emarcui, nec habui quicquam virium. Ezechiel etiam in visione cõcidit, donec spi- *Ezech.2.*
ritus eum rursus erigeret in pedes suos. atque hoc signum euidens est, quomodo natura nostra à sua nobilitate tanta decidit, eoque contpétus & miseriæ peruenit. Ex hac igitur causa exterriti etiam illi sunt pastores ad visionem angeli & claritatem luminis nocturno tempore, vnde merito gaudiũ concipere debebant. Vicissim autem angelus consolatus est eos & timere prohibuit, quæ bonorum angelorũ proprietas est, vt non nimium exterreant homines, & vt maxime horrorem incutiant, cõsolantur tamen, & cum gaudio eleuant mentem, iuxta illud Danielis, Ecce manus tetigit me su- *Dan.10.*
per genua mea & super articulos manuum mearum. Deinde etiã angelus dixit ad Danielem, Noli metuere vir desideriorũ, pax tibi, cõfortare & esto robustus. O vtinam dominus deus hanc gratiam nostris quoque pastoribus concederet, quatenus & ipsi diligéter inuigilarent super gregem fidelium, sicque dominus eos fulgore & radiis gratiæ suæ illustraret in nocte mundi huius, vt ipsi quoque cum ouibus suis lumen acquirant hic, & illic puerum Iesum pariter omnes videant in lumine claritatis æternæ, Amen.

HOMILIA TERTIA.

ECCE dum vniuersum describi iussit imperator orbem, Ioseph cum Maria profectus est in Bethlehem, Maria ibi peperit Christũ, & angelus domini apparuit pastoribus, dixitq; eis, Ecce euãgelizo vobis gaudiũ magnum, quod *Luc.1.*
erit omni populo. Euangeliũ hoc tertium est, quod angelus *Matt.1.*

domini annunciauit in mundo. primum enim attulerat Mariæ, quando prædixit eam filium parituram quem vocaret Iesum. Alterum Ioseph, cui ille apparuit in somnis, nũciauitq́ue quod in Maria natum esset, de spiritu sancto, esse ipsam quoq; parituram filium quem diceret Iesum, eo quòd saluaturus ille sit populum suum à peccatis eorũ. Tertium iam hic affert euangelium pastoribus, inquiens, Ecce euangelizo vobis gaudium magnum. & propriè quidem nõ simpliciter annuncio, sed euangelizo, ait euangelista, quod nũcium illud erat euangelicum. quod nõ regibus, neque principibus, neque doctis, neque diuitibus, sed pauperibus venit nũciare. sicut & dominus eius Christus per prophetam
Esa. 6. ait, Ad euangelizandum pauperibus misit me. En hic tibi immensam euangelij sublimitatem, quod etiam angeli de cœlo attulerunt in ministeriũ & obsequium regi suo, Messiæ vero, & euãgelico legislatori. Euangelizo, inquit ille, vobis gaudium magnum. quomodo magnum? omni populo. gaudium vtique magnum, quia commune, & ita cõmune, vt per vniuersum tendat orbẽ. Et in hoc multũ superior est dominus præcursore suo Ioãne, de quo dixit angelus Za
Luc. 1. chariæ. In natiuitate eius multi gaudebunt. Multi, ait ille de
Beda. Ioanne, de Christo autem omnis populus, quod Beda exponens, Non omni, inquit, populo Iudæorũ. neque omni populo gentium, sed omni populo credẽtiũ, qui de Iudæis vel Gentibus orbis totius ad vnã Christi confessionem aggregatur, ab vna eadẽq́; mysteriorũ Christi perceptione Christianus vocatur, quãuis & vniuersò omniũ hominũ populo incarnatio Christi facta est gaudiũ, tamen solide gaudent il
Bar. 5. li tantum, qui in ecclesia sunt fideliũ, dicente Baruch, Ecce
Beda. vide collectos filios tuos ab oriente sole vsq; ad occidẽtem, in verbo sancti gaudentes dei memoria. Vere gaudium hoc magnum. quia gaudium cœleste, gaudiũ ẽternum, gaudium quod nulla tristitia interueniẽte turbatur. Huiusmodi gaudium in Christo domino habuerũt omnes sancti dei, quod vel in solis liquet martyribus. illud enim eis neque ignis, neque aqua, neque gladius, neque flagra potuerunt adimere, adeo vt Laurentius prunas ardentes rosas esse putaret. Benedicte puer Iesu Christe, fac nos quoq; gaudij huius tanti clementer participes. Non poterant autem adhuc pastores, qua erant simplicitate, illud intelligere. ideo rationem eis reddidit

reddidit angelus, & gaudij tanti origine aperuit, inquiens, Quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus dominus in ciuitate Dauid, vt magis gauderent de noua illa & omnibus retro seculis inaudita natiuitate, vobis, ait, natus est: gaudete itaque, imo vos omnes Christiani gaudete ex animo. quando euãgelista vobis angeli loco dicit, Vobis natus est saluator, vobis inquam, qui eratis peccatores, qui perditi eratis, & sub peccato venditi, sicque alias æternum damnati, vobis hodie saluator natus est. Mesias ille tot hactenus seculis expectatus, à patribus tantopere desideratus, ille vobis hodie natus est Christus dominus.

2 Angelus tanquam certus testis nunciũ suum verax esse, circunstantiis declarat, signũ proponens huiusmodi, quod puerum inuenturi essent pannis inuolutũ & positũ in præsepi. Hoc, inquit Beda, nati in carne saluatoris signũ, semper animo nos retinere decet, vt semper eius beneficiis gratias rependere bene viuendo discamus, quia ita voluit habitum nostræ fragilitatis assumere, vt paupertatis quoque generalis statum non refugeret. Est autẽ indiciũ assumptæ infirmitatis, quod infans & pannis inuolutus est: & paupertatis, quod non in strato, sed in præsepio positus inuenitur. Misericordiam itaque domini cantemus & celebremus in secula. Quidam hanc altius adhuc ponderantes, dicunt antea quoque saluatores nõnullos fuisse Iudæorum, vt Moysen, qui pauper quoque inuentus, quia in fiscella scirpea, totius tamen populi ductor & princeps factus est, eósque eduxit è captiuitate AEgyptiaca. Cyrus rex Persarum, ex Babylonica captiuitate populum liberauit Iudaicum, qui & ipse quoque in quanta inuentus sit miseria, ethnicorum nobis produnt historiæ testantur enim infantulum eum expositum in desertum, vt ibi periret. primum autem à cane, deinde à cuiusdam pastoris vxore educatum, postea potentissimum Persarum, Medorum & Assyriorum regem factum, ita vt ipse quoque typum & figuram Christi gesserit. Iuxta illud Esaiæ, Hæc dicit dominus Christo meo Cyro. Vtriusque huius, maximi sanè & coram deo potentis, paupertas, figura extitit futuræ egestatis in Christo, de quo hic angelus ait, Inuenietis puerum. Ita optimus maximus pastor animarum, pastoribus innotescit ouium, quasi in speculo absconditus esset. Nec quisquam mirari debet, natiuitatem

Beda.

Exo. 1.

3. Esd. 2.

Esa. 45.

ſimul & infantiam Chriſti toties angelorum teſtimonio & euangeliſtarum nobis proponi. ideo enim factum eſt, vt pe-
Beda. nitius firmiúſque mentibus noſtris infigatur. Siquidem illa ſalutis noſtræ ſigna ſunt, purum eſſe velut puerum, paupe-rem, vt pannis inuoluendum: & humilem, velut præſepio declinandum. Vis autem horum omnium videre fundamẽ-
Grego. tum & radicem? En tibi quod ait Grego. Sicut arte medica calida frigidis, frigida calidis curantur: ita dominus noſter contraria oppoſuit medicamenta peccatis, vt lubricis conti-nentiam, tenacibus largitatem. Quando igitur lapſus homi-nis per ſuperbiam factus eſt, quæ eſt initium (vt ait Sapiẽs) omnis peccati, ideo exordium noſtræ ſalutis ab humilitate profectum eſt: & quam ſuperbus fuit primus Adã qui nos ſeduxit, tam humilis viciſsim extitit alter Adam qui nos re-demit, vt recte dixerit angelus, *Et hoc vobis ſignum.* Ecce ſymbolum certum, quo in ſe ſeruisq; ſuis vſus & adhuc v-titur dominus. vexilli ſui hoc vnicum ſignum eſt, humilitas. Quotquot enim elati tument, & inflati ſuperbiunt, ij verũ Chriſti habitum & veſtitum non circunferunt, ſubiecti po-tius vexilio diaboli, vnde & contradicunt huic humilitati
Luc. 2. Chriſti, ſicut Simeon poſitum eum prædixit in ſignum cui contradicetur. nãq; in hoc ſuperbi & inſolentes ei contradi-cunt. Vix me contineo quin dicam, & tamen dicere non au-deo facile, quanta nunc inſolẽtia exerceatur etiam cum in-fantibus & pueris, ab iis plerunque quibus non datur. Hu-miles autem ſignũ illud Chriſti agnoſcunt, & placide ſuſci-
Pſal. 85. piunt, atq; cũ gaudio dicunt, Fac mecũ ſignũ in bono, vt vi-
Ambro. deant qui me oderunt, & confundantur. Ambroſius hîc mi-rum eſſe prædicat, huiuſmodi miniſteria habuiſſe dominũ. Ecce enim thron⁹ regis cœlorũ præſepe eſt, palatiũ ſtabulũ, purpura ipſius panni laceri, famulitiũ autẽ & Ioſeph & Ma-ria, bos & aſin⁹. Ex vtero, inquit ille, funditur, ſed coruſcat in cœlo, terreno iacet in diuerſorio, ſed cœleſti lumine vi-get. 3 *Et ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cœle-ſtis, laudantium deum.* Fecerunt hoc illi quidem ex officio,
Beda. vt hic in terris eum ſuis canticis laudarent, quem ſolebant etiam in cœlis prædicare, ſimulq; nos docerent tam ſancta natalis Chriſti ſolennitate cum omni gaudio & lætitia ſpiri-tuali magnificare dominum, gratias ei agere, & de beneficiis ſuis omnibus gratitudinẽ exhibere. Atq; non temere Lucas

multitudi

multitudinem cœleſtis militiæ dicit cum angelo factam, ne parui fieret vnius angeli apparitio, qui quàm primum myſteriũ aperuit nati ſaluatoris, apparuit ſtatim multitudo militiæ cœleſtis. Miraberis autem quare hîc euangeliſta multitudinem angelorum militiam cœleſtem appellarit. deſines vero mirari, vbi videris magnificentiam paruuli huius nati, qui vere fortis & potens eſt in prælio, dominus exercituum, rex gloriæ, qui debellaturus erat aëreas tenebrarum poteſtates, diabolos. Meritò itaque miniſtros ſuos militiãvocat, qui antea & in cœlo adhuc bellum geſſerãt: iuxta illud: Factum eſt prælium magnũ in cœlo, Michaël & angeli eius pugnabant cum Dracone, & Draco & Angeli eius pugnabant, & non poterant, & locus eorum non eſt inuentus amplius in cœlo. Quando igitur tam conſtanter pugnarint, quis nomen eis adimat militiæ cœleſtis? Quare porrò teſtimonium dederint paruulo iam nato, euãgeliſta docet, cum dicit eos laudaſſe deum & dixiſſe, *Gloria in excelſis deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Non ſatis erat multitudinem angelorũ apparuiſſe, niſi inſuper & gloriã deo cantarent, & pacem hominibus precarẽtur. Et merito quidem angeli deo & hominibus gratulãtur, quoniam & paruulus natus ille deus eſt & homo verus, per cuius natiuitatem gloria in excelſis deo facta eſt, dum angelorum chori per homines ſunt impleti, & in terra pax hominibus cõtigit, qui antea in ira dei conſtiterant. Vnde docemur ante omnia dare gloriam deo: iuxta illud Pauli: Omnia in gloriam dei facite, & hoc Eſaiæ, Cantate domino quia magnifice fecit, annuntiate hoc in vniuerſa terra. Ita enim Dauid quoque ait, Semper laus eius in ore meo. Id ita faciat quilibet Chriſtianus, quantumuis honoris, diuitiarum, ſcientiæ & ſapientiæ plurimum habeat, honorem & gloriam deferat deo, cum Paulo dicens, Soli deo honor & gloria.

Pſal. 23. *Apo.* 12. 1. *Cor.* 10. *Eſa.* 12. *Pſal.* 33.

4 Quando iam conſtat gloriam competere & tribuendã eſſe deo, cogitandum inſuper eſt, quid nobis conueniat hominibus in terra degẽtib⁹, neque enim noſtri obliti hîc ſunt ſancti angeli dei, ſed ita cecinerũt *in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ecce pax hominibus per angelos de cœlo tribuitur, non tamen omnibus, ſed qui bonæ ſunt voluntatis, quoniam non eſt pax impiis, ſed pax multa diligentibus legem tuam, inquit Dauid. Et ô ſanctam pacem, quam angeli

1. *Timo.* 1. *Eſa.* 67. *Pſal.* 118.

de cœlo laudarunt, præclara est pax erga proximum nostrũ laudabilis pax, & animi tranquillitas erga seipsum. quãtum enim cuique in sua conscientia positum est, quæ mille testes dici solet? Desiderabile quiddam est, pacem seruare cũ deo, illámque possumus hîc inchoare, sed perficere tandem licebit in illa patria. & hanc pacem petiit Simeon, quum dixit, nunc dimittis seruum tuum in pace, &c. Audite & auribus percipite ô vos iracundi, vindictæ cupidi, & qui iocũ in serium vertitis, audite, quoniam angeli de cœlo precantur pacem non vobis, sed iis qui bonæ sunt voluntatis, non irati, concitati & pugnacis animi. Singulariter enim dominus pacem commendauit, quod sua nobis testatur natiuitas, & Dauid subscribit, In diebus eius orietur iustitia & abundantia pacis. Pacem quoque docuisse dominum, testis est Paulus, venisse eum perhibens & annunciasse pacem, idipsum prẽuidens in spiritu Psaltes ait, Audiã quid loquatur in me dominus deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Insuper non docuit tantum pacem dominus, sed & conuictu suo toto exhibuit. Cum iis, inquiens, qui oderunt pacem, eram pacificus. Eandẽ discipulis suis imposuit in arcana admonitione, iubens eos pacem habere inter se. Pacẽ ille apostolis suis precatus est non semel post resurrectionẽ, dicẽs, Pax vobis. Pacem etiam abiturus ad patrem, reliquit eis τὸ μνημοσύνον sui, quum diceret, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, quod quanuis ille post cœnã vltimam loquutus est, pro tempore tamen dixit suæ ascensionis. Vnde patet quàm grata sit deo pax, quamque illi displiceant, discordiæ, contentiones, iurgia. Quod autem iam vndique omnibus in terris classica pulsa sonant, quod regna bellis sunt omnia plena, nostro fit vitio, nostrorumque illa culpa est peccatorum, sicut id ita fore olim prædixit dominus: Audituri estis prælia & opiniones prœliorum, consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum. Atque hoc est quod homilia superiori prima dictum est, Christũ in summa pace esse natum, vicissim autem Antichristus inter feruentissima bella nascetur, sicut Christus prædixit fore, tũc, vt refrigiscat charitas multorum, malitia autem refloreat. Possunt tamen specialiter hîc loquuti esse angeli de pace inter deum & homines, quæ hîc per natiuitatem Christi facta est, vbi in signum & confirmationem veræ pacis, cõiugium

Luc. 1. *Psal. 71.* *Eph. 2.* *Psal. 84.* *Psal. 119.* *Mat. 9.* *Ioan. 20. & 14.* *Mat. 14.*

factum

factum est & copulatio diuinæ humanæque naturæ, vt iam inciperent homines mandatis obedire diuinis, quod olim inclamauerat deus per Esaiam, vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua: & iustitia tua sicut gurgites maris. Quãdo peccãdo extranei eramus à deo, extraneos nos reputabant angeli: sed quando cognouimus regem nostrum pro nobis natum, recognouerant nos angeli ciues suos, & timet angelus adorari ab humana natura, quam in suo considerat rege. Hinc iam angeli nos conciues habent suos, & pacem firmarunt nobiscum, nobiscum inquam qui bonæ sumus voluntatis: quoniam cum beluinis istis hominibus, qui propriá non habent voluntatem, cum Luthero & sui similibus neochristianis, neque deus neque angeli pacem possunt habere, sed cum iis qui liberum profitentur arbitrium, & adiuuante gratia Christi bonum perficiunt, malum fugiunt, cum illis hic in terra pacem fecit dominus, & eandem perficit in æterna patria, quam nobis concedat in secula benedictus, Amen.

Esaiæ 48 Clos.

EVANGELIVM IN AVRORA MISSAE, LVCAE 2.

PASTORES *loquebatur ad inuicem, Transeamus vsque ad Bethleẽ, & videamus hoc verbum, quod factũ est, quod fecit dominus & ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerũt Maria & Ioseph, & infantẽ positũ in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierant, mirati sunt, & de iis quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autẽ conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores, glorificantes & laudantes deum in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.*

HOMILIA VNICA.

SANCTISSIMA virgo Maria, hyeme durissima in regione peregrina sub casa vilissima puerũ Iesum peperit: vsq; adeo cõtẽpta fuit ab omnib⁹, vicinis etiá neglecta, Nazarenis, inter quos nata fuerat, simul & Bethlehemitis, apud quos mater ipsius Anna nata fuerat. Atqui q̃ nõ honore merito dignatus est

mundus, idipsum glorificauit de cœlo dominus super omnes filios regum in terris. Angelus enim domini apparuit pastoribus cum magna claritate, & cum eo magna multitudo angelorum, laudantium deū & dicentium, Gloria in ex-
Mat.18. celsis deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et postquā euanuerunt angeli (siquidē tantisper illi manent nobiscum, dum ministerium suum perficiant, alias stant in
Gene.28. cœlo, vt videant faciem patris cœlestis, vnde & Iacob angelos vidit descendētes & ascendentes.) *Pastores loquebantur adinuicem: transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est.* O bonos pastores, qui grege suo impediti nō sunt, quo minus ab eo irent vsq; in Bethleem, quorum exemplo nullus aliquod sibi obstaculum vel mo-
Iaon.6. uere, vel permittere debet, vt relinquatur, ex lucro & bonis temporalibus, vti non perueniat in domū panis, hoc est, in Bethleem, aut quid aliud nobis est Bethleē, nisi ecclesia sancta, in qua panis vnus est, qui de cœlo descendit? Quisquis igitur es, & haberi vis bonus Christianus, age quotiescunque templum visitas, crede te cum illis pastoribus abire in Bethleem, & cum eis videre puerū Iesum. neque hic vlla est diuersitas, nisi quod pastores illum in propria carne viderūt, quem tu sub velatis speciebus panis conspicis in venerabili sacramento altaris: sicut in spiritu etiam fecit Da-
Psal. 41. uid, dicens, Quoniam transibo in locum tabernaculi admi-
Hugo. rabilis vsq; ad domū dei. (de trā situ symbolico multa possent dici, quia filij Israël transierunt ex AEgypto, transierunt per desertum, transierunt in terram promissionis, sed facilē est iter per symbola) Et tu itaque dilues, & tu artifex, quisquis es, qui manibus & labore tibi victum quæritas, pastores illos comitare in Bethleē, hoc est, in ecclesiā & templum domini: dehinc rursus reuertere ad gregem tuum, id est, negocia tibi peragenda. Prælatus aliquis aut cœnobij procurator, etsi gregem sibi cōmissum & rem familiarē habet tractādam, tamē interdum vadat in Bethleem, contempletur, animúmque suum pie meditando exerceat: & tunc denuo ad officium suum redeat. *Videamus.* inquiunt,
Beda. *Verbum.* O pastores doctos & egregiè iam angelica illu-
Ambro. stratione eruditos, festinant verbum videre, non Christum natum, sed hunc verbi nomine intelligunt. verbum vtique illuderat æternum, verbū iam inde ab æterno è corde pa-

rentis

rentis genitũ cœleſtis. Verbum de quo Ioãnes ait, In principio erat verbum, & verbum caro factum eſt. Ita paſtores Chriſtum ſuo proprio & perſonali nomine honorarunt, verbum dum vocant, quod fecit dominus, non quod verbũ illud æternum in ſua ſit eſſentia factum: quia ſic ab æterno genitum eſt, non factum, vt ait Ioannes, per verbum facta ſunt: & ideo quod paſtores dicunt verbum, quod fecit dominus, ſecundum humanam naturam intelligendum eſt, in qua iam inuiſibile dei verbum viſibile factum erat, ſicut in ſpiritu perſpexit propheta, quando eum in terris viſum, & cum hominibus eſſe conuerſatum perhibet. Nemo tamen hic ſuſpicetur, paſtores ex incredulitate abiiſſe ad videndum ſicut Thomas, qui niſi videret, credere non voluit: ſed ſicut magnum gaudium ex ſolo iam auditu conceperant, ita videndo quoque exercere ſe voluerunt, vt ſic dicere poſſent cum Iob, Auditu auris audiui te, & iam oculus meus videte. Ad hæc is angeli animus fuit, eaque voluntas, vt abirent viſum puerum, quoniam in hoc eis ſignum certum dederat. vnde cognoſcerent illum, dicens, *Inuenietis puerum*. Accedit huc & alia cauſa, ſiquidem teſtes illi eſſe debebant tam admirandę natiuitatis, certiores autem ſunt teſtes, qui ſimul de viſis & auditis teſtantur. Quid quod illi tanquam primitiæ totam repreſentare debebant Iudæorum gentem, quæ ex propinquo erat? ſiquidem verum deum agnoſcebat, lege & præceptis ſuis videbatur. decuit igitur vt paſtores coram ante Chriſtum iam natum apparerent.

Ioan. 1. *Symbo.* *Baruc. 3.* *Ioan. 20.* *Iob. 42.* *Chryſo.*

2 *Et venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepi.* Venerunt, inquam, feſtinantes, neque morati ſunt diu, ſed præ deſiderio magno, & animi ſui ardore properarũt videre Chriſtum, quomodo ille frater & redemptor ipſorum factus iã eſſet, ſimulq; Maria eorum & omnium credentium mater. Ita nos quoq; omnes feſtinare oportet ad Chriſtum & ad felicitatem æternam, iuxta illud Pauli, Feſtinemus ingredi in illam requiem, vt ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum. Hinc eſt quod paſtores illi, quando diligenter adeo & ſedulo dominum quæſierunt, eundem etiam inuenerũt, ſimulq; cum ipſo Mariam & Ioſeph. Hęc ſiquidẽ tria ſunt ſancta nomina & ſolennia, ſacraq; habenda cuiq; Chriſtiano, eo quòd ſint omni gratia plena. *Videntes autem cogno-*

Heb. 4.

uerunt de verbo quod dictũ erat illis de puero hoc, id est, postquã signa cognouissent sibi ab angelo prædicta in Christo impleta, vnde fides eorũ robur accepit: & tñ adhuc in maiorẽ adhuc admirationẽ venerunt, quũ inuenissent puerum illum adeo destitutũ, parentes quoq; ipsius corã mundo contemptos & egenos homines, & tamẽ ibi adesse cœleste ministerium angelorũ. ideo hoc ipsum illi aliis etiam denuntiarunt hominibus, qui pariter admirati sunt. nam & Mariæ & Iosepho & aliis hoc idem annuntiarunt. Quis autem tam admirabile factum non merito demiretur, incolas cœlorum videri in terris, & terram iam cœlesti pace cõfirma-
Lucæ.1. tam superis reconciliari, illumque puerum admirandum cœlestia simul & terrestria pacificare? Sicut etiam de Ioanne iam recens nato dixerunt homines, Quis putas puer iste erit? ita hic quoque admirabundi homines laudarunt do-
Esaiæ.25 minum, quum iam testimonium audissent pastorum, sicut Esaias dixit, Domine, deus meus es tu. exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniam feciſti mirabilia. Verba superiora euangelistæ intelligunt nonnulli sic, quod angeli etiam aliis quàm pastoribus apparuerint, quibus quũ postea pastores ea quæ sibi cum angelis obtigerant, narrarunt,
Beda. admirati sunt se quoque iam ex aliis similem angelorũ apparitionem cognoscere. Beda hic, Spirituales, inquit, ecclesiæ pastores in hoc maximè sunt ordinati, vt verbi dei mysteria prædicent, & miranda illa, quæ in scripturis didicerunt, suis auditoribus ostendant, idque cum quadam pia simplicitate, non elati, & cum fastu facere debent, propria tum fiducia tum sapientia, sicut & pastores illi in omni simplicitate testimonium de Christo dederunt, eo quod simplicitas eorum testimonio multũ deseruiebat, teste Sapien-
Sapien. 1. te, Sentite de domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum, quoniam inuenitur ab iis qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum.

3 *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo,* & id quidem illa fecit, ne angelorum pastorũmque verba vel continẽrẽtur vel interirent. Ambr. ait, Di-
Ambro. scam⁹ sanctæ virginis in omnibus mirãdam castitatem, quæ non minus ore pudica quàm corpore, argumenta fidei conferebat in corde. quod si Maria à pastoribus discit, quur tu
Beda. declinas discere à sacerdotibus? Beda hic addit, Maria virginalis

ginalis pudicitiæ iura cuſtodiens, ſecreta Chriſti quæ nouerat, nemini diuulgare volebat: ſed ipſum quando vellet hæc, & quomodo vellet diuulgari, reuerenter expectabat. Interim tamen tacita ſecum ſingula conferebat in ſcripturis & acta & agenda. (poſſes in hoc inducere hic omnes ſcripturas de incarnatione & natiuitate Chriſti ex prophetis, ſicut paſsim citat Beda) Et in hoc euidens apparet Mariæ ſapientia: audita enim conſeruare non poſſunt ſtulti, iuxta verbum Sapientis, Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit. *Eccl.21.* Atque illa præcipua laus eſt Mariæ, quod verba iſta omnia cõſeruauit in corde ſuo: quæ alias mulierum conſuetudo non eſt, vt quicquam taceant, niſi quod non norunt. Pulchrè huc facit quod Ambroſ. ait de mulieribus docere volentibus, Si Maria ante præcepta apoſtolica tacet, quur tu poſt apoſtolicum præceptum magis cupis docere quam diſcere? Diſce perſonæ vitium eſſe, non ſexus. denique Maria præceptum non accepit, exemplum edidit. Quod ſi pater ille ſanctiſsimus in hac noſtra turbulenta reuerſus ſecula, audiret petulantes & procaculas neochriſtianorum mulierculas etiã prædicandi ſibi munus ſumere, & euangeliſtarum officium arrogare, nõne lumbriculos & vermiculos miſerabiles cõdignis modis tractaſſet, in euangelio nolentes etiam Paulo concedere? Ille autem apoſtolica autoritate ſic præcipit, Mulieres in eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe. ſi quid autem volũt diſcere, domi viros ſuos interrogẽt. Turpe enim eſt mulieri loqui in eccleſia. Et alibi, Mulier in ſilentio diſcat cũ omni ſubiectione. docere enim mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio. Eius rei exemplum hic ſibi ſumant pudicæ mulieres omnes in Maria, quæ cum virgo omnium eſſet prudentiſsima, & in ſcripturis omnibus à ſpiritu ſancto funditus edocta, tacuit tamen, conſeruans tantum omnia verba in corde ſuo.

Ambroſ. 1.Tim.2.

1.Tim. 2.

1.Cor.14.

4 Inuenio adhuc illorum omnium myſticam expoſitionem, quo Maria ſit quælibet fidelis anima, in qua Chriſtus ſpiritualiter naſcitur: ſicut Chriſtus ait matrẽ ſibi & fratres eſſe, quotquot audiunt verbum dei & cuſtodiunt illud. Et ſic Iudæa Chriſti laudem & confeſsionẽ ſignificabit, in qua ſancti martyres etiam vſque ad mortẽ perſeuerarunt. Pan- *Luc.18.*

ni, quibus inuolui illum oportet, opera bona sunt, in quibus dominus mansuetissime conquiescit, sicut ipse ait, Si quis sermones meos seruabit, diliget eum pater meus: & ad
Ioan. 14. eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Neochristiani porrò iam neque ieiunant, nec orãt, nec confitentur. quid itaque mirũ, si Christum pannis nequeant inuoluere, quando pannos illos nõ habent, sed alios nescio quos laceros, quib⁹ veluti nebulis magis opprimũtur? Puer autem in præsepi iacet sacrarũ literarum. sicut enim pecudes ex presepi pascuntur, ita anima fidelis ex scripturis pascua recipit & cibos, dicente domino, Nõ in solo pane viuit ho-
Mat. 4. mo, sed de omni verbo quod procedit de ore dei. de qua re multa parte prima diximus. Istiusmodi expositiones symbolicas quisq; sibi cõmini sci facilè plures ad poterit, & ad eas scripturarum adhibere testimonia, quia theologia symbolica nihil facilius, ideo non prosequor singula. facilè faceres hic sermones viginti stando in solis symbolis. Quod autem reuersi sunt pastores, argumento est nobis nõ requiri in prælato, vt in contemplatiua vita semper maneat, sed
Philip. 1. ipsum quoq; officij sui gratia cum grege redire oportet. Ita curiosus & solicitus fuit Paulus, quum dixit, Permanere in carne necessarium propter vos. Si prælatus aliquis satis esse putet se pro sua parte probitatem sectari, actum aget. Nam
Act. 20. & pro subditis eũ laborare oportet, qui suæ demãdati sunt custodię, iuxta illud Pauli, Attẽdite vobis & vniuerso gregi, in quo vos spũs sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam dei quam acquisiuit sanguine suo. Pastores illi insuper laudarunt & glorificarunt deum. Ecce ingrati non fuerunt domino de susceptis beneficiis, sed quæcunque tum audierant ab angelo, tum viderant in Bethlehẽ, ea exclamarũt, vt mirabilia magna dei: non ignari quomodo & quid præcepisset Moyses de domino deo, dicens, Ipse est laus tua & deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia & terribilia quæ vi-
Deut. 1. derunt oculi tui. Admiranda etiam merito erat tanta angelorum multitudo cum tam immẽso fulgore, qualis visio neque patriarcharum, neque prophetarum vlli contigerat. Ita gaudere & exultare debet quilibet Christianus cum angelis, cum Maria matre Iesu, & cum pastorib⁹ istis laudare & magificare deum, illique gratias agere pro sua incarnatione glorioſa & natiuitate, quoniã ipse est benedictus in secula.

DE

DE MAGNIFICENTIA ET SVBLIMI GLORIA ATQVE DIGNITATE HUIUS *sanctiſſimæ diei, Homilia vnica.*

¶ Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, Eſaiæ 9.

VERBVM Dei patris, verbum æternum, verbum à quo facta ſunt omnia, verbũ quod illuminat omnia, quódque ab æterno natum eſt à deo patre, & adhuc quotidie naſcitur ex corde cuiuſque fidelis, iam hodie natũ eſt in tempore ex virgine Maria, & is quidẽ puer natus eſt nobis, vnde gaudere merito vniuerſus debeat orbis, filium altiſſimi ex ſinu patris in hanc carnem veniſſe, vt nos ſui regni cohæredes efficeret, & carnem ſuper cœlos eleuaret. Et vos itaq; corda veſtra extollite, animos erigite, Chriſtiani omnes ad paruulũ iam natũ cum paſtoribus accurrite, cũ tribus quoque magis ad Chriſtũ properate. Quondam angeli viſibiles in carnali ſpecie apparebant, hodie etiam rex angelorum in carne viſus eſt. Magna fuit in creatione mundi diuina poteſtas, ſed maior bonitas exhibita nobis in noſtra redẽptione, ſicut Paulus benignitatem noſtri redemptoris apparuiſſe teſtatus eſt. Gaudete itaque quia natus eſt puer, filius Dei datus eſt nobis in redemptorem, ſaluatorem, legiſlatorem, & peccatorũ omnium redemptionem. Gaudete inquam, natus enim iam paruulus ille eſt, quẽ vniuerſus orbis tot retro ſeculis, annis nimirum quinquies mille centum nonaginta nouem, maximo omniũ deſiderio expectauerat omnis turba patriarcharum & prophetarũ. Gaudete & exultate. puer ſiquidem ille natus eſt, qui habet claues cœli, quod iam amplius quinque milibus annorũ clauſum fuerat. (ſequor hic ſupputationem communem Euſebij & aliorum, quia Hebræi dinumerant ſolum ter mille ſeptingentos ſexaginta annos & 4. menſes.) Verùm puer hic cœlum aperuit claue ſanctæ crucis. Vnde quis nõ exultet tam ſancto die, quo qui natus eſt puer, deus viuus & verus eſt, cuius mater virgo, partus ſine dolore, cui ſtabulũ palatium eſt, & præſepe pro cunis, vbi etiã nox ſicut dies illuminata eſt? ita canit eccleſia. Gaude & lætare Hieruſalem, ecce rex tuus venit, de quo prophetæ prædixerunt. *Puer enim natus eſt nobis, & filius*

Ioan. 1.

Tit. 3.

Euſeb.
Beda.

natus est nobis. quæ verba fuerunt nostri exordij, de quibus vt amplius quid & cũ fructu liceat mihi quidem loqui, vobis autẽ audire, pro gratia impetrãda puerperam virginem salutatione angelica salutemus, dicentes, Aue gratia plena.

¶ Euangelium de gloriosa natalis Christi festiuitate Lucas descripsit capite secundo. (dic vt supra.) Nos hic per capita quædam breuiter ostendemus, in quibus se anima fidelis exercere queat pia contemplatione.

1 Et principio quidem solito magis gaudere hodie debet quilibet Christianus, sicut in prẽfatione declarauimus. verè enim dies est omni gaudio plena, qua Christus angelorũ & electorum omniũ gaudium natus est in hunc mundum. hoc enim est quod expectarunt omnes angeli in cœlo, homines in terris, & patres in limbo: quando autẽ per Christi natiuitatem desideriũ eorum satiatum est, merito gaudere debemus omnes. nihil hic de obstinatis & cæcis Iudæis sentio, qui adhuc suũ expectant messiam, qué nos iam olim suscepimus, ipsis autẽ Antichristus pro deo habebitur. Quod si autẽ tu, ô pia & fidelis anima, meditari cupis festi huius solennitatem, hoc age, intuere quod rex ille regũ dominus dominátiũ, paruulus nobis natus est, natúsq; adeo est in nocte, in aspera hyeme, sub casa in prẽsepe repositus. & id factum est cõmuni sanctorũ patrum sententia die dominico, vt iam merito omnis amplitudo, dignitas atque maiestas sabbati in diem trãslata sit dominicũ, quo Christus & natus est & resurrexit, sicuti cõtra, feria sexta cõceptꝰ est & mortuus. (sed trãslatione sabbati, vide in festo resurrectionis) decuit quoque vt in die dominico, quẽ alias solis diem dicimus, sol iustitiæ nasceretur Haymo mirifice reluctatur, quia annus natiuitatis Christi erat annus nouus cycli solaris, & erat iuxta eius supputationẽ annus bisextilis, in quo erant literæ dominicales c, d. & ita cõcludit b in quo est natiuitas Christi, fuisse in sabbato. Ego id calculistis tribuo, videant illi. ego existimo quia annus primus natiuitatis nõ habuerit nisi octo dies, itaque c d bisextilis ad annum secundum pertinuerint, & b ad annum primum, tunc certe dominico die fuisset natus Christus. Sume experimentum, & accipe annum domini 1518. vbi c fuit litera dominicalis, diuide numerum per 28. tunc anni domini 7. iterum c fuit litera dominicalis, & restabunt sex anni, qui retrograde currentes, venient in c d,

Haymo.

iuxta

iuxta Haymonis ſententiã. at hoc mittimus ad ſcolas. Strabus certe nõ conſentit Haymoni, ſed conſule Paulum Sempronien. de ratione paſchatis. non vacat iam illa ad vnguem excutere & ſupputare. At quia omnium ſententia annuntiatio facta eſt feria ſexta, die vigeſimaquinta Martij, neceſſe eſt vigeſimamquintã Decẽbris fuiſſe in die dominico. *Strabus.* *Sempro.*

2 Verè magnificus eſt hic natalis Chriſti dies, ideo & Chriſtianis omnibus ſanctè, alacriter & ſine peccato trãſigendus. Cautè enim proſpicere ſibi debet quilibet Chriſtianus, qui modo Chriſtum hodie natum deum, cõditorem & redemptorem ſuum eſſe credit, ne quid hodie peccet, néve deum offendat, vnde incarnatio Chriſti, quæ ſibi in vitam data eſt, imputetur in mortem. Maieſtatem huius diei etiam nox lucida magnifice demonſtrauit, qua natiuitas hæc facta eſt: quoniam in hoc & doctores conſentiunt, & non diſſentit euangelica hiſtoria, Chriſtũ in nocte natum eſſe, & quidem media. Qua ratione motus Thelephorus Papa, inſtituit hac vna ſolennitate ter miſſarũ officia celebrari debere, quod alias toto anno non permittitur fieri ab vno preſbytero: eáque ſanè ſingularis eſt huius diei prærogatiua præ omnibus aliis totius anni diebus. Factam autẽ eſſe illam natiuitatem in nocte, teſtatur ſcriptura, ita enim Sapiens ait, Quum quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus domine exiliens de cœlo, à regalibus ſedibus venit. Quæ verba quis neget tempus inſinuare natiuitatis Chriſti? ¶ Cuiuſmodi autem hæc nox fuerit, ex ſcripturis licet intelligere. illa enim Chriſti natiuitas æquè cito cœlum impleuit & occupauit atque terram. Quid autem tu ſanctiſſime Dauid in animo habeas, quando in ſpiritu dicebas, Nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Hinc eſt quod Lucas commemorat lucem & claritatem affulſiſſe paſtoribus, & merito id quidem, quoniam ibi impleta eſt prophetia Dauidis, Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde, miſericors & miſerator & iuſtus. Mera illa fuit miſericordia diuina. Tanta autem fuit lux noctis huius, vt eam putent nõnulli, pertigiſſe vſque in limbum, & ibi patres exhilaraſſe, eo accõmodantes iſtud propheticum, Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitãtibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. *C. nocte ſancta. de cõſ. diſt. 1. & c. conſub. iſti, de cele. miſſ.* *Sap. 18.* *Pſal. 138.* *Luc. 2.* *Pſal. 111.* *Eſa. 9.*

At vbi regio mortis eſt niſi apud inferos? ergo regio vmbræ
Mala. 4. mortis, limbus eſt. Et non temere lucida adeo nox extitit,
qua ſol iuſtitiæ ortus eſt omnibus timẽtibus nomẽ domini.

3 Ad hæc gaudete & lætamini omnes Chriſtiani iam ho
Pſal. 95. die cum puero Ieſu, iuxta illud Dauidicũ, Lætentur cœli &
exultet terra in cõſpectu domini, quoniã venit. Et gaudium
quidem cœleſte ex cantico angelorũ accipimus, quando iu-
bilantes cecinerũt, Gloria in excelſis deo. Nullum alias an-
gelum peculiarem habuit Chriſtus ſuæ cuſtodiæ deputatũ.
ſiquidem ipſe rex erat, & eſt angelorum: multos itaque an-
gelos habuit in miniſterio ſuo hic in ſua natiuitate. Simon
Caſſia. de Caſſia arbitratur vnum eundémque angelum fuiſſe, qui
Mariæ annuntiarit Chriſtum dominũ ex ſe naſciturum, &
qui illum iam natum paſtoribus euangelizarit, Gabrielem
archangelũ, qui ſemper fuit in obſequio Chriſti, ſicut qui-
Luc. 1. dam aiunt eum etiam apparuiſſe Chriſto in monte Oliueti,
Luc. 2. ipſumque cõfortaſſe. Quid multa? conſtat omnes angelos
Luc. 22. gauiſos eſſe de puero illo, qui ruinas eorum erat adimpletu
rus. quando enim Lucifer tertiam angelorũ partem ſecum
attraxit in lapſum ad inferos, eorũ loca iam euacuata Chri-
Apo. 19. ſtus hominũ numero impleuit, iuxta illud, Impleuit ruinas.
Merito itaq; gauiſi ſunt angeli de Chriſto, & eadem de cau
ſa nos quoq; homines gaudere oportet vna cum puero Ie-
Pſal. 109. ſu, ipſumque toto corde deprecari, quatenus nos quoque fa
ciat eſſe in numero eorum, quibus pax ab angelis annuntia-
ta eſt hodie, ſuaque gratia operetur in nobis bonam volun-
tatem. Ideo enim noctu natus eſt dominus, vt nocte noſtrã
illuminaret. hic quidem lumine gratiæ ſuæ, illic autem luce
gloriæ æternæ. Inſuper & in hyeme natus eſt, ad deſignan-
dum quod ipſe pectora noſtra frigida amoris ſui flãma in-
cendere vellet. Tempore illo natus eſt, quo dies toto anno
breuiſſima eſt, in ſolſtitio hyemali (licet iam mutauerit ſe-
dem propter nimiã intercalationem anni biſextilis, quum
non abundent in quolibet anno ſex horæ integræ) & ſic
quando creſcere dies incipiunt, vt oſtenderet velle ſe nobis
ſemper creſcere ſalutari virtutum donorúmque profectu.
Ioan. 3. Sanctus Ioannes autẽ decreſcente die natus eſt, vnde etiam
Chryſoſt. de eo dixit, Illum oportet creſcere, me autẽ minui. Chryſo-
ſtomus quoque ait, Deus factus eſt filius hominis, vt homo
fieret filius dei, Gaudete igitur dilectiſſimi cum puero Ieſu.

natus

natus enim est nobis in salutem nostram, nobis ille natus est & datus, simulq; potestatem nobis dedit filios dei fieri. Vtinam omnes vos gratiâ illam à domino Iesu accepissetis, vt cum omni veritate omnibus vobis dicere possem, quod Paulus dixit Galatis, Omnes vos filij dei estis per fidē in Christo Iesu. Atqui possum hoc vere dicere, si modo vos pacem habueritis cū proximis vestris sine omni inuidia & ira, si pacati etiam fueritis in cōscientiis vestris, tunc enim vobis etiā dicet dominus, Beati pacifici, quia filij dei vocabuntur. *Ioan. 1.* *Calat. 3.* *Matt. 5.*

4 Gaudete charissimi iam hodie cum pastoribus illis, lætamini cum Ioseph, exultate cum sanctissima virgine matre Maria. Nam quis satis exclamet, quæ lingua satis eloquatur immensum Mariæ gaudiū, quando vidit peperisse se puerū Iesum, sine viro, sine dolore, sine virginitatis amissione, quem antea sibi prænūtiauerat angelus, quem virtute spiritus sancti cōceperat, deum & hominem verum, regem gloriæ. Aut nō gauisa fuerit, iam conspicata angelorū sibi obstetricis loco adesse ministeria? Nónne tenerrimum Christi corpusculū, ex purissimis sui sanguinis guttulis coalitū, maximo gaudio inspexerit? Præsciuit illa vtiq; etiā momentum partus sui, & omnis iam animus eius sensusq; totus gaudio vtiq; perfusus est, & simul exultauit in dño deo, eúmq; maternū quem genuit, adorauit. puerū ante se collocauit, procidit ipsa corā eo, adorauit, affectū, oscula, omnémq; illi honorem exhibuit. ¶ Augustinus in hac est sententia, vr putet Moysen hic in terris diuinā essentiam vidisse aliquādiu, sicut legimus dominū cum Moyse loquutū de facie ad faciē, sicut homo loqui solet ad amicū suū. Similiter & de Paulo sentit, qui raptus fuit in tertiū cœlum, id est ad intellectualem visionē, vt deum nō per corpus, non per similitudinem corporis, sed sicut est ipsa veritas, cerneret. Et in hoc ambo illi participes effecti sunt gaudij beatorum. Quod si igitur Augustin⁹ eis tantū gaudiū tribuit hic in terris, quod tamen exiguo tēpore habuerunt per gratiā dei: quis nō piè credat, hodierno die Christū quoque suam sanctissimā matrem in tantum exhilarasse, vt etiam primo statim aspectu illi suam exhibuerit essentiam diuinam intuendam, vnde tantum cōceperit gaudium, quantū nullus vnquam hominum habuit in terra? Et tūc potuit illa dicere, Magnificat anima mea dominum, & exultauit spiritus meus in deo salutari meo. Atq; *Augu. de gen. ad literam lib. 12. c. 4. & q. 63. ad Orosium.* *Exod. 33.* *1. Cor. 2.* *Luc. 1.*

hoc vnum est ex septem gaudiis virginis matris. sed tamen cum hoc gaudio stetit adhuc, quod posset cōtristari de egestate filij, sicut Maronis declarat, animas in purgatorio summè lætari, & tamen pati pœnam. Quis porro pius non credat interfuisse hic sanctum Gabrielem archangelum, aliósque angelos: neque tantum adorasse virginis filium, sed ipsam quoque virginem matrem cōdigne esse veneratos, Gabrielem quoque dixisse verbum illud suum solenne, Aue Maria gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus? Ecce vides iam in te impletum, quod dudū tibi prædixeram, te concepturam simúlque parituram filium. ecce hic ille qui magnus est & filius altissimi, hic est qui totū saluaturus est mundum. In hoc implebitur quicquid patriarchis & prophetis promissum fuerat. sicut dominus dixit ad Abraham, Eo quod obedieris voci meæ, benedicentur in semine tuo omnes gentes. In hoc filio tuo implebitur, quod regio prophetæ promissum est, Iurauit dominus Dauid & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Consimili modo reliquas etiam scripturas de Christo induxerunt, deúmque magnificauerunt, qui est benedictus in æuum, Amen.

Iuc.1.
Gene.27.
Gene.21.

¶ Proposueram explanare euangelium Ioannis, quod in summo officio legitur. Verùm expensa eius altitudine, & quod sensus eius paucis explicari non posset, sustiti. nam ad populum quum totum euangelium Ioannis explanarem, tredecim horas in hoc vno textu absumpsi, nisi enim diligentissimè declaretur, populus vacuus abibit.

DE SANCTO STEPHANO PROTOMARTYRE, EVANGELIVM. Matthæi 13.

Matt.13. IN illo tempore, dixit IESVS ad turbas Iudeorum & principes sacerdotum, Ecce ego mitto ad vos prophetas & sapientes & scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate *Actu.15.* in ciuitatem, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem

Zachariæ

Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me videbitis à modo, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine domini. 2. Cor. 11. Heb. 11. Luc. 23.

HOMILIA PRIMA.

QVANDO per vniuersam hodie Ecclesiam sancti protomartyris Stephani festa colimus, & nos quoq; euangelium hodiernũ breuiter percurramus, vẽturi deinde advitã illius, sicut à Luca descripta cernitur in Actis apostolicis, CHRISTVS exprobrauit hîc Iudæis cædem & occisionem prophetarum, quos occiderũt patres eorũ, & tamen filij illorũ monumẽta exornauerunt. idq; totũ in veteri testamẽto factũ est: in nouo autem quid sit futurũ sequitur, quũ ait, *Ecce mitto ad vos prophetas, sapientes & scribas, &c.* Theophylactus hæc ita indu cit, Paulo ante hoc euãgelium narrauit dominus, quomodo Iudæi excusarint se de occisione prophetarũ, quod si & ipsi fuissent in diebus patrum suorũ, noluissent tunc ipsis participasse in sanguine prophetarum. Verùm quando isti Iudæi antiquis multo erant scelestiores, voluit iis verbis dominus manifestè arguere eos mendacij, dum & ipsi occisuri essent prophetas atq; scribas, imo dominum prophetarum crucifixuri. Quo dicto probare voluit dominus etiam illud, quod ante ad eos dixerat, vt implerent mensuram patrum suorũ. Sed tu hîc mihi triplicia illa nomina obserua, & quid iis sibi voluerit dominus. Sunt enim qui ibi apostolos intelligant, eo quod illi de futurorũ quidẽ reuelatione sint prophetæ, de Christi autẽ agnitione sapientes, & de legis intelligẽtiã scribæ. Ita & Theophylactus, De apostolis, inquit, hæc dicit. quos spiritꝰ sanctus scribas fecit, hoc est, doctores populi, & sapientia omni atq; prophetia ornauit. Adhuc alij aliter hęc ad apostolos referũt, quorũ nonnulli sunt scribę, vt euãgelistæ, qui multa scripserũt ad eruditionẽ populi christiani, iidem quoq; sapientes existunt, & diuinitus illuminati in cœlestibus. Ad hæc quidam illorũ etiam spiritũ habuerunt propheticũ, sicut Ioãnes quãdo scripsit Apocalypsim. *Theophyl.* *Mat. 23.* *Hila.* *Theophil.*

Et hæc quidē omnia ita habent, vti diximus, sed tamen ante
Hieron. omnia expositio mihi placet Hieronymiana, quæ obseruare nos iubet, iuxta Apostolum scribentem varia esse dona
1.Cor.7. discipulorum Christi: alios prophetas, qui vētura prędicet: alios sapientes, qui nouerunt quando debeant proferre sermonē: alios scribas in lege doctissimos, ex quibus lapidatus est Stephanus, Paulus occisus, crucifixus Petrus, flagellati in
Act.11. actibus Apostolorum discipuli. Manifestū est quod Paulus
Ephe. 4. ad Corin. asserit, suum cuiq; esse à deo donum, & conspirat cū eo illud, quod ad Ephesios scriptū reliquit, Dedit quosdam apostolos, quosdam prophetas, alios euangelistas, alios pastores & doctores. Ex illis itaq; discipulis Christi, prophetæ quidam fuerunt qui ventura prædixere, sicut Agabus è Ierusalem descendit in Antiochiam, & per spiritū prædixit imminere famem magnam vniuerso orbi. Sic etiam Philippus vnus ex septē diaconis, in vrbe Cæsarea quatuor filias habuit, virgines, prophetissas. Eodem modo in ciuitate Antiochia fuerunt prophetæ & doctores. Deinde sapientes illorum nonnulli extitere qui quid & quando eloquerentur:
1. Cor.2. probè cognouerunt: iuxta illud Pauli, Sapiētiam loquimur inter perfectos, sapientiam vero non huius seculi, neque loquimur principium huius seculi, qui destruūtur: sed loquimur dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est. Alij etiam ex eis scribæ fuerūt in lege doctissimi. 2 Iam porrò subdit dominus, quomodo indignis modis tractaturi essent illos ad se missos, & ait: *Quoniam ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequimini de ciuitate in ciuitatem.* Sic occisus est Ioannes Baptista, sic Iacobus frater Ioānis decollatus est. Sanctum Iacobū quoq;
Act.12. alterum arrepta pertica fullonis interfecerunt, Petrū & An
Act.7. dream crucifixerunt, Stephanum lapidauerunt, Petrum &
Act.4. Ioannem flagellarunt, quanuis gaudentes & alacres ibant à
2.Cor.11. conspectu concilij. Paulus insuper quinquies quadragenas vna minus plagas susceptit, & alia multa. sic quoq; in omnibus studuerunt & conati sunt discipulos Christi insectari.
1. Cor. 4. Verūtamen recte Paulus inquit, Persequutionem patimur,
Act.18. & sustinemus. Quid multa? vsq; adeo Iudęi persequuti sunt apostolos, vt relictis illis conuerterentur ad gentes. Verùm non hęc omnia cedent ipsis impune, ideo enim addit dominus: *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus: qui effusus est super*

per terram à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinẽ Zachariæ.
Ecce quomodo peccata parẽtum veniunt etiam super filios non quod puniãtur propter peccata illorum, sed quia post tanta exempla emendati non fuerunt, sicut & Lamech, post Cain plus penitus fuit, quãuis non interemisset fratrem, sed quod non fuisset ad exemplum Cain emẽdatus. Qua de re multa alibi diximus. ¶ Hieronymus hic inquit, Quis ille Abel fuerit nos ex historia Genesẽos cognitum habere, de Zacharia autem in controuersia poni. Sũt etenim qui putent illum patrem fuisse Ioannis baptistæ, quod eum Iudæi occiderint ob annuntiatum aduentum Christi. Hoc, autẽ, ait Hieronymus, quia de scripturis nõ habet authoritatem, eadem facilitate contẽnitur qua probatur. Alij vero dicunt illum Zachariam fuisse vnum ex minoribus prophetis, quoniam patri suo Barachiæ nomen fuerit. Verùm iste inter tẽplum & altare occisus nõ est, eo quod temporibus illius tẽplum destructum est, atque tunc rursus ædificari cœptum. Concludit igitur S. Hieronymus fuisse hunc Zachariã filiũ Ioiadæ sacerdotis, quem occiderunt Iudæi in vestibulo tẽpli, sicut historia Regum testatur. Quod si obiicias, non cõuenire hoc quod Christus Zachariam hunc fuisse filium Barachiæ cõmemorat, quem alibi patrem habuisse Ioiaden legimus, Respondebitur, Barachiam idem sonare quod est, benedictus domini, quo nomine & Ioiada appellatur ob probitatem suam in Paralipo. Et in hoc vt plurimum sancti patres conquiescunt, quoniam & in euangelio Nazareorum expressum est Zachariam filium fuisse Ioiade (meminit etiã Esaias ca. 8. Zachariæ filij Barachiæ.) Cæterùm Theophyl. non absurdum arbitratur Zachariam hunc censeri & intelligi patrem Ioannis. ita enim (inquit ille) habet narratio nobis tradita, quod locus quidem in templo fuerit, in quo stabant virgines, igitur quum esset pontifex, postquam deipara peperisset Christum, & statuisset illã in eo loco, indignati sunt contra eum Iudæi, & occiderũt eum, quod cum virginibus collocasset mulierẽ quæ pepererat. Et fuit illa quidem seculi sui narratio, nullũ autem in hoc adducit scripturæ alicuius testimonium. Diceres, Quur Abelẽ tantũ & Zachariam hîc dominus commemorat, nec quenquam alium? Audi Hieronymum, qui regulã scripturarũ producit, duas generationes bonorũ & malorũ nosse, sicuti per prophetam

Theop. *Gene. 4.*

Zach. 1. *Esdræ 5.*

1. Pa. 14. *4. Re. 12.*

Theoph.

Hieron.

dicit dominus, Si Noë, Iob & Daniel inuenirẽtur in medio istorũ hominũ, &c. vbi iusti omnes intelliguntur, qui æquales sunt tribus illis in virtutibus & operibus bonis. Sic per Cain & Ioiaden regẽ mali omnes intelliguntur, qui ita apostolos persequuti sunt, sicut de Cain & Abel scriptura testatur. Potest tamen peculiariter illa subesse causa, quur Abel hîc exprimatur, quoniã ex sola fratris inuidia sine omni me
Chrysost. rito suo occisus est, & eodẽ quoq; modo Christꝰ sine omni
Theoph. peccato ex liuore fratrũ suorũ Iudæorũ crucifixus est. Itaq; vt maximè parentes & maiores eorũ ob persequutionẽ & occisionem prophetarũ puniti sint, nihilo magis inde emendati sunt filij: acerbius igitur & grauius puniuntur omnibus maioribus suis, quod sanguinem innocentem effuderunt.

3 Solita pietate miseratus porro dominus, exclamat cõtra
Hieron. Ieruſalem. *Ieruſalem Ieruſalẽ, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt.* Non saxa & ædificia ciuitatis, sed
Luc. 19. habitatores vocat, quem paterno plangit affectu, sicut alibi fleuisse legitur dũ aspiceret ciuitatem, Et bis nomĩnat Ierusalem, in argumentũ quoniam reuocet illã magna cõpassio-
Chrysost. ne. Idipsum obseruauit etiã Chrysostomus, dicẽs, Quid sibi hæc vult conduplicatio? miserantis valdeq; diligẽtis, huiusmodi orationis figura est, quasi enim ad continue & valde dilectã, quæ, quoniã diligenter semper cõtempserit, pœnas datura sit, supplicia illaturus, quare ita faciat satisfactionem adducit. Deinceps iam per similitudinẽ ostendit dominus, quantũ dilexerit illã, dicens: *Quoties volui congregare*
Pſal. 116. *filios tuos ſicut gallina cõgregat pullos ſuos ſub alas?* sic de Christo prædixerat iam olim Dauid, Dispersiones Israël congregabit. ideo hîc eos dominus arguit, quòd diabolũ potius au-
Theoph. dierint, à quo dispersi & à veritate fuerint abducti, cõgregãtem autẽ dominũ non susceperint, inquit, Theophilactꝰ. Et
Deu. 32. quod hîc similitudinem inducit gallinæ, etiã ante eum simili exemplo fecit Moyses, dicens, Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, assumpsit eum atq; portauit in humeris suis. Sed audio quærere quẽpiam, quur hîc se dominus magis gallinę quàm
Super Io. an. tranſ. mittat 15. volatilium cuiquam comparet. Age respondeat illi Augustinus, Fortitudo, ait ipse, Christi te creauit, infirmitas Christi te recreauit & redimit. nutat ergo ipse infirmus infirmos, tanquam gallina pullos suos. huic enim se similẽ fecit.

Videtis

Videtis aũt fratres, quẽadmodũ gallina infirmetur in pullis ſuis. nulla enim alia auis quod ſit mater, agnoſcitur, Vidimus nidificare paſſeres quoſlibet ante oculos noſtros, hirũdines, ciconias, columbas quotidie vidimus nidificare: quos, niſi in nidis videamus, parẽtes eſſe nõ agnoſcimus. Gallina vero ſic infirmatur, vt etiã ſi pulli non ſequantur, filios non videas, matrem tũ eſſe intelligas. ita fit alis demiſsis, plumis hiſpida, voce rauca, omnibus mẽbris abiecta. Ita nimirum nobiſcum etiam infirmat' eſt dominus vſq; in mortem crucis. Verùm ego hic compellatos omnes volo, quotquot ex mera temeritate abnegãt liberũ arbitriũ, vos quoq; hic mihi reſpondete, qui dicitis non eſſe cauſam in homine ſuæ damnationis. Ecce enim hic dominus ait, *Volui te congregare ſicut gallina pullos, & noluiſti.* Ecce quum velis deus, non vult homo: & eo tantum, quia non vult hic, condemnatur, ſicut ſequitur. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Eſt ergo omnibus modis in homine liberum arbitrium. & nos ſi conformes non efficiemur diuinæ voluntati, nullam expectabimus in cœleſti patria manſionem. *Hieron. in prolo.*

4 Poſtquam iam oſtendiſſet dominus, quomodo Hieroſolymitæ grauiter peccaſſent in occiſione prophetarum, ita enim à Iudæis ſub Manaſſe rege Eſaias ſectus in duas partes occubuit, ſepultus ſub quercu Rogel. Ieremias apud Taphnas in AEgypto à populo lapidibus obrutus occubuit, ſimiliter & Zacharias, Ezechiel quoque effracto cranio, cerebrum diſperſum, &c. ne qua culpa inde in dominum permaneret, exhibuit eis promptã ſuam & benignam voluntatem, ſed eam quoque excluſerunt iſti. Comparauit ſe gallinæ, verum illi aſsimilati ſunt vulpi, quæ gallinam rapit & laniat. neque id mirum, quia in hoc Herodi, quem dominus vulpem vocat, facti ſunt ſimili. Sed interim non longe ab eis pœna manet. imo in ipſis ſtatim foribus eſt, quando ſubdit dominus, *Ecce relinquitur vobis domus veſtra deſerta*, quod ſecundum literam impletum eſt in excidio Hieroſolymitano, ſicut ſequenti etiam capite de tẽplo dicit dominus, quod nõ relinquetur lapis ſuper lapidem, Quãuis & alio ſenſu, reliquit dominus domum eorum, dum iam amplius, neq; tẽplum habent, neq; altare, neque ſacrificium, neq; regem, nec Ephod, vt ait propheta, Deſeruit enĩ dominus populũ Iudęorum, omniq; gratia & *Mat. 13.* *Mat. 24.* *Oſea. 3.* *Iere. 12.*

donis destituit, dicente propheta, Reliqui domũ meã, dimi-
si hæreditatem meã. facta est mihi hæreditas mea quasi leo
Lib. 7. in sylua, dedit contra me vocẽ. In eius rei argumentũ testan
cap. 9. tur Iosephus & Egesippus, ingressis in festiuitate pentecos-
Lib. 4. c. 5 stes templũ domini sacerdotibus, excitatoq; strepitu & tu-
Mat. 23. multu, auditã statim post hęc esse vocẽ huiusmodi, Migre-
mus hinc. Desolationis quoq; huius causam deinceps aperit
dominus, cũ ait, *Dico vobis, non me videbitis amodo, donec di-
catis, Benedictus qui venit in nomine domini.* Non tamen hoc
ille de hora, qua hęc dicebat, loquut⁹ est, sed intellige, post-
quã crucifixus fuero vsq; in diẽ iudicij, quando visuri sunt
Iudæi filium hominis veniẽtẽ in nubibus cœli, & sedentẽ à
Apoca. 1. dextris virtutis dei. Ita Ioannes ait, Ecce venit cũ nubib⁹, &
videbit eũ omnis oculus, & qui eũ pupugerunt. Fiet hoc se-
cundo aduentu domini, quando eũ Iudæi etiã inuiti adora-
bunt. Sunt qui putent Christũ de die nouissimo non esse lo
quutum, sed de suo aduentu sub mortẽ antichristi. quando
enim tunc Iudæi contẽnebant & blasphemabãt dominum?
Antichristũ porrò sunt accepturi: iuxta illud verbum domi
ni, Veni in nomine patris mei, & noluistis me accipere: ve-
Ioan 5. niet alius in nomine suo, hũc accipietis, Quãdo autẽ domi-
nus Iesus Antichristũ spiritu oris sui interfectur⁹ est ipsẽq;
2. Thess. 1. collapsurus in terrã, tunc tandẽ videbũt Iudæi se ab illo fal
sos esse atq; deceptos, & sic cõuertentur ad Christum iuxta
Esa. 10. prophetiã Esaiæ, ipsumq; benedicent. & pro deo agnoscẽt.
Hieron. Hieronymus hoc de cõuersione cuiusq; Iudæi intelligit ad
Christi fidẽ, quasi dicere voluisset ille, Nisi pœnitẽtiã ege-
ritis confitentes Messiã me esse à prophetis promissum, om
nipotentis & æterni patris coæternũ filiũ, facié vtiq; meam
non videbitis. Datũ itaq; & concessum est hîc Iudæis tẽpus
pœnitẽtię. Quod si iã confessi fuerint nomẽ benedicti, qui
venit in nomine domini, facié Christi cõspecturi vtiq; sunt.
Glorioſum enim illud & benedictũ dei verbum superuenit
super animũ hominis, qui ex corde suo conuersus fuerit ad
dominum deum suum, qui est benedictus in secula, Amen.

DE S. STEPHANO HOMILIA II.



TA nimirum agnouit Christum sanctus proto-
martyr Stephanus, qui per ipsum Christũ domi
Act. 6. num ad fidei Christianæ professionẽ peruenit.
Constat enim eũ à sancto apostolorũ cõcilio ele

ctum

ctũ esse diaconũ vnũ ex septem illis, de quibus ita Lucas refert, Crescẽte numero discipulorum, factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum, *Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt, Non est æquum nos derelinquere verbum dei, & ministrare mensis. Elegerunt igitur septem, quos statuerunt ante conspectum apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* E quibus & hic Stephanus fuit, vir plenus fide & spiritu sancto, &c. Obseruandũ hic principio est quomodo in primitiua Ecclesia penes apostolos extiterit potestas & iurisdictio bonorum tã temporalium quam spiritualium, eorum qui baptizati conuertebantur ad fidem: iuxta illud Lucæ, Quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant precia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes apostolorum, vbi etiã diuidebatur singulis prout cuique opus erat Ideoq; & Ananias, quando non totam venditi agri pecuniam obtulerat apostolis, subito mortuus est in oculis Petri, similiter & Saphira vxor eius, Vbi ergo iã sunt, qui nũc nolunt aliquam potestatem relinquere ecclesiasticis bonorum tẽporalium, cũ tamen laici olim hoc permiserint apostolis, ita perfectè, vt iam neq; episcopi, nec alij quicunque habeant ex clero tantam potestatem super temporalia? Discant etiam hic qui ecclesiæ præsunt, neque simul & spiritualibus & temporalibus satis vacare possunt, vt verbo dei. potius & rebus spiritualibus inseruiant, temporaliter diaconis, ministris & aliis, quibus hæc officia contradita sunt relinquẽtes, sicut hic apostoli fecerunt. Verùm hoc nostrates prælati planè inuertunt, dum quicquid spirituale est, grauius eis videtur & est, quam vt ipsi subeant. In pontificalibus functionibus ope vtũtur suffraganei, & in alijs spiritualibus vicarium habent, similiter & in iudicialibus officialem. Sin autem prædicãdum sit, monachum aliquem, nescio quem proferunt. Aut si misellus quispiam peccator absoluendus est, habent & hic qui sit à pœnitentia. Verùm si census & redditus in aliquo laborent, & illos aliquis moretur, rex hæc extra moram ad ipsum dominum nostrum episcopum est referenda. Et tamen verum est illud Ambrosij, quod spiritualia sine temporalibus nequeunt diu subsistere: sed spiritualia penitus negligere, & temporalia tantũ

Act. 4.

Act. 5.

In prælatos.

In episcopos.

urare, idipsum iustitiæ fines omnes trāsgreditur. His accedit hoc loco obseruatu dignū q̄ etsi Christus apostolos tātum & discipulos elegerit, apostoli tñ instinctu spiritꝰ sancti adhuc etiā diaconos instituerunt & consecrarunt, neque enim illi dispensatores fuēre tm̄, quod nugantur neochristiani, sed & in hoc sanctū officiū cōsecrati sunt, quia simul cū oratione impositum eis apostoli manus, q̄ sacramentale illud signum extitit in confirmatione & ordinatione presbyteri, episcopi, & apostoli. Quod ex verbis Pauli satis li-
1. *Tim.* 2. quet, dum Timotheo suo præcepit, ne cui cito manus im-
Act. 19. ponat. Apparet idem in facto Pauli in Ephesco, cum primum super baptizatos in nomine domini Iesu manus imposuisset, descēdit super eos spiritus sanctus, & loquebantur & prophetabant. Quod autem illa sacrorum initiatio multum valuerit in Stephano, virtutem̄q; magnam habue-
Act. 6. rit, testantur verba sequentia, quum ait Lucas, *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo.* Dicendum hic esset, quam diuersis modis Christus plenus fuisset gratia, & quomodo Maria ac Ste-
Ioan. 1. phanus. Christus enim plenus gratia fuit plenitudine redundantiæ, dicente Ioanne, Quia de plenitudine eius omnes accepimus. Maria autem plena fuit excellenter, & Stephanus sufficienter. Verùm hęc alias plenius.

2 Sacris scripturis descriptam legimus disceptationem Stephani, & auxilium magnum sibi præstitum diuinitus. Principio autem, quum ille tāta in populo operaretur miracula, citra dubium vna cum salutari doctrina & Christianæ fidei dilatatione, *Insurexerunt aduersus eū quidam de synagoga, atque cum eo disputarunt, neque tamen resistere poterant sapientiæ & spiritui loquenti ex ipso.* Vbi discant veri Christiani, non commoueri si quando audiant suo catholico prdicatori â neochristianis oblarari vel scripto vel
1. *Tim.* 3. sermone. Semper mali restiterunt Petro, Paulo, Stephano, imò & ipsi sanctæ doctrinæ Christi. id̄que adeo futurum nouissimis temporibus testatur Paulus, prædicens nouissimis diebus fore tempora periculosa. & sicut Iannes ac Mambres restiterunt Moysi, ita tunc futuros qui palam resistant veritate.

2 Quod disputauit hic cum Iudæis Stephanus, contra
2. *Tim.* 3. eos facit, qui cum hæretico negant esse disceptandum, sicut

& legi-

& legibus ciuilibus cautum est, & Paulus ait, Noli contendere verbis: ad nihil enī vtile est nisi ad subuersionem audientium. Et tamen in solatium piorum libere & aperte ad uersus hæreticos disputare, qui alias ex suis latibulis turpiter obganniunt, iniquum non est. siquidem illud & hic Stephanus, & alibi Paulus feciſſe leguntur. Vide etiam hic adiutorium dei, quando non poterant illi resistere sapientiæ & spiritui in Stephano loquenti. Vbi discat etiam, quicunque disputando neochristianos euincit, honorem subiipsi non tribuere, sed deo & spiritui sancto ex ſe loquenti. Quisquis enim hoc modo in spe atque fiducia diuinæ veritatis & auxilij fortiter sese animicidis opponit doctoribus, illi dominus deus gratiam dabit, sicut discipulis suis promisit, Dum steteritis ante reges & præsides, nolite præmeditari qualiter respondeatis. dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. neque enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. *Act. 1. 7. 20.*

3 Vide etiam quomodo disputantes isti, quum non possent prævalere in Sptephanum, subornarunt falsos testes, qui mentirentur Stephanum blasphemias dixisse aduersus Moysen: sicque commouebant isti plebem, vt caperét Stephanum, ipsumq; producerent in senatū & concilium Iudæorum. vbi denuo falsos substituerunt testes, qui & dixerunt, *Homo iste non cessat loqui verba aduersus locum sanctum & legem. Audiuimus enim eū dicentem, quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locū istum, & mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses. Et intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem angelis.* Obserua rursus hic, quod quando nihil efficere poterant disputatores isti cum S. Stephano, ad calumnias cōuersi, molichantur ipsum fraudulentis insidiis capere. Ita nimirum in hodiernum vsque diem filij eorum neochristiani faciunt. quū omni spe exciderunt disputādo, libellos dispergunt famosos, morsibus & scōmatibus plenos, seditiones excitant & tumultus: sicut Zuinglius & Lutherus fecerunt, qū vterq; mecum disputando succubuit. sic etiam fecerunt animicidæ purimi alij neochristianorū prædicatores, qui miſellos ex vulgo homines aduersus magistratus excitarunt. vnde eis dici nō potest, quantū incommodi in anima, corpore, honoribus & cæteris bonis prouenerit. Ecce autem testes istos *Act. 6.* 1525.

falsos, contendentes sanctum Stephanum dixisse verba blasphemiæ aduersus deum & Moysen, aduersus templum & legem. Omnia hæc vana & falsa erant. vtique enim de omnibus illis, aliud nō prædicauerat Stephanus, nisi vt à Christo & spiritu sancto edoctus erat. Nō autem dixerat Christus se ciuitatem Hierusalem deuastaturum, sed ita prædixerat, Circundabunt te hostes tui vallo, & coangustabunt te vndiq;. Ad discipulos quoque dixit, Non relinquent lapidem super lapidem. nusquam autem sese hoc facturum interminatus est. ita & de mutatione legis, non dixerat dominus vspiam se abolituru illam, sed venisse se ad implendam eam, non soluendam. sicut ad oculum liquet in euāgelio Matthæi. neminem enim ad perfectū adduxit lex. quod autem corrigitur, non vtique abrogatur. Præterea claritatem hic mihi considera vultus in Stephano, cui non tantum sapientiam dedit dominus ad loquendum, iuxta illud, Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri: insuper claritatē etiā vultus sui dedit illi, sicut angelo dei. Donum aūt hoc habuit in testimoniū à deo sanctitatis suæ & innocētię, quod vtiq; ab impio proposito auertere debebat animos Iudæorū. Sed nimirū ita fieri oportebat, vt Sapiens inquit: Excæcauit illos malitia eorum, neque mercedē sperauerunt iustitię, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarū. Cui concordat & propheta, dicens, Excæcauit oculos eorum, & indurauit corda eorum, vt non videant oculis, nec percipiant corde.

Mat. 34. *Mat.* 5. 9. & 7. *Heb.* 7. *Luc.* 21. *Sapiē.* 2. *Esa.* 6.

4 Ad hanc falsorum testium relationem, summus sacerdos interrogauit Stephanum, an hæc ita haberent, ad quod ille cœpit se defendere, & quo ad primum, ante omnia laudare & magnificare dominum gloriæ (insere historiam Acto. 7.) vt auferret omnem blasphemiæ suspicionem. Deinde Moysen quoque commedat ex feruentissimo zelo suo erga fratres, per quē tanta miracula domin⁹ operari dignatus est in AEgypto & deserto, quiq́ue adeo proprie cū deo loquutus, multa super Christo venturo prodidit arcana. Ad hæc legem etiam extollit, vt à deo conditam. similiter & templum laudibus euehit, eo q́ iussus à deo tabernaculum extruxerit Moyses. Ita & serio & ex scripturæ fundamēto Stephanus sese tutatus est, grauibúsque verbis sententiam suam cōclusit propter infidelitatem eorum, quum

Act. 7.

ait

ait, *Dura ceruice & incircunciſi cordibus & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis: ſicut patres veſtri, ita & vos. Quem* Actu.7.
prophetarũ non ſunt perſequuti patres veſtri? & occiderunt eos, qui prænuntiabãt de aduentu iuſti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis, qui accepiſtis legem in diſpoſitione angelorum, & nõ cuſtodiſtis. Audientes hæc Iudæi, diſſecabantur cordibus, & ſtridebant dentibus ſuis in eum. idque omne ex immenſa eorum malitia & inuidia proueniebat, in qua tam indurati erant, vt etiam ſpiritui ſancto, qui per Stephanum loquebatur, reſiſtere non dubitarent. Verùm inter hæc dominus fidelem ſuũ non deſeruit, ſed omnem cõſolationem & auxilium exhibuit. Ita enim Lucas, *Quũ eſſet Stephanus plenus ſpiritu ſancto, intendens in cœlũ, vidit gloriã dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis dei.* Bene ille reſpexit in cœlũ. vnde ſpem & auxilium petebat dicente Dauide, Leuaui oculos meos in mõtes, vnde veniet auxiliũ mihi. Auxilium meum à domino, qui fecit cœlum & terram, & inde: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Neque vana illi fuit hæc ſua fiducia. vidit enim in cœlis gloriam dei, vnde indubitatò virium & cõſolationis plurimũ ſuſcepit, dixítque ad Iudæos, *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis dei.* ¶ Vbi duæ ſtatim oboriuntur quæſtiones. altera talis, Quando Chriſtus filius dei & hominis eſt Mariæ, quur ſanctus primúſque ille martyr maluit filium eum hominis vocare quàm dei, quum hęc appellatio multo futura erat honeſtior. Reſpondet hic Beda & ait, Vt hoc teſtimonio Iudæorum cõfunderetur infidelitas, qui ſe hominem crucifixiſſe, & hũc deum credere noluiſſe meminerũt. Ad confortandam ergo beati martyris patientiam, cœleſtis regni ianua panditur, & ne innoxius homo lapidatus tituꝫbet in terra, deus homo crucifixus apparet coronatus in cœlo. Illius etiã diuinitas ſatis eſt declarata verbis ſequentibus, quando ſtare dictus eſt à dextris dei. eo enim ipſo illius cum deo patre probatur æqualitas, ſicut in die aſcenſionis dicturi ſumus. ¶ Altera quæſtio hæc eſt, Quur Stephanus dixerit hic vidiſſe ſe Chriſtũ ſtare, quũ tamen cõmunis ſcripturæ cõſuetudo hoc habeat, vt dicatur ſedere ad dexterã, iuxta illud Marci, Chriſtus aſcendit in cœlum, ſedet à dextris dei. Nos quoq; in ſymbolo ſimile quid profitemur, & Paulus ait ipſum ſedere à dextris dei, neque id mirum, quoniã

Actu.7.
Pſal.110. & 122.
Beda.
Au. in q. vete. & no. teſta. q.88.
Mar.16.
Coloſ.3.

sedentibus vigintiquatuor senioribus in sedibus suis, & ipse merito dominus Iesus sedere perhibetur, sicut thronum illius vidisse se Ioannes refert, & sedes seniorum 24. in circuitu suo. Hæc omnia cum ita sint, quid est quod Stephanus ait, vidisse se illum sedentem? Respondetur, vera esse quæ adducta sunt omnia, Christúmq; sedere simul & stare. Quod autem, inquit Augustinus, Stephano vt stans apparet, fecit calumnia Iudæorum. In Stephano enim saluatoris causæ vim patiebatur: ideo sedéte iudice deo, stans apparuit, quasi qui causam diceret: & quia bona causa eius est, ad dexteram iudicis erat. omnis enim qui causam dicit, stet necesse est. Beda etiam sic ait, Stare pugnantis est vel adiuuātis, ideoq; recte à dextris dei stantem vidit, quem inter homines persequentes adiutorem habuit. Quotiescunque autem de regno & imperio Christi, siue etiam de iudicio fit mentio, semper tunc ille sedere dicitur, eo quod regis sit in throno suo, & iudicis in sede sedere, sicut Dauid, Salomonem ait super thronum suum sessurum & regnaturum, &c.

Apoc. 11.

Augusti.

Beda.

HOMILIA TERTIA.

STEPHANVS prodigia multa fecit & signa magna in populo, Iudæos disputando superauit, quo nomine vinctus etiam est: cúmque se defendisset super iis quæ falso ei imponebantur, Iudæos quoq; de infidelitate sua reprehendisset, visoq; cœlo aperto cōspexit Iesum stantem à dextris dei *exclamātes voce magna, cōtinuerūt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eū.* Vide hic malitiā Iudæorū & peruersitatē. Exclamant valide, ne sancta Stephani verba exaudirentur. & quia nō poterāt resistere spiritui sancto, qui in eo loquutus fuerat, sicut isti qui cū eo disputarant: ideo cōti nuerunt aures suas, ne salutaria verba eius audirent, instar aspidis surdæ & obturātis aures suas, ne exaudiat vocem incantātis sapienter: quæ natura est malorū omnium, vt fastidiant audire quod bonum est. Noluit, inquit Dauid, intelligere vt bene ageret, Quisquis autē auertit aures suas ne audiat legem, oratio illius erit execrabilis. vt rectè quæstus sit Sapiens, dicens, Quur detestatus sum disciplinā, & increpationibus nō acquieuit cor meū, nec audiui vocē docentium me, & magistris nō inclinaui aurē meam? Ita obturati etiam hic fuerunt Iudæi, dum continuerunt aures suas, quasi dicerent,

Actu. 6.
Psal. 57.
Psal. 35.
Prou. 27.
Prouer. 5.
Iob 21.

rent, Viam ſcientiæ tuæ nolumus, ſaluari nolumus. Sũt qui putent eos ita clamaſſe, & aures ſuas cõtinuiſſe, quaſi in ſpeciem ꝓbitatis, & quod perpeti nõ poſſent neq; audire blaſphemiã, ficq; voluiſſe eos qualemcũque pietatis ſuæ prætextum quærere. vnde tamẽ occaſionẽ caperent lapidãdi Stephanũ. Inde igitur valido impetu vim fecerũt in Stephanũ, neque ſecus in eum irruerũt, ac ſi furore perciti eſſent, eiicientes eum extra ciuitatẽ. In hoc etenim impudẽter iactitabant ſe ſeruare legem, eo quod Moyſes pręceperat blaſphemum extra caſtra eductum lapidari debere. Eratq́ue illud apud Iudæos cõmuni more receptum, vt occiſuri aliquem, educerent eũ ex ciuitate, ſicuti Chriſtus quoque extra portas ciuitatis paſſus legitur. Irruerunt itaque iſti in Stephanum, in nullo adhuc ſcelere conuictũ, videntes inſuper vultum eius vt angeli. verũ ne eo quidem argumento deterriti, fæuire tantum properarunt canes furioſi lupiq́; rapaces, iuxta illud verbum domini, Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporũ. Non poterant enim tam ſapientia verba Stephani prudenter refellere, tantũ vt inuidiam ſuã ſatiarent, eum pro blaſphemo lapidarunt. 2 Sequitur in textu, *Teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus*, qui Paulus poſtea vocatus eſt: & hoc ita factum ipſe refert apud Lucã. Quur autẽ obiecerint teſtes veſtimenta ſua, liquido ſatis apparet ex Deuterono. vbi ſic legitur, In ore duorũ aut trium teſtiũ peribit, qui interficietur. Manus teſtium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur, vt auferas malũ de medio tui. Ita hic, quando lapidare volebant Stephanum, oportebat teſtes primos in eum lapides iniicere, qui, ne veſtibus ab opere impedirentur, exuerunt ſe & parauerunt labori. Quod autem illas Paulo cuſtodiendas dederũt, argumento eſt, ipſum quoque in Stephani mortem cõſenſiſſe, & in ea procuranda ſolicitum fuiſſe, ſicut Lucas infra meminit aperte. Sed quid hic Stephanus martyrũ omnium corona inter lapides fecerit, conſidera, Ita enim habet textus, *Lapidabant Stephanum inuocantem & dicentem, Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum*. Vbi principio exemplũ nobis datur orandi vſque in extremum ſpiritũ, ſicut & Chriſtus fecit in cruce. Vt maxime etiam infirmus debilior ſit, quã vt orationi ſufficiat, adhuc tamen circunſtantes illi orare aliquid debent vel legere

Leuit. 24.
Hebr. 13.
Matt. 10.
Actu. 7.
Actu. 22.
Deut. 17.
Actu. 2.
Actu. 7.

de passione Christi, aut cõsimile quippiã de iudicio extremo, de misericordia diuina. Deinde discamus hic spiritum nostrũ, animũ, mentémq; nostram cõmendare deo imminẽte mortis articulo, imò & antea quotidie, sicut in passione Christi diximus. Vnũ enim illud verbũ nobis quoque dñs, ad extremũ reliquit, vt pleni⁹ memoriæ & animo infigeremus. Præterea disce hic in aduersis nõ peierare & insanire qui nunc malorum mos multo pessimus est, vt siquãdo non omnia ex sententia cadũt, furiant & tumultuãtur. tũc enim adiurare solent, & detestari ac anathematizare, omnésque dei sanctos iniuria afficere, imò & deo ipsi nõ parcũt, martyrium, passionem, vulnera illi exprobrant turpissime. Imò in aduersitatibus nostris patientes nos esse cõuenit, ad deum & sanctos cõfugere pia oratione, sicut & hic Stephanus fecit, & eius rei tota vndique scriptura plenissima est.

3 Porrò positis genibus, clamauit ille voce magna, *Domine ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt.* O iustam rerũ mutationem. Martyr mundi cordis, ad cœlos intuitũ dirigit: persecutor duræ ceruicis, manus ad lapides mittit. O virum admirandũ meritoq; stupendũ Stephanum, ô hominem patientissimũ, qui pro suis etiã persecutoribus & occisoribus orauit, Christum magistrum imitatus, illius quoq; doctrinam impleuit, cum ait, Diligite inimicos vestros, benefacite illis qui vos persequũtur, vt filij sitis patris vestri qui est in cœlis. Hoc Christi verbũ simul & exẽplum illud hic impleuit Stephanus. Videte autẽ & considerate mihi diligẽtius fortissimũ athletã dei Stephanũ, in quo nõ hoc solũ est admirãdũ, quod cõstanter pro vita decertarit æterna, sed hoc quoq; expendendũ occurrit, quod pro se quidem stans orauit, pro inimicis autẽ genua flexit. quando enim eorũ peccata maiora erant, ampliorem etiam in orãdo requirebant medicinã. Obserua etiam virum sanctissimum genua flexisse, contra neochristianos, qui tanta sunt sanctimonia, angelis proximi, vt nec genuũ flexione, neque manuũ eleuatione, nec vlla indigeant cordis pulsatione, imò ne caput quidẽ coram deo & sacramẽto discooperiũt, dicentes eum nõ ideo hic esse vt colatur. verùm coram consule suo, miris modis genua & capita flectunt. Vide & in hac re charitatem immensam in hoc, quod magna voce clamauit, ostendens preces suas ex animo & corde petitas. Nam ore & voce

Beda super Act.

Matt. 5.

Beda.

voce orare, multũ prodeſt: clamare ad dominũ, bene placet deo, iuxta illud Dauidicum, Voce magna ad dominum clamabo. voce mea ad deum deprecatus ſum. Ita etiam exaltauit ille vocem Samuelis de terra, vt ait Sapiens. planè enim eodẽ modo Stephanus fraternę charitatis impulſu clamauit ad dominũ pro perſequutoribus ſuis, ne imputaret eis hoc in peccatũ. Sunt qui putent hic Stephanũ oratione illa ſua emeruiſſe cõuerſionem Pauli, ſicut in hoc citari ſolet authoritas Auguſtini, in quo tamen legiſſe me illud non memini, Si non oraſſet Stephanus, eccleſia immenſum illud euangelij lumen nõ haberet. Tanta eſt efficia orationis iuſti alicuius & deo bene placentis. (Vaticanũ neque in Græco neque in Latino habet. *Neſciunt quid faciunt*, & tunc explica, quomodo plebs tẽpore Chriſti fuit plus excuſabilis, quã Iudæi occidentes Stephanũ, quũ iam nõ forent neſcij.) *Hoc cum dixiſſet Stephanus obdormiuit in domino*, O mortem ſanctam, imò fœliciſſimã eius qui obdormit in domino, factũ eſt autem hoc die 3. Auguſti, primo anno ab aſcenſione Chriſti, quãuis deinceps eccleſia feſtum Stephani huic trãſtulit poſt feſta natalitia Chriſti, vt dies ille ſanctus reſtauratæ ſalutis aliis etiã feſtiuitatibus illuſtrior redderetur: deinde etiam, quia protomartyr ille fuit martyrũ omnium anteceſſorum, merito hic ab eccleſia producitur: præterea, quod cõmoditas ipſa vtriuſque feſti ſuadebat hoc ita fieri dicente Fulgentio, Heri rex noſter trabea carnis indutus, de aula virginalis vteri egrediens, viſitare dignatus eſt mundum: hodie miles de ergaſtulo corporis exiens, triumphator migrauit ad cœlum. Heri Chriſtus natus eſt in terris, vt Stephan⁹ coronaretur in cœlis. hæc enim nominis ſui interpretatio eſt, iuxta eundẽ Fulgentiũ. Stephanus, vt nominis ſui coronã meruiſſet accipere, charitatem pro armis habebat per charitatẽ dei fœuientibus Iudæis nõ ceſſit, per charitatẽ proximi pro lapidantibus interceſſit, præſentibus charitatẽ exhibuit, venturis adhuc poſteris bonũ & ſalutare reliquit exemplũ. Ex iis omnibus patet, quomodo Stephanus coronã conſequutus ſit felicitatis ęternę. 4 Tantam quoq; fortiſſimi martyris ſanctimoniã multis miraculis dominus illuſtrauit. ſepulchrũ em & reliquias illius cuidã presbytero Luciano reuelauit, cui ſeptimo imperatoris Honorij anno Gamaliel, qui Paulũ erudiuit in lege, apparuit, eiq; S. Stephani monu-

Pſal. 142.

Eccl. 46.

Auguſt.

Fulgent.

mentũ in villa Caphar Gamala oſtendit: & iuxta ipſum ſepulchrũ Nicodemi nepotis ſui, atq; filij ſui Abibæ. Quũq; cœpiſſent fodere ad corpus S. Stephani, factus eſt terræ motus magnus, tanta cũ ſuauiſsimi odoris perfuſione, quaſi in paradiſo fuiſſent illi qui laborabant & aſsiſtebant. ibi etiam ſeptuaginta tres infirmi à variis languoribus ſunt ſanati. Au-
Lib.22. gu. in opere de ciui. dei, miracula multa refert, quę deus per ſanctum Stephanũ fecit, in templis memoriæ ſancti martyris dedicaris, adhuc tempore ſuo. Quod etiam mulieri cuidam cæcę reſtitutus ſit viſus: Ad aquas, Epiſcopꝰ quidã Senicenſis à fiſtula liberatus eſt. Eucharius presbyter, ad reliquias S. Stephani ſanatus eſt à calculo & quodam alio morbo lætali. Per interceſsionẽ S. Stephani vir quidam magnæ exiſtimationis Martialis, ad Chriſti fidẽ cõuerſus eſt. A podagra quoq; ſanati ſunt duo in ciuitate Chalame apud reliquias S. Stephani. In ciuitate Adurus, paruulus quidã à rota oppreſſus violẽtia & impetu boum, reuixit. Similiter & virgo Veſtalis in vrbe Caſpaliana, quum veſtem ſuam miſiſſet ad reliquias S. Stephani, interim defuncta: vbi primũ veſtis rurſus mortuo corpori impoſita eſt, rediuiua ſurrexit. Hip ponis etiã in vrbe, qua Auguſtinus ſedit epiſcopus, Baſſus quidã Syrus pro filia ſua orauit apud reliquias S. Stephani, & quum veſtem ipſius quã ſecũ ferebat, mortuo corpori ſuper impoſuiſſet reuixit filia, quæ iã mortua erat. Ibidẽ filius Hirenæi defunctus, cũ oleo S. Stephani perunctus eſſet, reſurrexit. Vnde dicit Aug. Si miracula ſanationis tantũ (vt taceat cætera) ſcribendo proſequi vellet, quæ per hũc glorioſum martyrem ſunt facta, multos ſuper ea re libros ſibi fore ſcribendos: quanuis neq; illa omnia conſcribi potuerunt: ſed ea tãtũ, de quibus teſtimonia & ſcripta allata ſunt, vt inde in eccleſia denũtiarentur, Anni nondũ duo ſunt. quando in Hippone cœptũ eſt coli S. Stephanũ, & tamen miracula circiter 70. facta ſunt tãtulo tẽpore, de quibus ſcripta oblata ſunt, exceptis reliquis. Nanq; Aug. ſcribit ideo ſe miracula exegiſſe ab hominibus ſcripta, vt in plurimorũ notitiã venirent. In vrbe Vzali plurima quoq; per illũ fiunt miracula. quumq; ibi fuiſſet Auguſtinus, mulier quædã Petronia à grauiſsimo longiſsimoq; morbo liberata eſt: & illa tunc primũ iuſſu Auguſt. tabellã affixit facti miraculi indicẽ, quod antea in vſu nõ fuerat. Mulier illa nobili loco nata, nuptáq;

nobili,

nobili, habitauit in vrbe Carthagine. (lege miraculū de anu Io.) Ad extremū ait ille, quo decē fratres & sorores in Cæsarea Cappadociæ, matrem suam irritarint ad irā, quæ diris deuouēs liberos suos, fecit vt membris omnibus ille tremerent, & ex iis duos Hipponis ad reliquias S. Stephani sanitati pristinæ restitutos iam supra diximus. Vbi ergo iam sunt neochristiani, qui nolunt sanctos miracula operari per reliquias suas? Qua de re alias plura. (Vide insuper pulchros sermones de S. Stephano apud Augustinū in eius festo, & quæ notauit de protomartyre de quarta feria ca. 4. 9 *Parte 1.*

5 In prolixo illo sermone quem fecit Stephanus, oboriūtur quæstiones duæ: prior, quod hęc verba Stephani nō videntur concordare cum verbis Moysi. Et hoc relegatū volo ad scholas, quoniam plebi non admodū conducit ad ædificationē. (Vide Aug. lib. decimosexto de ciuitate dei. ca. decimoquinto, & in quæst. super Gene. Atq; si placet etiam B. Hieronymū, super Gen. & inuenies quod petis.) Posterior quæstio talis est, Cuiusmodi nā oculis Stephanus viderit dominū. Sunt enim qui putent hīc Stephanū non tantū humanitatem, sed etiam diuinitatē Christi vidisse, sicut de Paulo sentit Augustinus, quando raptus est in tertium cœlum. Verūtamen non omnino est hoc simile. Siquidem Stephanus non ita raptus fuit vt Paulus, quod etiam sensuum suorum potestate & viribus excidisset, sicut de se Paulus ait, Nescio in corpore an extra corpus: non potest igitur factum Pauli huc referri. & tamen videamus quomodo Stephanus cœlos viderit apertos. Augustinus in libro de cognitione veræ vitæ, ait corporalem visum nostrū penetrare non posse amplitudinem aëris, quo nomine apostoli quoq; amplius videre dominum nō potuerunt, quū primum à nube susceptus est: non igitur Stephanus oculis corporeis videre potuit Christum in cœlis, quando nullius hominis visus vsq; in cœlum pertingere potest. Imò & concilium in quo Stephanus constitit, in aliqua domo fuit, vbi per tectum cōspicere nequiuit. Non vidit ergo ille Christum oculis carnis: sed intuitu hominis interioris, neq; in corporali, sed cœlo intellectuali. Eamq; sententiam plerique sequuntur doctores. Stephanum scilicet vidisse Christum in imagine quadam animæ suæ oblata, sicut & prophetæ visiones habuerunt, quibus sacra vndique scriptura abundat. Sic Esaias vidit sedere domi- *Augusti. Hieron. Ad Pau. de vi. deū. 2. Cor. 12. Aug. cap. 41. Act. 7. Esa. 6.*

num ſuper thronum excelſum, & Seraphin ſtare ex vtroq; latere. Si Ezechiel, ſic Ioannes in Apocalypſi, ſic pleriq; alij viderunt & intellexerunt ſignificationes eorum, quæ videbant: non autem ſic intellexit Pharao, quando vidit ſeptem boues pingues aſcendentes, & alios ſeptem macros. neq; dubium eſt, potuiſſe hoc etiam ita fieri cum S. Stephano. Vltra hoc tamen poteſt quiſpiam cogitare, Stephanum etiam corporalibus oculis veram vidiſſe Chriſti humanitatem in cœlis, cuius ratio hæc eſt, quod ita habet textus, *Intendens in cœlum*: deinde quanuis noſter aſpectus per ſe in longum non tendat admodũ, tamen poteſt oculis noſtris offerri res adeo lucida, vt eius viſionem nulla impediat diſtantia. ſic ſol, luna & aſtra videntur. Quis enim immenſam illam cœli à terra diſtantiam colligat? & tamen ſtellas in tanta claritate cernimus. Ita & ſol iuſtitiæ Chriſtus, ſecundum beneplacitum ſuum viſibilem exhibere ſe poteſt ad quancunq; diſtãtiam. Nanq; ſicut ille potuit in glorificato corpore viſibilem ſe præbere in propria forma, vt diſcipulis ſuis, & in aliena cõſpicuum offerre duobus euntibus in Emaus, & Mariæ ſub ſpecie hortulani: ita propius ſiue longius exhibere ſe poteſt iuxta beneplacentem ſibi voluntatem ſuam: neq; etiã immerito gratiam hãc exhibuit fortiſſimo ſuo athletæ Stephano, vt quando præceſſor futurus erat omnium martyrum propter fidem Chriſti, in ipſo martyres omnes pignus ſuſciperent, certioresq; fierent diuinæ conſolationis hîc in terra: quódq; poſt hanc vitam viſuri eundem eſſent maximo cum gaudio in ſecula. Dominus deus nos quoque illius felicitatis participes facere dignetur per magnam ſuam miſericordiam, Amen.

Act. 7.

Ioan. 20.
Luc. 24.
Ioan. 20.

IN FESTO S. IOANNIS EVANGELISTAE,

Ioan. 21.

In illo tempore dixit Ieſus Petro, Sequere me. Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius, & dixit: Domine quis eſt qui tradet te? Hunc ergo cum vidiſſet Petrus, dicit Ieſus, Domine, hic autem quid? Dicit ei Ieſus: Sic eum volo manere

Ioan. 13.

manere donec veniam. quid ad te? Tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur, & non dixit ei Iesus, Non moritur: sed, sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc & scimus quia verum est testimonium eius.

HOMILIA PRIMA.

EVANGELII huius historia post ipsam domini resurrectionem contigit, quando octauo abilla die septem discipulis in piscatu apparuit, cũq; illi pisces magnos centum quinquagintatres mirabiliter cepissent, deinceps cum pransi mane essent, & dominus Petrum pastorem cõstituisset super ecclesiam totam, eidemq; prædixisset, quomodo per martyrium moriturus esset. super hæc omnia hodiernum sequitur euangeliũ, quãdo dixit dominus Petro, Sequere me, vbi sic quærit Augustinus, Quur dicitur Petro, *sequere me*, nec dicitur cæteris qui simul aderãt? & profecto eum sicut magistrum discipuli sequebantur. Imò omnibus Christianis dictum hoc à domino, Qui vult veñire ad me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. sicut ipsum sequutus est Matthæus. Respondetur, secundum quod verba hæc habent geminum intellectum, quæstio etiam hæc duplici via dissolui potest. Primũ intelligere vult Augustinus hanc sequutionẽ de passione & morte. paulò enim antè hîc Christus Petro prædixerat, eum martyrium subiturum, quando dixit, *Alius cinget te, & ducet quo non vis*. Iam itaq; peculiariter dicit illi, *Sequere me*. scilicet morte crucis quam ego pertuli. Nam etsi Iacobus Zebedæi, qui etiam vna hîc aderat, quoque sequutus est dominum & passus, tamen non crucifixus, sed tantum gladio morti adiudicatus. Ita Cyrillus hîc ait. Verbũ hoc etsi cõmuniter intelligi possit, vt tanquam discipulus doctorem sequatur, sub ænigmate tamen ostendit vestigia & passionẽ Christi Petro sequendã esse, sicut & ipse Petrus scriptũ reliquit, Christus passus est, vobis relinquens exemplũ, vt sequamini vestigia eius. Atque sensus ille euangelio pulchrè conuenit, eo quòd porro intuẽtibus nobis cõtextum euãgelicũ apparet dominum dixisse Petro, *Quo ego vado, non potes venire modo, sequeris autem postea*. Quo verbo recusauit ille Petro mortis suæ sequelam, sicut Petrus

Augusti. Lucæ 9. Mat. 16. Mat. 9. Ioan. 20. Act. 12. Cyrillus. 1. Pet. 2. Ioan. 13.

præsumpserat se eũ & in carcerem & in mortẽ sequuturũ. Quemadmodum igitur dominus Petro dixerat post cœnã, eum iam se non sequuturum, ita eum iam post resurrectionem & prandium se sequi iubet. Chrysostomus sic ait, His verbis curam, & familiarem in eum affectũ ostendit. Quod si quis percontaretur, quomodo Iacobus sedem Hierosolymis acceperit: respõderem. hunc totius orbis magistrũ præposuisse. Theophylact⁹ inquit, *Sequere me*, hoc est, qui educo te ad prædicationem, & totum orbem in manus tuas trado, Voluit ergo Christus dicere, *Sequere me*, hoc est, Ego te relinquo post me, vt geras vices meas, sis meus vicarius, locum tenens & successor. sequere me in officio, &c. Vterq; etiam sensus ille verus est. superior tamẽ mihi potior videtur, voluisse Christum vt se Petrus sequeretur corporaliter quo significare voluerit etiam supplicium crucis, non secus atq; in veteri testamento prophetæ interdum verbis, alias etiam operibus prophetarunt, sicut Ieremias quum descenderet in domum figuli, &c. 2 Constat etiam hoc, ibi Petrum corporaliter sequutum esse dominũ, sequitur enim, *Conuersus Petrus vidit discipulum quem diligebat Iesus*. Authore nanq; Augustino, abeunte domino, & sequente iam Petro, in ipso itinere atq; comitatu sequebatur & Ioannes, qui hoc loco se circunstantiis quibusdam describit pro more scriptorum. ne videantur gloriolam venari & laudẽ. Cõspicatus itaq; Petrus Ioannem se sequentem, dixit ad dominum, *Domine, hic autem quid?* quæ interrogatio variis modis intelligi potest. sicut enim supra diximus, nonnulli putarũt his verbis Christum voluisse sibi Petrum vicariũ & rectorẽ succedere ecclesiæ. Petrus autem Ioannem admodum diligebat, vnde & in euangelio sæpe coniunctim cõmemorantur. Audiens ergo tanta charitatis argumenta à Christo, cupiebat & Ioannem tantorum donorum habere socium, atque præ cæteris omnibus præcipue respiciebat ad illum. Et quo ad hunc intellectum, Petrus nihil interrogasset de passione & morte Ioannis, sed tantum de magistratu superiore. quando enim iam Christus magna communicauerat Petro, curamque demandauerat vniuersi orbis, passionẽ quoque prædixerat suam, & sic maiorem charitatem ei exhibuerat, cupiens illum sibi contingere socium, dixit, *Hic autem quid?* Quærat aliquis, quur hic Ioannes meminerit cœ-

Chrysosto. *Theoph.* *Iere. 18.* *Augusti.* *Chrysosto.* *Chrysosto.*

nę. Ideo nimirum, vt magnā illius fiduciam declararet erga dominum. in cœna enim non audebat ipſe interrogare dominum, ſed hanc prouinciam demandabat Ioanni, nunc vero, contradita ſibi cura fratrum, neminem rogat qui ſuo loco interroget dominum. ipſe iam loquitur magiſtro, tacente Ioanne. rurſuſq; rependere beneficium hic vult Ioāni, quod illi præſtiterat in cœna. putabat iam cupere & Ioannem illud ſcire, ſed magis eſſe pusillanimem, quā qui interrogare audeat. Quid multa? ij duo apoſtoli præ aliis mutuò ſeſe diligebant. Communior tamen intellectus hic eſt, quum iam dixerat ei dominus vt ſe ſequeretur in ſupplicio crucis, Petrus inſuper ſcire volens cōſummationē vitæ dilecti ſui condiſcipuli Ioannis, interrogauit, *Hic autem quid*, ſcilicet paſſurus eſt? ſimul atq; enim dominus à cœna ſurrexerat, dixerat q; Petro. *Sequere me*, iamq; Petrus eum ſequeretur ſimul & Ioannes, qui facile cogitabat ſibi nō licere procul à Chriſto manere, vnde & occaſionem Petro dedit interrogandi. Mitto hic, quod nonnulli putant Petrum illic quidem in cœna nimis fuiſſe temerarium, quando putabat nunquam fore vt dominum ſuum abnegaret, hic autem nimium quoque ſibi ſumpſiſſe, vt ſcire cuperet quid de Ioanne futurum eſſet. *Auguſt. Beda.*

3 Cæterùm dominus ſolita ſapientia Petro hic reſpondet, vt ille tamen certi nihil haberet. prę ſumptionē enim ei dum exprobrat, ſimul quod præcipuum erat iniungit, vt ſe ſequeretur, & ait, *Sic eum volo manere, donec veniam. quid ad te? tu me ſequere.* quaſi dicere vellet, Hoc illud meū eſt, neque ad te quicquam pertinet, vt illum diligas. id tamen omne inferius minuſq; reputa voluntate mea: nam & ego eum diligo, ſic ergo *Volo eum manere*. Verbum hoc iam olim etiam inter diſcipulos Chriſti variam ſemper habuit expoſitionē, intelligētibus nōnullis ipſum in Galilæa māſurum, neq; profecturū Romā vt Petrū, cui vniuerſis mundus adminiſtrandus cōmiſſus eſt, tantiſper dū & ipſum dominus educeret. Alij ſic intellexerūt, *Sic volo eū manere*, hoc eſt, quādo tu paſſione & cruce moritur⁹, meq; eſt ſequuturus, ille alio mortis genere tranquillo & pacato morieē. Ad hucalij in eū ſenſum rapiūt, quē alij fratres & diſcipuli habuerūt, Ioannē ita ſuperſtitē māſurū neq; moriturū, donec ipſe veniret. Veruntamē nec de ipſo quidē Chriſti aductu *Theop. Auguſt.*

cõuenit inter omnes. Quidem enim putarũt hîc Christum esse loquutum de suo aduentu ad excidium Ierusalẽ per flagellum Romanorũ, eo quod vixerit ille vsq; ad imperium Vespasiani. Sed hoc mirum dictu est quàm non conueniat, cum Ioannes tandem post Vespasianum sub Domitiano sit relegatus in Patmos, & deinde sub traiano mortuus. Annos siquidem ille natus erat vigintiduos, cum pateretur Christus supplicium crucis, & deinceps vixit adhuc annos sexagintanouem, ita vt colligerentur anni vitæ suæ nonaginta, quando iã numerabantur anni à partẽ sãlute centũ & vnus.

Hieron. Vide etiã Hieronymũ contra Iouinianũ. Fuerunt itaq; alij qui intelligebant mansurũ eum donec veniret Christus ad interficiendũ Antichristũ spiritu oris sui. Alij adhuc putarunt eum victurũ vsq; dum Christus veniret in iudiciũ nouissimæ diei. Et alij rebantur eum omnino nõ moriturum, quod ipse etiam euangelista insinuauit, dicens, *Exiit sermo inter fratres, quia discipulus hic non moritur.* & eundem sensum communi intellectu idem reiicit, quando infert, Non dixerat Iesus, *quia non moritur: sed, sic volo eum manere.* vidẽs

Chrysost. enim, inquit Chrysostomus, discipulorum suspicionẽ, corrigit eam, tanquam quid dixerit non intelligerẽt. An autem mortuus sit Ioannes, & quid hîc vere sit sentiendũ, alia homilia declarabimus. 4 Quãdo nolebat se ex nomine suo hîc exprimere Ioannes, ex officio tamen insinuat, sigillum appendens euangelio suo, vt agnoscatur verùm hîc esse testimonium diuinæ doctrinæ. & ait, *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de iis, & scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium eius.* Multa hîc dicenda essent de maiestate euangelij Ioannis, quod hîc ostenditur fundatũ esse super ipsam veritatem dei, vt nemo de eo dubitare præsumat. plerunque ita dici solet, Eadem optima quę & vltima. sic vltimus inter euangelistas Ioannes est, sed idem quoque perfectissimus. siquidẽ à tempore dominicæ ascensionis in cœlum vsque ad vltima Domitiani principis tempora per annos circiter sexagintaquinque, absque illo scribẽdi adminiculo verbum dei prædicabat, at vbi à Domitiano, qui secundus post Neronem Christianorum persequutor extitit, in exilium missus est, irrumpentes in ecclesiam hæretici, quasi in destituta à pastore ouilia lupi, Marcion, Cherinthus & Hebion, cęteriq; Antichristi, qui Christum ante Mariam

fuisse

fuiſſe negabant, ſimplicitate fidei euangelicæ peruerſa maculauere doctrina. Teſtatus eſt eadē & ante Bedam Auguſtinus in prologo. Interfecto autē tyranno Domitiano, ſub clemētiſſimo imperatore Nerua Ioānes rurſus rediit Epheſum, ipſumq; deinde epiſcopi Aſiæ omnes & catholici rogarunt ſcribere, nonnihil de Chriſti diuinitate, qm̄ de eius humanitate ſatis iam ſcriptū erat à Matthæo, Marco & Luca. Ita triduanum ille ieiunium omnibus demandauit eccleſijs, vt dignè poſſet ſcribere. quo peracto tā ſublime dedit ille ſuo euangelio principiū, vt impletus ſpiritu ſancto, in hæc verba prorumperet, In principio erat verbum, & verbum erat apud eū, & deus erat verbū. Tam altum ſumpſit ille ſibi exordiū, quod ſi ſuſcepiſſet paulo altius, tranſcēderet, inquit Auguſtinus, omnia cacumina montiū terrarum, omnes campos aëris, omnes altitudines ſiderū, omnes choros & legiones angelorum. niſi em̄ tranſcēderet iſta omnia, quæ creata ſunt, non perueniret ad eum per quē facta ſunt omnia. Recte ergo per aquilā ab Ezechiele deſignatus eſt, & à ſe ipſo in eadē ſpecie viſus, In medio & in circuitus ſediſerant animalia quatuor, plena oculis ante & retro. Animal quartū ſimile erat aquilæ volāti. ſicut enim aquila volucres omnes volatu ſuperat & acumine viſus, ita Ioānes altius aſcendit in deſcriptione rerū diuinarum, & acutius vidit, quoniam ipſa ſuæ doctrinæ fluenta ex pectore Chriſti hauſit, quādo ſuper illo cōquieuit. ex eo fonte, in quo theſauri ſapientiæ ſcientiæ omnes reconditi ſunt, euangelium ille ſuum deſumpſit: quid igitur mirum, ſi iuxta Auguſtinū trāſcendit omnes? Hinc & Hieronymus ait Ioannē dicere auſum quod forte angeli neſcierūt. quodq; vere maximum eſt: reliqui euangeliſtæ facta Chriſti deſcripſerunt, Ioānes nihil magis quam ſalutares eius ſermones intonuit. ideoq; eum dominus cum fratre vocauit Boanerges. i. filium tonitrui, quoniam non de terra loquitur, ſed cœlitus tonat cum tremore & horrore valido, ab admiratione diuinæ celſitudinis, myſteriorū quoq; dei & omnipotentiæ. Vt recte dixerit Auguſtinus, Ad me aures, ad illum cor leuate, vt impleatis vtrūq;. Ecce oculos veſtros, ſenſus iſtos corporis leuatis ad ipſum euangeliū, ad ipſum euangeliſtam, cor autē leuandum ad dominum. Et in hac ſcribendi euangelij cauſa concordant Euſebius, Auguſtinus & Beda. Verūm alij aliā

Auguſt.

Auguſt. tract. 1. ſuper Ioā.

Ezech. 1.

Apoc. 4.

Ioan. 13.

Col. 2.

Super Malac.

Mar. 3.

Auguſt.

Euſeb. Hieron.

quoq; rationem adducunt, vt Hieronymus, camq; huiusmodi: quod cum legisset Matthæi, Marci & Lucæ volumina, probauerit quidem textum historiæ, & vera eos dixisse firmauerit, sed vnius tantum anni in quo & passus est, post carcerem Ioannis historiã texuisse. prætermisso itaq; anno, cuius facta à tribu exposita fuerãt, superioris temporis, antequã Ioãnes clauderetur in carcerem, gesta narrauit. (ideo recte dicitur euangeliũ Ioannis supplementũ aliorum euãgeliorum.) Quia ergo nos cũ cæteris fidelibus scimus, quia verum est testimonium eius, curemus per omnia recta fide intelligendo, recta operatione exercendo quæ docuit, ad sempiterna dona quæ promisit, peruenire, Iesum Christũ dominum nostrum, qui est in secula benedictus, Amen.

Beda.

HOMILIA SECVNDA.

DIE hodierna per vniuersam Christi Ecclesiam sanctus colitur apostolus & euangelista Christi Ioannes, & in missa euagelium legitur quod modo audistis, illudq; verbis quidẽ, vt breue est, ita facile cuiq; apparet, intellectu tamẽ salutari plane succi plenum existit. cõmendat enim nobis priuilegiũ amoris præcipui, quo cæteris amplius meruit honorari à dño. Cõmendat placidã suæ carnis absolutionẽ, quã domino specialiter se visitante percepit. Cõmendat testimoniũ euangelicæ descriptionis, quod veritate diuina subnixum nullus fidelium dubitare permittitur. Tria hæc ferme præcipua sunt, quæ ad euangelium Ioannis pertinent, de cuius sublimitate superiori sermone dictum est. ideo enim per altiuolantem aquilã figuratus est, quod acutè adeo & sublimiter diuinitatem conspexit trium personarum præ cæteris euangelistis, qui tantum super terram humanitatis Christi ingressi sunt, ideoque & per terrestria animalia, hominem, leonem & bouem sunt designati: solus autem Ioannes cum aquila sua in altum cõscendit. siquidẽ & apud antiquos aquila ales Iouis & solis credebatur. Reliqua etiam duo digna sunt admiratione, & in ea plurimæ obortæ sunt de S. Ioanne sententiæ, quas hic breuiter enarrabimus, penit⁹ enim illas dissoluere nostræ intelligentiæ nõ est, sed omnes vires nostras superat, ideoque deo committendum, vsquequo dominum Iesum videamus sicuti est. Primo loco quæritur, An Ioannes ille euãgelista, & quomodo sit mortuus, cuius quæstionis

Beda.

nis occasionem hodiernum nobis præbet euãgelium, siquidem quum iam dominus Petrum iussisset se sequi, intulit inde de Ioanne, quod illum sic manere vellet donec veniat. quæ verba sic etiam intellexerunt fratres, quasi Ioannes nõ moreretur. fuerunt itaque qui crediderunt Ioannẽ omnino non mortuũ, sed instar Enoch sublatum, sicut & Elias curru igneo vectus est in paradisum, qui ambo prædicabũt aduersus Antichristum. eodẽ modo putarunt & Ioannem raptũ esse, atq; cũ eis prædicaturum, & Enoch quidem testimonium daturum ex lege naturæ, Eliam de lege scripta, & ex euangelica Ioannẽ. Et hoc astaruũt illi verbis Christi cũ dixit. *Sic eum volo manere donec veniã.* quare & corpus & reliquiæ nusquam apparent. Et ea quidem sentẽtia per hæc verba Ioannis non destruitur, neq; enim dicunt illi, nõ mori Ioannẽ, quod fratres isti arbitrati sunt, sed huc vsque nõ mortuum, moriturum autẽ supplicio aliquo pasionis pro Christo cum Enoch & Elia, qui ambo adhuc mortales esse perhibentur. (illa dicitur fuisse sentẽtia Abbatis Ioachimi. renarrat Theophylactꝰ vt opinionẽ suo tẽpore famosam. Gregorius Trapezuntius miro ingenio dicitur scripsisse librum, Ioannem nõ esse mortuum. sequitur Franciscꝰ. Maronis in quarto, dist. 49.) Atqui sententia illa cõmuniter non recipitur. principio enim Ioannes ipse duos tantũ testes indicat esse resurrecturos aduersus Antichristum, quũ ait, Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducẽtis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ & duo cãdelabra, in conspectu domini terræ stantia. Quod si ipse Ioãnes tertiꝰ esset futurus, quur de se tacuisset? Quid qđ di lectissimo discipulo magna gratiæ fuisset iactura, si tam diu gloria careret æterna, tandẽ, suppliciũ vltimũ expectaret in ipsa vsq; tẽpora Antichristi. Cũo etiã Christũ in pasiõe esset sequuturus? quãuis oppositũ Ioachimi itidẽ ꝓbatudifficile est, eo ꝙ angelus dixit Ioanni dũ comederet librũ, Oportet te iterũ prophetare gẽtibus & populis & linguis & regibus multis. Alia sententia quorundam est, arbitrãtium Ioannem ita manere viuum vsque in diẽ iudicij, quãdo veniet dominus iudicare viuos & mortuos. eiꝰ sentẽtiæ multi fuere, sicut testatur Augustꝰ. aiunt enim Ioannẽ curasse sibi parare foueã Ephesi, & postquã diuina celebrasset mysteria, fideles confirmasse, multaq; salutaria monita protulis-

Gen. 5. *4. Reg. 2.* *Theop.* *Apoc.* *Apo. 10.* *Augusti.*

se, & post benedictionē & orationē in foueam illā siue sepulchrum descendisse, atque ibi vt in lectū sese reclinasse, & iā eodē loco dormire ac interquiescere, ita in somno sepultū. In eius rei argumentū affirmant terram illic sensim scatere & quasi ebullire, idq; eius anhelitu fieri. addit Augustinus, Viderunt qui locū sciunt, vtrum hoc ibi faciat an patiatur terra quod dicitur, quia & reuera nō à leuibus hominibus hoc audiuimus. Verum neq; ipsi Augustino sentētia hæc admodum placet, cum possit deus stupendum hoc miraculū terræ ebullientis facere pro beneplacito suæ omnipotentiæ. Ait insuper difficile esse creditu, Ioannē ideo ibi vsq; in diem iudicij dormire: parū etiam cōuenire, dilectū illum præ aliis discipulis, & qui supra pectus domini in cœna recubuit, tam diu sopitum velut graui veteriq; somno, gaudiis destitui cœlestibus: Petrum autem quā primum à pondere & mole carnis huius liberauit per magnā martyrij sui gloriā. Quur igitur S. Ioannē tam diu sinat expectare? Petiit & Paulus dissolui, vt esset cum Christo. nō petierit autē idipsum dilectus Christi discipulus Ioānes, aut voti compos factus nō fuerit? quur obsecro mitissimus dominus debitam illi gloriam tā diu distulerit? facit huc ad hanc rem & probationem, quod opus nō sit expectare Ioannem ex hoc ad diem iudicij, sed Christum hic de alio aduētu esse loquutum, q̄p ipse Ioānes ait in fine Apocalypsis, Dicit qui testimoniū perhibet istorum, Etiam venio cito, Amen, etiā veni domine Iesu. Librum autem hunc scripsit ille vltimis annis Domitiani, quādo transmissus fuit in insulā Patmos. vnde colligitur, nō multū abfuisse aduentū suum, qui quarto post anno factus creditur. (quāuis cōmuniter illa clausula intelligatur de aduentu domini in morte cuiuslibet, tamen sequitur propositum, quod etiā Ioannes optabat accelerari illum aduētū, & sic erat proximo moriturus.) Sic legimus etiā Dauidem clamasse ad dominū, Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, nimium incola fuit anima mea. Ecce hic Dauid in persona iustorum omniū conqueritur diuturnitatem temporum, quibus in hoc mortali corpore permanendū sit sibi, quis iam dubitet misere tanto tempore vixisse hic Ioannem? aut non desiderarit hoc idem ille, vt potuerit dicere cū Dauide, Sitiuit anima mea ad deū fontem viuum, quando veniā & apparebo ante faciem dei?

Hieron.

Beda.

Augusti.

Philip. 1.

Apo. vl.

Psal. 119.

Psal. 41.

Hieron.

Hiero. nihil addubitat Ioannem esse mortuum, quando in sepulchrum suum descendit: tam autem alienum fuisse eum ab omni mortis dolore, quàm à carnis corruptione. Verùm quid in corpore suo operatus sit dominus, hoc ille deo, cui arcana & occulta omnia notissima sunt, cõmittit. Et in hoc cõmuniter doctores cõquiescunt, atque Augustinus ipse eo respexit, quanuis apertè adeo non expresserit Ioannem verè mortuum. siquidem & ipse sub lege fuit, omnibus autẽ hominibus statutum est semel mori, quando & Christus ipse mortuus est qui supra legem fuit, quanuis in quibusdã prerogatiuam nonnullis discipulis suis reliquerit. Nouit enim primum omnium Ioannes mortis suæ tempus, ideoque foueam sibi parari iussit, sicut ex Hieronymo & Beda docuimus. Deinde apparuit ei dominus Iesus iuxta petitionem suam & ipsius domini promissionem, quando dixit, Quum abiero, parabo vobis locũ, iterum veniã ad vos, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, ibi & vos sitis. Vnde colligunt doctores Christum ad vnũquenque apostolorũ venisse ante mortem suam, illámq; ei prædixisse. Ad hæc citra omnem doloré mortuus est, sicut & Maria. argumento est, quod nõ in lecto decubuit, sed vltro in foueam descendens manssuetissimè emisit spiritũ. neque refragatur ratio, quoniam virgo ipse virgini Mariæ custos & tutor datus est à Christo sub cruce. vbi quidẽ gladius doloris pertransijt viscera Mariæ, quis neget etiam Ioannẽ in maximis fuisse doloribus? Itaq; ab eo dolorem mortis sustulit, sicuti & à Maria, iuxta sententiã Hieronymi aliorũmq; patrum. Præterea hac prærogatiua donatum est in morte corpus Ioannis, quod immune fuit ab omni corruptione, nõ quidẽ ex propria natura, quoniam id soli Christo cõpetit dicente Psalmista, Nõ dabis sanctũ tuum videre corruptionẽ, hoc idem ex gratia datũ est sanctissimo vasculo Christi Mariæ, quod tenerrimũ eius corpusculũ, neque à vermibus absumptum, neque in lutum cõuersum est, quo nomine Maria arcę Noë & testamenti cõparatur, quod ea vtraque ex ligno Setim fabricata fuerat, cuius hæc natura est, vt nõ putrescat. ideoq; & illa Noë arca tanto tempore durauit, vt Isidorus testetur eam aliquod milibus annorum stetisse supra mõtes Armeniæ. Non absimile lignum crescit & in Hybernia, quod nec vermes arrodũt, neque in eo araneæ texunt, sicut in Anglia

Hieron. *Augusti.* *Apo. vl.* *Ioan. 19.* *Luc. 2.* *Hieron.* *Exo. 25.* *Isidorus.*

vidimus ipſi. Atque ideo vt alias Mariam arca deſignat, ita ipſius quoque (liceat interim ſic dicere) imputreſcibilitatē figurat. Et in hoc Chriſtus Ioannē æquauit Mariæ, quoniā in ſepulchro corpus eius inuentum non eſt, ſed manna ex ipſo reſudans. Ad extremum, hoc (quod & ex ſuperioribus cōſequitur) accepit Ioannes à domino, vt quamprimū corpore & anima aſſumptus fuerit in cœlū. niſi enim reſurrexiſſet etiam corpore aſſumptus, illud vtique inhonoratum in terris non reliquiſſet Chriſtus, ſicuti & miraculoſe reliquias ſancti Stephani & aliorū reuelauit, crucē quoq; ſuam, Geruaſium & Prothaſium Mediolani, ſanctum Gereonem Coloniæ, aliōſque ſanctos innumeros. quando autem dilectiſſimi diſcipuli corpus non reuelauit dominus in terra, ſignum eſt, veſtitum illum gloria & immortalitate in cœlis. Etiam quādo templum domini, Maria, in æterna patria eſt exornatum, quis nō credat hoc idem de templi illius cuſtode Ioanne? Ad hęc miraculoſe ſuſcitauit dominus Moyſen, vt vna cū Elia appareret in monte Thabor ad paruum tempus. Et quur nō idem dilecto ſuo diſcipulo donarit in perpetuū? Quod enim corpus Moyſi nō inuentum eſt, aliud cauſa fuit, ne ad idololatriā alias procliuis, incitaretur gens Iudæorū, quod periculū metuendum nō erat hic circa Ioannem. Præterea, in Chriſti paſſione leguntur multa corpora ſanctorum, qui mortui erant, reſurrexiſſe ex monumentis, & viſa eſſe in ſancta ciuitate, atq; apparuiſſe multis. Quod ſi igitur gratiā hanc multis patribus dedit dominus, vt corpore & anima reſurrexerint cum Chriſto, age perfrica frontem, quiſquis es adeo impudens, & dicere aude, eandem gratiam illam dilecto ſuo diſcipulo nō contuliſſe. Quid itaque pluribus moramur? Mortuus vtique eſt Ioannes, iuxta illud Dauidicum, Quis eſt homo qui viuet & nō videbit mortē? ſed hanc ei gratiam dedit dominus, quod ſupplicio paſſionis non ſit ſequutus ſicut Petrus & alij, ſed ita quiete vixit permanſitq; in Iudæa, vſque dum Veſpaſianus pararet excidium Hieroſolymitanū, vbi præmonitus ille à ſpiritu ſancto, fugit in Aſiam peruenítque Epheſum, vbi tandem reuerſus ex inſula Patmos, vegeta & ſolida ſenectute mortuus eſt: ſimúlque, vti iam meminimus, corpore & anima coronatus eſt in æterna gloria, quam & nobis concedere dignetur Chriſtus Ieſus in ſecula benedictus, Amen.

Hieron.

Matt.17.

Deut.34.

Matt.27.

Pſal.88.

Chryſoſt.

HO-

HOMILIA TERTIA.

SVPERIORI homilia diximꝰ tria quædã præcipua hic de Ioãne nobis proponi, cõsignationem & cõfirmationem euangelij sui, mortem eius doloris omnis expertem, de quibus satis multa diximus. supereſt priuilegium amoris, de quo porro dicendum erit, quoniã præ cæteris discipulis hunc dilexit dominus, quanuis & alios omnes diligebat, secundum quod dixit eis: Sicut dilexit me pater meus, ita ego diligo vos. & paulò antè, diligite inuicem, sicut & ego dilexi vos. Et quanuis res hæc parum habeat dubitationis, quo ad alios apoſtolos, tamen si ad Petrum reſpiciamus, videtur nõnihil habere de quo ambigas, Vter charior fuerit domino. & Ioannem quidẽ peculiariter à domino eſſe dilectum, argumento eſt, quod vbicunque sui meminit, tantum discipulum cõmemorat quem diligebat Ieſus, quaſi peculiare de ſe argumentũ & veluti ſymbolum daturus charitatis. Ad hæc, quod euidentius potuiſſet dominus ei conferre dilectionis ſignum, niſi quod ex omnibus vni permiſſum eſt ſupra pectus cõquieſcere dominicum? vnde ſequitur, eum aliquãto plus fuiſſe à Chriſto dilectũ. Sed viciſſim quoq; fundamẽto nõ caret, Petrũ domino fuiſſe charioré, eo ꝙ & ipſe magis amauerit dominũ præ omnibus, quãdo & Chriſtꝰ ſic eum interrogauit, Simon Ioannis, diligis me plus iis? in quibus & Ioãnes & cæteri erant apoſtoli. potioré autẽ eſſe quis neget eum, qui Chriſtũ magis diligit? quomodo illum quoq; diliget dominus. ita enim ait, ego diligẽtes me diligo. (ſicut ſimpliciter ad ſimpliciter, &c. per topicã) ideoq; qui Chriſtũ maximè dilexit, eũ viciſſim ille omniũ maximè dilecturus eſt. Iam igitur quæſtionis huius difficultatẽ cernimus, dum vtrinq; argumẽta poſita ſunt, inde multas quęſierunt patres ſancti vias, quibus ſe ex hoc labyrintho extricarent, quorũ omnium ſentẽtias hic referre & lõgũ nimis fuerit, & moleſtius quam ad ædificationẽ veſtrã attineat. Quãobrem potiſſimã ſententiã inducemus, quæ ſic habet. Magis quidem dilexit dominus Petrũ Ioanne, nõ in ſeipſo, ſed ſuis tantũmodo membris, hoc eſt, in eccleſia fideliũ, quorum ille perſonam gerebat, vniuerſalis à deo ſuper eccleſiã paſtor conſtitutus. Eámque cõmunem ait eſſe Bonauentura ſententiam. & ſi ita res haberet, Ioãnes abſolute loquẽdo, charior

Beda.

Ioan.15.

Ioan.13.

Ioan.13.

20.& 21.

Ioan.21.

Prou.3.

fuisset domino, deinde beatior iam esset in cœlo quam Petrus, vnde aiũt illi, nõ Petro, in eius rei argumentũ, matrem à dño esse cõmendatam. Nos à publica bene trita via nõ recedamus, dicẽtes sicut cõmuniter dici solet, absolute Christum magis dilexisse Petrũ, quam Ioannem. sed quod ad humanam naturam, teneriori affectu amasse Ioãnem. ad id in-
Tom. 2. telligendum, pro repetito habere volumus quod in homilia quadam diximus dominicæ 19. à feriis pentecostes quomodo accipiendum sit, aliud alio charius esse. Christus ergo secundum humanitatem suam familiarius dilexit Ioãnem prę cæteris, vltra hoc quod sibi sanguine iunctus erat, sicut &
Bernard. alij quidã. Ita aperte, inquit Bernardus, Petrus dilexit feruentius, diligebatur fortius: Ioãnes amabat dulcius, & amabatur familiarius, vnde & ipse à dño tenerius est adamatus.

2 Eiúsque rei plurimas inuenimus rationes, quarum potissimæ quatuor se hic offerũt, 1, ob tenerã ipsius ætatẽ, natu enim hic omniũ minimus extitit, & tempore passionis Christi, annorũ erat tantũ vigintiduorum. hoc autẽ humana habet cõsuetudo, vt tenerius amentur iuniores. ita in cœnobiis fieri solet inter viros & mulieres, ita si quis liberos multos habet, licet absolutè primogenitũ plus diligat, natu minimum tamen vltra omnes maiori amore prosequitur fa-
Chrysost. miliaritatis. 2, Diligebat, inquit Chrysosto. Ioãnem dominus magis familiariter propter ingenitã mansuetudinẽ, qua similior ille Christo fuit præ omnibus aliis. Petrus aliquãto superior fuit magísq; cõcitus mouebatur, Ioãnes mitis planeque mãsuetus erat, ita vt cõueniat in eum, quod de
Nume. 12. Moyse scriptum legimus, Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabãtur in terra. Ita mãsuetus fuit &
Psal. 88. Dauid, de quo dixit deus, Inueni virũ secundũ cor meũ. de
2. Reg. 23. eo etiam scriptũ est. Dauid sedet in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus. ille autẽ tenellus adeo est, vt etiam tactus nõ admodum sentiatur. Huiusmodi mansuetudine ornatus fuit S. Ioannes, quod ex dulcissimis suis epistolis satis liquet. si enim omnes euoluas vtriusq; testamenti libros, nullum inuenies in quo tantũ de dilectione dei & proximi scriptum sit, & vbi
Aug. sup cano. Io. tract. 5. charitas hominibus magis cõmendetur. Sic Augustinus ait, Quid valet charitas, omnis scriptura cõmendat, sed nescio an alicubi amplius quam in ista epistola commendatur. hoc

(si me-

(ſi meminiſtis) cõmendauimus, cum iſtam epiſtolã incipe-
remus, nihil in ea ſic nobis cõmendari vt charitatẽ. Et ſi vi-
detur alia & alia dicere, illo facit reditum, & ad ipſam cha-
ritatem omnia vult referre, quæcũque dixerit. ita placidiſſi-
mus eſt iſte ſuus loquendi modus, cum ſubinde dicit, filioli
mei. Quando igitur mãſuetus adeo ille fuit, mitis atq; beni-
gnus, tenerius à domino quoque dilectus eſt, quãdo & ipſe
ſuauiſſimus manſuetiſſimúſque extitit inter filios hominũ.

3 Neque etiam exiguæ rationis loco aſſignari ſolet pri- *Hieron.*
uilegium mundiſſimæ ſuæ virginitatis. ita enim de virgini- *Beda.*
bus inquit Sapiens, Hæc eſt quæ neſciuit thorũ in delicto, *Sapien.3.*
habebit fructũ in reſpectione animarum ſanctarũ, hoc eſt,
quando reſpiciet eam dominus remuneratione æterna. &
Salomon quoque ſic ait, Qui diligit cordis mũditiam, pro- *Prou.22.*
pter gratiã labiorum ſuorum, habebit amicũ regem. Atque
hæ rationes duæ ſunt, quur dominus dilectiſſimam matrem
ſuam Mariam Ioannis potius quam cuiquam cõmiſit apo-
ſtolorum, quoniam ipſe magis cæteris conuerſatus eſt cum
illa. ſiquidem poſt eius tandem obitũ curam ſuſcepit eccle-
ſiæ Aſianę. Quarta dilectionis huius erga Ioãnem cauſa eſt,
ipſa intellectus ſui ſubtilitas & acumen, quo dono donatus
ipſe eſt vltra alios, quod vel ſolo ſuo experimur euangelio,
quo omnem Chriſti ſermonem de ſua diuinitate præ cæte-
ris acutius deſcripſit, vt iam mirum non ſit præceptorem,
diſcipulum tantum tantopere dilexiſſe, quando etiam inter
homines experimur chariores eſſe doctoribus diſcipulos,
qui ante alios ſunt ſtudioſiores, quãobrem & Salomon di- *Prou.14.*
xit, acceptum eſſe regi ſeruum intelligentem & ſapientem.

3 Sequitur ex iis iam intellectus & ſententia quæſtionis,
quam aliquis facere poſſet, quur ita Ioãnes perſonam ſuam
denotet, vt dicat, Diſcipulus quem diligebat Ieſus, aut in
hoc ne potiorem ſe aliis iudicauit, quaſi qui plus gratiæ di-
uinæ accepiſſet quam Petrus: ſequitur inquam inde reſpon
ſum, quãuis hac circũſtantia ſemet Ioannes deſcripſit, id ta-
men eo factum nõ eſt. quod ideo ſe ex ſuperbia digniorem
oſtenderet eſſe cæteris. ſiquidẽ non de illa dilectione loquitur quæ veſtis eſt nuptialis, ſecundum quam quiſque magis *Matt.22.*
minúſve remuneratur in vita æterna, non de eſſentiali cha-
ritate, quæ dei gratia eſt, ſed tantũ de illa teneriore & fami-
liari dilectione agit, ex qua Chriſtus ei familiarior extitit

quàm aliis: quãuis hic quoq; temerario ſtatuere nihil decernimus in eo, quod arbitremur Petrũ eſſentialiter eſſe Ioanne beatiorem. conſtat enim põderationem meriti cuiuſlibet hominis, pprie ſpectare ad deũ, iuxta illud, Spirituũ ponderator eſt dominus. Ioanni Chriſtus matrem ſuam cõmendauit, Petro eccleſiam. vtraque cõmiſſio præclara. Ita ſententiam noſtrã pro meliori parte indicauimus. vter autẽ ſit ſanctior, confidimus nos aliquãdo in illa futura patria plenius cognituros. id nobis cõferre dignetur Chriſtus per interceſſionem ſanctorũ apoſtolorum Ioannis & Petri. ¶ Principio huius homilię cõmemorauimus, quomodo Auguſtin⁹ quæſtionem hanc credat eſſe difficilimam, & tamen eo declinat, vt dicat, Aggrediar in eius manifeſta miſericordia, cuius eſt occulta iuſtitia, de ſoluenda quæſtione tam ingẽti pro viribus, quas ipſe donauerit, diſputare. fundamentum inde ponit, cogitationẽ meditationẽmq; noſtram, quã paupere hic vitam geramus in mortali iſto corpore, quod aggrauat animam: liberati autẽ per mediatorem Chriſtum, poſtquã ſuſcepimus pignus ſpiritum ſanctum, tũc ſanè vitam habemus æternam, ſed in ſpe tantũ. & ita generalis eſt apud doctores diſtinctio, eccleſiam geminã eſſe: alteram militantẽ, quæ cõtinuo cõflictu & pugna exercetur aduerſus diabolũ, carnem & mundũ, ſicq; vitam hominis ſuper terrã militiã eſſe perhibet Iob: (ita enim ſecundũ cõmunem tranſlationem legitur, quãuis Auguſtinus ſeptuaginta ſequutus, tentationẽ legat) triũphantem alteram, quæ doloribus atque laboribus, ærumnis & lachrymis omnibus ſuperatis, feliciter iã regnat in cœlis. 4 Ad hoc fundamẽtũ, quod multis verbis proponit Augu. ſtatuit ille quęſtionis iſtius ſolutionẽ, & ait primo, Quia Petrus perſonã gerit catholicæ eccleſiæ militãtis in terra, ob ſuum inter apoſtolos primatũ. illa enim quæ ſuper Chriſtũ fundata eſt, in Petro ſuſcepit claues, hoc eſt, ſoluendi ligãdique poteſtatem: illa autẽ triumphans figuratur in Ioanne, quia ex gratia nomen ſuum traxit. Itaque nunc Chriſti verba conſideremus, Sequere, inquit ille, tu me. quo omne: qui hic viuunt admonentur Chriſtum ſequi, ipſum ſequendo forti animo omnia huius mundi mala ſuſtinere, ſicut inde docuit Petrus, Chriſtus pro nobis paſſus eſt, nobis relinquens exemplũ, vt ſequamur veſtigia eius. Ad Ioannem verò ait ille, velle ſe eum ſic manere, donec veniat retribu-

Prou. 16.

Auguſt.

Sapien. 9.

Iob 7.

retributurus ei bona æterna. Et in hac quidem vita multis miseriis oppressa, quo magis cum Petro diligimus deum, omníque patientia sequimur Christum, eo facilius à malis liberamur. Verùm hic interim nos dominus minus diligit, sed Ioannem beatum illum plus amat. & tamen Petrus, hoc est, homo in terra militans, debet deum diligere vt qui maxime, quatenus ab hac mortalitate liberetur. Ioannes autem diligitur, vt in hac immortalitate conseruetur. Commune & receptum hoc alias etiã est apud doctores, imperfectam esse in hac vita charitatem, in illa æterna denique perficiẽdam. sublata enim tum fide, tum spe, sola charitas augebitur. quæ etiam ratio est eius, quod de Ioanne Christus dixit, Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, sed tamen minimus in regno cœlorum maior est ipso. Quando Ioannes adhuc Petrus erat, militans in hac vita, minor quoque fuit dilectio sua quolibet minimo in cœlo. Verum cum iam mortuus est, factus Ioannes in ecclesia triumphante, aucta est illi charitas sua, ita vt post Christum & Mariam thronum in cœlo summum sit consequutus. 1. Pet. 2. 1. Cor. 13. Mat. 11.

¶ Diceres, Si Ioãnes vitam significat felicitatis ætetnæ, magis ille diliget deum quàm Petrus hic. Sed propterea, inquit Augustinus, dictum est, volo eum manere, id est expectare, donec veniam: quoniam & ipsum amorem, qui tunc multo amplior erit, nondum habemus, sed futurum expectamus, iuxta illud quod Ioannes ipse ait, Nondum apparuit quid erimus, scimus autem quod quando apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. Ita magis amat Petrus, dum quotidie misericordiam orat, ipseque interim minus diligitur, eo quòd minus nos diligit Christus afflictos quàm beatos. Vnde Augustinus, omnia trahit ad sensum mysticum, quum tamen regula sit in theologia, ita mysticanda esse scripta, vt litera non omittatur, sicut fecit Origenes de paradiso. & hæc regula facit vt reliquerimus Augustinum, & sentẽtiam priorem velut æquabiliorẽ amplexi simus. alij intellgunt vitam actiuã & cõtemplatiuam, nec ij longe sunt ab Augusto. Quocunque modo res perpendatur, videbimus magno priuilegio donatum à Christo Ioannem, eo quod ipsum prę omnibus discipulis dilexit. vnde & legimus apparuisse ei Christũ in vltimis vitæ suæ dieb⁹, dixisséque, Veni dilecte mi, tempus est vt epuleris cum fratribus Augusti. 1. Ioan. 3. Regulæ.

tuis: Ioannem quoque respondisse, Venio lætus, quãdo inuitatus sum ad conuiuium tuum, meque à te inuitatum, est quod gaudeam & simul tibi gratias agam. Ad illud ineffabile conuiuium salutis æternæ, nos quoque perducere dignetur Christus Iesus in secula benedictus, Amen.

HOMILIA IIII.

Valde honorandus est beatus Ioãnes, qui supra pectus domini in cœna recubuit, ait ecclesia in præsenti festo.

QVAE in præsentiarum vobis verba prępposuimus, sanctæ matris ecclesiæ sunt, quibus hodie vtitur in solennibus sacris S. Ioannis, de quibus vt aliquid auxiliante dei gratia fructifere loqui, posimus. Mariam misericordiæ & gratiæ omnis parentem vnà mecum inuocate, cum Gabriele dicentes, Aue gratia plena, &c.

¶ Omnes nos hodie ecclesia admonet S. Ioannem euangelistam ardẽter magnoq; desiderio colere, quod & filij eius, modo non degeneres, omnes faciunt. nihil enim hìc nobis sumimus de neochristianis, quorum vel in hoc vno insignẽ cernere licet tum cæcitatem, tum stultitiam, quando in prę-clara quadam ciuitate in reliqua sapientia mundi & omni administratione politica, supra reliquas Germaniæ ciuitates admodum laudata, statuerunt omnes apostolorum dies festos haberi debere, hoc vno excepto, quẽ ex ordine festorum sustulerunt. Quod quis non videat opus esse Antichristi, qui iuxta nominis sui rationẽ per omnia futur⁹ sit Christo contrarius? ideoq; quũ Christus honore magno Ioannem dignatus sit extollere & præ cæteris dilexerit, ita fieri oportet, vt Antichristus in suis mẽbris diuersum aggressus, Ioannem minus reliquis colat. & huiusmodi ineptias sibi assumunt sapientes mundi huius, vt omnes Christiani iam videant verum esse illud Pauli, Quod stultum est dei, sapientius est hominibus. Videte vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit deus, vt confundat sapientes. Et inde, Sapientia huius mundi stultitia est apud deum. Scriptum est enim, Comprehendã sapiẽtes in astutia eorum. & iterũ, Dominus nouit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. Vsque adeò excæcari solent,

1. Cor. 1.
1. Cor. 3.
Iob 5.
Psal. 92.

lent, qui propria freti ſapientia, ſe ſegregãt ab eccleſia fidelium. Sicut & alia ex inſignioribus ciuitatibus, ſtatuit aliquẽ non plus quam par calceorum dare debere virgini quã vitiarit. Vah ſtoliditatem & amentiam hominum, veſtramq; dæmones in ſuggerendis malis impietatem, qui tam prudẽtes & ſapientes homines quo non redegiſtis? Sed ex ipſa ſua ſuperbia hoc eis cõtingit, quod dominus prædicit per Eſaiã prophetã, Peribit ſapientia à ſapientibus, & intellectus prudentium abſcondetur. Atque per Abdiam, Perdã ſapientes de Idumæa, & prudentiam de mõte Eſau. Hæc eo vobis lubentius dico, vt ne offendamini in iſtis magnatibus, qui dilectiſſimi diſcipuli Chriſti Ioannis feſtũ abrogarunt, cæci ipſi & cæcorum duces, quorũ cæcitas & ſtultitia excæcauit eos, impletis ita in ipſis Chriſti verbis, Abſcondiſti hæc à ſapiẽtibus & prudentibus, reuelaſti autem ea paruulis. Ita pater, quoniam ſic fuit placitum ante te. Vt autem funditus intelligatis, quibus quantiſq; priuilegiis delictum ſuum diſcipulum dominus donarit, ex ordine ſingula vobis recitabimus iuxta ſacrarum literarum teſtimonia. Neminẽ enim ex ſententia Chryſoſtomi mouere debet, quod ex contempta regione Galilæa, & ideo viliſsimo Bethſaida natus eſt, pauperculi piſcatoris filius, ab adoleſcentia conuerſatus in ſtagno, retibus ſibi victum quæritans, ignarus omnis peregrinæ doctrinæ & ſcientiæ. hęc inquam conſiderare nemo debet, ſed potius quantum & quomodo immenſis eum dominus dignatus ſit donis. ¶ Et principio quidem Ioannes ille virgo à domino vocatus eſt ad apoſtolatum ex ipſis nuptiis, quod poſt Hieronymum Beda ſic commemorat: Tradunt hiſtoriæ, quod eum de nuptiis volentem nubere vocauerit, & propterea quem à carnali voluptate retraxerat, potiore ſui amoris dulcedine donauit. Inſuper hæc quoque doctorum ſententia eſt, nuptias illas quas dominus verſæ in vinũ aquæ miraculo cohoneſtauit, fuiſſe Ioannis, ſicut in die triũ regum dici ſolet. Nec quiſquam ideo Ioannem culpare debet, quod vxorem ducere voluit: quoniam tunc dilatatio fidei generatione liberorum & prolis multiplicatione augebatur: & ideo Ioannes ignarus adhuc gratiæ incipientis, ad matrimonium conſenſerat. Verùm interim animus eius nimirum ita diſpoſitus fuit, vt Saræ filiæ Raguelis, quæ dicebat in corde ſuo, Tu ſcis domine, quia nunquam concupiui

Eſa.29.

Chryſoſt.

Hieron. Beda.

Ioan.2.

Thob.8.

virum, & mundam seruaui animam ab omni concupiscentia. Virum autē cum timore tuo, non cum libidine mea concupiui suscipere. Quamprimum igitur Ioannes intellexit nuptos in domino longe honestius nasci per verbum dei quam per carnem, dicto citius sese ad Christum conuertit in vita deo beneplacita. Et hoc est quod Hieronymus ait eum esse à deo vocatum ex nuptiis. Neque enim ab illicito quæstu vocauit hunc, vt Matthæum à telonio: vel etiam à
Lucæ 5. licito, & tamen à deo non instituto, sed honestissimo coniugij statu à deo ordinato. Siquidem Ioannes ex sententia
Augusti. Augustini, Gregorij, & Bedæ, vitam significat contemplatiuam, à cuius suprema dúsque proxima functione, coniu-
1. Cor. 7. gium admodū abstrahit: iuxta illud Pauli, Mulier innupta & virgo, cogitat quæ domini sunt, vt sit sancta, & corpore, & spiritu: quæ autē nupta est, cogitat quę sunt mundi, quomodo placeat viro. Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod honestū est, & quod facultatem præbeat sine impedimento dominum
c. Ruſſus. obsecrādi. Vnde colligimus primo, & honestam & deo be-
c. cōſoluit. neplacentem esse virginum. Vestalium castitatē, qua se cer-
c. inſinuan te. extra qui cleric. vel vocu. tis votis astringunt, ne in cultu diuino impediantur: deinde recte decretum esse ab ecclesia, eos qui matrimonium inter se cōtraxerint ante muuam commistionē posse alterū etiam sine alterius cōsensu, cœnobium intrare ad viuendū sub regula. 2 Deinde ponderatis iis, facilè constat quantum deo placuerit virginitas Ioannis, quem quia Christus ipse à nuptiis vocauit, nónne eam habuerit gratissimam summæque placentem? Certe per hoc ille factus est diuinæ sapientiæ & spiritus sancti vas electissimū vnde & ob munditiē & virginitatē suā præ cæteris à domino dilectus fuisse merito creditur, quamobrem Christus ipse eum in cœna super pectus suum reclinare passus est: vbi ex ipso dominico pectore tāquam fonte diuinę sapientiæ vberrimo, sanctissimę doctrinæ hausit fluenta. hinc etiam euangelista factus est omnium perfectissimus, reliquos procul à se relinquēs, eo quod nul-
Eze. 28. & 17. lus tam alta & sublimia de diuinitate Christi scripsit, atque vnicus ille, quo nomine figura aquilæ designatus est à propheta. Imo hic ipse, aquila illa grandis est, magnarū alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit
Esa. 52. ad libanum & tulit medullam cedri. Hic ille euangelista fuit,

fuit, de quo Esaias dixit Ecce intelliget seruꝰ meus, & exaltabitur, & eleuabitur & erit sublimis valde. Vnica aquila extitit quę per mediũ cœli volauit, vt recte de eo cantet ecclesia, Volucrẽ hanc sine termino & meta euolare, quo nemo prophetarũ vsquã pertigit. Quid multa? nullus homo satis emeditari & cõsiderare valet sublimitatem sanctissimorum, planeq; diuinorũ sensuum, quibus euãgeliũ Ioannis vndique scat. Vsque adeo ille per continentiam suam virginalem aptior factus est ad susciplenda diuinæ sapientiæ sacramenta: quoniam in maleuolam animã non intrabit sapẽtia, & spiritus sanctus nõ habitabit in corpore subdito peccatis. Ita videmus quomodo Ioãnes virgo à domino vocatus, factus sit apostolꝰ dilectissimus Christo & euãgelista supremus. Ad hæc cõsidera, quomodo anima sancti Ioannis vsq; adeo super omnes homines illustrata fuit, vt ipse fuerit & prædicator & doctor, seu scriba & euangelista & propheta. ipsum enim multis annis prius prædicasse, quã relegaretur in insulã Patmos, iam supra docuimus. Insuper & scriba fuit. ideo enim epistolã scripsit canonicam ad Christianos, tribus epistolis distinctam: sicut Petrꝰ, Paulus, Iacobus & Iudas Thadæus fecerunt. ad hæc & euangelium scripsit, vti iam meminimus. At super hæc omnia donum etiã habuit prophetiæ, quando scripsit Apocalypsim, in qua ei dominus statũ reuelauit Ecclesiæ nascentis & imminentis Antichristi. Quo etiã ille omnes noui testamenti scriptores antecellit, quod solus librum iustum condidit prophetiæ, sed neque alius præter hunc euangelista vltra euangelium suum epistolam scripsit canonicam. Et licet insuper Lucas Acta descripsit apostolorum, iste tamen liber historicus longe inferior est, hoc ipso Ioannis, quo reuelauit ei dominus cuiuslibet Ecclesiæ statum præcipue illarum septem. Ita iam liquet Ioannem fuisse prædicatorem, scriptorem, prophetam & euangelistam. *Apoc. 8.* *Sap. 1.*

3 Sequitur etiam ex illi. Quando scilicet Ioannes ita peculiariter præ cæteris virgo à domino electus est, quo nomine ille vicissim ampliusab eo dilectus est, maximum etiam ipsi impendit honorem, qui in hominẽ potuit conferri super terris, in hoc quod matrem suam sub cruce iamiam moriturus ei commendauit: qui si non virgo fuisset, vtiq; ei matrem non commisisset, virginem quoque sanctissimam.

Virgo fuit & Ioseph, virgo Christus & virgo Ioannes, atq;
Ioan. 19. ij tres curâ habuerunt Mariæ. quando igitur Christus Ioan
Hieron. ni quod habuit charissimum, committere veritus nõ est, &
illi honori maxime fuit, & argumentum quoque extitit suę
sanctitatis, quod virginem virgini commendauit, quæ com-
Ioan. 19. missio quam fuerit honorifica, testatur euangelista ipse,
quia cum videret Christus Mariam stantem, & discipulum
quem diligebat, dixit matri suæ: Ecce filius tuus. deinde di-
cit discipulo, Ecce mater tua. Quibus verbis testatus est
Christus, Ioannem filium futurum Mariæ, qua gratia quid
F. Maro- sublimius, quid prętantius, quidve dignius in eum confer-
nis Brian re potuisset? (Subtiles disputant, an Christus transferre po
so. tuit relationem filiationis in Ioãnem, ita quod vere & rea-
liter fuerit eius filius, sed hæc in scholis.) Deinde Mariam
quoq; sequentibus verbis cõstituit matrem Ioannis. Quod
donum nõnne vere maximum extitit, Ioannem sub cruce
fratrem Christi filiúmque factum esse Marię? postea osten-
dit euangelista Ioannem hic commissioni Christi satisfe-
cisse. Sequitur enim, Ex illa hora accepit eam discipulus in
sua, hoc est, ita ei inseruiuit, ita eam coluit, vt si mater sua
propria esset.' 4 Sicut itaq; iam audiuimus, magnis Ioãnes
ille à Christo donatus est priuilegiis: quoniam virgo ab eo
electus est, præ cæteris à domino dilectus: ad hæc super pe-
ctus domini recubuit, ante & super alios illustratus est di-
uina sapientia, quam ob rem eximius factus est euangelista,
excellens prædicator & doctor, prophetarum summus no-
ui testamenti, & in reuelationibus accutissimus, cũ quo etiã
angeli locuti sunt familiarius, & in eius curam Maria com-
mendata est. in morte quoque quanta susceperit priuilegia,
Mat. 17. alia homilia iam supra dictum est, & totum vndique euan-
Mat. 26. gelium plenissimum est, quomodo semper sibi Christus
Act. 3. Ioannem vti coniunctissimum sociarit in sua transfigura-
tione & in monte Oliueti, in resuscitatione mortuorum, in
resurrectione, & in iis quæ cum Petro post resurrectionem
peregit, & spiritus sancti missionem: ita ille non apostolus
tantum, prophęta & euangelista fuit, sed etiam martyr:
vbi quid susceperit gratiæ & auxilij à deo breuiter recen-
sebimus. Quum Domitianus alteram persequutionem mo
liretur aduersus Christianos (prima enim à Nerone facta
erat) Ioannes quoq; tantus in Epheso, ductus est Romam:

ibique

ibiq; iussu imperatoris ante portam Latinã adductus, detonsus, flagellatus, in olei feruẽtis lebeté seu dolium impositus, illæsus tamẽ exiuit: deinde insulam Patmos ex Cicladibus vnam relegatus est. Milites fratres Rhodij ferunt eam insulam à Rhodo nõ admodũ distare, iamq; Palamum dici. ibi (authore Hieronymo) librũ scripsit Apocalypsis. Scripsit ad illum & Dionysius epistolã valde elegantẽ, vbi sicait, Saluto te sacrã animã dilectissime, euãgelij solẽ, clarissimũ radium. denuntiat ibidẽ ei fore, vt liberatus ab exilio, redeat in Asiam, sibiq; hoc diuinit⁹ esse reuelatũ, quod & factũ est. Tyrannus enĩ Domitianus eo anno occisus est, & Nerua successor eius omnes ipsius sentẽtias & constitutiones aboleuit. vnde factũ est, vt Ioannes quoq; reuerteretur Ephesum, vbi veniẽtem populus cũ magno gaudio excepit, clamans, Benedictus qui venit in nomine domini. ibi etiã in ingressu ciuitatis Drusianã resuscitauit mortuã, aliáque miracula multa in nomine Christi operat⁹ est. tãtamq; hominum multitudinẽ conuertit ad fidẽ, vt põtifices idolorum seditionem in plebe cõcitarent. Quumq; Dianæ templum magnificentissimũ per preces Ioannis corruisset, Aristodemus cõtentus erat, si Ioannes lætale poculũ veneni sine damno biberet: quod & ille non abnuit. Vt autẽ Aristodemus horrorem Ioanni ex aliorum exẽplo & periculo cõcitaret, impetrauit à iudice duos reos vinctos sibi dari, quibus ille venenum coram Ioannes & omni populo potandũ dedit, qui & in ipso articulo mortui sunt: Ioannes facto super illud signo crucis, bibit sine omni nocumẽto. Vnde exclamauit totus populus, Vnus deus est deus Ioannis, Iesus Christus. Aristodemus autẽ insuper à Ioanne petiit horum duorum mortuorũ resuscitationẽ, & Ioannes oblato ei pallio suo, iussit ipsum illud in nomine Iesu mortuis imponere, qui statim surrexerũt rediuini. Ibiq; etiam Aristodemus credidit, & baptizati sunt vltra duodecim milia hominum. Hinc cepit originẽ laudabilis illa Christianorũ cõsuetudo, vt poculũ, aut, vt ipsi dicunt, amoré Ioannis inter se bibant felicissimę recordationis. Cęsar Maximilianus de hoc dicere solebat, cõiuges duos in Carniola fuisse, qui mutua cõuẽtione facta de suspẽdio in cellario, ad vltimũ decessum tamen benedictionẽ biberunt seu poculum Ioannis. statimq; eis omnis de suspendio cogitatio recessit, ipsiq; deinde deũ

Hieron.
Dionys.
Eusebius.

Alij quidē nonagenarium asserunt.

magnificarunt, & sanctum Ioānem qui peruersi propositi sui cogitationem eis ademerat. Sanctus Ioannes multa insuper adhuc miracula operatus est, vixitq; ad Traiani tēpora, annis sexagiuta octo post Christi passionē, & āno ętatis suę octogesimooctauo felix ex hoc seculo secessit. Vos igitur plamente magnoque affectu veneremini Si. Ioannem apostolum & euangelistam Christi, quatenus &c.

IN DIE INNOCENTIVM MARTYRVM EVANGELIVM.

Matthæi. 2.

IN ILLO *tempore, Apparuit angelus domini in somnis Ioseph, dicens, Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in AEgyptum, & esto ibi vsquedum dicam tibi. Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdēdum eum. Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in*

Oseæ 11. *AEgyptum. Et erat ibi vsque ad obitum Herodis, vt impleretur quod dictum est à domino per prophetam, dicentem, Ex AEgypto vocaui filium meum. Tūc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, secundum tēpus quod exquisierat à Magis. Tunc*

Iere. 3. & 31. Thre. 1. *impletum est, quod dictum est per prophetam Ieremiam, dicentem: vox in Rhama audita est, plorat⁹ & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.*

HOMILIA PRIMA.

DEO puer Iesus in terris natus est, vt egestatē, miseriā, & mortē pateretur. Ad eā rem quāprimum se accōmodauit, primaque statim infantia cœpit in peregrinas regiones commigrare. Hoc quoq; mox declarauit quale bellū gesturus esset in mundo, dū pueros innocētes occidi passus est propter se. prius enim illi mortui sunt quā loqui inciperēt, ante sanguinē quē lac profuderunt. At nos ipsum principio textū euāgelij aggrediamur, ac deinde de puerorū istorū tū innocētia, tum sanctimonia disseramus. 1 Quū iā magi tres sua munera Christo obtulissent, rursusq; abiissent domū profecti, apparuit angelus dñi in somnis Ioseph, & dixit, *Surge, tolle puerū, & matrem*

matrẽ ei⁹ &c. Apparuit inquã angel⁹ Ioseph. vbi Theophait, perſpici cauſam deſponſatæ virginis Mariæ, nimirũ vt diligentius eo Ioſeph matrẽ curaret, & puerum in hac profectione AEgyptiaca. quãuis quod apparuit ei angelus, magnum etiam argumẽtũ fuit ſanctitatis ipſius, quodque colloquio dignus eſſet angelico. Et quum in ſomno ligatę ſint vires ſenſuum exteriorũ, aptior etiã redditur homo diuinis reuelationibus ſuſcipiendis & intelligendis. Neq; enim ſuſpicandũ eſt, Ioſephum incertiorem habuiſſe reuelationem antiquis patrib⁹, & id cõtra Gloſſam, quæ exiſtimat angelũ apparuiſſe ei in nocte propter eius dubietatẽ. ideo viſo hæc nõ in ſomnio facta eſt, ſicut illa Pharaonis & Nabuchodonoſoris, ſed quando ille mẽtem ſuam penitus auertit ab exteriorũ ſenſuũ vſu, magis etiã factus eſt idoneus citra omne impedimẽtum, ſublimia illa & diuina myſteria cognoſcere. ita enim vſu venit multis, vt quod inuenire nõ poterant vigilantes, intelligant dormiẽtes: cuiuſmodi etiam reuelationem Balaã habuit, quando ait, Dixit homo cuius obturatus eſt oculus, dixit adiutor ſermonũ dei, qui viſionem omnipotentis intuitus eſt, qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius. Cadere intelligit ibi dormire, quãdo exterioribus illis oculis clauſis, interni iſti aperiũtur intelligẽtię. Quæras, Quur non Ioſepho vti Zachariæ in vigilia apparuerit? Reſpõdetur, Quia, ſenſibilis viſio eſt propter intellectualẽ, ſecundũ Auguſtinũ. ideo Zachariæ viſibilis apparuit, vt cognoſceret quid interius de ſuo ſentiret filio. Ioſephum autẽ oportuit ex interno ſapere intellectu, & capere illud quod agere deberet foris: ideo reuelatio ſua ab interiori parte cepit initium. 2 Ait autem angelus, *Surge, tolle puerum & matrem eius.* Surge, euigila, eſtoque robuſtus. quo verbo fugę, celeritatem ſignificare voluit & tarditatẽ excludere, neque dixit, Accipe vxorem tuam, ſed matrem eius, quoniam ſuſpicio ſoluta fuit, & iuſtus per miracula in partu probauit ex ſpiritu eſſe omnia. id ille colligit ex apparitione ſtellæ, ex iis quæ Simeon & Anna prophetauerant. hinc etiam Hilarius dicit. Quum deſponſatam iuſto ſignificabat, eam cõiugem appellauit. ſed poſt partum mater tantum IESV oſtenditur, neq; amplius Ioſeph vir Mariæ dicitur. *Fuge in AEgyptum, & eſto ibi donec dixero tibi.* Ecce quomodo etiã ſupremus paſtor fugit, vt ne quis miretur interim & vi-

Theop.

Cen. 41.

Da. 2. 4.

Num. 2.

Luc. 1.

Lib. 12. ſuper Ce.

Luc. 2.

carios ei⁹ fugere. quod quãdo posint licite facere, alia ho-
Tom. 2. milia diſſeruimus. poterat enim dominus. Herodis euadere
ſæuitiam etiamſi cõprehenſus ab eo fuiſſet, ſicut effugit &
iſtorum manus in Nazareth, qui eũ de monte præcipitare
parabant. ſic deinde conſultum fuiſſet ſaluti & vitæ horum
Luc. 4. paruulorum. Voluit autem ille locum præbere crudelitati
Herodis, fieriq; permiſit cædẽ tot innocentũ puerorũ, ad
Chryſo. æternã ipſius damnationem, & illorũ gloriam. Chryſoſto.
quoque ſic ait, Multo potius fuiſſe videatur in manus eum
Herodis incidere, nec tamen quũ incidiſſet, latere, ſed claro
prorſus diuinitatis auxilio vindicari. Verùm hoc modò re-
bus impletis creditum nõ fuiſſet, verè illum ſuſcepiſſe car-
nem, tantiq; hodie myſterij ſacramenta mutarent, & ideo
dominus humanitatem ſuam multis voluit efficaciter pro-
Hebr. 2. bare, iuxta illud Pauli, Debuit per omnia fratrib⁹ ſimilari,
vt miſericors fieret. Quanuis & hæc ratio ſubeſt, quod hic
ipſo facto docere voluit, ſuos dũ ad mortẽ inquiruntur, fu-
gere poſſe, ſicuti deinceps expreſsis docuit verbis, vt ſi per-
ſequutionem ſuſtinerent in vna ciuitate, fugerent in aliam.
Et adhuc tamen ſuſpicari poſſes nondum tibi ſolutum eſſe
dubium, quod deinceps tamẽ manus euaſit Nazarenorum:
Luc. 4. quur ergo non etiam hic? Reſpõdetur Chriſtum hic infan-
tem adhuc recens fuiſſe natum, quando propter nos huma-
nitatem ſuam humanis debuit probare defectibus: quando
autẽ maturior ętate factus eſt & prædicauit, oportuit eum
doctrinam ſuã miraculis quoq; confirmare: quod tunc factũ
eſt, quando miraculoſe per mediũ eorũ trãſiens ibat. Quæ-
Matt. 1. res amplius. Quur non dixerit angelus Ioſeph, quandiu ſibi
in AEgypto manendum eſſet. hoc ſanè non ideo non ape-
ruit, quod neſciuerit ipſe, ſed vt (quum antea denuntiaſſet
Ioſepho, dei filium ex Maria naſciturum) in eo pietatẽ ex-
citaret, & ipſum paratioré faceret ad omnia, ita vt neceſſã-
rium nõ eſſet tẽpus ei conſtituere mãſionis. ſatis eñ hoc e-
rat pio viro noſſe voluntatẽ dei, qui ipſum per angelũ ſuũ
conſtituebat filij matríſq; curatorẽ. Ad hæc voluntatẽ ille
ſuam ita in beneplacitũ dei repoſuerat, vt neque exiliũ neq;
tẽpus aliquod ei moleſtius eſſet. imò omnia promptiſsimẽ
faciebat, vrgẽte magnitudine diuinæ charitatis. Quonim ſi
Gen. 26. Iacob omne tempus breue extitit ſeruiendo pro vxore Ra-
chel ex vi amoris, quomodo nõ idem fuiſſet in Ioſeph, qui

vehemen-

vehementius multo Deum conditorem redemptorémque ſuum dilexit? Quando igitur voluntarie omnia fecit, neque iter aliquod ei longius fuit, nec tempus moleſtius, eo quod charitas omnia ſuſtinet, credit omnia, & omnia ſperat, &c.

3 Inſuper cauſam addit angelus, Quur hanc præprope- *1.Cor.13.*
ram fugam ita ſubito denuntiet, & ait, *futurum eſt vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Hinc colligunt doctores, feciſſe hoc Herodem aliquanto poſtquam oblatus eſt Chriſtus in templũ ſub purificatione Mariæ. ſed de iſto, ſequenti dicemus homilia, quando totam inducemus hiſtoriam. Nunc verba euangelij obſeruate. *futurum*, inquit ille, *eſt vt Herodes quærat puerum* id ex malignitate Herodis prodibat, metuentis temporale ſuum regnum ſibi à Chriſto præripi, qui tamen ſpirituale tantum in corde hominis voluit inſtituere deo patri ſuo, canente Sedulio, Hoſtis Hero *Sedulius.*
des impie, Chriſtum venire quid times? nõ arripit mortalia, qui regna dat cœleſtia. Ioſeph multũ ſolicitus, ſedulúſque pueri Ieſu & Mariæ cuſtos, acquieuit ſtatim verbis angeli. ſurrexit enim, accepit puerum & matrem, ipſáque nocte aufugit proficiſcens in AEgyptum. Vbi ſi mores humani conuictus reſpiciamus, exemplum ſumendum omnibus eſt maturæ celeritatis in agendis rebus, vbi mora ingratiſſima eſt. vnde aſſueſcendi ſunt paruuli maturare omnia, iuxta illud Sapientis, Vidiſti virum velocem in opere ſuo, coram regibus ſtabit. Surrexit Ioſeph, & profectus eſt in exilium cum *Prou.22.*
puero Ieſu & Maria matre eius. Ecce, inquit Chryſoſt. ſta- *Chryſoſt.*
tim vt Chriſtus natus eſt, cõtra eum tyrãnus furit, vt tu hęc audiens, & videns tribulationes varias & mille ſuſtinere diſcrimina, nihil omnino turberis, neq; tecum ratiocineris ac dicas, Quidnam iſtud eſt quod mihi infertur immerito? ſed iſto munitus exemplo, viriliter cuncta ſuſtineas, ſciens tribulationes maximas inſeparabiles eſſe virtutum comites. Ecce hic quẽ modo ſtella indicauit & oſt ẽdit de cœlo, is hominẽ fugit fugit in terrra. At inſuper cõſiderandũ ibi eſt, q̃ proprie euangeliſta periculum inſinuet, quámque diligẽs in de- *Beda.*
mandato ſibi officio fuerit Ioſeph, quia etſi angelus hoc nõ iniunxerat, ipſe tamẽ ea nocte aufugit. Hieronymus ſic ait, Quando tollit puerum vt in AEgyptũ tranſeat, nocte tollit & in tenebris, quãdo vero reuertitur in Iudæã, nec nox nec tenebræ ponuntur in euãgelio. Ita iam ille ſuſtulit pue-

rum. Sunt qui putent eum Mariam cum puero impoſuiſſe aſello, ſicut eius maxime loci incolæ homines pauperculi ſolent eiuſmodi animalia fouere: quam ſententiã noſtrates fere fouent, tenentq; pictores. Alij exiſtimant Ioſeph puerum Ieſum ſuo tergo portaſſe, ſiquidem tunc puer aliquantulum cõfirmatis cum ætate viribus, erat annum excedens, ſicut ſtatim aperiemus. in hoc allegant locũ Ezechielis, Priuceps qui eſt in medio filiorũ Iſraël, in humeris portabitur, in caligine efferetur. quanuis verba hęc Hierony. & Gloſſa interlinearis referãt ad exitum Chriſti ex limbo in cœlum. Quicquid igitur hoc eſt, nobis cõſtat, Ioſeph accepiſſe puerum & matrem eius, magnáque cura & prouidentia ſumma ipſis inſeruiſſe, ne qua parte aliqua mali eis accederet, quoniam ad officium ab æterno præuiſus & ordinatus fuerat.

Ezech.1. *Hierony.* *Gloſſa.*

4 Expendunt etiam hîc doctores Chriſtum in AEgyptũ confugiſſe præ aliis regionibus, quanuis famoſa ſit in ſcripturis, vt Babylon, caput iniquitatis. Ad hoc reſpondens Theoph. In AEgyptum, inquit, fugit, vt eã ſanctificet. duæ enim ſunt regiones omnis nequitiæ officinæ, Babylon & AEgyptus: Babylonem per Magos ſuſcepit adorante, AEgyptum autẽ ſua præſentia ſanctificauit. Sicut ergo veniſſe ſe perhibuit ad vocandos peccatores, ita multum decuit ipſum etiam venire in AEgyptum, vt eam ab idolorum cultura & blaſphemiis liberaret. Referunt hinc ſancti patres, licet extra hiſtoriam euãgelicam, in ipſo Chriſti ingreſſu in AEgyptum corruiſſe à ſtatuis, idolorum ſimulachra, factúmque id eſſe, ex cõparatione colligere poſſumus. Siquidem quum deus tantum operatus ſit miraculum in exitu Idæorum de AEgypto, vt non relinqueretur in ea domus, in qua nõ primogenitus iacebat mortuus, eo tantum, vt omnes ſibi ſanctificaret primogenitos, ſicuti & deinde dixit omne primogenitum ſuum eſſe, poſtquam percuſſerit primonita in terra AEgypti: ita quum venit Chriſtus in hunc mundum, vt omnem populum ad veri dei cognitionem adduceret, relicto idolorum cultu, non fuit in AEgypto templum, in quo non conciditſet idolum. Sed forſitan argumentum hoc tibi videretur non ſatis efficax ad probandum. age roboremus & confirmemus illud ex quodam doctore, qui prophetæ ad hoc citat teſtimonium, dicens: Ecce dominus aſcendit ſuper nubem leuem, & ingredietur AEgyptum, &

Theophy. *Matt.2.* *1.Tim.1.* *Exod.12.* *Num.3.*

com-

commouebitur simulachra AEgypti à facie eius. Nubecula hæc leuis, ait Hieronymus, corpus ipsum est sanctæ virginis Mariæ, quod nullo humani seminis pondere prægrauatũ est. Vel etiam nubes leuis, est humanitas Christi, quæ nulla peccatorum mole pressa est. siquidem peccatum non fecit, tantum cœlesti formata est calore instar nubis, dicente angelo, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Doctores super hæc adhuc alia quædam inferunt (vide Hieronymum in sensu literali, antequam veniat ad tropologiam) tempore natiuitatis Christi multas in AEgypto plagas, variósque hominũ languores fuisse grassatos. sed quum primũ in eam venit Christus, simul & idola corruisse, & plagas istas cessasse. hoc illi colligunt ex eodem propheta, dicente, Percutiet dominus AEgyptũ plaga, & sanabit eam. hinc cõmoti sunt AEgyptij ædificare altare deo ignoto, qui sanitatem eis restituerit, sicut idé propheta commemorat, In die illa erit altare domini in medio terræ AEgypti, & titulus domini iuxta terminum eius. Ad hæc sunt, qui velint dominum ibi habitasse in Heliopoli, quod eius vrbis mentio non temere vtique ibidem fiat propheta. Eadem etiam vrbs est, in qua S. Dionysius admirabilem vidit eclipsim solis in die parasceues sub mortem Christi, qui tunc ei adhuc erat ignotus, sicut ipse ad Apollophanem, qui tunc socius eius fuerat, simúlque cum ipso eclipsim hác admiratus est, scribit: vnde & ambo ad Christi fidẽ conuersi sunt. Nos hic conquiescamus, quod Ioseph accepit puerum & matrem eius, fugerítq; cum eis in AEgyptũ. & existimant doctores adeo diligentem in officio sibi demandato fuisse Ioseph, vt ea statim nocte fugerit, non moratus diutius, quando etiam opus non erat eum vicinos suos antea salutare, quod abitus sui occultus esse debebat. Ad hæc, apparatu nõ magno opus habebãt pauperes, ipsi & vestitu nimio nõ abundãtes, nec magis sumptibus indigentes, quod splendidè nõ viuebant. deinde laborare ambo potuerunt, vt se pariter & puerũ fouerent, quando & ipsum paruulum non ita delicatè nutrierunt, vt nunc plerique faciunt pauperes, qui argento & serico eos exornant, quũ interim domi vix panẽ atrum ex hesterno iure vorent. Ita oportuit puerum Iesum in teneris annis commigrare in exilium. Tu nos Christe Iesu tuere ab exilio mortis æternæ, Amen.

Esa.19. Hierony.

Luc.1. Hierony.

Esa.19. Ibidem. Cassio.in trip.hist. Dionysi.

Ioan.6. COLLIGERE iussit dominus discipulos suos fragmenta quæ supererant, ne perirent: id nos spiritualiter in sua implebimus significatione, & fragmenta, quæ superſunt nobis ex superiori homilia collecta, ne pereãt, vobis ad animum vestrum reuocabimus. Multa ibi de AEgypto diximus, & quomodo Christus in eam ſeceſſerit, & euangeliſta in hoc adducit veteris teſtaméti teſtimoniũ, vbi ſcriptũ eſt,

Oſeæ 11. *Ex AEgypto vocaui filium meum.* Quod argumentũ eſt nobis, magnum quiddam fuiſſe fugam illam, iuxta regulã Auguſtini, ſi quid in veteri ſit prædictum, & in nouo demum teſtamento adimpletum. Iulianus ex imperatore Chriſtiano factus apoſtata, euangeliſtam hic ſuggillauit, quod quæ propheta de populo Iſraël prædixerit, ea ille ad Chriſtum retulerit. Verùm ad hæc pulchrè & per longum reſpondet Hieronymus. quanuis enim vocatio hæc per figuram facta ſit in Iudæis, qui ab idololatria ſunt reuocati, perfectè tamé illa conſummata eſt in Chriſto: ſicut & Iſaac typice ligna portauit, quando à patre ſuo erat immolandus, id tamen perfecte impletum eſt in Chriſto, lignum crucis ferente ad

Theoph. mortem propriam. Non abſimile eſt quod Theophylactus ait, dicunt Iudæi, quod propter populũ dictum ſit hoc, qui ex AEgypto per Moyſen ductus eſt. dicimus itaque, Et quid nouum, quod per figuram dictum eſt de populo, im-

Regula. pletũ vere in Chriſto? deinde quis eſt filius dei? populus ne

Chryſoſt. qui adorauit Beelphegor & ſculptilia, an qui reuera eſt filius dei? Sicque in hoc pedem fere figunt ſancti doctores. ait etiam Chryſoſtomus hunc eſſe prophetiæ morem, vt multa ſæpe in aliis dicantur quidé, ſed in aliis impleantur, ſicut de Simeone & Leui, Diuidam eos in Iacob, & diſpergã in Iſraël. quod non in ipſis, ſed tamen progeniei eorũ impletum

Gene. 49. eſt. Quodque imprecatus eſt Noe Cham, in poſteris ſuis

Geneſ. 9. Gabaonitis cõſummatum eſt, qui ſeruierunt Iudæis. Ita in benedictione Iacob dictum eſt, Eris dominus fratrum tuorum. Nunquã autem Iacob dominus fuit Eſau, ſed in poſte-

Ioſue 9. ritate ſua factum eſt hoc. Ad eundé modũ quoque licet hoc typice de toto dictũ ſit populo, proprie tamé impletum eſt in puero Ieſu. Quãuis etiam teſtimonij huius authoritas cõmuniter ex Oſea recepta putatur, propter proteruos tamé

(Hieronymus

(Hieronymus ait) & contentioſos, quorum cõſuetudinem Paulus ſe habere denegat & eccleſiã Chriſti, poſſemus proferre alium locum ex numeris, dicẽte Balaam, Deus ex AEgypto vocauit eum, gloria eius ſicut vnicornis. Sed iam nos reliquam euangelij partem aggrediemur. *Hieron.*

1 *Herodes,* inquit Matthæus, *videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde.* Quomodo illuſus ab eis fuerit, antea dixerat, eo quod commiſerit ipſis, vt inquiſito puero renuntiarent ei. illi autem prænoniti in ſomnis, per aliam viã reuerſi ſunt in regionem ſuam, & non ad Herodem, qui ideo etiam iratus eſt. Maximum quod hîc quæri ſolet, eſt de tempore quo illud ſit factum, neque enim ſtatim poſt Epiphaniæ feſtum factum eſt, quando Ioſeph & Maria manſerũt in Bethlehem per 40. dies puerperij, deinde tandem profecti Hieroſolymam ad offerẽdum puerum in templum. Sed & hinc dubium remanet, quãdo adhuc poſt hæc factum ſit: ſiquidem ſeptennio toto aiunt Chriſtum in Aegypto moratum, & tunc duodennem cum parẽtibus Hieroſolymam profectum ad feſta paſchalia, & ſic remanebunt anni quinque. Ibi iam ſunt qui dicant Herodem vidẽtem tres magos nõ eſſe reuerſos ad ſe, deſiiſſe porro quicquam cogitare de Chriſto vſque ad feſtũ purificationis, vbi increbuerit apud omnes, quid ibi de Simeone contigiſſet & Anna: tũc etiam dicunt Herodi denuntiatum eſſe, tres magos clam ex ea regione eſſe profectos, ibi propoſuiſſe illum ſibi paruulorum Bethlehemitarum cædem. fuiſſe quoq; inſuper diſcordem eum cum filiis ſuis duobus Alexandro & Ariſtobulo. quos ipſe coram Cæſare accuſauerat. Romã profectus, authore Ioſepho. quæ profectio pene in biennium protracta eſt, do nec rediret. reuerſus autem, cruentum ſuum propoſitum in paruulis impleuit. aiunt quoque rationem hanc eſſe, quur ille pueros omnes à bimatu & infra occiderit. in hoc autem tempore reuerſionis Herodis, dicunt angelum Gabrielem apparuiſſe Ioſeph iuſsiſſeque vt fugeret in Aegyptum, Alij quoque nonnulli non admodum diuerſum ſentiunt, niſi quod tempus abbreuiant, dicentes occiſos eſſe pueros Herode reuerſo à Roma, anno vno & quatuor diebus à natiuitate Chriſti. Quod autem occiderit ille bimulos, nõ in cauſa eſſet, quod tunc duo anni fuerint à Chriſto nato conſummati, ſed quia (iuxta Matthęũ) Herodes diligẽter inquiſiuit *Nume. 23.* *Schol.* *Luc. 1.* *Augu. de con. euan.* *Li. 16. c. 4* *Mat. 2.*

tempus ſtellæ, quãdo apparuiſſet, longo autem tempore illa viſa eſt Magis ante Chriſtum natum, authore Chryſoſtomo: eo q̃ longum habebant iter emetiendũ ad Chriſtũ, ſem perq́ue voluit deus eos venire ad Ieſum adhuc puerum prima ætate & ſub tempus puerperij: ideoq́, omnẽ ſuam tẽporis huius vniuerſi rationẽ Herodes ad ſtellã cõpoſuit. Fieri poteſt etiam, vt tyrannus crudeliſſimus curarit bimulos omnes ante exactum adhuc biennium interfici ob maiorem ſua opinione ſecuritatem, ne forte euaderet qui quærebatur. Et ſecundũ ſenſus ſuperiores, verba quoq; exponũt ſequentia.

Sup Matthæi. 7. Chryſoſt.

Expd. 1.

2 Sequitur ergo, *Mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis.* Ecce quantum malum molitur temeraria maligoitas, quam horrendam cædem excitat peruerſa dominandi cupido, bene ille ſe æquauit anteceſſori ſuo tyranno Pharaoni, qui omnes etiam Iudæorum maſculos iuſſit occidi, & in aquas præcipitari. Atque Pharaonem tamen ſuperauit Herodes, ille enim ideo fecit, vt minueretur populus domini, ſicut iam neochriſtiani conantur monachos, Veſtales & cœnobia loco ſuo deiicere: Herodes inſuper cœli terræq́ue dominum cogitauit occidere. Cæterùm quomodo acta ſint hic omnia cum numero infra bimatum, variant doctores. alij enim intelligũt infra bimatum, quo ad tempus, hoc eſt, de iis qui biennium nondum attigerant, & ſic communiter intelligi ſolet. Alia ſententia ducuntur, qui non ad tempus, ſed ad numerum referunt. ſi enim incipias à capite numeri, poſt vnitatem numerabis duo, tria, hic nãque poſt duo ſequuntur tria, quatuor, quinque, &c. ſic ergo ſentiunt iſti Herodem occidiſſe pueros omnes à bimatu, inferius numerãdo vſque ad quinquenniũ. adducunt in hoc rationes duas: alteram, quia non occiderit Herodes paruulos octo tantum dies aut menſem vnum natos, vel etiã annum vnicum, eo quod longe antea audierat de puero Ieſu à Magis & de ſtella ſibi dicta: deinde, quod in reliquiis iſtorum paruulorum inuenias oſſa, quæ nõ potuerint eſſe puerorũ bimulorũ: concludunt ergo eum paruulos à duobus annis vſq; ad quinq; occidiſſe. De hac cõtrouerſia nolim multis cõtendere: niſi quod poſteriorẽ ſententiã poſſem ſimili argumẽto infringere. illa enim quæ ego Heidelbergæ & Coloniæ duorũ innocentũ vidi oſſa, minora ſunt

Gloſſa. Schol.

mihi

mihi visa, quam quæ fuerint bimulorum. Veruntamen neque finem aliquem habet iniquitas, neq; iniustitia modum. Crediderim sanè commissionem hanc fuisse Herodis, sicut euangelista refert, in cuius tâtum executione quidam iuniores, grandæuiores alij sunt occisi. Cogitare autem quis posset, quomodo posibile foret homini vel crudelissimo, tam inhumanũ cõmissum pariter atq; spectaculũ, in tanti sanguinis innocentis profusione patrare? Respondetur, nihil huic immanissimo tyranno nimium fuisse, qui generum quoque suum occidit, vxorẽ suam Mariamnẽ, & socrũ Alexãdram, similiter & sororios duos Iosippũ & Christobarũ iussit occidi, filios quoq; duos Alexandrũ & Aristobulum suspendi præcepit. Antipatrũ insuper, quẽ antea constituerat regem post se futurũ, trucidari curauit. Neq; hîc aliquis modo crudelitatis suæ fuit, quum ineffabili cruciaretur dolore mortis tempore (siquidem interius ardebat vt ignis, fame inerrabili augebatur, viscera eius ex vlceribus putrescebãt, pedes intumuerant, similiter & inguina, pudẽda vermibus vndique scatebant. halitus fœdissimus vix multis suspiriis attractus, ex eo prodibat admodum fœtens, membris omnibus cõtractus iacebat inter extrema suspiria) cõpererat Iudæorũ nõnullos gaudere de morte sua. Commisit itaque sororio suo Alexio, vt nobilissimos quosque ex eis conuocatos in hippodromum armatis circundaret militibus, imminente mortis suæ articulo, sicq; illi nondum comperta omnibus morte sua, interficerentur: & vel hoc modo gens Iudæorum ex sua morte non gauderet, sed magis in lamenta luctusq; conuerteretur, quàm super aliquo rege. Atque hæc omnia scriptor Iudæus receptissimus Iosephus, hoc modo descripsit. Ne miretur itaque aliquis super hoc immanissimo tyranno de hoc innocentum puerorum tam inhumana clade, vt nulla ex parte ei possent parentes resistere. Potẽti enim iste tyrannide regnauit, miserosque cum potẽtibus sua vi oppressit, & ne amicis quidem cõiunctissimis pepercit, vt Antipatro, Lysimacho, Dositheo, & aliis quamplurimis.

Lib. 16. cap. 16. li. 17. c. 19.

Li. 17. c. 9.

3 Inducit porrò hîc euangelista testimonium prophetic ũ: quo magis moueantur omnes homines expendere crudelitatem Herodis, doloremque acerbissimum matrum erga liberos dulcissimos: qui ab ipsis vberibus abrepti, à seruis crudelissimè trucidabantur, dissecabãtur, & dilaniabãtur. quando

enim ex leui casu magnũ quælibet mater susc̃ipit dolorem, quanto acerbior fuerit ille istarum matrum, quum videret filiorum sanguinem innocẽtissimum miserrime profundi, suáq; viscera sic laniari, corpuscula quoque tenerrima, sanguine, anima, & vita carentia, humique prostrata, iacere? Quid ni matres corruerint hic super filios eósque exangues osculatę sint, & vulnera exiccauerint? Nónne eas pleraſque præ vehementia doloris sibi crines euulsisse, scidisse vestes, vnguibus facies sibi laceraſſe, omniáque ea fecisse quæ dolentes & lugentes solét? Præuidit hoc etiam Ieremias in spiritu, & dixit, *Vox in Rhama audita est, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* Multa hic quærendo occurrunt, quæ tamen ad scholas relegata volo. *Vox*, inquit *in Rhama audita est.* Est quidem locus in tribu Beniamin, nomine Rhama, duodecim miliaribus à Bethlehem distans. plerique autem doctorum in hac sunt sententia, non eum vicum hic intelligi, sed quia Rhama Hebræis sonat excelsum, voluisse prophetam insinuare, quomodo matres pro filiis suis inclamarint in sublimia cœlorum, vt hic testatur Hieronymus, Quoniam vicus iste Rhama procul abfuit à Bethlehem, & adeo quidem versus siniſtram à Ieruſalem, quantum ad dextram ab ea distat Bethleem. nam Rhama est versus septẽtrionem à Ieruſalẽ. Bethlehem verò ad austrum. Hoc tamen inquirendum est, cur hic propheta meminerit Rachelis, quæ mater fuit Beniamin, nõ autem Bethlehem fuit in tribu Beniamin, sed Iudæ, sicuti Micheas & Matthæus clarè testantur. Inuenio hic quadruplicem responsionem. 1 Vt maxime Rachel fuerit mater Beniamin, tamen illæ duæ tribus ita fuerunt coniunctę, vt quod ad vnam spectaret, ad alteram quoque semper pertinebat. 2 Vel etiam si mater fuit Beniamin, non procul tamen à Bethlehem sepulta est, vti Iacob ipse testatur. 3 Quando non Bethlehemitas tantum pueros occidit Herodes, sed & qui circuncirca erant, fuit autem illa finitima tribui Beniamin, in qua & Ieruſalem fuit, & potissimi ex iis paruuli interempti sunt à Bethlehem versus Ieruſalem, ideo recte Rachel filios suos ploraſſe dicitur. 4 Mysticè dicunt quoque doctores Rachelem flere filios suos, quando ecclesia suos deplorat martyres, quem sensum nunc breuitatis gratia prætermitto. Quur autem fleuit Rachel,

Iere. 18.

Eusebius.

Hierony.

Ioſue. 18.

Mich. 5.

Matth. 2.

Gene. 35.

3. *Reg.* 12.

Gene. 24.

chel filios suos? quia non sunt, occisi iã erant, & abrepti parvuli à matrũ vberibus. Quomodo paruuli hi martyres sint, ad concludendũ hoc euangelium, breuiter quæstiones duas inducamus, Priorem, quando in veteri testaméto necessaria fuit circuncisio, an paruuli illi nondum circuncisi sint saluati. Alterã, quum vsu adhuc caruerint rationis, quomodo mereri potuerunt, & coronam palmámque martyrij adipisci. Hancque posteriorem primo loco dissoluemus, dicétes cum doctoribus nostris, ad perfectũ martyrem duo requiri: primo paratam bonámque voluntatem: deinde, causam iustam, vt quis propter deũ causã iustitiæ patiatur & fidei, sicut Ioannes Baptista. Triplices ergo sunt martyres, quidã in voluntate & opere veráque & iusta causa, vt Laurétius, Sebastianus, Barbara. Alij sola voluntate, vt Ioannes euangelista & S. Martinus, de quo canit ecclesia, O sanctissima anima, quam etsi gladius persequutoris non abstulit, tamen palmam martyrij non amisit. Idem nonnulli perhibent de latrone dextro, in quo causa bona nulla fuit, siquidé hic suspensus est ob sua maleficia, voluntatem autem bonam habens, & in Christum credens secum patientem efficit vt ei causæ defectũ restaurarit Christus, sic præclarè ait S. Hieronymus, & trãscripsit ex eo Gratianus, Christus inuitauit latronẽ de cruce ad paradisum, & ne quis aliquando seram cõuersionem putaret, fecit homicidij pœnam martyrium. Ecce etiam quàm pulcherrimo ordine Ecclesia instituit hęc tria festa se sequentia, Stephani, Ioannis, & Innocentiũ. Stephanus enim & voluntate, & opere martyr fuit: Ioãnes sola voluntate. innocentes illi opere tãtum: quoniam Christum moriẽdo cõfessi, ante pro eo mortui sunt quàm loqui possent: tacuit enim eorum lingua, nec quicquam vidit oculus, manus nihil adhuc fecerãt, nullam penitus etiam apud Herodem culpam habuerunt, nisi quod cum Christo nati fuerant, ideo ille eis vicissim ante dedit triũphare quàm viuere, coronis donauit priusquam membris, ante cœlum possidere quam terram. statim ad martyriũ nati sunt, non mũdo. vere igitur & quam maximè salubriter viuũt, qui pro Christo mortui sunt, eósque causa suæ mortis verè facit martyres esse. Sequitur etiam, martyrem esse, aut fieri, donum dei existere, quãdo in iis paruulis nec arbitrium, nec aliqua electio libera fuerit, vbi etiã natura ligata fuit. profecto enim

Bonauen. Mat. 14.

Hieron. ad Dama sum. de pœ ni. di. 1. c. Importuna.

Seuerinus in hom.

Augusti. superare diabolum, tortorem defatigare, corpusque in supplicium tradere, non virtutis humanæ, sed donationis extitit diuinæ. Consequitur iam responsio ad quæstionem alteram: Quandoquidem paruuli ij omnes martyres & testes Christi fuerunt, vere etiam in sanguine suo baptizati sunt, contra Armacanum, qui credidit pueros incircuncisos fuisse nocentes & damnatos. Ita Augusti. libro quarto de symbolo capite quarto ait Christũ eis hoc tribuisse, vt pro Christo morerentur. (adde totum ferme capitulum in honorem innocentum: adde & Chrysostomum par. 5. in duabus pulchris homiliis, de innocentibus.) Tota igitur catholica & indiuisa Ecclesia sanctos martyres veneratur innocentes, deúmque precatur, vt per eorum & omnium sanctorũ intercessionem gratia conferatur hîc in terris, vt simul gloriam assequamur felicitatis æternæ, Amen.

DIE CIRCVNCISIONIS DOMINICAE, VNDE ET ANNI CVIVSQVE FELIX AVSPICAMVR INITIVM,

Euangelium Lucæ 2.

Gene. 17. Iere. 41.

IN illo tempore, Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo, priusquam in vtero conciperetur.

HOMILIA PRIMA.

SI solum externum illum crudumque huius euangelij contemplamur sensum ex litera pendentẽ, dicto citius rem omnem absoluerimus, quando ex omnibus totius anni euangeliis hoc vnum brevissimum est. Sin omnia quæ continet plurima nobis consideranda sumamus, videbimus amplissimum nobis ingrediẽdum esse campum, eo quod in se circuncisionem Christi cõplectitur, & impositionem sui sanctissimi nominis Iesu, q illi ab æterno à patre suo datum fuerat. Principio consumtis octo diebus, *vt circumcideretur puer*, implere etiam in se voluit dominus præceptum datũ Abrahæ, Infans octo dierum circuncidetur in vobis. Omne masculinum in generationibus vestris, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum

Gene. 17.

ritum facit. Circuncisio hæc in veteri testamento præcepta observataque est loco baptismi, sicut egregiè dicit Augustinus contra Iulianum. Ex quo instituta est circuncisio in populo dei, quæ erat tũc signaculum iustitiæ fidei, ad purgationem valebat magnis & paruulis originali veterisq; peccati, sicut baptismus ex illo vulere cœpit ad innouationem hominis, ex quo institutus est. Ita Beda etiam hîc ait in homilia, Scire debet fraternitas vestra, quia idem salutiferæ curationis auxilium circuncisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod nunc baptismus agere reuelatę gratiæ tempore consueuit, excepto quod cœlestis regni ianuam necdum intrare poterant, donec aduenięs benedictionem daret, qui legem dedit. Quia autem & circuncisio ad incrementum fidei facit, & confirmationẽ eiusdem, nõnulla de eadẽ quàm pauciſsimis proponenda sunt. Et primum omniũ apparet hinc deum à nobis etiã externũ aliquid reposcere, vt errant in hoc neoterici, qui omeia exteriora excludere volẽtes, deũ sola mente venerari inteidunt, quum tamen in peccati originalis remisionem exteriora etiam signa præceperit nobis deus. Quando igitur baptismus noui testamẽti iã signũ est, sicut fuit circuncisio in veteri lege, quæritur quodnam habuerint remediũ culpæ originalis paruuli in lege naturæ ante datã circuncisionẽ. Respondetur, Quia nullo vnquã tempora misericors deus hominẽ dimisit sine interiori medicina, vt fuerit etiã tẽpore legis naturæ pharmacũ aliquod peccati originalis. poterant enim qui iam ad rationis suæ vsum peruenerant, per bonas volũtatis suæ cõmotiones extingue re culpã originalẽ: quod quũ nõ possent facere infantes, iis quoq; ex gratia deus remedium contulit signũ externum, quo parentes eorũ fidei suæ qualecunq; contestabantur argumentũ, puta sacrificiũ quod pro illis deo offerebant. Et hoc est quod Gregorius ait, Quod apud nos iam valet aqua baptismi, hoc apud veteres potuit pro infantib⁹ fides (actus scilicet ille exterior, quo protestabãtur parentes fidem pro puero) in adultis autem virtus oblationis & sacrificij.

Augusti. & habetur. de con se. dist. 4. c. ex quo. Beda.

4. Moralium.

2 Mystice quoque hîc considerate, quid iis sibi voluerit Christus, quod circuncisionem eo membro instituit, & qui dem fieri debere die octauo, atque id cultro petrino. Principio Abrahæ data est circuncisio, vt per obedientiam placeret deo, sicut per transgressionem Adam displicuerat illi:

Gene. 15.

deinde quoque in argumentum maximæ fidei Abrahæ, qui etiam credidit habiturum se filium in quo benedicerētur omnes tribus terræ: & quia per hoc symbolum populus ille electus, cui dominus terram promissionis, quā deinde dedit, iam pollicitus erat cum ipso Messiæ aduentu, à cæteris gentibus secerneretur. Vnde colligitur circuncisionem non ita omnibus præceptā fuisse hominibus, vt iam baptismus est. iis enim qui vel non ab Abraham descendebant, aut si ab Abraham, non tamē à duodecim tribus Israël, præcepta illa nō fuit. Siquidem & Gregorius testatur Iob descēdisse quidē à semine Abrahæ ab Esau, neq; tamē legitur circuncisum eū fuisse, quū extiterit gentilis. Omnes autē qui nati *In prolo.* ab Abraham, promissionē susceperunt fœderis & pacti diuini, eos circuncidi oportebat. Hic aliqui radtcē capiunt saluandi quosdam gentiles, vt Aristotelē, Catonē, &c. quod tamen nō credo. ¶ Quur autem in hoc mēbro sit instituta circuncisio, doctores huiusmodi reddunt rationē: quia cōtra culpam originalem instituta est, eā vero nō aliunde cōtahunt filij nisi à parentibus, vnde nascuntur innata quadā peruersa cōcupiscentia, quæ in hoc mēbro omniū maximē & regnat & sentitur: in cuius rei signū, Adā quoq; hoc loco culpā sensit suę inobediētiæ, sicut inquit Moyses, Quia *Gene. 3.* quū manducassent de ligno vetito, viderūt tandē se esse nudos, fecerunt q́ue ex foliis ficuū perizomata. Decuit ergo, vt posteri Adæ, in hoc maximē loco rursus reciperēt obediētiæ signum. Porro quod illa die facta est octauo ad literā, hoc est, vt confirmatis iam paululum virbus ex dolore minus moreretur puer: & ne diutius filiorum amore parentes eam differrēt, strictē adeo ipsis deus diem iniunxit octauū, quem tam diligenter cogebātur obseruare, vt etiam in sabbato circuncideret, in quo tamen nefas erat quippiam externum operari: sicut & Christus Iudæis dixit, circuncidere *Ioan. 7.* eos solere in sabbato, neq; tamen per hoc solui legē Moysi, &c. Mysticè tamen sua quoque non caret figuratione. dies enim octauus vitam designat æternam, resurrectionem nouissimam quare & iam in lege gratiæ sabbatum versum est in diem dominicum. facta ergo circuncisio est die octauo, vt ostenderetur nunc in lege euangelica, corda animosq́ue nostros circuncidi debere emundatione ab omni iniquitate, & tunc quoq; corpora ab omni mortalitate tempore resurre

ſurre & ionis. Quod autem Iudæi etiam circa hãc carnalem circunciſionem tenebantur illam intelligere myſticam, teſtatur abunde illud Moyſis, Circuncidite præputiũ cordis veſtri, & ceruicem veſtram ne induretis amplius. Hanc circunciſionem à peccatis ipſe quidem facere debet homo, ſed tamẽ deus præcipue operatur per gratiã ſuam, ſicut iterum Moyſes ait? Circuncidet dominus deus tuus cor tuũ, & cor ſeminis tui, vt diligas dominum deũ tuũ ex toto corde tuo, & in tota anima tua, vt poſsis viuere. Deut. 10.

Cicunciſionem hanc ſpiritualem etiam propheta Ieremias docuit, dicens: Hæc dicit dominus viris Iuda, & habitatoribus Ieruſalẽ circunci dimini domino, & auferte præputia cordium veſtrorum viri Iuda, ne forte egrediatur vt ignis indignatio mea, & ſuccẽdatur, & non ſit, qui extinguat. Hoc idem nobis prædicat Paulus, Circunciſionem inquam cordis in ſpiritu, nõ in litera, cuius laus eſt ex deo, non ex hominibus. atque illa cauſa eſt diei octauæ, quo ad myſticam figurationem. Iere. 4.

3 Sequitur, quomodo circuncidi poterant adulti in iuuentute non circunciſi, ſicut Iſmael qui iam tredecim erat annorum, ſicut & gentiles iam grandæui, ſi qui volebant ad Iudaiſmum conuerti, iuxta præceptum domini, Si quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere phaſe domini, circũcidetur pri⁹ omne maſculinum eius, & tunc ritè celebrabit. Ita de ſeruis quoq; emptitijs imperatum eſt à domino. Et huiuſmodi gentiles circũciſos, volũt quidam intelligere apud Ioãnem, vbi dicitur aliquos ex eis veniſſe Hierosolymam ad feſtum paſchæ, vt orarent, petiiſſe etiam à Philippo, vt viderẽt Ieſum. Deinde conſequitur inde, circunciſionem quæ Iudæis data erat in fœdus, ab aliis etiam gentibus eſſe obſeruatam, quæ ad eam tamen nõ obligabantur, quandiu enim Iſmael in domo Abrahæ viuebat, & Eſau apud patrem ſuum Iſaac, tenebantur ad circunciſionem: deinceps non item, ſicut ſupra de Iob ex Gregorio auditum eſt. Videntes tamen ethnici magna bona Iudæis à deo ſubinde collata, interdum circunciſionẽ amplectebantur, quemadmodum & de Cuthæi ſiue Samaritanis conſtat, qui etiam libros quinq; Moyſi receperunt. Id inde colligimus, quoniam multus populus cũ Iudæis ex AEgypto profectus eſt, cũ viderent miracula quæ de⁹ per Moyſen faciebat, ſicuti clarè in Exodo legitur: teſtatur & Iere- Exo. 12. Iere. 9. Ioan. 12. Cregor. Exo. 12.

mias, quãdo apud eũ dominus visitaturũ se promittit, qui præputiũ habeat circũcisum (litera nostra cõmunis habet incircũcisum, tñ septuaginta circũcisos, & Hieronymus legit circũcisum, quia Hæbraicè legitur muil ערל, quod significat circuncisum) super AEgyptũ & sup Iudã & Edõ, & super filios Ammõ, & super Moab. Ibi Hieronymus sic ait, Multarũ ex quadã parte gentiuũ, & maximè quæ Iudææ Palestinæque confines sunt, vsque hodie populi circuncidũtur, præcipue vero AEgyptij & Idumęi, Ammonitæ & Moabitæ, & omnis regio Sarracenorũ, quæ habitat in solitudine, & de quibus dicitur, Super omnes qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto. Ecce quomodo alię etiam gentes circuncisionẽ obseruarunt. Quod forte maledictum Mahometem perpulit, vt instinctu damnati monachi Sergij in sua secta, eãdem quoq; instituerit, sicuti sequaces eius Turcæ, Arabes, AEthiopes, & alij in hunc vsque diem circunciduntur. Tamen in Alchorano non legitur, inquit autor fortalitij fidei, lib. 4. consi. 8. art. 1. Tamen F. Richardus in confutatione Alchorani cap. 1. testatur Mahometem dicere oportere circũcisionem tenere, in quo Hiebionitarũ hæresim sit sequntus. Quæras autem, Quid actum fuerit cum masculis de vita periclitantibus, an in iis quoq; properatum sit cum circuncisione, vt nunc in baptismo solet res interdũ ad obstetrices venire. Ad hoc sane responsum non habeo quod deum proprium, nisi quod iam receptum est à Iudæis per vniuersum Christianismum, diẽ octauum non præuerti, etiam si periciliteur puer aut moriatur. Sunt qui putet eos in periculis festinare debere, & quod illud nõ faciunt, vitiũ esse malignitatis eorum, quoniã neoterici Iudæi non credunt paruulos peccatũ habere originale. Quicquid illud sit, Hugo putat illos ante diẽ octauum demortuos, saluatos tamen esse in fide parentum ante Christi aduẽtum. nam quod dies octauus præueniendus nõ fuerit, hinc colligunt, quod etiam reliquorum animalium nullum cogebantur offerre ante diẽ octauum. Moyses autẽ aliquando non circunciderat filios suos, & dominus mortẽ ei intãtabat in ipso itinere, quando Sephora filium nõ circunciderat suum. Quanuis differri poterat etiam circuncisio ex aliqua causa, sicut in deserto factum est, quando non circuncidebãtur annis quadraginta, donec trãsirent Iordanem.

Hieron.

Fortali.

Richar.

Exo. 22.

Exo. 4.

nem. Iam antea ingenue confessus sum nescire me, quomodo cum pueris illis agatur: hoc vnum scio, eos qui non circuncisi erant. & nomine adhuc caruisse, & pro filiis reputatos non fuisse: vnde persuadeor, vt credam eos saluatos nō esse, sicut tenet & Petrus Longobardus. alias enim filij Iudæorū feliciores Christianorū liberis fuissent. siquidem geminum remediū habuissent, circuncisionē die octauo: & si cubi hanc attingere non potuissent, fidē parentū: quum tamen Christianorū liberi vnicū habeāt remediū baptismum: qui, quibus contingere nō potest, æterna priuantur gloria & gratia dei. cur non item & Iudæorum liberis contingat? Vt autem confidētius hoc sentiam, scriptura sacra moueor, ita enim ait Salomon, Filius fui patris mei tenellus & vnigenitus matris meæ. Atqui constat, matrem suā Dauid adhuc vnum filium peperisse ante Salomonē, qui & mortuus est statim. ideo Glossa ibidē sic habet, Quare Salomō vnigenitum se corā matre nominat: quē fratrem vterinū præcessisse scriptura testatur, nisi quia ille mox natus sine nomine, quasi nunquā esset, de vita decessit incircuncisus? Ad extremū constat, circuncisionē huiusmodi sacramentū fuisse veteris testamenti, vbi Christus quoq; pati voluit & primo sanguinē suū profundere, quāuis ille circūcisione non egebat, multis tamen de causis circuncidi dignatus est, quas lōgo ordine sancti patres enarrāt, nos paucis explicabimus. Primū, vt verā suam naturā humanam statim probaret contra Manichæos, qui dixerūt Christū corpus tantum habuisse phantasticum, visumq́ue illud solum fuisse, veritatē nullam. Deinde, vt monstraret se corpus suum non è cœlo secum detulisse, contra Valentinum: & quod non fuerit ex substantia diuina, contra Apollinarem, sed quod corpus verum ex purissimis Mariæ sanguinibus assumpsisset.

Iosu. 5.

Prou. 4.
2. Reg. 15.
Glos.

Beda.

Ob quod
carnas
Christus
circuncidi
voluerit

Gene. 17.

3 Vt se declararet filium esse Abrahæ, cui præceptum circūcisionis primo traditum est, & promissio benedictionis in semine suo quæ in Christo iam sit impleta.

Gen. 22.

4 Vt insuper doceret, circuncisionem & quicquid aliud in veteri testamento præceptum fuerat, tunc temporis bonum fuisse & à deo exiuisse, cōtra Manichæos, qui legē veterem cum omnibus quæ in ea continebantur, reiiciebant, iuxta illud Pauli, Misit deus filium suum factum sub lege. Hoc ipsum Christi, Nō veni soluere legem, sed implere.

Gala. 4.
Matth. 5.

5 Circunciſionem & reliqua onera legis pertulit dominus, vt nos ab illis liberaret, ſimulq́ue legi ſcriptæ finẽ imponeret. Ita Theophyla. ait, Qui mandata legis præuaricabantur, ſub maledictione erant. dominus igitur circunciditur, vt etiam in hoc ad impleta lege, & nullo prætermiſſo quod illa mãdabat, eripiat nos à maledicto. 6 Vt ſe in hoc oſtenderet fratrẽ eſſe Iudeorum, ipſiq́; excuſationem nullam haberent, quo minus eũ pro Meſsia habere recuſarint, quod circunciſus non eſſet, legi aduerſatus & fœderi diuino, quæ tamen fucum & colorẽ habere poterãt excuſationis alicuius. Afferuntur & in hoc idem rationes plures, vt quod hic formã nobis dederit mãdatis diuinis parẽdi, quod profundiſsimam ſuam declarauit humilitatem, quod non tantum factus ſit homo, ſed etiã cauterium ſuſtinuerit peccati, vt feruẽtem ſuam erga nos dilectionem comprobaret, ſimulq́ue myſticam circunciſionis figurationem ſtabiliret. Qua de re ſupra dictum eſt. Nos iam ſanctiſsimi ſanguinis Chriſti effuſionem pie veneremur, quam ille primum hoc die pro nobis incepit, deprecemur profuſis viciſsim & nos lachrymis dominum deum, vt nos à contagione peccatorũ ereptos, transferat in gloriam filiorum dei, Amen.

Theop.

HOMILIA II.

QVANDO iam hodierno die dies natꝰ octo, pro nobis circũciſus eſt Ieſus Chriſtus dominus noſter, nos quoque ad fidei noſtræ confirmationẽ meditari debemus, cuiuſmodi ſacramentum illud fuerit, ſimulq́ue gratias agere Chriſto domino, quòd pro acerbo & duro illo circunciſionis ſacramento, manſuetum nobis & mite inſtituit ſacramẽtum baptiſmi, quod tenello adhuc puero longe tolerabilius eſt, ideoq́ue circunciſus eſt Chriſtus, ne amplius paruulus quiſpiam circuncidatur, ſicuti ſuperiori homilia commemorauimus. Vbi hoc quoque Chriſtianis animaduertẽdum eſt, quoniam inſtrumento circũciſio fieri ſolita ſit, quia cultro petrino, quãuis Richardus vult communiter eam non factam in cultro petrino, ſed ſolum quando ſpecialiter fuit commiſſum ſicut Ioſue, quia in inſtitutione circunciſionis nulla fit cultelli mentio. Ioſue autem dixit dominus, præcipitq́; vt paratis in hoc ſibi cultris petrinis iterum circuncideret filios Iſraël. Et ne dicas in Ioſue hoc fuiſſe peculiare, ante ipſum quoq; legimus

Ioſue 5.
Exod. 4.

legimus Sephoram circũcidiſſe filium ſuum lapide acuto ad hoc parato, vt ſine dubio hæc fuerit cõmunis Iudæorum cõ ſuetudo. Et hoc myſterio quoque non caret, quando enim lex ea dura & grauis erat, cultrum quoq; requirebat petrinum, quãuis adhuc ſpiritualiter magis ſignificat nos iam circuncidi debere à petra Chriſto, non ſecundũ literam, vt ait Paulus, ſed in ſpiritu, quia culter iſte ex petra paratus, ſignabat Chriſtũ, autore Hugone. ſed & de illo dicit Apoſtolus, quoniã petra erat Chriſtus. Quid autẽ nũc agant Iudæi, aut cuiuſmodi cultro circuncidãt, nihil laboro. Bonauentura ait eos cultro petrino ad hoc nõ vti. ſiquidem cõſtat eos multo remiſſiores iam factos eſſe in lege & cæremoniis ſuis, multáſq; hæreſes admiſiſſe, ita vt alteri nõ cõueniat alter. quod prohdolor inter nos quoque experimur, ſed valeant hæc. *Roma.1.* *Huga.* *1.Cor.10.*

¶ Porrò ex circunciſione Chriſti argumentatus eſt Hebiõ, & quidam alij hæretici, nos quoque circuncidi debere, id enim illum eo feciſſe. ſed nos alias rationes indicauimus ſuperiori homilia. Lapis hic quoqe miris modis in hunc diem vſque offendit Iudæos, arbitratos ſemper legem ſuam Moſaicam vna cum euangelio permanere debere, quod etiam hodie ſentiunt A Ethiopes, vnde & baptizantur & circunciduntur. Idem etiam faciunt Mammaluci, ſed nõ ſimili modo. ſiquidem ad circunciſionẽ credunt ſe eſſe obligatos, non ſic ad baptiſmũ, quem eo tantum ſuſcipiunt, vt peruerſum & olidũ eis pellat fœtoré. omnes enim qui non baptizãtur, natura male olent, quum ſudant maxime, vt non poſſit, non nauſeare ab hoc quilibet Chriſtianus. Pro ſe inducunt Iudæi verba Moyſi, vbi dixit dominus, Erit pactum meum in carne mea in fœdus æternum, in hoc maxime figũt pedem, Multo autem aliter nos docent ſacræ literæ, quoniam propter circunciſionem prima facta eſt apoſtolorum tempore diſſenſio, ita vt multi Iudæorum ad fidem Chriſtianam cõuerſi, putarent circunciſionem quoque adhuc & reliqua legis præcepta neceſſario requiri. Sic enim ait Lucas. fuiſſe nõnullos qui docebant fratres, niſi circunciderentur ſecundum legem Moyſi, ſaluari eos non poſſe. atque ideo primũ concilium ab apoſtolis Hieroſolymis celebratũ eſt, ibiq́ue concluſum, gentibus ſi quando conuerterentur, circunciſionem & alia legalia imponenda non eſſe, dummodo continerent ab idolothytis, fornicatione, ſuffocato & ſangui- *Gene.18.* *Actu.15.*

ne. Multa hic de ordine, cõsuetudine, & potestate consiliorum dici possent, sed volens prętereo. Vsqueadeo autem constanter censuerunt apostoli circuncisionem necessa-
Galat. 5. riam non esse, vt diceret inde Paulus, Si circuncidimini, Christus vobis nihil prodest. Quãdiu autem illa durari necessaria etiam Christianis, etiam si dixero, parum proderit
Hieron. vobis scire, ideo scholis relinquo, quando super eo Hiero-
Augusti. nymus quoque cum Augustino grauiter contẽdit. Tantum fugite neochristianos, ex quibus nonnulli voluerunt reuocare cricuncisionem, quorum sentẽtiam retundite illo Paulino, Si circuncidimini, Christus vobis nihil prodest. Quod autem inducit Iudæus circuncisionem ęternam dici, respõ-
Gen. 17. deo apud Hebręos מעולם non semper dici æternũ, ita vt careat fine, sed nonnũquam etiam diu duraturum. eodẽ nanque capite promisit dominus Abrahę daturum se ei terram Chanaam in possessionem æternam, seminíque suo, & tamen Iudæi illa dudum exciderunt expulsi, ipsaque primum in manibus gentium, deinde Christianorum, mox Sulthomi fuit, nunc vero Turcarum est. Tempus itaque ibi etiam longum saltem, non infinitum intellexit. Multa adhuc dici possent, sed reliqua ad scholas transmitto. Vide copiosissime Galatinum li. 11. c. 3. contra Iudæos. Lyra sæpe hoc annotat, etiam hic adde Augustinum lib. 16. de ciuit. dei c. 26. & ad Orosium contra Priscil. ca. 5. &. 6. Vt autem finiam, Omnes homines laudare merito debent dominum Iesum Christum qui nobis circuncisionem legis sustulit, & gaudere in primis debent matres ob filios suos, quibus quantũ condolerent, si tam acerbè primis statim diebus circuncidi deberent, quando hic quoq; nouus dolor cæteris accederet miseriis, quas quotidie cum filiis suis perferunt matres ex quibuscunq; casibus. Atqui Christus promisionem Abrahæ factam, diuina sua sustulit benedictione: igitur lex circuncisionis propter promissionem data, sublata iam est.

3 Sicut autem à circuncisione carnis liberauit nos dominus, ita vicissim aliam nobis injunxit circuncisioné spi-
Bernar. ritus de qua præclare Bern. ait. Nos quoq; fratres circunci-
sermo. 1. di necesse est, & sic nomen salutis accipere: circuncidi sane non litera, sed spiritu & veritate: circũcidi nõ vno mẽbro, sed toto corpore simul. licet enim magis in ea parte, qua mandata est Iudæis circuncisio, regnet additamentum le-

uiathan,

uiathan, quod à malo est & amputari debet, vniuersam tamen occupat carnem, ita vt dicere possimus, A planta pedis vsq; ad verticē capitis nō est in nobis sanitas. neq; est membrum vllum, quod non hoc ipso furiat veneno. Vnde colligitur, quomodo spiritualiter nos circūcidere debeamus in omnibus viribus nostris, intus & exterius, cogitatiōes, verba & opera nostra. (per symbola potest latissime deduci, sed quia sunt facilima, non prosequor, dabo solum gustum eius.) Videmus in rebus corporalibus ita fieri, vt qua quid parte putrescere incipiat, ibi resectio fiat vel adustio, ne pars etiā syncera inficiatur: ita in pomis & vulneribus fieri solitum est. quādo igitur peccatum nihil aliud est, nisi quędam animę putredo, eaq; non sola, sed aliam ex alia producens, quod in dentibus conspicuum est, peccatū statim cultro pœnitentiæ rescindendum est. Cultrum autem ardenti contritione oportet esse paratum & acutum ex pœnitentia & satisfactione: alias peccatū circunquaq; serpit, absumens omnia, cæteráſq; vires corrūpens, & tūc fit quod ait Ioannes, Qui in sordibus est, sordescat adhuc. Semper peccatum vnum aliud ex se parit, nec vlla est calamitas sola, quod vel solus Iudas suo nos doceat exemplo. is enim auarus erat, sacramentum susceptum indignus, vendidit Christum, desperauit, laqueo seipsum suspendit. vsqueadeo putredo ista in eo circunserpens absumpsit omnia. Quid ita, inquies? quoniā non circuncidit se spiritualiter. Cœpit vna parte aliquādo etiam Petrus putrescere, sed statim quod putre erat amputauit, quādo exiens atriū Caiphæ, fleuit amare. Ad hæc dānosa admodū est ista putredo peccatoris, quia intus incipiēs ab anima, putrescit ad externa. hinc est quod peculiariter in hac spirituali circūcisiōe cor memoratur, quū dicit, Circūcidite præputia cordis vestri. De hac putredine cōquestus iam olim est dominꝰ sup Iudæt, dicēs, Omnes gentes habent præputiū, omnis domꝰ Israēl incircunciſi sunt corde. Quid qđ exterius putrescit homo, puta auribꝰ, cū salutaria respuit audire, & correctionē peccati sui cōtēnit? ita dīsait, Cui loquar? & quē cōtestabor vt audiat? ecce incircūcisæ aures eorū, & audire nō possunt. Ita incircūcisus fuit Moyses in lingua sua: ita oēs quotquot maledicūt, obtrectant aliis, verbis etiā suis eos offendūt, os habēt incircunciſum, & huiusmodi peccata quilibet à cordę suo rescindere debet, q̄ demū vera

Esaiæ. 1.

Apo. 22.

Mat. 26.

Deut. 10. & 30.

Hiere. 4.

Hiere. 6.

Exod. 6.

circuncisio est, beneplacens, lõgeq; melior quam omniũ Iu-
Coloss. 2. dæorũ, Turcarũ, AEthiopũ, &c. De hac Paulus loquẽs, sic inquit, In Christo circuncisi estis circuncisione nõ manufacta, in expoliatione corporis carnis: in circũcisione Christi, cõsepulti in baptismo. En hic vobis veram, Christianis dignam, planeq; diuinã circuncisionem, non manufactam, sed diuina gratia cõmunicatã. Vtinam isto modo Iudæi essem⁹, omnes spiritualiter circũcisi, ab omnibus tum peccatis tum offendiculis immunes. quo enim magis inueteratus fuerit tumor peccati, eo acutiorem esse oportet cultrũ spiritualis
Bernard. circũcisionis. Ita Bernardus ait, Inueteratæ cõsuetudinis malum cultello acuto cõtritionis amputetur. ¶ Et ita quilibet homo seipsum circuncidere debet, similiter & qui in magistratu sunt membra debent amputare putrida & damnosa, ne & alia corrumpant. in hoc enim tot antiquitus comparata sunt tormentorũ instrumenta. virgæ, gladij, cultri, patibula, rotæ, in iis administrationibus operũ iustitiæ, si negligentes sint magistratus, nihil prosunt, quoniã in hoc vincula, carceres, catenæ cõpedes, & id genus alia inuenta sunt. ita
Galat. 5. & Paulus ait, Vtinã abscindantur qui vos cõturbant. (nullius est finis currendi per symbola æquè faceres viginti sermones ac vnũ) Vos modo curate, vt si silices crescere perspe-
Phil. 3. xeritis in agro animę vestræ, & putrescere quid cœperit, statim rescindatis vt dicere possitis cũ Paulo, Nos sumus circuncisio, qui spiritu seruimus deo. & gloriamur in Christo Iesu, non in carne fiduciã habentes. In Fortalitio fidei inuenies pulcherrimam huius symboli adaptationem lib. 2. consec. 6. hæresi 14 Quærunt nõnulli, quoniã peruenerit
Theophy. præputiũ Christi, quam tu putes forsitan inutilem esse dubitationem iuxta illud Theophylacti, Inutiliter quæritur vbi sit abscecta particula. nã quæ scriptura tacuit, ea quærere nõ oportet, præsertim vbi nulla vtilitas. Dici autem posset, quod quãdo abscctũ terram tetigit, illam quoq; sanctificauit, sicut etiã sanguis & aqua, quæ ex latere eius fluxerunt. Et videtur tamen, quod seruarit illam particulam illæsam, & in resurrectione iterum resumpserit, vt hæc particula nõ inueniatur deesse. Equidem sane crediderim, quando primum iam de hac re dicere cepi, plurimos vestrũ admiratos, cogitasse superfluum esse de hoc cogitare. Sed desinetis mirari, vbi causam cognoueritis, quæ me moueri hoc proponere.

nere. dicetíſque dubiũ hoc, ſuperfluum aut temerarium nõ eſſe: quaſi quis interrogaret, quo peruenerit aſinus ſuper quem equitauit dominus in die Palmarũ. Et ratio quidem hæc eſt, quod inepti & ſtolidi Iudæi admodum gloriantur in die nouiſſimo ſeſe habituros in reſurrectione vniuerſali ſignum quoddã, penes quod eos deus cognoſcat, quod quiſ quis habiturus nõ ſit, eum damnatũ iri. Hic inſulam iuſtorũ temeritatem cõſidera. Primum, quod putant Chriſtum ſignum illud corporis inſpecturum, & nõ potius ſymbolum animæ in Chriſtianis ex baptiſmo, de quo Paulus, Nolite, *Eph. 4.* inquit, cõtriſtare ſpiritum ſanctum dei, in quo ſignati eſtis in die redẽptionis veſtræ. Et ante hæc quũ loquitur de euangelio noſtræ ſalutis, ſic ait, In quo, cum credidiſtis, ſignati *Ephe. 1.* eſtis, quod ſignum quis negat plus valiturũ quam omnium Iudæorum circunciſionem? Deinde abſurdum admodũ hoc eſt, quod opinantur in reſurrectione ſignum ſuæ circunciſionis ſe habituros, quum tamen præputiati reſurgent. ſiquidem vt viri perfecti reſurgemus, teſtante Paulo. nemo *Ephe. 4.* autem ſine præputio naſcitur, quoniã hic eſſet defectus & error naturæ. Itaque & Iudæi in die nouiſsimo reſi rgẽt incircunciſi. Et hoc eſt quod ex Theophylacto ſuperius addu ximus, id ita voluiſſe & ordinaſſe Chriſtum, vt præputium quoque ſuum ſeruaret illęſum vt illud in reſurrectione reſumeret, neque tunc ei videretur deeſſe, quando etiam nos in reſurrectione corpus aſſumemus perfectum, ſed iam ore mus Dominus.

HOMILIA III. DE DIGNITATE ET EXCELLENTIA NOMINIS IESV.

INTER cætera huius euangelij myſteria hoc quoque nobis proponitur, quomodo ſanctiſſimum nomẽ Ieſu impoſitum ſit puero in ſua circunciſione. ſicut enim iam hodie in baptiſmo, ita olim in circunciſione infantibus dabantur nomina. Quũ autem nos Chriſtiani tantũ ex nomine Ieſu ſuſcipiamus gratię & ſalutis, atque in omnibus neceſſitatibus noſtris & ſedulo & cũ magna fiducia ad illud cõfugiamus ipſum inuocãtes, cõſultum mihi viſum eſt, aliquod eximia nominis huius priuilegia maximáſq; prærogatiuas, auxiliante dei gratia, vobis aperire, & in huius materiæ exordium aſſumo locũ illum Eſaiæ, Vocabitur tibi nomẽ nouũ, *Eſa. 62.*

quod os domini nominauit. Præuidés in ſpiritu Eſaias Meſ
Eſa. 62. ſiæ aduentum, dixit, Propter Sion nō tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcā, donec exeat ſicut ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius ſicut lāpas accendatur, & videbunt gētes iuſtum ſuum, & cuncti reges inclytū ſuum. Conſtat quia hic de Meſsia loquutus eſt ſaluatore mundi. ſtatim enim ſequū tur verba propoſita, Et vocabitur tibi nomē nouū, quod os domini nominauit. Iam multa quidem dicēda eſſent de nomine dei, ſed pleraq; eorum intellectum ſuperant vulgi, ac proinde circunluſtranda mihi diligenter ſunt omnia, ne altius euolem, ita vt qui intellectu minus valent, aſſequi nequeant, ſimulq; tamen qui fructiferum aliquid de ſanctiſsimo nomine Ieſu ſcire deſiderent, eo non fruſtrentur. Pauca itaq; hīc nobis ſunt prælibanda. Sicuti lex triplex eſt, quod ſæpius ex me audiſtis, naturæ, ſcripta & euangelica, ita deū maiores noſtri tribus diſtinctis nominibus venerati ſunt. & primum quidē nomen literas tres habuit, ſecundū quatuor, tertium verò quinq;. In lege naturæ, patres maioresq́ue noſtri Adam, Seth, Noe, Abrahā, Iacob, &c. deū inuocarūt nomine שדי Sadai, cui voci reſpondet fere Germanicū illud,
2. Cor. 5. Sat. valet enim Sadai idē quod ſufficit, vel qui ſufficientia, vt ſit relatiuū שד & י nomen per ſe. Id eo fecerunt illi patriarchæ, quod ſolus ſibiipſi deus ſufficiens eſt, omniscq; noſtra ſufficientia ex illo pendet, qui abunde ſatis tribuit omnibus, creaturis, volucris in aēre paſcit, animalia in pratis & ſyluis. vnde & animalia cūcta ad deū clamāt, Sath, ſath, ipſi
Pſal. 146 etiā coruorū pulli implumes in nido, iuxta illud Pſal. Qui dat iumentis eſcam ipſorū, & pullis coruorum inuocantibꝰ eum. Atq; ideo quando Iſaac benedixit Iacob filiū ſuū, mit-
Gene. 28. tens eum in Meſopotamia, dixit ad eum, Deus Sadai benedicat tibi, & creſcere te faciat atq; multiplicet, vt ſis in turbis populorū, &c. tunc enim tēporis benedictiones pleræq́; omnes de temporalibus tantū erant, ſicut in euangelio de ſpiritualibus bonis. Quando igitur deus, abſolutē de eo loquendo, ſolus ſufficiens eſt & omnipotens, à quo creaturæ diteſcunt omnes, inuocarunt eum patres noſtri Sadai, in nomine trium literarum. 2 Quum autē iam inciperet lex ſcripta ſub Moyſe, inuocarunt eum ſub nomine tetragrammaton, quod Iudæi ſcribunt in hunc modum יהוה, huhi. hoc il li religioſe adeo obſeruant, vt etiam nulli papyro, ſed mē-

branis

branis tantum inscribant, auro item atq; argento, insuper il lud in terrā cadere non sinunt, quod tamen si fiat iniquissimum ducunt. præterea extra locos Biblicos eo non vtūtur, aut si cogantur vti, non ita scribūt vti est, sed huiusmodi figura. (Ad hæc iuramento rem aliquā firmare volentes, nō per deū id faciunt, sed per nomen, dicentes schē, nomē intelligentes dei. Quid quod nemo profanus legere illud est ausus iuxta literarum & punctorū proprietatem, sed summus sacerdos tantum, idq; cū intraret in sancta sanctorum, & sacerdos in benedictione plebis? Ideoq; & ineffabile vocant, non quod exprimi nequeat, sed quia vulgus non audeat ipsum ob sanctimoniam sui nominare. Vbicunq; ergo nomē illud sanctum se offert in scriptis Biblicis, non legunt illud vt sonat, sed loco suo semper dicunt adonai, quod est idem quod dominus: quia vera eius elocutio est iehoua. vnde dæmon ad ignominiā dei & ad minuendā legē dei, curauit vt poetæ gentiliū vanum & superstitiosum eorū idolum, Iupitrem appellaret Iouem, per imminutionem à iehoua, qui modus absoluendi alias cōmunis est in sacris literis, quando schæua præcedit gutturalē, vt Iuda pro Iehuda, thillim pro thehillim, Iosua pro Iehosua, &c. Et sic omnia nomina dei semper reuerenter habuerunt Iudęi, vt est illud nomen יה, quod etiam deū sonat, cumq; prima apud eos litera vnitatem, secunda binariū significet, & sic deinceps, illud tamen יה pro numero nūquam vsurpant in honorem dei. Requiris autem testimoniū eius, quod veteres deū inuocarint nomine quatuor literarum, sicut sub illo trium? Ecce quod ait dominus ad Moysen, Ego dominus qui apparui Abraham: Isaac & Iacob in deo Sadai, & nomen meum יהוה, Adonęi nō indicaui eis. Verūm quidē hoc est, quod illius etiā Moyses deinceps mentionē facit in scriptis suis: si tamē vera sunt verba domini, quod nomen illud suū patribus antiquis non indicarit. Multa hīc dicenda essent, quomodo hoc sit essentiale nomen dei, ex quo velut capite aut radice nomina reliqua cūcta promanant, quo pacto in eodem tres personæ cū personali sua proprietate demonstrentur, & cur literam ה quæ filium designat, bis in eo ponamus, in medio & fine: eo nimirum, quia geminam habet natiuitatem, alterā in diuinitate, alterā in tēpore: & cur Hebræi ex septuagintaduobus nominibus dei, vnum hoc vocarint, schemhamaphoras, *Exod. 6.*

nõmẽ expoſitum, ſed mitto hæc omnia. Magnum etiam eſt, quod ſanctè adeo quatuor literarum nomine ad imitationẽ Hebræam, pleræque linguæ exprimant deum. Græci enim vocant theos, Turcæ & AEthiopes alla, Aſſyrij adad, Perſę & Callicutij zimi, Latini & Itali deũ, Sclauiet Crotai boeg: Germani gott, & hoc tamen pertranſeo. Vnum tamen ſcire vos conuenit, quod Iudæi antiqui, quia poſt tempora Chriſti tot illius & apoſtolorum ſuorum miracula in aperto erant, vt negare ea non poſſent, attribuerunt illorum operationem nomini ſancto Iehoua ſchem hemaphoras.

3 Diſcant inſuper hic Chriſtiani nomen dei temerariè nõ aſſumere: quod ſi enim Iudæi illud in tanto habuerũt honore, & adhuc habẽt, iniquũ fuerit quoſdam Chriſtianos peruerſa tantũ conſuetudine ad quãcunq; rem deum adnominare, immemores illius, Nomen domini dei tui in vanũ nõ aſſumes. Nihilominus peccant, qui ſanctum nomen Ieſu cũ deriſione & ſcandalo vſurpant, vt cũ deludunt virgines. Veſtales. iniquiſsimè ſanè, imo vt Dauid ait, Reges terræ & omnes populi, principes & omnes iudices terræ, iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen domini, quia exaltatũ eſt nomen eius ſolius. & alibi, Beatus vir cuius eſt nomen domini ſpes eius, & non reſpexit ad vanitates & inſanias falſas. Deinde cõfirmat hoc fidem noſtram, quod per nomen Ieſu tanta fecerint apoſtoli miracula, fatentibus ipſum Iudæis, quorum Rabini etiam admirantur tanta mirabilia facta eſſe in nomine domini, quod eis quatuor literis per Moyſen innotuit. Iam autẽ nullũ amplius apud eos fit miraculũ, poſtquam à deo propter infidelitatem eorũ ſunt abiecti, ſed in alio iam nomine fiunt miracula, quod nomen tertiũ eſt dei, & ſub lege euangelica quinque literis habetur inſigne, quo nunc deum deiq; filiũ veneramur. Ratio autẽ, quur populus veteris teſtamenti non audebat nomẽ dei exprimere, eſt quoniã tunc deus inuiſibilis & hominibus plane erat occultus: poſtquàm autem ille ex miſericordia venit in hunc mũdum, viſibilis factus, nomẽ quoq; eius factum eſt notũ vniuerſo mundo, iuxta illud prophetæ, qui ibi ex ſententia Iudæorũ & Chriſtianorũ de Meſsia loquitur, dicens, Ideo populus meus cognoſcet nomẽ meum in die illa, quia ego ipſe q loquor, in illo die ecce adſum. Sicut ergo deus in humanitate factus eſt viſibilis, ita nomẽ eius effabile. quod

Exod. 20

Pſal. vlti.

Pſal. 39.

Eſa. 62.

quomodo

quomodo ſit factũ ſcholis relinquo. tibi ſatis eſt nomen eius eſſe Ieſus, *quod vocatum eſt ab angelo, priuſquam in vtero conciperetur.* Nam primo aliqui dicũt nomen dei tetragramma ton יהוה factum effabile per immiſsionẽ quintæ literæ, ה S, quod ſignificat duarũ naturarum vnionem, per quam nomen dei ſit effabile factum. nam proferendo ה S, maxillas ac inferiorum & ſuperiorum dentium ordines conſtringimus, ideo aptè iſta litera incarnationis eſt ſignificatiua. Vide Picum lib. 7. de prænotionibus. Alij ſecundo autumant, ſchin interpretari elocutionẽ, quia futurũ erat, vt nomẽ dei ineffabile, per iſtã literam fieret enũciabile. Vide Cuſanum in excitationibus. Alij tertio dicũt ש ſignificare incarnationem, quia Eſaias dixerit, Et ſaluator eius vt lampas accendatur. nam litera ש & apud Hebræos habet formam lampadis & lampas denotat Chriſtum, nam in medio habet ſimilitudinem lychni ſplendentis. & ה humanitatem ſignificat lampadem, oleũ infuſum nomen eius, oleum infuſum diuinitatis in hanc lampadem humanitatis, ſicut fecit nomen ſuũ clarescere hominibus quod prius erat ineffabile, iſta lampade non incenſa à diuinitate. Sed dũ effuſum eſſet oleũ diuinitatis, vnctus eſt Chriſtus oleo lætitię præ participibus ſuis. vnde olei & nominis ſymbola. proxima ſunt apud Hebr. ſchẽ nomen, ſchemen oleũ. Quarti dixerunt crucẽ Chriſti feciſſe nomen dei effabile. nam tetragrammaton diſpoſitum ſic ihuh. & quia quarta eadem eſt cum ſecunda, abiiciatur illa, & crucis myſteriũ inſeratur, tunc ſit nomen Meſię ſic Ihu. Calamo ergo ſanctæ crucis Chriſtus ſibi hoc nomen Ieſus ſcripſit. Quinti dixerunt nomen ineffabile pronunciatũ per ש ea ratione, nam ſeptẽ ſunt ætates mundi. & ſeptima ætate natus eſt Chriſtus, hæ ſeptem ętates per ſeptem cõnexiones literarum alpheti deſignantur, quas apud beatum Hieronymum reperies in epiſtola ad Paulam Vrbicã. Septima autem cõnexio eſt שה, quæ valet capitis ſchim deſignatio. (Hieronymus ſemper quatuor complectitur) hîc ergo cum caput Chriſtus exprimatur, per mediã literam ש eius incarnatio ſignificatur, qui eſt mediator dei & hominum, deus & homo, qui fecit vtraque vnum, quem deus conſtituit caput ſuper omnẽ eccleſiam, quare ש ſchin eſt deſignatio capitis Chriſti, hoc eſt, incarnationis Chriſti, vnde nomen dei ineffabile, factum eſt effabile. Sexti dicunt, deum in ſublimi-

Luc. 2.

Picus.

Cuſannus

Eſa. 92.

Can. 2.

Pſal. 44.

tate & maiestate existentem, à nobis fuisse absconditum & ineffabilem fuisse sicut inquit Esaias, Vere deus absconditus es tu. Sed per impositionem ש tunc ex nomine tetragrammaton fit יהשוה. & יה valet deus, & שוה æquatus vel assimilatus. postquam enim deus nobis similis factus est & æquatus per incarnationem, sicut ait Paulus, Debuit per omnia fratribus similari, iam nomen eius factum est effabile. Quæ omnia vel vnum aut alterum exercitatus prædicator, quemadmodũ potest exprimere, fideli populo pro excitanda deuotione proponat, &c. 3 Nemo cogitet nos, quũ de nomine Iesu loquimur, deum exprimere posse, aut nomen eius propriè cognoscere. nanque dum eum nõ cognoscere nobis datur, neq; vere nominare licet: ideo etiã quæreti Iacob, quo nomine vocaretur deus, respõdit ille, Quur quæris nomen meũ quod est mirabile? hinc est quod in scripturis dicitur habitare deus in caligine, sicuti & Moyses ad eum ascendit in nebula. & Dauid inquit, Dominus descendit, & caligo sub pedib⁹ eius. & in psalmis: Nubes, ait, & caligo in circuitu eius. quibus tota plenissima est scriptura, eo tantum, quod non cognoscimus dominum, neque sufficienter intelligimus. (& hoc est fundamentum theologiæ negatiuæ, ob id Dionysius dixit, negationes de deo sunt veræ, affirmationes vero incompactę, sicut & nos attigimus in commentariis nostris super mystica theologia Dionysij) sicut enim diuina essentia infinita est, ita & nomẽ eius proprium infinitum, imo deus ipse nomen suum, sicut habetur in psalmis secundum Hebraicam veritatem, vt cognoscant quia tu es nomen tuum. Qualecũque ergo nomen dederimus deo, vt sanctissimum, longe tamen infra diuinam perfectionem erit. Et recte à sanctis patribus dicitur, Deum esse super omne nomen, & super omne quod vel dicitur vel cogitatur, dicente post Esaiam Paulo, quoniam neque oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit deus iis qui diligunt illum. Tantum etiam est nomen domini, vt beati quoque illud satis non cognoscere possint: iuxta illud Pauli, Vt sciatis quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credidimus secũdũ operationem potentiæ virtutis eius, quã operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis & constituens ad dexteram suã in cœlestib⁹, supra omnẽ principatu & potestatẽ & virtutẽ & dominã

Gene. 31.

Exo. 19.

De dist. no.

Psal. 82.

1. *Cor.* 1.

Esa. 62.

Ephe. 1.

dominationē, & omne nomen quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro. Quum igitur deum nominare eſſentialiter non poſſumus, multa tamen magnaq́ue nomina ſua per immenſam miſericordiā nobis reuelauit, è quibus omnibus eſt illud nomen Ieſu lōge ſanctiſsimū, nomen nouū, quod os domini nominauit, nomen quo vocauit eum angelus nondum in vtero matris cōceptum. Oremus itaque inuocato illo ſancto nomine dominum deum, &c.

HOMILIA IIII. DE NOMINE IESV.

VOCABITVR, inquit Eſaias de Chriſto, tibi nouum quod os domini nominauit, vnde ſequitur, nomen illud Ieſu nouum eſſe, & Chriſto ſinguläriter conſeruatum. At hic priuſquā ad ſanctimoniam nominis huius progrediar, eſt quod obiectionem quandam Iudæorum diluam, eamq́ue huiuſmodi, Clamant illi Meſsiæ futurum eſſe nomē nouum. ſed neque יֵשׁוּעַ, Ieſua, neque יְהוֹשֻׁעַ, Iehoſua nomen nouum eſt (vtrunque enim illud dicitur in Hebræo.) nam quem nos Ioſue dicimus abſorbendo ſyllabam, dicitur Iehoſua, & quem nos Ioſue dicimus filium Ioſedech, Hebræi appellāt Ieſua. quo autem illorum fuerit appellatus Chriſtus, nobis non cōſtat, quando euangelium Matthæi nō habemus Hebraice, licet parum referat: quia vtrunq; nomen eſt à יָשַׁע, quod eſt ſaluare, deductum & ſic tamen Ieſus dicitur in lingua Iudæorum, qua & natus eſt, & nominis huius ſuſcepit impoſitionem. profecto enim multis ante Chriſtum ſeculis ſic dictus eſt dux Hebræi exercitus poſt Moyſen, ſic appellat⁹ eſt Ieſus filius Ioſedech ſacerdotis, ſic & Ieſus filius Sirach, qui librum ſcripſit Eccleſiaſtici, nepoſq́ue fuit ſuperioris Ieſu, vt ipſe in præfatione teſtatur. Et adhuc quartum inuenio in libris Regum, ciuem in Betſchenes, vt iam non ſit hoc nomen nouum. ¶ Etſi tres illi nomen Chriſti habuerunt, ſiquidem ibi errauit Galatinus, dicens eos Iehoſua, non Ieſua appellatos, eiuſq́ue error reuincitur 1. Eſdr. 3. vbi ille appellatur Ieſua, adhuc tamen nomen illud in Chriſto nouum dicitur propter opus ipſum. quanuis enim tres illi appellati ſint nomine Ieſus, nullus tamē eorum homines ſaluos fecit, niſi vnicus ille Chriſtus Ieſus, de quo ſic habet teſtimonium angeli, Vocabis eum Ieſum. ipſe nanque ſaluabit populū ſuum à peccatis eorum. idq́ue nullus horum

Eſa. 62.

Eccl. 46. 49. 50.

1. Reg. 16.

Mat. 1.

trium fecit, quare iure optimo dicitur nomen Iesu nouum?
2 Et quâtumuis tres isti nõ fuerint Messiæ, magni tamen
fuêre figuratores Christi in operibus suis, præcipue ante a-
Num 13. lios homines. Atq; vt principio de Iesu Naue dicamus, quẽ
nos communiter Iosue vocamus, Is quũ antea Oseæ dice-
batur, Moyses autẽ spiritus sancti instinctu, mutato nomi-
Exo. 23. ne, eum Iosue vocauit, sicut id antea dominus populo pro-
miserat, Ecce ego mittam angelũ meum, qui præcedat te, &
custodiat semper in via tua, & introducat in locũ quẽ præ-
paraui tibi. Obserua eum, & audi vocẽ eius, nec cõtemnen-
dum putes, quia nõ dimittetur quum peccaueris, & est no-
men meũ in illo. Perscrutetur, inquit Augustinus, scriptu-
Lib. 16. *c.* 19. *cõ.* *faust.* ras illas nõ iam Manichæus, sed ipse etiã Iudæus, & videat,
vtrũ de aliquo angelo deus dixerit, Nomen meũ in illo, nisi
de hoc quẽ intro ductorẽ in terrã promissionis pollicetur.
Apertũ ergo hic habemus scripturæ testimoniũ, Iosue nomẽ
Christi habuisse, quãdo dicit dominus, Est nomẽ meum in
illo, quanuis tunc non erat, quando adhuc Oseæ dicebatur,
Num. 13. sed postquam Moyses ei mutauit. Sed quomodo ille typũ
Num. 20. Christi gesserit, ex historię cõtextu facile colligitur. noluit
& 27. enim de? Moysen introducere populũ in terrã promissio-
nis lacte & melle manãtẽ, sed duxit eũ supra montem Ne-
Deut. 34. bo, ostẽsaq; ei terra illa, dixit eã esse pro qua iurasset Abra-
ham, Isaac & Iacob, ipsumq; illã iam videre tantũ, sed eam
contingere nõ posse. Vnde factũ est, vt post eũ Iosue intro-
Ioan. 1. duxerit populum. Ita & lex Moysi saluare homines nõ po-
tuit, sed gratia & veritas per Iesum Christũ tandẽ facta est.
& sicut Iosue duxit populum in illam temporalem terram
promissionis, ipsamque ei distribuit in funiculo distribu-
Homi. 1. *super Ioã.* tionis, ita Christus Iudæos spiritu se cõfitentes, & laudãtes
verbo & opere, introducit in terrã viuẽtium. Idem hoc si-
gnificatur etiam sentẽtia quidem Origenis, eo quod Moy-
ses licet populũ ex Aegypto eduxerat, ausus tamen nõ est
decertare cũ Amalech, sed tantum dixit ad Iosue, vt electis
Exo. 17. sibi viris aliquot egrederetur mane pugnatur? cũ Amalech.
Ipse vero Moyses tantũ manus dimisit in Iudæis quibus di-
xit dominus, quod si Moysi credidissent tibi quoq; credere
nõ dubitassent. crescẽte enĩ in eis infidelitate superati sunt
Num. 13. ab Amalech. ¶ Ad hæc Origenes expendit non temere Io-
sue, in scripturis dici Oseæ, quotiescunq; patris sui mentio

incæ-

incidit. profecto enī quū exploratoris officio functus ablegatur ad perlustrandā terram, Oseæ dicitur: dux autem cōstitutus, figurā iam Christi gerens, Iosue vocatur. Item manētibus Aarone, Nabat, Abiud & Eleazar in castris, Iosue cum Moyse acendit in mōtem ad susciptendum tabulas decalogi. Præterea, quū non possent Aarō & Iudæi aspicere faciem Moysi nisi velatā præ fulgore illius. Iosue tamen omnis mysterij cōscius, securus & intrepidus aspexit, mansitq; cū eo in tabernaculo. Eaq; causa est, quur ante hūc nullus in veteri lege naturæ Iosue aut Iesus sit appellatus. Vt maximè probus fuerit deoq; placuerit Seth, quā excellentes extiterint Noe, Abraham, Iacob & alij. nemini tamen horū nomen Iosue cōtigit, nisi huic filio Naue, qui personā gessit Christi. ¶ Quæras forsitan eius rei ratione, quū tamen ante eū fuerint plures alij, qui in se typū Christi habuerint. Verū id quidē est, nā & Abel illius typū gessit, sed morientis: & Ioseph, sed venditi: & Isaac, sed immolati, &c. Iosue autē ille triūphātis in se Christi figuram expresit, personā redēptoris, qui etiā populū introduxit in terrā promissionis, nō secus quā Christus inferos, mortē, & diabolū superauit, suosq; fideles introduxit in vitā æternā. Hæc quoque causa est, quod Iosue filios Israel denuo circuncidit, sicut & Christus suos noua circunci sione: & sicut Iosue Iebusæum, Ethæum & Amorrhæū superauit, ita Christus diabolū. Et quemadmodū Iosue filiis Israel terram promissionis distribuit, non autē Moyses, ita pater quoq; omne iudicium dedit filio. Deinde sicut Iosue nullam sibi reseruauit partem, sed pro sua deinceps populus ei dedit Ephraim, vbi & ciuitatem in qua habitaret extruxit: ita si Christo fideles locum dent inhabitandi, ibi ille sibi parat domiciliū. Vnde & Origenes ait, Ego si possem bonus fieri, locum darem filio dei in me, & acceptum locum à me in anima mea dominus Iesus ædificaret eum & adornaret, templū vtiq; (vt ait Apostolus) sanctum. O felicem vereq; beatum hominem, qui vero Iosue regionem tradit pectoris sui, vt mansionem sibi paret apud eum. 3 Eodem porro modo reliqui etiam duo personam Christi gessere. Iesus enim filius Iosedech, sacerdos ille sanctus extitit, qui templum domini restaurauit, vt merito typum in se Christi habuerit, quē deus summo donatus est sacerdotio, quod multis probat Paulus. ille si qui-

Exo. 24.

Exo. 34.

Ge. 4. 38. 22.

Ioan. 5.

Iosue. 19. *Homil.* 24. *super Ioan.*

1. *Co.* 3.

1. *Esdr.* 5. *Eccl.* 49. *Hebr.* 7.

dem templũ domino extruxit ecclesiam sanctã, non ex lapidibus nec manu factam, sed proprio sanguine redemptam. itaque & ille Iesus condigne personam Christi expressit. Similiter & tertius Iesus filius Sirach, nomen illud sanctissimum esse quutus est, vir sui seculi prudentissimus, sicuti in libro suo per eum scripto fertur à suo nepote, Doctrinam
Eccl. 59. sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto Iesus filius Sirach Hierosolymita, qui renouauit sapientiã de corde suo. Quis autem sapientior vnquam fuit Christo Iesu, qui sapientia extitit dei patris, qui sapientia sua verissimaque doctrina mundũ illuminauit vniuersum, & euangelica veritate illum emundauit ab idololatria, errore & ignorantia? Ideoque nõ immerito tres isti nomen Iesu habuerunt, Messieque nostri personam gesserunt, dux fortissimus, summus pontifex & tẽpli restaurator, & sapientissimus scriba, quoniam hæc tria summo gradu in se habuit Christus. Veniendo igitur ad primam quæstionem, quum dicis nomen Mes-
Esa. 62. siæ nouum esse debere ex oraculo ptophetæ, cuiusmodi hoc non sit, quum ante eum tres illud habuerunt: respondeo habuisse quidem illud istos tres, sed sicut veri Messiæ figuram
Matt. 1. tantum habuerunt, ita perfecta in eis sancti huius nominis operatio nõ fuit, solus enim Christus nomen hoc cum effectu ipsoque opere habuit: iuxta illud angeli ad Ioseph, Vocabis nomen eius Iesum, quia ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorũ, quod aliorum nullus fecit. Et forsitan hoc ita ordinauit spiritus sanctus, vt alij quoque nomẽ hoc
1. Reg. 6. sanctum haberent, quo minus verum illum agnoscere diabolus ex nomine posset Messiam. De quarto aliud non inuenio, nisi quia arcana domini super agrum eius requieuit primum, remittentibus eam Philistæis in Iudæam.

4 Obseruandum & hoc est diligenter, quod non temere dicit propheta, Vocabitur tibi nomen nouum quod os do-
Esa. 62. mini nominauit. quanuis enim alij nomen hoc habuerint,
Num. 13. nõ tamen illud eis dedit deus, sed Moyses dedit idipsum Io-
Psal. 71. sue, aliique in sua circũcisione id adepti sunt. Christo autẽ nomen hoc ab æterno à deo patre datũ est, teste Dauide, Sit nomẽ domini benedictũ in secula, ante solẽ permanet nomen eius. Imò in eo libro in quẽ cõscriptus est numerus omnium electorũ, ille tenet primitias. ita enim ait pes os Dau-
Psal. 39. uid, In capite libri scriptũ est de me. Quod si ergo dominus

gaudere

gaudere iussit apostolos, quod eorũ nomina scripta sint in cœlo, quanto magis Christus ipse lætabitur? vnde & Esaias exclamauit, Tu domine pater noster & redemptor noster, ab æterno est nomẽ tuum. ideoq; & angelus dixit ad Mariã, Ecce cõcipies & paries filium, & vocabis nomẽ eius Iesum. Nomẽ illud vidit etiã propheta Abacuc, in spiritu cantans, Lętabor in domino deo, & exultabo in deo Iesu meo. Quid quod tres illæ primæ literæ in benedictione Iacob super Iudam vbi agitur de aduẽtu Messiæ: dicitúrq; vano schilo valo, vbi tres literæ initiales cõstituunt nomẽ Iesu? Possem id genus mysteria multa inferre, nisi captũ vulgi superarent, tantũ hoc sanctissimũ nomẽ vobis, prie do, dico & addico, tradoq; cordibus vestris, ne vnquã obliuiscamini, & saluté habebitis æternã. Ita Ignatius in omnib⁹ suppliciis suis semper inuocauit nomẽ Iesu, interrogatus etiam à tortoribus, quur id faceret, respõdit nomẽ hoc inscriptũ esse cordi suo, quod nõnulli post mortẽ eius experiri volẽtes, dissecto corde suo, inuenerũt in eo nomẽ illud Iesu aureis literis descriptũ. Per vniuersam quoq; Angliã nomẽ Iesu obseruatur in summo honore, siquidẽ in illo multæ magnæq; sunt erectæ fraternitates, missę quoq; & altaria fundata, sacerdotes insu per peculiares deo preces solennésq; de nomine Iesu habẽt. Dominus deus propter nomen sanctũ suum cõcedere nobis dignetur gratiam suam, & illic gloriam æternam, Amen.

Luc. 19. *Esa. 63.* *Luc. 1.* *Abac. 3.* *Gen. 49.* *S. Ignat.*

HOMILIA V. DE NOMINE IESV.

c. cũ secundum de præb.

REFERT quidam Ioãnes Andreæ vxorẽ suam dicere solitã, Quod si nomina magno precio emi deberent, bona nomina emi deberẽt. quãquis enim non euidenter sit necessarium iuxta nomen iudicare quenquam, tamen nomen malum suspicionem mali magnam de se præbet. vnde & apud Germanos iam olim inoleuit prouerbium huiusmodi, Malum nomen malæ mortis auspicium est. quæ etiam ratio est, quur dominus deus interdum nomina mutauit, quæ res magni semper mysterij fuit argumentum. aliquando verò tantum emendauit additamento aliquo, quomodo Abram vocauit Abraham, & Oseæ Iosue. Alias detraxit aliquid, sic Sarai dicta est Sara. Est & vbi totum nomen mutarit, vt Iacob vocauit Israël, & Simonẽ Petrũ. Eius rei regulã pulcherrimã dat Beda, inquiens, Singularis meriti in-

Gen. 17. & 32. *Beda.*

diciũ eſt, quoties alicui nomẽ ſuũ vel mutatur, vel de nouo imponitur. Idem & diabolus aliquando procurat. vendito enim Ioſepho in Aegypto, effecit vt ei nomen mutaretur. verum id ita ordinauit dominus, vt eius nomẽ haberet, cuius figurá gerebat. ſiquidẽ dictus eſt Pſonthon pſanech, hoc eſt, ſaluator mũdi. Similiter in captiuitate Babylonica humani generis inſidiator, qui nihil boni ferre poteſt ſuſtinere noluit ſancta illa Hebræorũ nomina, aliaq; eis tradidit.

Dan. 1. Danielẽ vocauit Balthaſar, hoc eſt, capillũ capitis. Et in hũc vſq; diẽ ſi quando Turcæ acquirunt hominẽ Chriſtianum, diabolus pati nõ poteſt nomẽ ſuũ, ſed immutatur illi. Non abſimile fuit neochriſtianorũ propoſitũ, qui neglectis noui teſtaméti nominibus eorum, qui gratiá Chriſti in baptiſmo fuerãt cõſequuti, dare ſolebãt ſuis nomina antiqua Iudæorum. Quo faciebat Zuinglij Kalendariũ, vnde extruſis omnibus noui teſtaméti ſanctis, redegerat in illud nõ tantum amicos dei veteris legis, ſed & ſui ſuę́que illegitimę́ coniugis ſimilimos homines peſsimos, Cain homicidã, Pharaonẽ tyrannũ, Balaã falſum prophetam, Eli ignauũ ſacerdotem,

Gen. 4. Saulem quẽ reiecerat deus, Ioab quoq; & Berſabeã adulteram, Abſalon ſeditionẽ aduerſus patrẽ molientẽ, Thamar

1. Reg. 15. etiam, & iſtiuſmodi alios multos. Verũ tales Chriſtianos id genus ſancti decent & Kalendaria. Sed vt ad materiã noſtrã redeamus, quãdo ab æterno à deo patre nomen Ieſu inſtitutum eſſe creditur, à patribus figuratũ, à prophetis prędictũ, ab angelo annuntiatũ, quis non credat illud ſingularem quandam, tum virtutẽ, tum ſanctimoniam habere? & quãuis de eo pene infinita dici poſſent, nos tamẽ vtiliſsima, ſucciq́ue pleniſsima arripiemus. 1 Primũ itaq; in ſacris literis ſe nobis offert, quod ſi orãdo exaudiri volumus, in nomine

Ioan. 16. Ieſu nobis orandũ eſt. ita Chriſtus ad ſuos, Si quid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit vobis. Eaq́ue noua eſt orãdi formula, veteris teſtamenti patribus ignota, & hinc cœpit ille vſus eccleſiæ, vt omnes collectas cõcludat in hunc modum, Per dominum noſtrũ Chriſtum filium tuũ, qui tecum viuit & regnat in vnitate ſpiritus ſancti deus, per omnia ſe-

2. Tim. 2. cula ſeculorum, Amen. Neq; id immerito, mediator enim noſter eſt Chriſtus erga deum, qui inuocãdus eſt nobis, iu-

1. Ioan. 2. xta illud Ioãnis, Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propiciatio pro

pecca-

peccatis noſtris. Verùm de hac re plura Tomo ſecundo. Quilibetetiam Chriſtianus omnem ſuam orationem eo dirigere debet, vt tandem per Chriſtum ante thronum gloriæ perueniat. Quanuis igitur qui inuocet Mariam, Ioannem, Petrum Sebaſtianum aut Barbaram, tamen vbique eius debet eſſe intentio, vt eorum interceſſio ſibi proſit tantum per dominum Ieſum. Diſcat hinc quilibet, omnem ſpem ſuam, fiduciam & ſolatium, omnium maxime in Chriſto reponere, in eoque figere. Ita Dauide dicente, Hi inquit, in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine dei noſtri inuocabimus. 2 Peccata quoque nobis in hoc ſalutari & ſanctiſſimo nomine dimittuntur, dicente Ioanne, Scribo vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius. Tantum deo placet hoc ſanctum nomen Ieſus, vt iram dimittat aduerſus peccatorem conceptam illius gratia. Neque latuit hoc Dauidem, vnde & magna cum fiducia ait, propter nomen tuum propiciaberis peccato meo, multum eſt enim. Omnes itaque peccatores inuocare ſedulo debent hoc ſacrum nomen. Eſtque illa non illaudata conſuetudo, morientes aut morientibus aſſiſtentes frequenter inuocare nomen Ieſu. Nequit enim odiſſe dominus diligentes nomen illud ſanctum, ſicut orauit Pſaltes, Reſpice me, & miſerere mei ſecundum iudicium diligentium nomen tuum. Cupis igitur confiteri? vis tibi remitti peccata? inuoca nomen illud Ieſu. Ita Dauid precabatur. Propter gloriam nominis tui redime nos, & propicius eſto peccatis noſtris propter nomen ſanctum tuum. Ita & apoſtoli prædicauerunt in primitiuæ eccleſiæ ædificatione, per nomen Ieſu peccata dimitti, ſicut Petrus dixit de Chriſto, Cui omnes prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Ita ad Paulum Ananias ait, Exurge & baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine ipſius. Et hoc eſt quod dicit Dauid, Sanauit eos propter nomen ſuum, vt notam faceret in populis potentiam ſuam. Ita & Paulus, Abluti, inquit, eſtis & ſanctificati, & iuſtificati eſtis in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. Atque hinc cuilibet homini iuſto nomen Chriſti in interiori fronte ſpiritus ſcriptum eſt, iuxta id quod vidit Ioannes agnum ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor

Pſal.19.

1.Ioan.2.

Pſal.41.

Pſal.18.

Pſal.73.

Actu.22.

Pſal.105.

1.Cor.6.

Apo.14.

milia, quæ habebant nomen suum, & nomen patris sui scriptum in frontibus suis.

3 In hoc eodem nomine sancto nos quoque saluari o-
Matth.1. portet, iuxta ipsius etymologiam, saluatorem enim signi-
ficat, dicente angelo, Vocabis nomen eius IESVM, quia ip-
se saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Idem te-
statur Petrus qui stans ante concilium Iudæorum, sic ait de
Actu.4. nomine IESV, Non est aliud nomen sub cœlo datum ho-
minibus in quo oporteat credentes saluos fieri. Hinc in sa-
cris literis vbicunque Christus proprio suo nomine non ex-
Oseæ 13. primitur, saluator tamen appellatur. ita dicit apud Oseam,
Esa.3. Non est saluator absque me. sicut & apud Esaiam habetur.
Psal.105. Et præuidit hoc idem Dauid in psalmis, quum dixit, Saluos
Zach.9. faciet eos propter nomen suum. Ita Zacharias eum descri-
psit, Ecce rex tuus venit tibi iustus & saluator. neque aliter
eum recens natum angeli annuntiarunt pastoribus, nisi in
Luc.2. hunc modum, Ecce euangelizo vobis gaudium magnum,
natus est enim vobis saluator. Ita eum Ioannes quoque ap-
1.Ioan.4. pellauit, dicens, Quia pater misit filium suum redempto-
Philip.2. rem mundi, Et Paulus, Expectamus, ait, saluatorem Iesum
Christum. Et hæc sanè tria præcipue sunt in nomine IESV,
per illud omnes preces ad dominum fundi debere, in eo
peccata nostra dimitti, & in eodem nos quoque saluari.
Nunc itaque plura adhuc pro temporis opportunitate inue-
stigabimus. Quorum non minimum est, quod illud lon-
ge dignissimum est nomen ex omnibus super terram. ita
Paulus post prædicationem humilitatis Christi subiungit:
Exaltauit in eum deus, & dedit ei nomen super omne no-
men, vt in nomine eius omne genu flectatur cœlestiũ, ter-
restrium & infernorum. Ecce quod ad nomen IESV angeli
quoque curuantur in cœlis, quod vtique viderat ille,
quando in tertium vsque cœlum raptus fuit. Vah demen-
2.Cor.12. tiam istorum & insaniam, qui nolunt genua sua flectere ad
nomen IESV, imò neque ad ipsum Christum, dum intuen-
tur eum in sacramento eucharistiæ, sed stolidi consistunt vt
Matt.25. Marpesia cautes, Veniet tempus quando optabunt proci-
De immu. dere ad pedes domini in die nouissimo, sed frustra audient
eccl. c. de enim ob eo, Nescio vos, Accedit iis sanctis & decretum cõ-
cet. lib. 6. cilij Lugdunensis, quod sic habet, Conuenientes in eccle-
sia, nomen illud quod est super omne nomen, à quo aliud

sub

ſub cœlo non eſt datum hominibus, in quo ſaluos fieri credentes oporteat, nomen videlicet IESV CHRISTI, qui ſaluum faciat populum ſuum à peccatis eorum, exhibitione reuerentiæ ſpecialis attollant. & quod generaliter ſcribitur, vt in nomine IESV omne genu flectatur, ſinguli ſingulariter in ſeipſis implentes, præcipue dum aguntur Miſſarum ſacra miniſteria, quotieſcunque glorioſum illud nomen IESV nominatur, flectant genua ſua, & capita inclinent. Aiunt etiam Ioannem Papam viceſimum ſecundum dediſſe viginti dies indulgentiarum omnibus, qui ad ſacrum nomen IESV inclinant, vel caput aperiunt, vel pectora tundunt. Et vos igitur nomen IESV ſedulo colite, non deerit eius rei præmium in æterna felicitate.

4 Tot adhuc ſuperſunt nominis huius virtutes, vt vnde ordiar potiſſimum, quámque primum commemorem ignorem. Quàm enim plenum gaudij & conſolationis eſt illud nobis, tam viciſſim terribile eſt dæmonibus. ſiquidem in illo apoſtoli Chriſti dæmonia eiiciebant, quod etiam dominus fidelibus omnibus in vniuerſum promiſit, neque poteſt cum hoc ſancto nomine manere diabolus, quoniam propter eum dixit Dauid, Sanctum & terribile nomen eius. Et alibi, Laudate nomen eius, quoniam terribile & ſanctum eſt. Tutius munimentum aduerſus diabolicas inſidias habere non poſſumus. neque enim poteſt diabolus potentiam nominis huius ſuſtinere, ſed furit & fugit clamans, Quid mihi & tibi IESV fili dei? quare veniſti nos torquere ante tempus? Nominis huius fortitudinẽ cognouit & Hieremias in ſpiritu, dicens, Magnus es domine, magnum nomen tuum in fortitudine. Et ſicut iam diximus nomen IESV nos tueri ab inſidiis diaboli, ita de reliquis ſentiendum eſt periculis, in quibus omnibus inuocare debet homo nomen illud ſanctum & ſuaue IESV, ad exemplum Pauli & Dauidis, qui clamauit, Deus, in nomine tuo ſaluũ me fac. Quod autẽ dominus ſuos eripiat inuocãtes nomen ipſius, idem ille teſtatur, dicens, Quoniam in me ſperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Hinc Salomon ait, Turris fortiſſima nomẽ domini.

¶ Diſcat hic quilibet homo ſedulo ſe exercere, & nomẽ IESV frequenter inuocare, dicente Dauide, Sperabũt in te qui nouerunt nomen tuum, quia nõ dereliquiſti quærentes te.

Luc. 10. *Mar. vlt.* *Pſal.* 110. *Matt.* 8. *Hiere.* 10. 2. *Cor.* 11. *Pſal.* 52. & 90. *Prou.* 18. *Pſal.* 9.

In omnibus ergo bonum est & salutare, dicere in benedictionibus quod vsus habet, Adiutorium nostrum in nomine domini, qui fecit cœlum & terram. Quando igitur sanctissimum nomen Iesu tam plenum est consolatione, adeo desiderabile & amabile est. confirmat enim nos, illuminat nos, propellit inimicos, miracula facit, tuetur nos, comitatur in via, peccata dimittit, tentationes superat diaboli & mundi huius, suósque hostes profligat, malas cogitationes fugat. vere ideo bonum, iucundum & admirabile est, hoc illud nomen est, à quo Christiani omnes dicimur, iuxta oraculum propheticum, Seruos suos vocabit nomine alio. Iudæi adhuc nomen antiquum obtinent, nos autem quod Christiani dicimur à Iesu Christo, nomẽ nouum est, & quidem ante Christum inauditum. Itaque vos omnes piè per Christum admonitos & oratos volo, vt nomen hoc sanctum obseruetis, veneremini, eoque vtamini, iuxta illud Dauidis, Reges terræ & omnes populi, principes & omnes iudices terræ, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus, laudent nomen domini, quia exaltatum est nomen eius solius, laus eius super cœlum & terram. Fiet autem hoc per vniuersum orbem, teste eodem, Secundum nomen tuum, sic & laus tua vsque in fines terræ. Et inde, A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen domini. Verè enim perpetuo laudabitur & in secula celebrabitur, sicut dicitur ibidem. Sit nomen domini benedictum ex hoc nunc & vsque in seculum. Habete igitur in domino dilectissimi, vobis nomen hoc cõmendatissimum, cubitum euntes, surgentes, laborantes aut peregrinantes, omnia in nomine Iesu facite, iuxta præceptum Pauli, Omne quodcunque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine domini Iesu Christi facite: sicut & ipse religiose & sedulo nomen illud in omnibus suis epistolis inculcat. quod quoties in eis contineantur, memini me aliquando connumerasse, neque iam succurrit. Testatur illud de eo & Lucas, quum refert eum omni sabbato disputasse in synagogis, & inserit ibidem nomen IESV. Nomen igitur illud sanctum nos defendat & tueatur à peccatis & omnibus malis, vitámque nobis donet æternam, Amen.

Esa.65.

Psal.149.

Psal.27. & 112.

Coloss.3.

DIE

DIE EPIPHANIAE DOMINI,
SIVE TRIVM REGVM, EVANGELIVM
Matthæi 2.

IN illo tempore, Cùm natus esset Iesus in Bethleem Iudææ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Hierosolyma, dicentes. Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Et cõgregans omnes principes sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei, In Bethleem Iudææ. Sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima Ioan. 7.
es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligen- Matth. 5.
ter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis. Et mittens illos in Bethleem, dixit, Ite & interrogate diligenter de puero: & cum inueneritis renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Qui cùm audissent regem, abierunt. Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra vbi erat puer. Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius. & procidentes, adorauerunt eum. & aperto thesauro suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & Tho. 28.
myrrham. Et responso accepto in somnis, ne rediret ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

HOMILIA PRIMA.

DIES hic ille magnus est, hic dies sanctus & præclarus, charissimi, quo puer Iesus à tribus Magis visitatus est, tanto tum splendore, tum honore & reuerentia, vt etiam potentissima vrbs Hierusalem super hoc commoueretur. Gaudium tantæ festiuitatis etiam stella noua lucidæ & insolitæ claritatis illustrauit. Accesserunt & munera præclara, quibus illi puerum Iesum donarunt, ipsique reuerenter ea obtulerunt. Sed nos iam principio euangelium iuxta sanctorum patrum sententias explicemus, deinde nonnihil de huius solennitatis dicamus. *Cùm natus*, inquit Matthæus, *esset Iesus in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis regis, ecce magi ab oriente vene-*

runt Hierosolymam. Quomodo Maria rursus profecta fuerit in Bethleem à Nazareth, Matthæus non meminit. Lucas autem descripsit vnde contigerit illud, quod antea ab æterno sic fuerat ordinatum à deo patre, quoniam tributum pendendum erat Augusto. Matthæus ipse diuinam hic prædestinationem ostendit, idque ex Iudæorum confessione cum testimonio prophetæ. De Bethleem plura diximus supra, & quomodo antea dicebatur Ephrata. Neque hic temere Matthæus mentionem facit Herodis, siquidem ille euangelium suum & Iudæis & Hebræa lingua descripsit. Iam vero ignorare non poterant Iudæi, signum illud à patriarcha Iacob sibi traditum, Non ablatum iri sceptrum de Iuda, donec veniat qui sit mittendus. Herodes porrò Idumæus erat, & non de tribu Iuda. atque adeo hic euangelista non Augusti Cæsaris, sed regis Herodis commeminit: vnde discerent Iudæi, quando iam finem cepisset apud eos vnctio regum, venisse quoque Messiam, sicut & Daniel ait: Quum venerit sanctus sanctorum, fore vt deficiat hostia & sacrificiū, sitque in templo abominatio desolationis, ideoque in hac sententia sunt nonnulli patres, vt dicant Matthæum ob id mentionem fecisse Herodis, siquidem à tempore Danielis vsque ad Herodem, congruunt septuaginta hebdomades annorum. Et à rege quidem Artaxerxe peracti sunt in imperio Persarū anni centum octodecim. A morte autem Darij, quem vicit Alexander Magnus, vsque ad mortem Cleopatræ, interceserunt anni trecenti. Atque in Romano imperio vsque ad decimumseptimum annum Tiberij, quo Christus mortuus est, anni quinquaginta septem. Quos si colligas omnes, habebis quadringentos septuaginta sex, quo ad lunam computando. illis si adieceris emboliſmos centum septuagintaquinque, habebis rursus vigintinouem annos: quos superioribus adde, & videbis annos quadringentos octogintanouem, menses septem, septuaginta hebdomades annorum. Alij hoc tantum computant secundū annos solares, quoniam à vicesimo anno Artaxerxis, qui Nehemiam misit ad restaurandum templū & vrbem, vsque ad Machabæos, anni trecenti nonagintanouem intersunt, vt ex Iosepho colligitur. Machabęorum autem gubernatio durauit annis centū vigintiseptem. statim mortuo Antigono, regnauit Herodes Ascalonita, in cuius

Theophy.

Gene. 49.

Dan. 9.

Nehe. 2.

Li. 14. ca. vlti.

imperij

imperij anno vicesimo octauo natus est Christus, ab eo vsq; ad baptismū suum elapsi sunt anni triginta, quod & Lucas commemorat. Hi anni omnes coniuncti, faciunt quingētos octogintaquatuor, hebdomadas sexagintanouē annorū. atq; ideo quū quarto post anno passus sit Christus, sequitur eū hebdomada septuagesima crucifixum & occisum, sicut angelus reuelauit Danieli. Hæc si tu simplex omnia componere & supputare nescis, doctis relinquito, tibiq; satis sit scire hanc Danielis prophetiam esse impletam propemodum circa hæc tempora Herodis, quibus & natus est Christus. *Luc. 8.*

2 Quando venerunt magi ab oriēte Hierosolymam, inquirendum principio est, qui fuerint magi siue sapientes illi. hi nanque fuerunt, quos vulgo tres reges dicimus, quorū corpora adhuc Colonię videntur. Verūm hīc iam antiquus iste serpēs exsibilās sese attollit, qui & cōnatur omne quod ab ecclesia catholica receptū est, vel funditus inuertere, vel saltem immutare, is contendit hos non reges fuisse, sed homines alioqui doctos & peritos, cuiusmodi nos magos vocamus, non quidem futurorū præscios, instar prophetarū, sed vt Tartari solent & Zingeri seu Cilices, quorū scientia vniuersa magia, ministerio exercetur dæmonum. Ad hęc dicit, de numero eorum nō constare, duóne, trésve, aut quot fuerint. Alio loco ait sacerdotes forsitan fuisse. O portenta, ô monstra & prodigia noui euāgelij huius peruersissimi monachi, quæ parat aduersus ecclesiam & gloriam Christi, sanctorumq; trium magorum. Quando enim Christo nō paruo hoc est honori, reges tres ex tam remotissimis regionib⁹ venisse ad honorandū adorandumq; illū, nónne qui iam ex regibus priuatos facit, Christo debitū subtrahit honorem? Quod autem hoc Lutherus mendacissimè ex suis somnis cō finxerit ad ignominiā Christi & sanctorum, illicq; sapientes fuerint reges, non tantum ex vsu habemus ecclesiæ, quæ eos pro regibus semper venerata est, sed ex scriptis prophetarū qui eos reges appellarunt, vt interim iniquissimè Lutherus aduersus spiritum sanctum contendens, regali eos conetur dignitate priuare. Ecce enim Esaias ait, Gentes ambulabūt in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Quibus verbis cum multis aliis Ecclesia vtitur hoc festo. & non fuisse eos simplices homines, ex sequentibus patet, quando de Ierusalem dicit, Mirabitur & dilatabitur cor tuum, quan- *Lutherus impius.* *Esa. 60.*

do conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gẽtium venerit tibi, inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madiam & Effa. Iam vero operire camelis & dromedariis terram, nõ duorũ vtiq; aut trium tantũ hominum eſt, quod
Pſal.71. ſomniauit Lutherus. Idem verò & ex Dauide patet, quum ait, Ante eum procident AEthiopes, reges Tharſis, & inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent. Ecce vides, quod non ſolum reges fuerint, ſed & vbi regnarint, quia in Tharſis & Saba. Ne vero aberrare quis poſſet in loco, ſcilicet in quibus Saba vel Tharſis (non equidẽ Ciliciæ. vnde fuit S. Paulus.) ſed Arabia etiã & AEthiopes hîc commemorantur. Hinc etiã Lutheri mendacium palam fit omnibus, qui ait ſapiẽtes ad illos non longũ iter habuiſſe in Ieruſalem, nec vltra quatuor dierum ſpatium fuiſſe. O coſmographũ inſignem, & admodũ ſubtilem diſtantiarum locorum ſupputatorẽ. Saba quum non procul abſit à mari rubro, diſtat nimirũ gradibus quindecim à Ieruſalẽ. ſinguliſq; gradus 15 faciunt miliaria Germanica quindecim. & ſic miliaria interſunt ducenta vigintiquinq; à Saba vſque Ieruſalem. Nouus iſte veredarius, hirco forſitan vectus, quatuor diebus ex AEthiopia & Saba peruenit vſque in Ieruſalẽ.

3 Quod autẽ Matthæus eos Magos (hoc eſt ſapientes) vocat, eo factũ eſt, quod ex ſapientibus tũ ſacerdotes, tum reges eligabantur. qui mos fuit AEgyptiorum, ipſo etiã Luthero fatente in nouiſsimis ſermonibus. Imò & reges AE-
De ſanctis thiopum atq; AEgyptiorũ à ſapiẽtibus & ſacerdotibus regebantur vſq; ad tẽpora Ptolomæi ſecundi, authore Diodo-
Diodo. ro. Ex ſcriptis etiam Moſaicis diſcimus, in quantis honoribꝰ rex ſacerdotes, qui ſapientes ſui erant, habuerit. ſiquidẽ quũ alias totam regionem ſibi tributariam habebat, illi tamen erant immunes, & in charitate annonæ victum eis ſubmini-
Gen.47. ſtrabat neceſſarium. Pharao etiam quum exaltaret Ioſeph, & conſtitueret ſuper omnẽ AEgyptum, filiã ſacerdotis Heliopoleos ei dedit vxorẽ. Errat igitur Lutherus turpiter, dũ ea ignominia reges illos afficit, vt eos maleficos faciat. Gentes illi quidẽ fuerunt & idololatræ, ſed non diabolicæ artis tractatores, quod Lutherus ſomniauit. Ita enim catholicus quidam ſcribit, Magos illos ſiue ſapientes, non fuiſſe maleficos, diabolo deuinctos, quum venerint non inimicũ, imo dominum diabolorum adorare. Sicut autem ſapiẽtes quos nos

dicimus,

dicimus, Græci philoſophos vocarunt. Germani quondam & Galli druydes, indi gymnoſophiſtas, ita Perſę magos vnde & Plotinus affirmat magos fore naturæ miniſtros. Quãuis non contenderim magos illos in eo quod fuerint idololatræ, & iniquè egiſſe, & per hoc diabolo inſeruiſſe, ſicut Origenes & Auguſtinus affirmant, atque poſt eũ Rabanus, fuiſſe eos impios, ſicut omnes gentes, & vniuerſus totus mũdus, Iudæa excepta: in qua tunc prophetico oraculo notus erat deus, & in Iſraël magnum nomen eius. Itaque vos in Chriſto dilectiſsimi, conſtantes eſtote, & credite, tres illos magos, magnos potentéſque fuiſſe reges, & ſuarum ditionũ dominatores præualidos, in Arabia & adiacẽtibus regionibus atq; inſulis, iuxta Eſaiam & Dauidem. Et hoc eſt quod ſancti patres contemplati ſunt, quidnam tres illi magi ſignificarint. Ait enim Eſaias, Erit in nouiſsimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi. Id quomodo factum ſit, pulchrè oſtendunt doctores, Iudæi enim ad Chriſtum vocati ſunt in paſtoribus, qui primitiæ fuerunt veniẽtium ad Chriſtum: gentes autem per illos tres magos, vnde ait Leo in ſermone tertio, His dilectiſsimi, gratiæ myſteriis eruditi, diem primitiarum noſtrarum & vocationis gẽtium inchoationem rationabili gaudio celebremus, gratias agentes miſericordi deo, qui dignos nos fecit, vt ait Apoſtolus, in partem ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarũ, & tranſtulit in regnũ filij dilectionis ſuę. Et in alio ſermone, quod illi tres viri vniuerſarum gẽtium perſonam gerentes, adorato domino, ſunt adepti, hoc in populis ſuis per fidem, quæ iuſtificat impios, totus mundus aſſequitur, & hæreditatem domini ante ſecula præparatã accipiunt adoptioni. Quantum porro debeamus deo pro illuminatione gentium, teſtatur cæcitas Iudęorum, & declarat Fulgentius, dicens, Ipſe eſt deus qui ſibi primitias in veteri teſtamento offerri mandauit, idem ergo deus homo natus, gentium primitias ſuo cultui dedicauit. Venerunt ergo populi illi duo, ſicut duo parietes in vno lapide angulari coniuncti. Paries alter aduenit, quando angelus natiuitatẽ Chriſti paſtoribus annuntiauit: alter itidem adductus eſt, dũ ſtella noua gentibus apparuit. 4 Quærendum, inquit Gregorius, hîc à nobis eſt. Quidnã ſit quod redẽptore nato, paſto

Ioã. Picus Frã. Pic. Porphyl. Apul. Lib. 1. con. Celſum. Pſal. 75.

Leo.

Coloſſ. 1.

Sermo 5.

Fulgent. Sermo 5. Lucæ 2.

Gregor.

ribus in Iudæa angelus apparuit, atq; ad adorandũ hunc ab oriente magos non angelus, ſed ſtella perduxit. Reſpondet deinde, Quia videlicet Iudæis tanquã ratione vtentibus rationale animal, id eſt, angelus prædicare debuit, gẽtiles verò qui vti ratione neſciebãt, ad cognoſcendũ dominum nõ per
1.Co.14. vocem, ſed per ſigna perducuntur. Ex eadem enim ratione etiam Iudæis tanquã fidelibus prophetiæ datæ ſunt, gentib⁹ autem vt infidelibus ſigna conceſſa ſunt miraculorum, ſicut de ſigno donorum ſentit Paulus. Ita videtur & apparet ratio, quur apoſtoli dominum Ieſum iam adultũ & perfectæ ætatis iiſdẽ gentibus annuntiarint, quem tamẽ adhuc infantem & per humani corporis vſum loqui non valentem, res mutæ prædicabant. Omnis enim rationalibus ordo hoc habet, vt loquentes apoſtoli loquenté nobis annũtiarent Chriſtum. Diceres: Quid tandem cõmouerit magos ad ſtellæ apparitionem emigrare, aut quis eis prædixerit ſtellã hanc regem Iudæorum deſignare, ſecundũ quod dixerunt ipſi, *Vidimus ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Reſpõdetur, id omne ſine dubio per gratiã dei factum eſſe. vt nati uitas Meſsiæ, quæ per vniuerſam Bethleem nondum innotuerat, iam etiam gentibus in eũ credituris nota fieret & manifeſta. Poterat igitur gratia ſpiritus ſancti inuiſibiliter pectora magorum cõmouere, vnde myſteriũ cognoſcerẽt ad-
Leo. mirandi huius & ſtupendi ſideris. Poterant etiã, vt ait Leo,
Num. 14. ad huius ſigni intellectũ per illam prophetiam Balaam eruditi, quæ & pluribus innotuerat, Orietur ſtella ex Iacob, & cõſurget virga de Iſraël, & erit Idumæa poſſeſsio eius. Leo tamen hunc locum citat, & etiã Septuaginta legunt in hunc modum, Exurget homo. Vere enim de Chriſto eſt illa prophetia, ipſiuſq; diuinitatem ſimul arguit & humanitaté, au-
Homil. 6. thore Chryſoſtomo, per ſtellam diuinitas, per hominem humanitas nobis demõſtratur, quoniam ſic de ſeipſo dominus loquitur apud Ioãnem, Ego ſum radix Ieſſe, genus Dauid, ſtella ſplendida & matutina. neque id immerito. refulſit enim Chriſtus inſtar radiẽtis ſideris per ſuam natiuitatem in ſalutem mũdi vniuerſi. Radius huius luminis noctem fugauit ignorantiæ, cordaq; magorũ ſpirituali lumine penetrauit, vt natum iam regem Iudæorum cœli terræq; condito-
Chryſoſto. rem, nouæ ſtellæ ſigno agnoſcerent. Vbi Chryſoſtomus ſic ait, Et qua, inquies, ratione per ſtellam duci ad Chriſtum, &

quonam

quonam modo potiꝰ oportuit prophetas mitti? ſed nequaquam magi credidiſſent prophetis. An voce aliqua deſuper intonãte? nec de hac quidẽ tantopere curaſſent. ſed angelũ mitteret? verum hũc quoq; forſitan contẽpſiſſent. propterea hæc inquã & huiuſmodi omnia derelinquẽs, per ea illos vocat, quæ familiaria illis cõſuetudo faciebat, mira quadam diſpenſatione pietatis ad hominũ condeſcendẽs ſaluté. Qui enĩ prophetas illuminauit, & hos potuit illuſtrare, eorúmque animabus intellectũ & ſciẽtiã infundere, ſicut prophetis fecerat. Alia quoq; ratio eſt, quia conſtat ex Moyſe gentiles etiam prophetã habuiſſe, qui Chriſti prędixerit natiuitatem. Et ij ſane magi tres ex progenie Balaam fuerunt. videntes itaque inſolitæ ſtellæ radium, crediderũt ibi prophetiã illius eſſe impletam, quũ dixit, Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget homo in Iſraël. Stellam igitur illã, quam in ſpiritu tantũ vidit Balaam, iſti oculis conſpicati ſunt, & crediderũt ita Theophylactus ait magos illos fuiſſe ex Balaam coniectore progenitos. Et fuit vtiq; in ea regione magna huius ſtellę expectatio, ſicut & Iudæi magno deſiderio ſperabãt Meſsiam vẽturũ. Mitto hic, quod ſcribunt nõnulli, ſucceſſores Balaã conſtituiſſe viros præclaros duodecim, qui ſupra montẽ expectarẽt ortum ſtellę huius & apparitionẽ verſus Iudæã vſq; ad Chriſti natiuitatẽ, & ibi viſam eſſe eis ſtellã hanc, atq; in medio eius puerũ Ieſum geſtantẽ ſignũ crucis. Hoc tamẽ, quia in nullius certi probatiq; autoris ſcriptis inuenio, dimitto, quãuis deo omnia poſsibilia, multaque facta eſſe conſtat quæ nuſquam ſcripta leguntur. Nobis ſatis eſt, magos illos veniſſe ab oriente Hieroſolymam, & dixiſſe, *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in oriente.* id ſine dubio firmiter nobis credendum eſt. Interim deprecemur dominum, &c.

Nu. 14.

Theop.

HOMILIA II.

Chryſo.

MAGNVM & admirabile ſignũ contigit hodie, factũ nullis ſeculis intermoriturũ. Magi tres, relicta patria, tantum tam longi itineris ſpatium emenſi ſunt, vt paruulum adorarent recens natũ, quem tamen regem ſuum nunquam futurũ ſperabant, ſed gentis alienæ, magnoq; ſpatio ab illorum regione diuiſæ, & cuius patrẽ regẽ eſſe non videbant. Veniunt Hieroſolymam, quærunt, *Vbi eſt qui natus eſt*

rex Iudæorum? In ciuitatem veniunt, in qua rex erant Herodes, nec tamen de eo quærunt, sed de paruulo, eoq; non regis filio. Et mirum fit, eos Herodis reliquisse filium in palatio, & paruulum in pauperculæ matris gremio collocatum adorasse. Verùm hæc illa magna sunt miracula dei, non humana sapientia eruēda, sed ita & à deo ordinata, & ipso inspirante perfecta. Id etiam Augustinus declarās, ait, Quum multi nati essent reges Iudæorum, nunquid quenquam eorum adorandū magi quæsierunt, quia nec quanquā eorum de cœlo loquentem didicerunt? Atq; ideo peregrini illi noluerunt honorem istū cuiquam regi Iudæorū ex iis qui cōmuniter regnabant, deferre. iam enim didicerant huiusmodi quendam natū, quem si adorarent, salutē à deo impetrarent. Et verū quidem hoc est, quod nihil præclarū aut rarum in hoc puero viderūt in terris, sed magnū quiddam ei inesse ex cœlo edocti erant. Ita & Theophilactus ait, Quare magi veniunt? ad condemnationē Iudæorū. nam cum magi homines cultui idolorum dediti crediderunt, quā postea prætexent defensionē Iudæi infidelitatis suę? an non potius hoc illi facere debuissent, quibus ipse Messias, saluator & redēptor fuerat promissus? Ad hæc ex remotissimis regionibus venerunt illi, & Iudæi in medio eorū cōmorantē non quęsierunt. Aut quādo vnquā Iudæus aliquis Christo huiusmodi obtulit munera, vt ij magi? Et certi iam erant illi natū eū, & quidem regē, sed de loco nihil eis constabat. ideoq; ad caput Iudæę Ierusalem peruenerunt. Id autē nescierūt ibi Iudæi, neq; dum scire volunt vsq; in hodiernum diem, arbitrātes eum adhuc nasciturū. Rationē insuper certitudinis suæ prætexunt magi sicut boni testes, & aiunt. *Vidimus enim stellam eius in oriente.* Ad confusionē, inquit Hieronymus, Iudæorum, vt natiuitatē Christi à gentibus discerēt, oritur in oriente stella, quam futurā Balaā, cuius successores erant, vaticinio nouerant. Deferuntur magi stellæ indicio in Iudæā, vt sacerdotes à Magis interrogati, vbi Christus nasceretur, inexcusabiles fierent de aduentu eius. *Vbi est qui natus est?* quasi dicerēt, Natus ille vtiq; est, vnde & vos scire cōuenit, prophetias vestras esse impletas Iacob & Danielis. nostra nanq; impleta iam est, stellam siquidē illā vidimus, quam vester vobis Moyses, noster nobis Balaam prænuntiauit. nihil aliud requirimus, tantū locū aperite nobis, vbi sit ille natus, omnia

Augustin. in ser.

Theophil.

Hieron.

omnia reliqua nobis ſunt certiſsima. *Ecce venimus adorare eum.* Nos, ait Fulgétius, cũ Iudæi nõ ſimus, regem tamẽ Iudæorũ nos quęrere profitemur, neq; Herodẽ volumus, neque filium eius Archelaũ adorare, ſed Chriſtum paruũ quidem in præſepi, ſed valide regnantã in cœlo. *Vidimus enim eius ſtellam.* 1 Quærunt hic patres, cuiuſmodi hæc fuerit ſtella: & ait Chryſoſtomus non fuiſſe eam vnã ex pluribus illis aliis, imò neq; ſtellã omnino, ſed inuiſibilẽ quandã virtutem in ſpecie figuratam. 1 Quoniã reliquæ ſtellæ ab ortu ſolis ad occaſum mouẽtur, hæc autẽ à meridie verſus ſeptentrionẽ moueri viſa eſt, à terra Moab & Arabia Ieruſalem verſus, obliquè tamẽ, quia propè ad ortũ ſolis. cõparatiue enim vna ciuitas ad aliam dicitur oriẽtalis, cuius meridianꝰ eſt vicinior ortui ſolis. Chryſoſtomꝰ tamẽ dicit ſtellam motã ab oriente in meridiẽ. quia vbiq; ſupponit reges veniſſe ex Perſide. ſed Eſaias & Dauid videntur clariſsimè dicere ipſos fuiſſe Arabes & AEthiopes, vt ſupra diximus, & latius infra mõſtraturi ſumus. deinde nõ occidebat hæc ſtella vt aliæ. 2 Cũ cæteræ non lucent niſi noctu, ſiquidẽ & luna lumen ſuũ à ſolis radiis ſentit obſcurari, hæc autẽ & interdiu ſplenduit. 3 Magnum inſuper eius rei argumentum eſt, quod ſtella hæc per interruptionẽ ſiue interpolationẽ refulſit, viſa enim eſt eis vſq; in Ieruſalem inſtar ductoris viæ. Hieroſolymis autẽ euanuit eis, & egredientibus inde verſus Bethleẽ iterum apparuit. 4 Quoniam non in firmamento, ſed in imò aëre conſtituit. ſic & Matthæus ait, *Ecce ſtella quã viderãt in oriẽte, antecedebat eos, vſq; dũ veniens ſtaret ſupra vbi erat puer.* Quomodo aũt, inquit Chryſoſtomus, ſtella tam exiguũ locum, tugurij ſcilicet atq; præſepis, oſtẽdit, niſi ſublime illud relinquens ad inferiora veniſſet, ſuperq; ipſum fere caput pueri cõſtitiſſet? Quatuor hæc Chryſoſtomus proponit, vnde cõſtet ſtellã hanc nouã fuiſſe, claritate etiã à cęteris diſtinctã, motu pariter & loco. Vnde propter eius nouitatẽ & raritatem facile intelligere potuerũt magi hanc eſſe ſtellã Balaam. inde Leo ait, Tribus Magis in regione oriẽtis ſtella nouæ claritatis apparuit, quę illuſtrior cęteris pulchriorq; ſideribus facile in ſe intuentium animos oculoſq; conuerteret, vt confeſtim aduerteretur, non eſſe ocioſum quod tam inſolitũ videbatur. Et poſt hæc, Noua claritas apud magos ſtellæ illuſtrioris apparuit,

Fulgen.

Chryſo.

Chryſo.

Chryſo.

Leo.

Ser. 4.

& intuentiũ animos ita admiratione ſui ſplendoris impleuit, vt nequicquá crederét ſibi negligendũ, quod tanto nũtiabatur indicio. & iterum, Dedit ergo aſpiciétibus intellectum, qui præſtitit & ſignũ: & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & ſe inueniédum obtulit inquiſitis. Vt iam nõ ſit dubium, ſtellã hãc à deo in aëre de nouo eſſe creatã. ¶ Quod autem exiſtimant nõ nulli magos eam Hieroſolymis quoq; vidiſſe, ita vt principio ſupra Ieruſalé apparuerit, nõ laboro, quãuis magis ad euangelicam accedit hiſtoriam, eam in ipſorum prouincia alicubi verſus Iudeam cõſtitiſſe, ipſoſq;

Exo. 13. ſic in aëre præceſſiſſe, ſicut in exitu Iudæorũ de AEgypto apparuit eis dominus, & præceſſit interdiu in columna nubis, nocte autẽ in colũna ignea, vtroq; tépore ſic viã eis demonſtrans. ita enim anteceſſit eos ſtella à Ieruſalem vſque Bethleem. neq; improbabile videtur, ipſam etiam antea eis præceſſiſſe, quãuis ex litera neutrum poſſit euinci, quum, in oriéte, cohærere queat verbo, *vidimus*, aut nomini *ſtellam*. Sed quid aliud anxiè deſideramus, quũ cõſtet ſtellã eos duxiſſe in Ieruſalem? 3 Quum nõ viderunt magi ſtellã Hieroſolymis, ſed tamen ante & poſt, quærunt doctores, quo-

Leo. modo & quare id ita ſit factum. Reſpõdet Leo factum hoc eſſe ad illuminationẽ gentiũ, & excæcationẽ Iudæorũ, ideo & reges ſtellę ſplendorẽ amiſerunt, quia hoc reſponderunt ſcribæ de prophetico eloquio, quod indicabat ſtella de cœlo, quæ vtique poterat magos Hieroſolymis prætermiſsis vſque ad cunabula pueri, ſicut poſtea fecit, ſua ſignificatione perducere, niſi ad cõfutandã Iudæorũ duritiã pertinuiſſet, vt non ſolum ductũ ſideris, ſed etiã ipſorũ profeſsione innoteſceret natiuitas ſaluatoris. Noluerunt autẽ iſti eum quærere, & oculis agnoſcere, quẽ tamẽ verbo ex libris libere cõfitebãtur. & ſine dubio talis eſt ſignificatio, quod propter in ſanã Iudæorũ cæcitatẽ ſtella amplius non apparuit. ¶ Cæterum, cum ſtella creatura ſit rationis expers & intellectu carens, quomodo potuit illa radium ſuum ſubtrahere

Theop. eorum conſpectibus & occultare? Theophylactus reſpõdet, Quum audis ſtellam, ne talem putes illam qualẽ videmus. ſed diuinam virtutẽ & angelicam, in figura ſideris apparentem. id ille ex motu probat, quoniã accinctis itineri Magis, mouebatur illa: quieſcẽtibus eis, ſtabat & ipſa. Quod ſi ergo ſtella hæc fuit angelica quędã virtus, quid mirũ, ſi quando &

do & quomodo voluit videri, aut non videri ſeſe permiſit? In eadē porro ſentētia eſt & Chryſoſtomus cum ait, Quod ſtella hæc Magis ſe rurſus videndā exhibuit, nō ex motu ſideris, ſed virtute plena rationis factū eſt. & paulò antè, Nō hoc vnū erat fidus è cæteris, ſed neq; fidus omnino, ſed virtus inuiſibilis figura ſtellę deſignata. Hęc omnia nō ita accipite quaſi angelꝰ fuerit ſtella aut ſidus hoc. diuerſa enim vtriuſq; natura eſt. Et angelꝰ cū ſit inuiſibilis, illi tū ſtellam hanc viderunt in oriēte, ſed ita intelligite, ſicut ex Auguſtino in ſimili caſu diſcere poſſumus, quod hæc vera ſtella non fuerit, cuiuſmodi reliquæ ſunt in cœlo, ſed ſtella eo tātum, quia figura & ſimilitudo ſtellæ. radiū enim & ſplēdorē habuit in aēre, virtute angelica mota & abſcōſa, ſicuti cometas caudatos ſiue barbatos, ſtellas dicimus, quū tamē incēſiones ſint tantū in aēre ſuſpēſę. Sic in autumno cū videmus exhalationē incēſam decidere, dicimus cœlo pręcipites labiſtellas, qua loquendi forma dominus ipſe vſus eſt, caſuras prædicēs ſtellas de cœlo. Neq; igitur hæc ſtella ſeipſam mouit, ſed ab angelo cōmota eſt. Quęres, cur eis domin⁹ ſignūhoc ſtellę, nō aliud dederit. Reſpōdetur, quia ſi miſiſſet eis deus prophetas, forte non credidiſſent illis, neq; ſcripturas recepiſſent, ſed neq; vocē de cœlo miſſam, ſicuti fuiſſēt, ipſóſq; etiam angelos contempſiſſent, vt ait ſupra Chryſoſtomus, Quādo igitur ſuæ quiſque cōſuetudinis coniunctione trahitur, per ea vocauit dominus ſapiētes gentiū, quæ ipſis magis forēt accepta. ſic Theophyl. ait, Quoniā magi aſtrologi erāt, propterea dominus familiari eos ſigno adduxit, ſicut Petrū piſcatorē à multitudine piſciū ad nomē Chriſti venatus eſt. 4 Quū non fuerit itaque ſtella hæc vna ex firmamento, ſequitur, aſtrologos nullum inde fucū quærere poſſe ſuæ artis & profeſsionis, vt dicant magos illos natiuitatē Chriſti ex aſtrologia & ſiderū notitia cognouiſſe: pōderare magis deberēt opus hoc ſupra naturā fuiſſe, & omnia ſidera exceſsiſſe. Sed neq; vllus vnquam aſtrologorum ex ſideribus Chriſti prædixit incarnationē. & quāuis tunc aſtrologi in terris multi fuerint, tamē ij tres tantū venerunt adorare dominum. Quid quod & Herodes nō aſtrologos, ſed ſcribas cōuocauit, q legerāt pphetas? Tēpus quidē ſtellæ inquiſiuit à Magis, ſed nō ideo aſtrologos ſup hoc interrogauit & mathematicos. Sic quoq; principes ſacerdotum

Chryſ.

Lib. 2. de trin. ca. 6. de colum. & igne.

1. Meteo. Mat. 24.

Chryſo.

Theop. Lucæ. 5.

Priſcilli anißæ. Greg. vide hic.

Tom. 1.

reſpõderunt Herodi, In Bethlehẽ Iuda naſciturũ eſſe Meſſiam, ſicut ſcriptũ erat per prophetã. nõ mathematicũ citãt. Inſuper & Herodes magorum illorũ reditum expectauit, tandẽq; vidés ſe ab eis eſſe deceptum, in furoré conuerſus, occidit pueros in Bethlehẽ, quod ſi mathematici potuiſſent hæc cognoſcere, cõſilio eorũ vſus vtiq; fuiſſet. Quanto igitur ſatius eſt credere, quod ſicut magi illi per angelũ deducti ſunt domũ, nõ ſine numinis inſtinctu: ita eodẽ etiam adducti ſunt in Iudæam, vti ſupra meminimus. ¶ Vide ergo & diligenter conſidera, quomodo quærãt. *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum?* Vbi eſt ille ô Herodes, ô principes ſacerdotum, ſcribæ & ſeniores populi? vos cõpellamus, vbi eſt natus ille rex Iudęorum? *Vidimus enim ſtellã eius in oriente.* Nos Gentiles, legis & prophetarũ ignari, hoc tamẽ à deo didicimus. Tu itaq; Herodes & vos Iudæi omnes, in quorũ regione Meſsias natus eſt, quibuſq; ille promiſſus eſt, euge, vbi eſt ille? Surge & illuminare, age Hieruſalẽ. quia venit lumẽ tuũ. Quando nos igitur in ſplendore ortus ſui ambulamus, & gentes in lumine ſuo, videte Iudęi & tu Herodes, attollite oculos veſtros, & videte, omnes qui cõgregati ſunt nobiſcum, venerũt ad te, vt olim prædixerat Eſaias (applica prophetiã) & eccleſia in hodiernum diẽ canit in officio miſſæ. Neq; enim veriſimile eſt, tres illos veniſſe ſolos, ſed vt potẽtiſſimi principes ampliſſimũ ſecum adduxerunt comitatũ. quamobrẽ & turbabatur Herodes, quẽ tres aut quatuor homines priuati parum nouiſſent. quãdo autem tanta eorũ turba & copia affluebat affatim, merito concurſum illum mirabantur & obſeruabant omnes Hieroſolymitæ, & Herodes habebat ſuſpectũ, dicente Eſaia, Quum conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentiũ venerit tibi, inundatio camelorũ operiet te, dromedarij Madiã & Effa. Ex illis enim regionib⁹ animalia veniunt velociſſima, dromedarij atq; cameli: quumq; ait, *Operiet te*, imméſam vtiq; copiã innuit & multitudinẽ. Sed iam oremus dominũ, &c.

Eſaiæ 60.

HOMILIA III.

REFERT Matthæus, dilectiſsimi in domino, Magos veniſſe Hieroſolymã, & interrogaſſe de nato rege Iudæorũ, atq; inſolite profectiõis & interrogationis cauſam aſsignaſſe, quod ſtellã eius vidiſſent in oriente, vnde magnũ quid eſſe hoc oportebat.

Et ne

Et ne cum ſuſpicione inſidiarum quærere videretur, quaſi, qui paruulo inſidias ſtruerent, addiderũt quid apud eũ ſint acturi, dicentes, *Venimus adorare eum.* Admiratione dignũ hoc erat ipſa rei nouitate. nam ab antiquo veniebant reges gentium in Iudæam deuaſtare eam, reges illius capere, ſicut Nabuchodonoſor, Sennacherib, Theglatphalaſar. Antiochus, & alij fecerant. Nouum hoc erat, quod illi veniebant adorare regem Iudæorũ. Audite cæci & indurati Iudæi, qui non vultis agnoſcere tempus viſitationis veſtræ, quæ vobis per patriarchas & prophetas eſt propoſita, ſaltem ex gentibus agnoſcite, quãdo vnquã venerũt adorare reges veſtros: bene quidem aduenit regina Saba audire ſapientiã Salomonis, ſed nulla eam ſtella adduxit. neque ipſa venit adorare eum, tantũ ſapientiam eius admirata eſt, non autẽ deum eſſe credidit, ſicut magis illi puerum hunc Meſſiam noſtrum, eo quod dixerũt, *Venimus adorare eum.* Videtur, inquit Theophylactus, ij magi magna virtute præditi. id planius explicat Chryſoſtomus, dicens eos neque tumultũ populi atque clamorem, neque poteſtatem reformidaſſe tyranni, dum de rege quęſierũt recẽs nato, ſed nõ Herodis filio. Quũ itaque in peregrina regione Chriſti gloriam tantopere prædicarunt, vbi id facere ſatis tutum non erat, quid eos feciſſe putas in ſua ditione? Crediderim ſane factos eos magiſtros & doctores ſuorũ ciuium, eo maximẽ, quod ſuper ſtellæ ſignũ etiam propheticũ habebant teſtimonium & angelicam reuelationem, ſicut ſtatim dicturi ſumus. O vos itaque chariſſimi, curate & ſtudete, vt vos quoq; inuitati, iam hodie cum illis Magis veniatis adorare Chriſtum dominum.

3. *Reg.* 10.

Theoph.

Chryſoſt.

2 *Audiens hoc Herodes, turbatus eſt & omnis Hieroſolyma cum illo.* Quid mirum, turbari Herodem non Iudæum, ſed alienigenam? quamobrem & Iudæi ſe primum fortiter oppoſuerunt ei, ſed Romani potenter eum intruſum tuebantur, vnde & Iudæi multi ab eo ſæpe occidebãtur, quod ad longum recenſet Ioſephus. Audiens ille de rege Iudæorum multa dici, ſuſpicabatur Iudæos rurſus inſidias aduerſus eũ moliri, vt regno eiiceretur. *Turbatus eſt*, inquit Theophylactus, regno ſuo timens. ſciebat enim quod illo indignꝰ erat, ſed re vera inſipiens poſſeſſio eſt malitia, & tamen male rem accipiebat, ratus regem illum in hoc natũ, vt temporaliter regnaret, quod nõ erat. tantum enim in verbis euan-

Lib. 14. *c.* 14. *& ſe.*

Theophy.

gelij & miraculis regnum eius cõfiſtebat, vnde & Sedulius
Sedulius. ait in hymno, quem quidã male tribuũt Ambroſio, Hoſtis Herodes impie, Chriſtum venire quid times? Non arripit mortalia, Qui regna dat cœleſtia. Turbatus eſt ergo Herodes, quia rex, & ſibi pariter & liberis formidãs. ſic Chryſo-
Chryſoſt. ſtomus, Quur autẽ vniuerſa cũ eo turbata ſit ciuitas, rationem inquirũt doctores: & principio volunt nõnulli, quod Iudæi ita coacti & antehac ſæpe occiſis proximis eorũ commoti, tanquã alieno exemplo turbabãtur, metuentes ne Herodes audiens iam de rege Iudæorũ dici, excitato rurſus tumultu, nobiliſſimos & potẽtiſſimos quoſque Iudęorũ perderet. ob huiuſmodi ergo curã, aiunt, ciuitatem totam cum eo turbatam, quod imminẽte bello aut factione fieri ſolet. Sunt qui velint per hoc euangeliſtã indicare voluiſſe, cæci-
Theophy. tatem & malitiã Iudæorũ, quos oportebat gaudere potius,
Chryſoſt. quod rex ſuus à Perſicis regibus adoraretur. Ita Chryſoſtomus quoque ait, Hieroſolyma, quam tandẽ cauſam habuit timoris, quũ certè audierit illum eſſe, quem ſaluatorẽ eius atque beneficũ & liberatorem prophetæ porro ante prædixerant? ſemper enim grãdis poteſtas maiori timori ſubiecta eſt, & ſicut rami arborum in excelſo poſitarũ, etiam ſi leuis aura flauerit, mouentur: ſic & ſublimes homines etiam leuis nuntij fama cõturbat. Debuerant illi cũ gaudio gratias agere deo, iam prophetias Dauidis & Eſaię eſſe impletas ſtellam quoque Iacob, quam prædixerat Balaam, eſſe exortam, ſed veſtigia ſequuti ſunt maiorum ſuorum inobedientes & degeneres filij, quando eos dominus à iugo AEgyptiaco liberauit, & beneficia tot tantaq́, in itinere impendit, ſemper tamẽ inter hęc murmurarũt aduerſus dominũ & Moyſen,
Nume.14 dicentes, Vtinam mortui eſſemus in AEgypto. cõſtituamus nobis ducẽ, & reuertamur in AEgyptũ. Ad Moyſen quoq;
Num.21. dixerũt, Quare eduxiſti nos ex AEgypto, vt moriamur in
Exo.16. deſerto? Et rurſus alio tempore, Vtinã mortui eſſemus per
Nume.21. manum domini in terra AEgypti, quãdo ſedebamus ſuper ollas carniũ, & comedebamus panem in ſaturitate. Inſuper etiam cũ plueret eis dominus mãna de cœlo, dicebãt, Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo. Perinde ingrati hic quoque fuerunt Iudæi, dolentes vbi gaudere debebant.

3 Sunt qui malitiam Iudæorum adhuc grauius examinent, eorum qui turbati ſunt cum Herode: primum enim

com-

commouebantur potentiores, qui officia ſua ab Herode mercati fuerant, vel etiam propter malitiam ſuam in dignitatis cuiuſdam faſtigio conſtituti erant. ij nimirum metuebant ne à rege nouo, ipſi quoque vna cum Herode peterentur, ſicut Menelaus ſacerdotiũ à rege Antiocho emerat. & deinde Annas atque Cayphas à Pilato. huiuſmodi homines ſuo capiti timebant ſimul cum Herode, quoniam omnino ita fit, ſicuti ſupra ex Chryſoſtomo induximus, homines in ſublimi cõſtitutos etiam leuis nunti j fama conturbat. id hic quoque factum eſſe conſtat, qualis enim rex erat, tales & illi qui officiis præerant, iuxta verbum Sapientis: Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios. Sed & vulgus hominũ conſtat eſſe turbatum, quoniam ſemper aſſentari cupit regi benéque placere, ſicut & poëta dicit, Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus. & ſic Gloſſa quædam habet, Populus plus iuſto eis fauet, quos crudeles ſuſtinet. id quod vulgo dici ſolet, Vngentem pungit, pungentem ruſticus vngit. factúmque hic eſt ſecundum quod Hieremias ait, Prophetæ prophetabant mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia. Alij putant ciuitatem Hieroſolymam turbatam eſſe propter Romanos, quos timebant, ne ſi forte fama peruenisſet ad eos ſe regem habere, quem illi nõ conſtituiſſent, regionem ſimul & ciuitatem totam perderent. quãuis & hæc queat eſſe cauſa tantæ turbationis, quod cum audiſſent de ſtella dici, cogitare poterãt eam ipſam eſſe quam prædixerat Balaã, ſicut & erat, ſed hoc eis poterat eſſe moleſtum, quod ibidem ſequitur, De Iacob erit qui dominetur, & perdet reliquias ciuitatis. Etſi Lutherus turpiter hunc locũ tractans, ad Dauidem refert, quem etiam ſtellam iſtam eſſe dicit, cùm tamẽ catholici doctores omnes ad Chriſtũ & ſtellã hanc, quæ magos duxit, interpretẽtur, quo nomine & Iudæi exhorruerũt de ſtella ob imminentẽ perditionem. Veriſimile eſt etiam, multos pios bonóſq; homines fuiſſe, qui ſimularint hanc turbationem, ne grauiorem aduerſum ſe concitarent iram Herodis, cuius imperio alias infenſi erant, eius crudelitatem non ſemel experti. ſiquidem & ipſe ſciebat de ſua morte gauiſuros Iudæos, vnde & præcepit potentiſſimos quoſque ſub morte ſua trucidari, vt haberent quod lugerent, ſicuti ſupra diximus.

2. Ma. 4.

Chryſo.

Prou. 29.

Gloſſa.

Hiere. 5.

Num. 14.

4 Quando igitur in turbatus erat Herodes & omnis Hierosolyma cum illo, vocauit ipse ad se summos sacerdotes & scribas populi, sciscitatus ab eis vbi Christus nasceretur. neque enim eũ latebat cõmunis tunc fama omnium, eo tempore Messiam nasci debere, omnibus desuper impletis prophetiis, credebant tamen, sicut adhuc somniant Iudæi, Messiam suum hic temporaliter regnaturũ, quod & occa-
Tom.1. sionem dedit Herodi quærendi de scripturis, vbi Christus nasci deberet. Qui autẽ fuerint summi sacerdotes, puto vos satis intelligere, pontifices enim erant, & quidam alij ex sacerdotibus præcipui. Sed quinam extiterint scribæ, minus
Theoph. notũ esse crediderim, quonam Theophy. ait eos fuisse doctores populi, quales nũc grammaticos dicimus. Neque di-
Remigius. uersum sentit Remigius, sicut citatur à Thoma. Scribæ dicti sunt, inquit, non tantũ ab officio scribendi, sed potius ab interpretatione scripturarũ. erant enim legisdoctores. Taceo quod aiunt quidam, ideo eos dictos fuisse scribas, quod probati fuerint, & admissi, ita vt eorum etiam verba consi-
August. gnabantur, sicut iam decisiones Rotæ. Augustinus porrò magnum illud Ecclesiæ lumen, quiddam magis abstrusum de eis asserit, dicítque in veteri testamento permissum non fuisse cuiq; absolutè dimittere vxorẽ suam, nisi dãret illi in-
Deut.24. super libellũ repudij huius: idque eo fecit dominus, vt ani-
Matth.6. mus mariti ad repudium procliuis, huiusmodi descriptione nõnulli infringeretur, & cogitaret mala ex eiusmodi repudiatione prouenientia maximè cum nemo libellos istos scribere audebat, nisi ij scribæ, quibus maior inesse putabatur prudentia, quiq; tanta tum iustitia, tum pietate prædíti credebantur, vt ea non verbis tantũ, sed & opere & vita declararent. Voluit igitur & decreuit lex ad eos mittere, qui sapientes essent diuinæ legis interpretes, iustiq; & æqui consultores, ac decisores repudij huius. Neq; em à quoquã describi poterat iste libellus, nisi ab illis penes quos etiã facultas erat & arbitriũ, vt inter vtrũque cõiugẽ pacẽ statueret, & cõcordiã suaderent. Quãdo autẽ mariti animũ ita videbant incẽsum, vt cõcepta maleuolẽtia, neq; deleri possit ei, neque dissuaderi, libellũ ipsi dabant repudij: quod nulla hic spes de eo esset amplius, quũ viderent eum nullis iam porro monitis ad amicitiæ mutuæ vinculum promoueri posse. Et ij quidem scribæ fuerũt homines profani, sed docti, & in

lege

lege bene versati. Sicque non sacerdotes tantum & Leuitę, sed etiam quidam ex vulgo laici studere poterant, quibus illi deinde vtebantur in negotiis matrimonium & iudicialia concernentibus. Quoniam hæc ipsa lex eorum Mosaica nō cultum dei tantum cōtinebat in se: verum etiam hīc eorum codex, hoc digestum erat & municipale. secundū huius sanctiones in omnibus iudiciis & rebus aliis omnia agebant, quanuis quī appellabatur, prouocatio ea fiebat ad sacerdotes, qui erant in Hierusalem, sicut & dominus præcepit, sicut & hodie sunt laici docti multi, & in iure consummati. *Deu. 17.*

Quodq; magna fuerat quondā eorum authoritas, hīc patet quod eos quoque vocauit Herodes, & apud Matt. dicit dominꝰ super cathedrā Moysi sedisse scribas & pharisęos &c. *Mat. 12.*

5 Conuocatos porro iam Iudæorum sapientes, interrogauit Herodes, vbi Christus nasceretur. Diligētiam Herodis specta in conuocando & inquirēdo, simul & Iudæorum in respondendo, & tamen vtriq; sua dānosa fuit diligētia. Iudæis quidē, quia (vt ait Theoph.) singulari dispēsatione dei interrogantur ipsi, vt confiteantur veritatem, & ex hoc condemnentur, quod eū, quem antea confessi fuerāt, postea crucifixerunt, Herodi autem, iuxta illud Chrysostomi, quod eius singularis considerāda vecordia est, qui si prophetiæ crediderat, clarū erat eum aduersus impossibilia conari, sin minime credebat prouentura quę tanto ante prædicta sunt, nec sibi timere debuit, nec puero insidiari, sed eo nimirū ipsum permouit diabolus. Et tales sunt peccatores omnes, qui à scriptura, cui cum credant, vita tamen non respondent, iudicantur: quoniam seruus sciens volūtatem domini sui, nec faciens eam, vapulabit plagis multis. & tamē diligentia hæc inanis non fuit, vt videas quam mirabiliter omnia ordinarit dominus. Vicissim alij ab aliis edocti, etiam didicerunt aliquid Iudæi & magi illi. Iudæi à magis didicerunt, quomodo eis stella in Persia (quia hic semper refert Chryso. quod magi fuerint Persæ) visa regem significarit Iudæorū, ita vt quasi reprehēderint illę Iudæos. Quid ita tardi estis ad quærendum regem vestrū, quem adoraturi nos ex tam remotis regionibus aduenimus? Aut vos regē vestrum vobisq; adeo iam recens natū in regione vestra non quæritis, quum tamē nos ex tā longinqua prouincia approperamus? Aut si nescitis, ex nobis saltē discite: & stella illa quæ nos huc adduxit, *Theoph.* *Chryso.* *Luc. 12.*

tanti itineris dux & comes, vos instruat. Vicissim magi aliquid didicerũt ex Iudæis, prophetas antea eum ipsum prædixisse, simúlque locum natiuitatis eius aperuisse, quem eis stella monstrauerat. Sicut nos iam sacræ literæ docent. puerum IESVM quærendum esse in vita immaculata, hominéque pio & Christiano digna: quam si hic in timore dei transegerimus, inueniemus eum tandem in Bethleem domo panis cœlestis in æterna patria, quam nobis omnibus donet idem ille, qui per stellam hodie Magis innotuit Iesus Christus dominus noster, Amen.

HOMILIA QVARTA.

DOMINVS noster Iesus Christus, tres magos non tantũ ad se adduxit per stellã, sed & eminentiori modo fidem eorum cõfirmare voluit per scripta prophetarũ: & tu Bethleem Iuda, non es minima in principibus Iuda. ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israël. Prophetia hæc Micheæ est, eam tamen euangelista proprie suis verbis non expressit, siue vt Iudæorum ostenderet negligentiam, qui proprias non scierint scripturas proponere: siue quod ille magis sensum & intellectum, quam prophetæ verba respexit. Et ipsa quoque prophetiæ huius verba per se clara sunt & manifesta, vt non sit multum in eis immorandum. ille enim dixit Bethleem Iuda, ad discrimen alterius in Galilæa in tribu Zabulon, de qua in Iosue legitur. Hic tamen ponderant nonnulli triplicem defectum Iudæorũ, primum negligentiam istam & ignorantiam scripturarũ, quas nõ proprie allegabant. Deinde quia magnum illud mysteriũ Dei, Herodi publico suo legúmque suarum hosti prodere non debebãt, sed eum tanquã indignum celare, iuxta illud Christi: Nolite sanctũ dare canibus, & margaritas nolite spicere ante porcos. Ad hæc magnum & illud est Iudaicæ perfidiæ argumentum, quod ex propheta ea tantum verba adducũt, quæ Herodis animum incitare poterãt aduersus Christum, de regno suo super populum Israël, neque quicquam dicũt de æterna eius generatione, quam ibidem attingit propheta, dum exitum eius commemorat à principio à diebus æternitatis. Hæc nanque si adiunxissent, cogitare potuisset Herodes ea ad spiritualia & æterna pertinere, non ad suum regnum. Vnde & Chrysostomus ait, Cogun-

Iosue 19.

Matth. 7.

Chrysost.

tur

iur prophetiam de Christo nescientibus interpretari, licet eam non omnino totam voluerit publicare, cum enim dixerint, quia ex Bethlehem proceſſurus eſſet, nequaquam tamen id quod ſequitur, addiderunt in adulationem profecto regis, vt ad humanæ gratiæ lucrum veritati damna proficerent. Hoc etiam ponderat ille, quod non dixit propheta eum in Bethlehem habiturum, ſed naſciturum fatum, quoniam in Nazareth educatus eſt. Theophylactus poſt eum addit, quod ſicut Iudæi verba hæc referre voluerũt ad Christum: ita ſequaces eorum ad Zorobabelem detorquere conati ſunt, quod fieri non poteſt, cum ille in Babylone, non Bethlehem natus ſit. Quid multa? proditores hic fuere Iudæi. ſiquidem per hoc eorum reſponſum Herodes ſumpta occaſione, occidit pueros vndique in finibus Bethlehem. Magnumque hoc in eis vitium eſt, quod regem ſuum gentibus quærendum potuerunt monſtrare, neque tamen quæſierunt ipſi, inſtar ſtatuarum Mercurialium, quæ cum aliis vias demonſtrent, ipſæ loco affixæ, eo nunquam perueniũt: ſicut & fabri illi atque architecti, qui arcam Noë parauerũt quidem, nec tamen in eam ingreſſi ſunt ipſi. *Theoph.* *Augustin.*

2 Cognitis iis de loco nati Meſsiæ, clam ad ſe magos vocauit Herodes, ſciſcitatus ab eis tempus ſtellæ, quę apparuerat eis. Vbi tu inſignem Herodis diligentiam conſidera. à Iuæis inquiſierat locum, hic à gentibus tempus ſtellæ quærit, vt ſic certior factus, maius malum committeret. Ita in Herode experimur vere dixiſſe Chriſtum, prudentiores eſſe filios huius ſeculi filiis lucis in generatione ſua. Clam ad ſe vocat, callide nimis, vt vulpes, qualis & filius ſuus erat, ſicut eum vocauit dominus cum phariſæis loquens. Vere vulpes etiam hic fuit Herodes, quum magos ad ſe clam accerſierit, ne ſi quid palam tentaret inſidiarum, ſubdole Iudæi præcauere ſibi potuiſſent, & crudele propoſitum de nece paruulorum impedire. Metuebat enim cognita Indæorum aduerſus ſe maleuolentia, ne forte gauderent de rege nouo, curarentque eum ab ipſius tyrannide defendi: & quocunque modo ſeruari, vtpote liberatorem ſuum. Præterea clam hoc egit propter reges ethnicos illos magos, quoniam ſic melius ſimulare poterat pietatem ad adorandum regem, ſicuti & dixit ad eos, Quod ſi audiſſent Iudæi qui Herodis tyrannidem nouerãt, cor eius falſum facilè agnouiſſent. *Luc. 16.* *Theoph.*

Matthæus ait diligenter ipsum didicisse ab eis tempus stellæ: idq; eo maxime, vt ex tempore stellæ pueri colligens ętatem, facilius in personæ notitiam perueniret. Vbi quærere solent doctores, quod fuerit tempus stellæ. Et putant nonnulli eã primo statim natalis Christi die visam fuisse, tamq; cito magos illuc venisse ope dromedariorum, quæ animalia sunt admirandæ celeritatis. Quanuis Lutherus more hæretico subuertens omnia, somniat exiguam fuisse hanc distantiam, illosq; adeo viros tres vicinos extitisse. Aliter Esaias, qui ait, Ecce isti de longè venient, & ecce illi ab aquilone & mari. Magna vtiq; est intercapedo à Saba & insulis illis vsq; in Ieruſalem, Secundum rationem Cosmographicam sunt miliaria ducenta vigintiquinq;. ¶ Placet quod hîc Chryso. habet, stellam hanc ante multum tempus apparuisse. quia enim magi plurimũ erant itineris longinquitate remorãdi, neq; poterant, mox nato puero, assistere, quem pãnis adhuc infantiæ colligatum oportebat adorari. Vnde & Herodes vt certior esset, bimulos iussit trucidari pueros, & infra. Cuius hîc mihi versutiam versi pellem intuere. Magos ablegat in Bethlehem, vt inquirant puerum, & de eo respõsum referant, vt & ipse veniens adoret illum. Hoc multi etiam faciunt peruersi Christiani, qui quum similẽt se Christum adoraturos, eũ tamen quærũt occidere. Vide in hac re neochristianos, isti enim cœnobia, beneficia, omnesq; census cupiunt abolere, sub prætextu tamen Christi, quum interim diabolus eos illuc impellat & vrgeat. nanq; non ipsos abrogant census & decimas, quæ adhuc pendere coguntur subditi, sed quo tandem? in quem vsum? Ecce istos pessimi Herodis filios non absimiles, qui aliud nemo celant, aliud verbis produnt. nisi enim calices, cruces auro gemmisq; ornatæ, imagines precioſæ, census quoque & redditus essent, paucissimi nouum istud euangelium sequerẽtur. 3 Audito Herode, magi abierunt, rati Herodẽ sui similem esse, ipsumq; iuxta eorum affectum hîc omnis esse fraudis expertem. vnde & cõdixerũt ei sine dubio sese ad ipsum reuersuros. Rursusq; anteceſsit eos stella vsq; ad locũ illum. quo dum venerat, stetit supra vbi puer. Quur aliquando tẽpore magi stellam amiserint, supra ex Leone induximus. neq; enim id temere factũ est, quod quando cum Herode ac ludæis consultabant, stellam non viderint: sicq; dum deum per hominem

Esa. 49.

Chryſoſto.

Matt. 2.

quærere

quærere cogitant, deum ipſum amiſerint: quũ primum autẽ ab impio rege digreſsi ſunt, ſtella rurſus apparuit eis, quia quiſquis malos fugit, huic gratia ſe dei manifeſtat & offert. quando adhuc cũ Iudæis conuerſabatur Petrus, nil ſit negauit dominum ſuum: vbi primũ egreſſus eſt atriũ, fleuit amare, & gratiam dei conſequutus eſt. Ita diſcat hîc quilibet homo, vt maximè quis humana fragilitate abductꝰ diuinę gratiæ, ſtellam amittat ex oculis, tantũ ne in peccando perſeueret, ſed quęrat dominũ in Bethlehem, quę domus panis eſt, eccleſia fideliũ. ille enim panis viuus eſt qui de cœlo deſcendit. Et rurſus apparebit ei radius ſtellæ huius præclare, imo dominus ipſe in illo orietur, & gloria ipſiꝰ in eo videbitur. Quod autẽ ſtella ante hac occultata, mox ſe rurſus videndã exhibuit, ſignum eſt, quòd eam virtus quædam angelica deduxit & gubernauit. prius ergo ſtella iſta præceſsit, eosque duxit, deinde ſtetit. ſic enim & gratia dei ducere ſolet ſanctos ſuos in hac vita, donec eò perueniant vbi eſt dominus Ieſus, & ibi in ſolida requie permanent felicitatis æternæ, Theophy. ait deſcẽdiſſe eam à ſummitate, & terræ propiorem factã oſtendiſſe eis locũ: neq; enim mirandum hoc eſt, authore Chryſoſtomo, vel dubitandũ, an ſtella ſolé ſignificarit iuſtitia, quia ſtetit ſupra domũ, quaſi dicere voluiſſet, Hic ille eſt quem quęritis. & quãdoquidem loqui ſtella nõ potuit, ipſa ſtatione quid innueret oſtẽdit, quod & nõ paulo certius extitit argumentũ, eo quod Herodes & Iudæi aſſignarunt locum in vniuerſum. Pulchrè hîc Leo exponit, quomodo Herodes diabolum ſignificet, qui magnis tũ dolis tum inſidiis impedire conatur homines, ne peruenιãt ad Chriſtum, idque per Iudæos Gentiles & hæreticos, quibus ego hîc omnibus, breuitatis amore volens ſuperſedeo.

Matt. 26.

Ioan. 6.

Eſa. 60.

Theoph.

Chryſoſto.

4 Teſtatur hinc euãgeliſta, gauiſos eſſe magos gaudio magno. inde enim coniiciebant ſe ab itinere nondum deuiaſſe, quando verum iam rurſus ducem comitemq; erant adepti. Ita quilibet peccator, quanuis de exactis peccatis cum pœnitentia triſtetur, gaudet tamẽ dum gratiam dei rurſus acquirit, illudque gaudium ſpiritus eſt, quomodo Paulus Philippenſes ſuos monet gaudere in domino, ſiquidem hypocritica triſtitia non placet deo, Gaudeat omnis pius cũ illis tribus Magis, ſi quando ſtellam videt gratiæ dei. Gauiſi ſunt magi redditam ſibi eſſe ſtellam, eamque & præcedere rur-

ſus, & tandé ſtare ſupra domũ. Et extendi hoc facile poteſt, quantum gauiſi ſint gaudiũ, conſpicati iam denuo ſtellam. Relictis etenim regnis ſuis in peregrinas venerãt regiones, easq; multũ à ſuis remotas, plurimũ iam temporis abſumpſerant, pericula magna ſubierãt: & quũ veniſſent Hieroſolymam, ſtellã ecce amittunt ſubitò, rati ſe regẽ natum in regia ciuitate inuenturũ, quod non tantum non factũ eſt, ſed & ij quos ſcire maximè decebat, nihil poterant de eo dicere, quo magis merito pturbati ſunt, metuẽtes operã ſe, ſumptusq; omnes & impenſas perdidiſſe, ita hinc illinc cogitabant. Et in eo rurſus ipſis viſa eſt ſtella, vnde gauiſi ſunt vt qui maxime, quoniã per hoc vacillãs eorũ animos ad certitudiné cõuertebatur. Quanto autẽ maiori adhuc gauiſi ſunt gaudio, ingredientes domũ, vbi puerũ inuenerunt vna cum matre? quanuis enim Maria in partu proprias ædes non haberet, ſiue diuerſoriũ, veriſimile tamen eſt, teſte Theophy. eã poſt

Theoph. hãc habuiſſe domicilium in quo recũberet ipſa cum puero, & vbi magi illum adorarint: etſi ſunt, qui putant caſam, ſub qua hic Maria cũ Ioſeph diuertit, hic domum appellari, ſed in eo nõ laboramus. ſiue enim domus, ſiue caſa, aut porticus fuerit, conſtat vilem eã fuiſſe, vt Leo docet, quod illi puerũ

Leo. in tanta humilitate inuenerunt. Nanq; non inuenerũt eum dæmoniis imperantẽ, mortuos ſuſcitantem, cæcos, claudos, ſurdoſq; curantẽ, nec aliquam virtutem diuinam exercentẽ ſed infantem, ſub parentis cura poſitum, in quo nullum poteſtatis ſublimioris apparebat argumentũ, ſed magna humilitatis admiratio. Quod ſi iam & nos puerum cũ matre inuenire cupimus, age in domum ſuam ingrediamur eccleſiã, templũ enim domus eius eſt: iuxta illud, Domus mea, dom⁹ orationis vocabitur, ibi ingredi nos oportet, diuinaq; lauda

Mat. 21. re, & magnificare, dicẽte Dauide, In medio eccleſiæ laudabo*Eſaiæ 56.* te. Et alibi, Confitebor tibi in toto corde meo, in cõcilio

Pſal. 9. iuſtorũ & cõgregatione. Quiſquis ergo à ſtella gratiæ diui-

Pſal. 110. næ adductus, peruenit in tẽplum dñi affectu pio, is puerũ Ieſum inuenit hîc per gratiã, illic in ſempiterna gloria, Amẽ.

HOMILIA V.



Leo ſermone 4. CCE Hieroſolymam veniũt tres magi, ex remotiſſimis prouinciis profecti, duce ſtella inſoliti ſplendoris, ſed vnde, ait Leo, quum proficiſcerentur de patria, aduerterant hanc deferẽdorum

munerum

munerum ſeruare rationem, niſi quia præter illã ſtellæ ſpeciem, quę corporeum incitauit affectum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit, vt priuſquam labores itineris inchoarent, eum ſibi ſignari intelligerent, cui in auro regius honor, in thure diuina veneratio, in myrrha mortalitatis confeſsio deberetur? Neque enim ſolum ex euãgeliſtæ teſtimonio procidentes adorauerunt eum, ſed & munera obtulerunt, vt deo & homini regi. O perfectæ ſcientiæ *Leo.* mirabilem fidem, quam non terrena ſapientia eruditiuit, ſed ſpiritus ſanctus inſtituit. Diſcamus & nos ab illis Magis vere Chriſtum adorare, qui prociderunt ante eum: & quanuis oratio magis ex corde quam ore proficiſcitur, cor tamen externo geſtu declaratur hominibus, vt internum cognoſcant affectum. ſic plurimi in euangelio Chriſtum adoraturi prociderunt, ſicuti per longum in quadam homilia diſſeruimus. Quid quod Chriſtus ipſe caput noſtrum in mon- *Tomo 2.* te Oliueti dominum ſuum patrem cœleſtem oraturus, procidit in terram, non ſolum ſuper genua, ſed & in ipſam faciem? quo exemplo nobis etiam orandi formulam præſcripſit. Imò tam perpetua debet eſſe in oratione genuflexio & inclinatio, vt in Hebraica lingua vocabulum orationis ſit à genuflexione deductum (שחה ſignificat ſe inclinare, humiliare, genuflectere, incuruare. In coniugatione autem Hiſpal, inquit Rabilkimhi, ſignificat adorare.) Vbi iam noſtrates ſunt neochriſtiani, qui nullum ſacramento deferunt honorem, neque inclinant ſe ad Chriſtum, minus certe quam Turca quiſpiam? Taceo quod ſanctiſsimum Chriſti corpus paſsim in marſupiis ſecum circunferunt, & in ligneis vaſculis diſtribuunt, vt Zuinglius. proh blaſphemias & impudentiã hominum, ſed ſuper iis plura in die corporis Chriſti. Aliter nos hîc docuerunt magi illi, qui proce- *Cregor.* derunt vt adorarent dominum. Volunt etiam doctores geſtum hunc humilitatem demonſtrare deprecantis, ſic profi- *Exod. 3.* tentis ſe ſpem fiduciamq́ue ſuam non in merito ſuo reponere, ſed in miſericordia & benignitate dei. Sic, ſic nimirũ *Lucæ 18.* oportuit Moyſen in dignitatem ſuã fateri & diſcalceatum venire. Sic publicanus auſus non eſt oculos attollere, tãtum *Lucæ 15.* percutiebat pectus ſuum, dicẽs, Propicius eſto mihi miſerrimo peccatori. Sic humiliauit ſe filius ille prodigus, Pater, inquiens, peccaui in cœlum & coram te, non ſum dignus

vocari filius tuus Diuites vtiq; & potentes erãt ij magis, se
Philip. tamen humiliauerunt corã paruulo Iesu, & prociderunt, in
signũ quod in nomine Iesu adhuc omne genu cœlestium,
Leo. terrestriũ & infernorũ flectatur. Et merito quidẽ quoniã in
persona veniebant omniũ gẽtium, primitiæ earundẽ, ideo
& nos procidere debemus dominum deprecaturi, &c.

2 *Apertis thesauris suis, obtulerunt ei aurum, thus & myr-*
rham. Ecce, apertis thesauris suis, inquit Matthæus, quo vo-
luit ostẽdere eorum opulentiam & splendida dona, quoniã
2. Cor. 9. Paulus ait, Qui parcẽ seminat, parcẽ & metet. Reges siue
magi illi thesauros suos aperuerunt, quasi dicere vellent, En
omnia hæc tibi, exijs quod voles, accipito. qui quum nihil
acciperet, vltro ei obtulerunt quæ habebãt optima. Ita nos
quoq; decet abundanter dare deo in cultu suo in necessita-
2. Cor. 9. tibus pauperum, vtrinq; optima, vtrinq; liberẽ & hilariter,
Thob. 4. hilarem enim datorẽ diligit deus. Ita Tobias docuit filium
suum, vt si multum haberet, largiter expenderet. Quisquis
ergo es opulẽtus & diues, disce hic à magis aperire thesau-
ros tuos, neque recludere arcam & marsupium puero Iesu.
id fiet, cum pauperibus largam dederis eleemosynam, sicut
Mat. 25. ille dicturus est in die nouissimo: Quod minimo istorum
feciſtis, mihi feciſtis, de quibus alias. ¶ *obtulerunt ei aurum,*
thus & myrrham, didicerunt hoc illi à spiritu sancto: vnde
Hieron. & munera hæc magnum quid significarunt. pulcherrimẽ
autem, ait Hieronymus, munerũ istorũ sacramenta Iuuen-
Cregor. cus presbyter vno versiculo comprehendit, Aurum, thus,
myrrham, regiq;, hominiq;, Gregorius enim inquit, Magi
quem adorant etiam mysticis muneribus prædicant. Auro
Theop. regem, thure deum, myrrha mortalem, quoniã ea ipsa ho-
minum cadauera cõdiuntur. Atq; hæc cõmunis est docto-
rum sentẽtia, quam etiam Leo Papa sequitur. Theophyla-
ctus hîc ait, Vides magorũ fidẽ, quod & à propheta Balaam
didicerunt, dominũ & deum & regẽ esse, ac pro nobis mo-
riturum? Audi autẽ prophetam, *Accubans dormiuit vt leo.*
Num. 14. Ecce regiam dignitatẽ per leonem significat, mortalitatem
per acubitum & somniũ. *Q ui benedixerit tibi,* Ecce & dei-
tatem. profecto enim nisi mysterium tantæ significationis
haberet, euangelista tam diligenter non indicasset. Neque
interim reluctor posse hæc munera etiam aliter exponi, vt
Cregor. Gregorius facit, Auro, inquiens, sapientia designatur, Salo-

mon

mone atteſtãte, qui ait. Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis. Thure autem, quod deo incenditur, virtus orationis exprimitur: iuxta illud Dauidicum, Dirigatur ad te oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Per myrrham mortificatio accipitur carnis noſtræ, vel etiam opera bona. Ad hunc ſenſum offerre domino debemus aurum ſapientiæ, dum à claritate eius ſapientes apparemus: thus autem, quando cogitationes noſtras ſuper altari pectoris incendimus, vt odorem bonorũ ſentiamus ante deũ per deſideria cœleſtia: myrrham quoq;, dum vitia carnis & pruritũ libidinis per ieiunium coarctamus. ideo enim Iudæi in ſepultura myrrha vtuntur, vt cadauera præſeruent à, putredine, ſicut ea vſus eſt Nicodemus in funere Chriſti. Ad hũc modum exponi poſſunt munera hæc. ſed in prima ſentẽtia magis concordant doctores. 3 Porrò aliam benignitatem hic euãgeliſta cõmemorat, que à deo oblata Magis. in ſomnis enim admoniti ſunt ne redirent ad Herodẽ. Vide conſequentiã: primum deus illos ad fidem per ſtellam adduxit, deinde quũ venirẽt in Hieroſolymam, docuit eos per prophetam, quod in Bethlehem naſcatur, & tandem per angelum. Atq; id reſponſum vocat euangeliſta, quoniam etſi interrogationis eorum nulla fiat hic mentio, ex animo eos deſideraſſe, vt iam recurſum in pace mõſtraret eis deus, dux & comes futurus tanti itineris: iuxta illud, In via hac in qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos. Et deſiderium eorum cũ fiducia tanta conceptũ exaudiuit dominus, per angelum ſuũ inſinuans ipſis, ne reuerterẽtur ad Herodẽ. Sunt qui putent illuminationẽ hanc immediate factam à deo per inſtinctũ ſuum ſine reuelatione angelica. Ita Hieronymus ſentit, dicẽs, Reſpõſum, qđ Græcè dicitur chrymatiſthentes, non per angelũ fit, ſed per ipſum dominum. Idẽ habet Gloſſa quædã, dicens fieri hic reſponſionẽ per ipſum deũ, quia nullus alius viã reuerſionis inſtituit, niſi ille qui dicit, Ego ſum via. Hinc autem nos principio immenſam agnoſcimus bonitatẽ dei, quæ de virtute vna creſcit in aliã: quia quibus antea dominus per corporalẽ ſtellam loquutus eſt, ſimul atque adorauerunt eum & munera obtulerunt, cum eiſdem per angelum ſuum vel ſemetipſum eſt loquutus, ſimulq́; reuelauit quomodo domum redirent, ne rurſus venirent ad Herodẽ. idq́; gemina de cauſa: primum, propter

Ioan. 19.

Theoph.

Pſalm. 31.

Gloſſa.

Ioan. 14.

puerum, ne is tyranno proditus, discrimini vitæ exponeretur, quod tamē adhuc vix effugit. nondū autē transacta fuerant, quæ fieri ordinauerat spiritus sanctus, vt præsentatio & oblatio in tēplū, &c. Deinde quod id Magis quoq; futurum erat periculosum, qui si paruulū natum indicassent, honorēq; ei à se oblatum aperuissent, poterat eos quoque tyrannus suppliciis afficere. sin aūt puerū indicare recusassent, tormētis forsitan aut carcerib⁹ illud extorsisset, idque iam omne diuino hoc responso sublatum est. Nihil hic te moueant grāmatici, contendentes quod hoc Magis de reditu per somnū inspiratū seu reuelatū est, responsum dici non posse, quoniā illud nulla præcesserit interrogatio nesciunt enim qui hoc dicunt scripturæ cōsuetudinē, quando etiam
Exo. 14. dominus dicit ad Moysen, Quid clamas ad me? neq; tamen ibi quicquā de illius ad dominum clamore præcedit, ita hic quoq; sentiendū est. Quæras, Quur nō ipse puer Iesus responsum hoc eis dedit, id enim fidē ipsorū magis cōfirmasset. Respōdetur, non decuisse hoc, ne illud quod ante tēpus loquutus esset infans, phātasmatis potius quā veri hominis fidem faceret. sed & ideo ad eos non loquutus est puer, ait Glossa, ne diuinitas ante tēpus reueletur, sed vt vera humanitas habeatur. ipsi quoq; magi, si loquētē puerū audissent, omne fidei suæ meritum amisissent. Id etiā Chrysostomus
Chryso. indicat, dicens, Quum essent cuncta alia vilia, nisi istud animos eorū incitasset, nunquā profecto tantū honoris paruulo illi detulissent: idcirco nihil ibi de sensibilibus grāde cōspicitur, sed angustū tuguriū ac vile præsepiū & inops mater, vt melius nuda magorum philosophia clarescceret, qui eum nō tantū vt hominē, sed & vt deum & bonorū omniū datorem coluerunt. Cōsidera igitur mirabilem illam fidem magorū, qui nullo offendiculo moti, validè persistunt obedientes in omnibus: nō auertuntur in maleuolentiā, vt cogitarent. Si magnū quid esset puer hic, quid opus esset nobis adoratoribus & cultoribus suis fugere & clam discedere? nihil planè huiusmodi cogitarunt, quoniā hoc in fide summum & præcipuū est, vt præcipienti sine controuersia obtemperetur, sicut ij magi siue deo, siue angelo responsum hoc danti paruerunt. 4 Hic quoque obedientiam magorum euāgelista declarat, quū ait eos reuersos esse per aliam viam in regionem suam. Hæc illa sanctæ est obedientia fi-

dei,

dei, de qua iam teſtimoniũ induximus Chryſoſtomi. ſtatim enim illi paruerunt reſponſo, nec quicquam timuerunt, ne forte ſe inſectaretur Herodes, cui ſic impoſuerunt, confiſi virtute nati, vt ait Theophylactus. Sũt ex doctoribꝰ qui dicunt eos aſcẽdiſſe mare, & nauigiis perueniſſe vſq; Tharſis. idipſum quoq; comperiſſe Herodẽ, & naues Tharſenſium cõbuſiſſe. vnde & Dauid cecinit, In ſpiritu vehemẽti conteres naues Tharſis, ſicut & hiſtoria Scholaſtica commemorat, & nominum trium horũ magorũ meminit, quæ in latina eccleſia ſic habent, Gaſpar, Balthaſar & Melchior. Ex eorũ reditu cõſtat etiam ipſos nec bona tẽporalia, neq; honorẽ quæſiuiſſe apud puerũ Ieſum, quia alias apud eum remãſiſſent. Quia ãt adorato illo reuerſi ſunt, fidẽ quã ſemel à deo acceperãt, vtiq; diſſeminarũt pro viribus ſuis, tãtiſper dum Thomas apoſtolus veniens perfectę fidei ſacramenta eis annuntiauit, per quẽ illi ſedulo adiuti, conati quoq; ſunt ſubditos ſuos ad fidẽ amplectendã conuertere. Hi magi viri ſancti feliciter deinde in Chriſti cõfeſsione defuncti ſunt, eorumq; corpora poſt multos annos Conſtãtinopolim delata ſunt, deinde tẽporibus ſancti Ambroſij aduecta Mediolanum per ſanctum Arſatium, vbi multo tẽpore quieuerunt, vſq; ad imperatorem Fredericum primũ, qui dictus eſt Barbaroſſa, princepsq; fuit & dux Sueuiæ, natꝰ ex familia ab Hohen Stauffen. is quũ rebelles viciſſet Mediolanos, quater ſe dedentes, ſuperata vrbe, reliquias triũ magorum ſimulq; Geruaſij & Prothaſij, epiſcopo Colonienſi Rainaldo cãcellario ſuo tradidit, qui & triũ magorum corpora Coloniam, Geruaſij autem & Prothaſij in monte Briſiacum ſiue Breucomagũ, tranſtulit, anno Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimoquinto. Poſſem ad longũ recenſuiſſe hiſtorias, ſed properemus ad finẽ Matthæus per aliam viã rediiſſe eos teſtatur, quo nobis etiã inſinuatur quid faciamus. Regio quippe noſtra paradiſus eſt, ad quã Ieſu cognito redire per viã, qua venimus, prohibemur. per inobedientiã enim, peccatũ & voluptatem carnalem, venimus in regionem noſtrã: ſed viciſsim per obedientiã, pœnitẽtiam, cõtritionẽ, ieiunium & alia opera bona, redeundũ nobis eſt in paradiſum. Quiſquis ergo huc deuenit per ſuperbiã, per Herodẽ diabolũ huc profectus eſt: per aliam viã humilitatis reuerti debet, neque rurſus ad Herodem diabolũ venire

Theop.

Pſal. 47.

Barbaroſſa.

Cregor.

Gregor. Et ita concludit hic Gregorius, quia peccata nostra præterita in baptismatis perceptione laxata sunt, & tamen post baptismum multa commisimus, sed lauari iterũ baptismatis aqua non possumus. quia ergo & post baptismum coinquinauimus vitam, per baptismum adhuc pœnitentiæ & lachrymarum peccata delere debemus, vt vel sic in regionem nostram reuertamur, quam per voluptatem amisimus: ad eam autem redeuntes per amaritudinem mali, Herodem diabolum cum omnibus insidiis suis euitemus, properemusque ad patriam felicitatis æternæ, quam nobis cõcedat omnibus Iesus Christus dominus noster, Amen.

DE SANCTO SEBASTIANO MARTYRE EVANGElium, Lucæ 6.

IN illo tempore, Descendens Iesus de monte stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa & Hierusalem & maritima Tyri & Sidonis, quæ venerant, vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. & qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eũ tãgere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat, Beati pauperes, quia vestrum est regnum dei. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis cũ vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint & eiecerint nomen vestrũ tanquam malum, propter filium hominis, gaudete in illa die & exultate. ecce enim merces vestra multa est in cœlo. Secundum hoc enim faciebant prophetis patres eorum.

Mat. 5. *Iacob. 5.* *1. Petr. 4.*

HOMILIA VNICA.

EVANGELIO hoc ecclesia in communi vtitur de martyribus. qua autem id ratione, deinceps audietis. stat enim sententia illud breuiter explicare, deinde in honorẽ S. Sebastiani nõnihil disserere. Refert autem Lucas dominum descendisse de mõte, stetisseque in loco campestri, & paulò antè dixerat ascendisse eum in montem orare, & in oratione pernoctasse, elegisse etiã discipulos duodecim, quos constituit apostolos.

Et

Et poſt hęc rurſus deſcendit de mõte cum diſcipulis ad turbas, quæ hic cõgregatæ erant ex Iudæis & Gentibus. Cyrillus à Thoma citatus, ſic ait ſuper hoc, Celebrata ordinatione apoſtolorum, pluribus congregatis, conſtituit eos totius orbis doctores Iudæorũ & Gentilium, vtpotè qui euocarent Iudæos à legis ſeruitute, cultores autem dæmonum ab errore Gentili ad veritatis cognitionẽ. Ideo ergo ait Lucas deſcendiſſe cum eis dominũ de monte. Aduerte, inquit hic Ambroſius, omnia diligenter, quomodo & cum apoſtolis aſcendat, & deſcendat ad turbas. quomodo enim turba, niſi in humili Chriſtum videret? Non ſequitur ad excelſas, non aſcendit ad ſublimia. ſed ipſe de mõte dominus deſcendens, inuenit quos ſanet ægrotos. Neque cogitat hoc grex, pene fex dixeram, neochriſtianorũ, qui quacunque vi & violentia nituntur in montem aſſurgere, & ſublimia fidei noſtræ myſteria indagare. prælatis autem Eccleſiæ, quos in monte elegit dominus, nolunt credere quicquã. nec vident vel concipiunt animo quod hîc inde minatur ſcriptura indagatores ſublimium confundi à domino & interimi. Nanque & apud Matthæum ſupra montem apoſtolis ſeorſum ab aliis prædicauit Chriſtꝰ, quo docere voluit, prædicatorẽ quemlibet ſermonẽ ſuum pro audientium intellectu accõmodare debere & formare. ita Paulus fecit quãdo Corinthiis ſuis loqui voluit non vt ſpiritalibus, ſed vt carnalibus. ſicque lac dediſſe eis, non ſolidum cibum. Nam ſi qui ſint qui cum apoſtolis audire poſſent, Vobis datum eſt noſſe myſteria regni dei, ij in ſublimioribus erudiri poſſent. aliter interim cum infirmioribus agendum eſt. Accedit iis exemplũ Chriſti, qui interroganti quid faceret pro vita æterna poſſidenda, reſpondit primùm in planitie, in valle, an non ſciret legem, quæ præcipit ne quis occidat, quę vetat adulteriũ, &c. Ea quum ſe ſeruaſſe prædicaret, deinceps eum dominus in montem ablegauit, dicens, Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo. Adducit in hoc Gregorius exemplum Iacob, qui virgas in potum ouium proiectas partim decorticauit, partim reliquit virides. Ita omnino etiam paſtor animarum, dum paſcit oues & ad aquas ducit ſcripturę ſanctæ, nõ debet loca illius planè decorticare coram quibuſlibet, ſed pro qualitate audientium, vt hic & apud Matthæum fa-

Cyrillus.

Eſa. 26. 33
Abdiæ 1.
1. Cor. 1.
Matth. 5.

Cregorius

1. Cor. 3.

Pulchrè cõ ueniũt hæc prædicatoribus.

Gene. 30.

ctum esse legitur. Ecce enim quando Lutherus libellis passim editis & impressis in vulgus sparsit altissima quæque fidei nostræ mysteria, experti sumus quid inde leuitatis proueuerit, quantus etiam contemptus diuinarum & Christianarum ordinationũ, quantũ inobedientiæ & seditionũ sucreuerit, sicuti satis vniuersa iã suo magno periculo experta est Germanorũ natio. Et vtinam hæc mala nõ recrudescant.

2 Enumerat euãgelista ex quibusnam gentibus turbæ illæ fuerint collectæ, quia ex Iudæa & Hierusalem, ex vicinis maris Tyro & Sidone Gentiles fuerunt isti, impares & fide & moribus, è quibus suam quisque habebat causam veniendi, ait enim Lucas venisse eos *vt audirent ipsum, & sanarentur*, Venerunt, inquit Theophylactus, ad dominũ, vt eos sanet, & geminis beneficiis prosequatur, in anima scilicet & corpore. alij veniebãt, vt in corpore tantũ sanarentur à morbis, quoniam hîc & obsessi à spiritibus immundis curabantur. formam etiam addit euãgelista, qua sanarit dominus ægrotos, eo ꝙ omnis populus cupiebat eũ tangere: virtus enim exibat ab eo, & sanabat omnes. Hoc si de contactu fidei intelligamus, facilis est sensus, quoniam qui per fidem tangebant Christũ, sanabantur: sicut & apud Lucam quum tetigisset eũ mulier, interrogãs ille, dicebat exiisse à se virtutem. Et in hoc diuinitatẽ suam cõfirmauit: nam prophetæ & alij sancti, authore Theophylacto, nõ habebãt virtutem à se egredientem. siquidem nõ fuerunt fontes virtutum, & quicquid habuerunt virtutum, desuper habuerũt. Christus autem instar fontis fuit. sicut enim fons aquã in se scaturientem habet, ita & fons spiritus Christi inexhaustã in se habet scaturiginem virtutũ in curando. Sancti interim fuerunt cisternis similes, quæ aquas nõ habent nisi aliunde infusas, & sic cuilibet sancto Christus dicere potest, Quid habes quod nõ accepisti? per hoc tamen nõ negamus etiam corporalem Christi contactum sanitatem esse operatum, sicut & mulier illa sanata est ex solo fimbriæ suæ contactu, & alibi sæpe in euangelio legimus, dominum solo tactu curasse infirmos. sic enim ille tetigit sæpe leprosos, & mũdati sunt. tetigit pheretrum in quo defunctus portabatur adolescens in Naim, & reuixit. Quoniam quum fuerit in Christo diuinitas humanitati vnita in personæ vnitate, etiam corpus suum peculiarem quandam virtutem habuit diuinam in curãdis ægrotis.

3 Di-

Theophy.

Lucæ 8.

Theoph.

Lucæ 8.

3 Diceres, Atqui & ſancti ſolo contactu ſanarunt infirmos, quia cadauer Eliſei quum tetigiſſet tantum corpus filij viduæ defuncti, reſurrexit: & dominus idipſum apoſtolis ſuis promiſit, fore inquiens, vt vbi impoſuerint manus ſuper infirmos, bene habeant. Reſpondetur hîc, dubium non eſſe, & Chriſtum & ſanctos tactu ſuo ſanaſſe ægrotos. ſed hic ſcrupulus latet, an in ipſis etiam ſanctis virtus eiuſmodi fuerit ſanandi infirmos. Nam & Auguſt. in cõtrouerſia ponit, & ait, Siue deus ipſe per ſeipſum miro modo quo res temporales operatur æternus, ſiue per ſuos miniſtros iſta facit, ſiue quædam etiam per martyrum ſpiritus, ſiue per homines adhuc in corpore conſtitutos, ſiue omnia iſta per angelos, atque martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantum & impetrantibus, non etiam operantibus fiant hæc omnia, à nobis mortalibus plane intelligi nequeunt. Gregorius tamen plus tribuit ſanctis. & ait, Qui deuota mente deo adhærent quũ rerum neceſſitas expoſcit, exhibere ſigna vtroque modo ſolent, vt mira quæque aliquando ex prece faciant, aliquando ex poteſtate. quia enim, vtroque modo, miracula exhibeãt, teſtatur Petrus qui Thabitam mortuam orando ſuſcitauit, Ananiam verò & Saphiram mentientes morti increpando tradidit, & quod ſancti in animabus ſuis poteſtatem huiuſmodi habeant ſibi à deo traditam faciendi miracula, Paulus docet, quum inter dona homini conceſſa diuinitus, etiam gratiam ſanitatum & miraculorum enumerat. Quod ſi porro diſcrimen inquiris virtutibus huius in Chriſto, & ſanctis in curandis infirmis, nequeo hic tibi vnà cum Auguſtino doctrinà certam ponere, & tamen reſpectu imperfectæ cognitionis noſtræ in hoc ſtatu, quo in ænigmate tantũ cognoſcimus, hoc tibi exemplũ habeto Philoſophi perhibent eſſe inſtrumentũ duplex, coniunctum & ſeparatum, vt qui ſcindit ligna, medio gemino vtitur, coniuncto altero, manu nimirũ & ſecuri, quod organum eſt ſeparatũ. ita planè ſe res habet in humanitate Chriſti: ea enim inſtar manus eſt, in qua naturalis virtus eſt hominis. ſic & in humanitate Chriſti virtus diuina latet ei vnita. ſancti autem ſunt quaſi ſecuris, quæ per ſe non ſecat aut virtute inſita, ſed tunc tantum, quãdo ad hoc adhibetur: ſic & ſancti à deo mouentur ad agenda miracula, & tamen non plane nihil agit ſecuris, quia alias nihil referret bonáve eſſet an mala.

Mar.15.

Augu.22 de ciuita. dei.c.10.

Lib.2.dia. cap.10.

Actu.9. & 5.

Auguſt.

2. Phyſi.

Atq; ex hoc fundamẽto reſpõſio naſcitur ad alias quæſtiones, quando cogitare poſſet quiſpiã, Quo tandẽ modo auſi ſint ſancti operari miracula, an non temeritatis & ſuperbiæ argumentũ hoc fuerit, quod ipſi ſe tãtos corã deo reputarũt, vt ille per eos operaretur quiddã cõtra & ſupra naturam? Reſpõdeo, quoniã humiles ſunt ſancti, & quo quiſq; ſanctior, eo etiã humilior eſt, vt non ſit aliqua in ſanctis ſuperbiæ ſuſpicio. Verũ quod audẽt ſibi miraculorũ ſumere operationẽ, nõ ex eorũ temeritate prouenit, ſed deo ſecrete mouẽte & inſpiratione ſua præueniẽte. Ipſi enim inſtar ſecuris ſunt in miraculo, neq; à ſe ſecant, ſed tunc, quũ operarius eã in manus ſumpſerit. Hinc factũ eſt quod ij qui propriis viribus & ſuapte fiducia arrogarunt ſibi virtutẽ miraculorũ, nihil effecerunt: nã quũ ſanctus miraculũ vult operari, oportet eũ diuinitus eo moueri, illudq; ei à deo eſſe inſpiratũ. Atq; hoc eſt quod toties in ſacris literis habetur, filios dei à ſpiritu dei agi. ſic ſanctus Sebaſtian⁹ Zoæ mulieri mutæ vſum reſtituit loquelę, & præſidẽ Chromaticũ quoque ſanauit. Vt itaq; ſiniamus, per hoc iam exẽplum intelligere poſſumuus, quomodo virtus exierit à Chriſto ſanandi infirmos, quæ res tamẽ non ideo ſtatim cõpetit ſanctis, licet per eos deus miracula operetur. 3 Non temere eſt etiam geſtus ille extern⁹, quod Lucas Chriſtũ eleuaſſe refert oculos ſuper diſcipulos ſuos, & ſæpius illo vſus eſt dominus, affectum enim inſinuat loquentis, & ſublimitatẽ eorum de quibus fit ſermo. Ita etiã Ioãnes ſcribit Chriſtum eleuatis in cœlum oculis gratias egiſſe deo patri. Ita ille idem ſacramẽtum Euchariſtiæ inſtituturus, vt meminit eccleſia in ſacrificio miſſæ, eleuauit in cœlum oculos. Neque hic temere refert euangeliſta poſt deſcriptam hominum multitudinem, leuaſſe dominũ oculos ſuos ſuper diſcipulos, ſuper cæteros nõ item. Quid enim eſt, inquit Ambroſius, aperire oculos, niſi interius lumen aperire? ſicq; etſi generaliter omnibus loquitur, ſpecialius tamen oculos ſaluator in diſcipulos leuat, vt iis qui verbum intenta cordis aure percipiunt, latius ſaporis intimi lumen aperiat. Quumq; ſit ille mos ſcripturæ, vt per oculorum intuitum & eleuationem miſericordiam deſignet, iam verus dominus diſcipulis ampliora miſericordiæ dona exhibuit, ipſoſq; pluribus donauit virtutibus, recte hic Lucas expreſsit ſingularem oculorum

Tom. I.

Ioan. II.

Ambro.

lorum eleuationem ſuper diſcipulos. Sed quid deinceps ad eos ſit loquutus, porro commemorat, dum quatuor ex ordine narrat beatitudines, quarũ expoſitio, quia eadem eſt cum iis, quas Matthæus capite quinto habet, quod euangelium in die ſancti Mauricij & omnium ſanctorum feſto legitur, latiorem ſuper iis diſputationem eo relegamus. Neque hic laboramus aut concludimus, eundem eſſe hunc Lucæ ſermonem cum illo Matthæi, ſed ſcholis relinquimus excutiẽdum. Interim deprecemur dominum, &c.

HOMILIA SECVNDA.

Multitudo languentium veniebat ad eum, & ſanabãtur omnes. Canit ſancta mater eccleſia de ſancto martyre Sebaſtiano.

Mos adhuc apud pleroſq; eſt, dilectiſſimi in domino, ſicut & maiores noſtri qui feliciter ex hoc ſeculo cõmigrarunt, quoſdam peculiares habere ſanctos, quos aduerſus ſingulares morbos, alióſve caſus aut pericula & imminentia mala propulſanda inuocare, puta S. Sebaſtianum & S. Rochum contra peſtem epidimiæ, S. Martinum contra febres, ſanctam Barbaram, ne mori eos contingat ſine viatico ſacramenti Euchariſtiæ. S. Eraſmum aduerſus morbos viſcerum, ſanctum Blaſium contra colli tumores, S. Florianum, Laurentium & Luciam aduerſus incendij periculũ, Apolloniam contra dolorem dentium, Otiliam pro pellendis oculorum ægritudinibus. Prægnantes mulieres piè venerari ſolebant S. Ioſeph, Elizabeth, Ioannem, Margaretam, Dorotheam & Annam. Contra ſacrum ignem colebatur S. Antonius, & S. Valentinus contra morbũ regium, ſanctus Anſtet aduerſus obſeſſionem dæmonũ, S. Nicolaus inuocari ſolitus in periculis aquarũ & naufragiis, S Florẽtius aduerſus calculũ & arenam, Chriſtophorus cõtra inſidias inimicorum. Achatius pro pace, Raphaël & tres Magi pro felici comitatu viarum, & præcipue Maria in aduerſis omnibus. Ecce autẽ irruentes veteres ſimul & noui hæretici, conantur morem hunc vt pium, ita laudabilẽ deſtruere, atque in hoc rationes neſcio quo fuco illicitas proponũt, ita vt per eos multi ex ſimplicibus offendantur, qui deinceps veneratione ſanctorũ conſtanter hactenus obſeruatam intermittunt. Vnde perſuaſus ſum in S. Sebaſtiani omniúmque

Sancti mederentur.

ſanctorum gloriam & honorem, conſuetudinem illam ca-
tholicorum tueri, ſimulque docere æquiſsimam eam, hone-
ſtam quoque, & laudabilem & ſcripturæ conſentaneam,
deoque placentē & meritoriam eſſe. hæc vbi oſtēderimus,
ad finē argumenta eorū quæ contra nituntur, diſſoluemus.

1 Sit hæc concluſio, Adeo non eſt iniquum, vt ſit etiam
honeſtum & iuſtiſsimum, dominum deum pro temporali-
bus bonis acquirendis & propulſandis malis inuocare. id
adeo ratio generali & ſpeciali confirmo. Omne enim id de-
cet bonumq; eſſe cōuincitur, quod nos ſpiritus ſanctus mul
tis modis in ſcriptura docuit, quodq; in eadem ſancti homi-
nes laudarunt, coluerūt & exercuerunt ipſi, idque per vni-
uerſum vetus teſtamētum perpetuo factitatum inuenimus,
quoniam ſic Pharao orauit Moyſen & Aaro, vt dominum
deprecarentur pro tollendis ranis. ſic & Iudæi dixerunt ad
Exod. 8. Moyſen, Peccauimus, quia loquuti ſumus cōtra dominum
Nume. 21. & te, ora vt tollat à nobis ſerpētes. Inſuper & orante Abra-
ham pro Abimelech, ſanauit eum dominus. Moyſes quoq;
quoties dominum rogarit pro Iudæis ne perirent, ipſe eis
Deuter. 9. enumerat in Deuteronomio. Et item abūdē ſatis docet Sa-
lomō, dum commemorat quare populus deprecari debeat
dominum, puta ſi fugerent à facie inimicorum, ſi non plue-
ret, ſi caritas eſſet annonæ, ſi bella graſſarentur. An nō hæc
1. Re. 9. omnia temporalia ſunt, pro quibus oratur dominus? ſic ſa-
2. Par. 20 ne per vniuerſam hiſtoriam Iudicum, Regum & Iudith ha-
Eze. 29. betur. ſic Ioſaphat & omnis Iuda orauit pro victoria, ſic Io
ſue oratione ſua impetrauit vt ſol ſtaret, ſic iuſsit & ipſe do
minus Iudæos in captiuitate orare pro pace ciuitatis in qua
erant, quoniam pax illius ipſorum quoque pax futura erat.
2. Ma. 4. Sic orauit Machabæus obuiante ſibi in campis exercitu ma-
Mat. 24. gno, ſic nos in nouo teſtamēto orare iuſsit dominus, ne fiat
Act. 12. fuga noſtra in hyeme. ſic pro liberatiōe Petri vniuerſa ora-
uit Eccleſia, quæ res cum omnibus omnium prophetarum
conuenit oraculis. ¶ Ad hæc poteſt etiam illa ratio reddi,
quia quodcunque licitè poſſumus appetere, pro eo quoque
licet nobis deum orare. Quis autem adeò vel imprudens eſt
vel impudens, vt neget orādum eſſe deum pro pace, ſanita-
te, fertilitate terræ & id genus aliis? quoniam ſic benedixit
Iſaac filium ſuum Iacob, dicens, Det tibi deus de rore cœli
Gen. 27. & de pinguedine terræ abundantiam frumēti vini, & olei,

&

& ſeruiant tibi populi. Ita Moyſes enumerat Iudæis, quàm fertilem bonisque omnibus abundātiſimam regionem accepturi eſſent à domino deo, & ait, Dominus tuus eruditit te, vt cuſtodias mandata domini dei tui, & ambules in viis eius, & timeas eum. Dominus enim deus tuus introducente in terram bonam, terram riuorum aquarúmq; & fontium, in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſsi: terram frumenti, hordei ac vinearum in qua ficus & malogranata & oliueta naſcuntur: terram olei ac mellis, vbi abſque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris. Item in omnibus quoque prophetis inuenire lices, quomodo eis dominus deus temporalia bona promiſit plurima, ſi modo ſeruiant ei, ſeruentque mandata ipſius. Ita enim per Malachiam quoq; dicit dominus, Inferte omnes decimam in horreum meum, vt ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc dicit dominus: ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vſq; ad abundantiam: & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrũpet fructũ terræ veſtræ, nec erit ſterilis vinea in agro, dicit dominus exercituũ. Ecce, quis iam prohibeat licite nos poſſe orare deũ pro eo, quod ipſe nobis promiſit ſe daturũ, ſi vixerimus ſecũdum legem mandatorum ipſius. *Malac. 3.*

2 Diceres, Vera hęc in veteri fuiſſe teſtamento, quoniam ſic Auguſtinus diſcrimen hoc eſſe dicit vtriuſque teſtamenti, quod vetus promiſit temporalia, diuitias, pacem longæuitatem, &c. ſicut & in decalogo præceptum eſt illis honorare parentes, vt ſint longæui ſuper terram. atque ſic lõgæuitatem poterãt etiam hic petere à domino. In nouo autem ſanctiora quædam & cœleſtia promittuntur, vnde & nouo & priſcis antea ſeculis inuſitato vocabulo vſum eſſe in euãgelio dominum perhibet Gregorius, quod toties regnũ cœlorum ibi ingeminauit. vnde quis colligat ita decuiſſe, vt in veteri teſtamento pro temporalibus oraretur, in nouo autem non ſic. Reſpondetur, verum quidem eſſe quod in hunc modum duo teſtamenta diſtinxit Auguſtinus. Verùm quod inde elicitur, ideo in lege euangelica pro temporalibus non eſſe orandum, neque reſpicimus, neque vere conſequitur: ſed hoc tantum, quod præcipuè pro ſpiritualibus ſit orandum bonis, deinde etiam pro temporalibus tanquam ad illa conducentibus: ſpiritualia enim ſine temporalibus *Gregor.* *Auguſti.*

Ambro. non possunt diu subsistere, inquit Ambro. Id adeo ex communi sanctæ Ecclesiæ consuetudine facilè confirmabimus, quoniam illa in letaniis precatur dominum, vt nos liberet à bellis, peste, morte subitanea, insidiis hostium & hæreticorum omnibusq; malis. Insuper petit à domino, quatenus ille tempora nostra in pace componat, fructus terrę nobis custodiat. In hoc institutæ sunt supplicationes aduersus bella, pestem, omnesque aduersitates. sunt in eundem vsum paratæ missæ aliquot, pro infirmis, pro iter agentibus, super sponsum & sponsam, aduersus pestem, epidimiæ, pro captiuis, pro fertilitate terræ, contra bella & omnia pericula imminentium malorum. Quæ quum omnia per vniuersam vsurpentur Ecclesiam, quis tam erit impudés, vt Christianorum reiiciat orationes pro bonis temporalibus ad deum? Quid
1. Tim. 2. quod idem nos facere docuit etiã Paulus? ita enim ait, Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominib⁹, pro regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus. Ecce quod & Paulus cupit pro magistratibus orari, vt tranquilla peragatur vita. & tamen illa vitæ huius pax atque tranquillitas, bonum vtiq; temporale est, quanuis vbi quis deũ oraret finaliter & præcipuè pro temporalibus bonis, neque ea ordinaret in æterna, is bene non faceret. Atqui deum interim rogare possumus pro temporalibus, in quib⁹ sic viuamus ne per ea amittamus æterna. Quilibet igitur cum propheta clamet ad dominum, Non secundum peccata nostra facias nobis domi-
Psal. 102. ne, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

3 Quando iam constat ex ipsis tum sacris literis, tum ecclesiæ sanctæ consuetudinibus, posse nos colere & orare dominum deum pro bonis temporalibus, sequitur, nihilominus posse nos etiam sanctos inuocare, vt pro huiusmodi nobis sint intercessores apud deum. quando certum est, quod pro quibuscunque nos licitè possumus dominum rogare, pro iisdem interuenire nobis possunt etiam sancti apud eũdem. Sic ecclesia orat de virgine matre, Concede nos famulos tuos quæsumus domine deus noster, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa beatæ Mariæ semper
Cassiod. virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & futura
Psal. 101. perfrui lætitia. Sic Cassiodorus verba Psalmistæ intelligit,

quando

quando canit, Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Ait enim, Qui quasi inclinatus clamauit, iã respirans ad interceſſores ſanctos oculos leuat? quoniã per montes, ſancti interceſſores noſtri ſignificantur, è quibus Dauid auxilium ſperauit qui tamen ipſe mons mirabilis extitit. Et quanuis ille opem ſanctorum implorauit, præcipuè tamẽ à deo omne promanat auxilium, quod ipſe paulò pòſt fatetur, inquiens, Auxilium meum à domino. Videmus ergo Dauidis exemplo, quod vbi primum oculos noſtros leuamus ad ſanctos, dominus opem fert nobis. Quomodo Elias pluuiam impetrauit à domino cum aliquot annis non pluerat. Et Iob quotidie offerebat holocauſta, dicens, ne forte peccauerint filij mei. Dominus quoque Deus ſic loquutus eſt ad Ezechiam, Pro tegam vrbem iſtam propter me, & propter Dauid ſeruum meum. Et per hoc intellectus patet verborum ſancti Gregorij, qui ſanctos ſtellis, Chriſtum autem ſoli comparat. Quiſquis ergo ſanctorum auferre conatur interceſsionem, quid aliud facit, niſi quod ſolem tãtum, & ſtellam nullam vult habere? Et tamen Petrus dominum interrogauit per Ioannem, Gentiles per Philippum, Centurio per ſeniores Iudæorum. Quur non & nos poterimus illum in neceſsitatibus noſtris inuocare per ſanctos & electos ſuos, atque pro temporalibus bonis æquè atque pro æternis, ſicut plerique illam à S. Barbara gratiam ſibi dari petũt, ne mori eos contingat ſine venerabili ſacramento, quem morem quis vnquam Chriſtianus audebit dicere malum, cum tamen conducat ad vitam & felicitatem æternam?

3. *Reg.* 18. *Iob* 1. 4. *Reg.* 2. *Gregor.*

4 In confeſſo eſt igitur ex prædictis, poſſe nos & deum orare pro temporalibus, & ſanctos implorare in huiuſmodi neceſsitatib⁹ noſtris, reliquum eſt ſuper eo diſcere, quod alios ſanctos pro aliis bonis inuocamus impetrandis, & malis euitandis. Quod etſi ex ſola eccleſiaſtica conſuetudine cuique ſatis eſſet probatum, tamen ex ſuperfluo teſtimonia inducemus. Auguſtinus refert deum per aliquem ſanctum operari, quod nec per alium, nec in quolibet loco faciat, inducit in hoc miracula multa per ſanctos exhibita, præcipuè per ſanctum Stephanum, qui ſuæ eccleſiæ Hipponenſis patronus extitit. ſimile commemorat de S. Geruaſio & Prothaſio. Priuilegio autem certo quoſdã donatos eſſe ſanctos præ aliis, Ioannes Gerſon comprobat parte tertia, eo quod

Augu. li. 22. ciuita. cap. 9. De oratione.

1. Cor. 12. Paulus dicat, Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. & alij quidem per spiritum datur sermo scientiæ, alij sermo sapientiæ, alij fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, &c. Iam verò cõstat, illam donorum distributionem non tãtum sanctis competere hic adhuc in terra viuentibus, sed & illis qui iam conregnant cum Christo. ¶ Atque certum id esse, quod etiam sancti in cœlo eodem modo distincta receperint à deo dona, ad longũ posset deduci, sed nos breuiter perstingemus, primũque fundamenti loco pono illud verbum Augustini: Contemplare anima mea, quanta à deo bona susceperis communiter cum omnibus hominibus: insuper ad cogitationem reuoca, quanta dona acceperis cum quibusdam, quæ etiam quãtaque susceperis ipse ab aliis seorsum. Sequitur hinc ex sententia doctorum, quemlibet in terris hominem peculiare donũ habere, quo reliqui omnes careant in mundo. Prouenit autem illud ex omnipotentia dei, & inexhausto fonte infinitæ bonitatis suæ. Neque mirum tibi hoc fiat, cum inter tot hominum milia non duos inuenias vel facie vel voce & sermone inter se similes. Quod si ergo vberem & abundantissimam suam bonitatem declarauit in corpore (sicuti & ex multis scriptoribus non duos inuenias, quorum characteres in scribendo conueniant) quanto magis ille tantum suæ bonitatis thesaurum conferet in animam, creaturam sane nobilissimam, & id quidem non paulo tum præclarius tum illustrius factum censeri debet in sanctis in vita æterna, quos ille exornauit super omnes creaturas, vt luceãt sicut stellæ in firmamento. Atque ideo de confessoribus sic canit ecclesia, Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi. quod quanuis primo de Abraham sit à sapiẽte vsurpatum & scriptum, ecclesia tamen eo nunc de cõfessoribus omnibus vtitur, & tamẽ de quolibet iuxta sanctitatis perfectionem intelligi nõ potest, quoniam dum cano de sancto Vdalrico, non inuentum ei similem qui legem cõseruet excelsi, vtique non intẽdo eum exaltare super sanctum Martinum aut sanctum Nicolaum. sed ita demum locus ille saluatur, si eum ita intelligas, vt quilibet sanctus peculiarem quãdam gratiam receperit à deo, in qua similem sibi alium non habeat. Desinant itaque mirari scioli isti, quod illo priuilegio sanctum Sebastianum deus donauit, vt hominũ esset inter-

Augustin.

Eccl. 44.

interceſſor aduerſus horrendam epidimiæ peſtem, ſicut illo ex gratia dei multa & varia pro Chriſti nomine ſuſtinuit tormenta? Quomodo alij quoque ſancti certis ſunt priuilegiis & donationibus illuſtrati à deo, vt diuerſis medeantur malis inuocati. Cæterùm S. Sebaſtianus ciuis Mediolanenſis, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus charus admodum extitit. ideo & primæ cohortis Centurio ab eis conſtitutus, ſub militari tamen chlamyde animũ pium geſtabat. quumq; nobiles duo fratres, Marcus & Marcellianus propter fidem Chriſti in carceres cõiecti, iam imminẽte ſupplicio à parẽtibus & vxoribus pene ad defectionem fidei adducti eſſent, Sebaſtianus eos in fide confirmauit oratione fortiſsima: quã & audiuit Zoe, vxor eius qui vinctis præerat, quũ ſexennio toto caruiſſet vſu loquelæ, vidit ſimul angelum ante Sebaſtianum ſtantem, librumq; manu tenentem, ex quo illa omnia legit ſanctus Sebaſtianus. illa concidit ad pedes ſancti Sebaſtiani, & rurſus loqui cœpit. Tandem poſt multa per exhibita miracula peruenit fama ad imperatorem, qui ingratitudinem di primum exprobrauit. ſed quum libere confiteretur Chriſtum, in aperto cãpo arbori alligatus, ſagittis vndique confoſſus & pro mortuo relictus eſt. Nocte dehinc venit mater Caſtuli ad eum, quem quum inueniſſet viuum, ſecum adduxit domũ, curaq; illius habita, ſtatim ſanatus eſt. Quo facto, iterum ſe exhibuit imperatoribus, & eorum in trucidandis Chriſtianis increpauit tyrannidẽ. Verùm illi clauis & fuſtibus cædi eum fecerunt vſque ad mortem, corpus deinde abiecerunt. Sed tunc ſanctus Sebaſtianus apparuit cuidam piæ matronæ Lucinæ, eiq; corpus ſuum reuelauit, quæ cũ cæteris Chriſtianis ſublatum illud honorifice ſepeliuit. Eius meritũ & interceſsio apud dominum deũ nobis adſit perpetuo. Paſſus ille eſt martyr domini precioſus, anno à nato Chriſto ducenteſimo octogeſimo ſeptimo. Nos itaque tantipatroni ſuffragiis confiſi, ſedulo ipſius opem imploremus, vt nos à ſæuiſsima peſte epidimię ſuis ſanctiſsimis precibus conſeruare & præmunire dignetur: dicamúſque,

Pectore firma tuo fidei conſtantia ſacræ
Martyr ſancte ſedens, te facit illa pati.
Quæſo, tuis precibus peſtem depelle furentem.
Nam pro quo hæc pateris, nil negat ille tibi.

Illud require supra in feriis sanctæ Barbaræ.

HOMILIA VNICA.

Augusti. ET SI in hac parabola, virginũ audiuim⁹ appellationẽ tantũ, ibi tamẽ ex sententia Augustini & Gregorij omnes intelligẽdi sunt Christiani, inter quos nonnulli boni, alij mali sunt. habent enim ex iis quidã in lãpadibus (hoc est, in cordibus & fide sua) oleũ diuinæ charitatis & cõscientiæ rectæ. Moram autẽ faciente sponso, cœperũt dormire omnes. Vbi vno omnes doctores ore fatentur & cõsentiũt, spõsum hunc Christũ esse, de quo Dauid inquit, Sicut spõsus proce-
Psal.18. dens de thalamo suo. Sed & baptista eius Ioãnes, ipsum spõ-
Ioan.3. sum vocauit, dicens, Qui habet spõsam, spõsus est. Ecclesia
Ephe.5. autẽ spõsa Christi est, iuxta illud Pauli, Viri diligite vxores, sicut Christ⁹ dilexit ecclesiam. quã & Ioãnes de cœlo vidit
Apo.21. descẽdentẽ, nouã, sicut spõsam ornatã viro suo. Huic itaq;
August. spõso Christo duo occurrũt Christiani aduentũ illius expectantes, teste Augustino: quoniã Christiani omnes ad illius
Matt.28. aduentũ vocati sunt, sicut ipse eos toties in euãgelio vigila-
Lucæ 12. re iubet dũ veniat. Moratur autẽ ille, dum nouissimũ diem
Hierony. expectat. siquidem nõ parum tẽporis inter priorẽ & secun-
Abac.2. dum aduentum domini prætergreditur. Veruntamen sicut præmonuit Abacuc, si moram fecerit, expecta illũ. Et quod dormierũt virgines illæ cõsopitæ omnes, nõ de somno peccatorũ intelligi debet. quãuis enim refrigescet tunc charitas multorũ, remanebunt tamen nõnulli vsque in finẽ. & ij no-
Matt.24. mine virginũ prudentũ designãtur, magno charitatis ardo-
Augusti. re perseueraturi: iuxta illud Augustini, Nõ obrepsit eis frigus charitatis, sed feruebit vsq; in finẽ: quia feruet vsq; in finem, ideo spõsi ianuæ patuerũt. De alio igitur sopore hic agi-
Hierony. tur, puta mortis ipsius, quoniã sic ait Hierony. Sanctorũ mors somn⁹ appellatur, ideo dicitur, dormierũt, quia postea suscitãdi sunt. Id etiã ex verbis Pauli satis liquet, quæ ha-
1.Thes.4. bent, Nolo vos ignorare fratres de dormiẽtib⁹. Ita in histo-
3.Reg.12. ria Regum, quicũque mortui sunt, cõdormisse dicũtur cum
Iob 7. patrib⁹ suis. Et Iob inquit, Ecce in puluere dormio, hoc est,

morior.

morior. quod in multis aliis quoq; ſcripturæ locis inuenies. Dum itaque moratur ſponſus, obdormiuit mens, hoc eſt, dum expectamus omnes diem nouiſsimũ, alij poſt alios morimur, quanuis multi iamiam imminere diem putant extremum. ſicq; tempore ſuo Gregorius, & ante eũ cenſuit Auguſtinus. Semper enim dũ ſurgit gens cõtragentem, aliaq; ex altis bella naſcũtur, dum ærumnis omnia miſerrime implentur, & tot vndiq; terræ motus fiunt, interimq; dies extremus nõ venit ſemper moratur ſponſus: ſicut nũc etiã multi clamitant & cõquerũtur de bellorum tumultibus, de annonæ caritate, de tot inundationibus aquarũ, vt Romæ nuper & in Flãdria atq; in Selanda cõtigit. de innumeris morborum generibus, vt ſudore Angelico, vnde multi clamant inſtare diẽ nouiſsimum, & tamen moratur ſponſus. Neque interim hæc tanta ſunt, quãuis ſint maxima, vt permoueant quod credam illũ appropinquare, ſed hoc me maximè mouet, vt credam nõ procul abeſſe Antichriſti tempora, quod Chriſtianiſmus tantum deficit, quodq; nonnulli Chriſtianorum miſſæ ſacrificum impugnãt & abrogant: iuxta prophetiam Danielis. Nihil tamẽ hic præſumo eorum tãgere, quæ adocculta dei iudicia ſpectant, quæq; non licere apoſtolis ſuis ſcire, ipſe prædixit dominus aſcenſurꝰ in cœlum, ſed quantum coniectura loqui permittit, ſicut loquuti ſunt ſancti patres, Auguſt. Grego. & Bernardus, leuioribus perſuaſi argumẽtis. 2 Nocte vero media factus eſt clamor, Ecce ſponſus venit. Quod hic ait dominus de nocte media, ſunt qui referre conentur ad ipſum tempus, quo venturus ſit ipſe ad iudicium, eo quod Paulus dicat, dies domini ſicut fur in nocte, ira veniet. Et ad hunc ſenſum facit, quod Hieronymus dicit conſtantẽ eſſe Iudæorũ ſententiã, Chriſtum media nocte venturum, ſicut tẽpore AEgyptiorũ, quando celebrantibus eis paſcha ſuperuenit exterminator, poſteſq; mentium noſtrarum ſanguine agni ſunt ſanctificati. Addit Hieronymus hinc opinari ſe natam illam conſuetudinẽ, & ab apoſtolis vſque in ſua tẽpora deriuatam, ne plebs in die ſancto paſchæ ante mediam noctem ad propria redire permittatur, vt aduẽtum expectare videatur dominicum. Vnde & Dauid cecinit, Media nocte ſurgebã ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Sed de iis certi nil cõſtat. Verum Auguſtinus, Theophylactus, aliiq; doctores commu-

Grego. dominica. 2.

Aduen.

An. 1530.

1. Theſ. 5.

Hieron.

Exo. 11.

Pſal. 118.

niter intelligere hic nolũt per mediam noctem tempus iudicij, quod alias in ſcripturis fere diei, nõ noctis nomine exprimitur. Volunt ergo dominum inſinuaſſe hic incertitudinem temporis iudicij extremi. ſicut enim quis ex improuiſo per ſomnum obruitur, ita veniet dominus quum minime ſperabitur. Et ſic quãdo aduenturum ſe minatur media nocte, illud tempus deſignat quod nemini conſtat: iuxta illud quod dixit apoſtolis, Nõ eſt veſtrũ noſſe tẽpora quę pater in ſua poſuit poteſtate. Et alibi vigilate, quia neſtitis qua hora dominus veſter vẽturus ſit. Quod aũt tunc clamor futurus ſit, intelligunt doctores quidam de voce Chriſti, qua ille mortuos reſuſcitabit, de qua dixit, Quia audient mortui vocem filij dei, & qui audierint, viuent. Alij exponunt de voce angelorum, qui clamabunt, Surgite mortui, venite ad iudicium. Sic enim & Paulus ait deſcẽſurum dominum de cœlo in iuſſu & voce archangeli, & in tuba dei. (vide homilias de die nouiſsimo) Quis etiam futur⁹ ſit ille clamor, addit & ait, Sponſus venit, exite obuiam ei. Exitus hic referri poteſt ad ipſum ſtatim egreſſum ex ſepulchro, eritq; ea citatio peremptoria ad iudicium, quę & fiet per angelos, quãuis exitum hunc nonnulli intelligunt de raptu illo quo mortui rapientur obuiam Chriſto in aëra, ſicut & Paulus loquitur. Cui tamen inſequenti textu de iuſtis loquenti, prior illa ſententia propinquior eſt. 4 Surrexerunt itaq; virgines omnes illæ quoniam cum inualuerit clamor angelorum, & vox Chriſti, ſurgent tunc omnes mortui, dicente Chriſto, Venit hora quãdo omnes qui in monumentis ſunt audient vocem filij dei, & procedent. ſimul atq; autem ſurrexerunt, adornarunt lampades ſuas. lãpades, inquit Theophylactus, animæ noſtræ ſunt, & vniuſcuiuſq; mens, lampas eſt: quæ accenditur, qñ habet oleũ virtutum & miſericordiam. Et ſic Dauid cecinit, Paraui lucernã Chriſto meo, lucernam intelligens cõſcientiæ. Quęras, Qua re lampades ſuas ornarint fatuæ, quum vacuæ fuerint illæ virtutibus & gratia deſtitutę? Reſpondetur, etſi vacuæ fuerint olei & dilectionis diuinæ, ornatæ tamen extiterũt profeſsione fidei, & quibuſdã aliis donis dei, ideo neq; illæ omnibus carebũt operibus bonis, quæ etſi ſequentibus contaminarunt peccatis, producẽt tamen ea quaſi multum ſibi profutura, ideoq; & ait dominus, Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit

Mat. 1. *Mat. 24.* *Ioan. 5.* *Tomo 1.* *Ioan. 5.* *Theop.*

intrabit in regnum cœlorum. Intelligere hoc idé ex iis poſſumus, quæ de forma iudicij commemorat dominus, quando dicturꝰ eſt malis, eſuriiſſe ſe, nec tamé eſt ab eis paſtum, vbi prætextu quæſito dicent illi, excuſaturi ſeipſos, Domine, quãdo vidimus te eſurientẽ? Ecce quomodo iſtæ quoq; volunt lampades ſuas ornatas eſſe, quæ tamen vacuæ ſunt omnis boni. Sunt qui putent hic ornare lampades, eſſeſemet excutere & cogitare quid fecerit boni, perpendere etiã bonorum circunſtantias. Nam in die nouiſsimo aperiẽtur libri conſcientiarum ſingulorum hominum. Qua de re plura in homiliis de extremo iudicio. 4 Dixerunt fatuæ prudentibus, Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguntur. Præclare hic beatus Auguſtinus, Antequam dormirent, inquit, illę virgines, non eſt dictum quia extinguebantur lampades. illarum ſapientium lampades ardebant de oleo æterno, de cõſcientię ſuæ veritate, de interiori gloria, de intima charitate. Ardebant & illarũ fatuarum, quia non deerant laudes hominum. poſtquam autem ſurrexerunt, id eſt in reſurrectione à mortuis, quia tunc nemo eſt qui laudet, omnis homo cauſæ ſuæ vacat, nemo eſt tunc qui nõ de ſe cogitet, nõ ergo erant qui olem venderent. Et tunc inclamabũt opẽ ſapiẽtũ, vt eis cõmunicẽt de oleo ſuo. Quod tamen nõ eodem ab omnibus modo exponitur. ſunt enim qui putãt petiiſſe eos vt adiuuarentur bonis operibus piorũ alienis gauiſi meritis. Quæ nimis incõſulta fuit perſuaſio, & ideo recte eas à principio parabolæ virgines fatuas vocauit dominus, quoniã tardũ & ſerum nimis erit tũc de eo tandẽ cogitare, quãdo hic in terris tantũ bonorũ operum cõmunicatio locum ſuum, obtinet, quã intendẽs Paulus, dixit, Ex ęqualitate in præſenti tẽpore veſtra abundantia illorũ inopiã ſuppleat, vt & illorũ abũdantia veſtrę inopiæ ſit ſupplemẽtũ, vt fiat æqualitas. Hic itaq, in terris poterãt participes facere ſe alieni meriti, in die nouiſsimo nõ item, quia tunc implebitur illud Dauidis, Dormitauerunt ſomnũ ſuum, & nihil inuenerũt in manibus ſuis omnes viri diuitiarũ. Qui ſe bonis operibus diuites putant. ita vt multa ſibi videantur feciſſe bona, vbi ad iudicẽ ventũ fuerit, extinguẽtur opera illa omnia, quæ hic temporalis tantũ gloriolæ captãdæ gratia fecerant. Et ideo ſtulte petentibus fatuis ſimili modo reſpõdetur, iuxta dictum Sapientis, Men-

Parte.1.

Auguſt.

2.Co.8.

Pſal.75.

Pro.20.

dicabit in æstate, & nihil dabitur ei. dicetur autem istis, Ite
Hieron. ad vendentes & emite vobis, ne forte non sufficiat nobis &
Chryso. vobis. Hæc, inquit Hieronymus, non de auaritia, sed de timore respondent. Chrysostomus quoq; sic ait, Nec humanitas earum à quibus petebatur, nec petitionis facilitas, nec petentiũ necessitas effecit vt impetrarent. Hinc docemur, quia nullus nos, qui opera perdidimus, defendere ibi poterit, nõ quia nollet, sed quia non potest. Vidimus enim prudentes ad impossibilitatem confugere, quod & Abraham
Luce 16. denotauit, dicens, Magnus inter nos & vos hiatus existit, adeo vt nec volẽtes pertransire, traiicere possint. Nec multum abludit quod habet hic Augustinus, dicens, Quid est,
August. non sufficiat nobis & vobis? Non desperatione dictum est, sed sobria & pia humilitate. quanuis enim bonus bonam conscientiam, habeat tamen in timore adhuc cõsistit ob quotidianos defectus, clamans ad dominum, Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.
1. Pet. 4. ¶ Quo respexit & Petrus, cum ait, Vix iustus saluabitur, impius autem vbi apparebit? Horrebit itaque magno timore perculsus in hoc tremendo iudicio etiam iustus ante faciem & conspectum irati iudicis, quoniam sedente iusto iudice in throno suo, quis gloriabitur castum & pudicum se pectus habere? 5 Quando iam supra diximus, illud quod surrexerunt virgines, de die nouissimo intelligi, quæret aliquis, quomodo fatuæ abierint emptũ oleum. Ei respondeat Augustinus, quoniã istud, Ite potius ad ven-
August. dentes, non consulentiũ, sed irridentium est: ac si dicerent, Quia non solebatis bene viuere, nisi quia vos homines laudabant, qui vobis oleum vendebant, laudes vendebant: qui autem vendunt laudes nisi adulatores? Noluit ergo Dauid oleum humanæ laudis emere, cum ait, Corripiet me iustus
Psal. 140 in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meũ. Sed quid est oleum peccatoris?
Theop. nihil aliud quã blandimentũ assentatoris. Theoph. Pœnitudine inquit, dicuntur fatuæ, eo quod eleemosynam nõ fecerint. & nũc primum sciunt, quod à pauperibus oporteat nos oleum emisse. Hoc est igitur quod dicit, abiere ad vendentes, hoc est, mente abierunt ad pauperes, & secum cogi-
Chryso. tarunt, quale bonũ sit eleemosyna, sed clausa est eis ianua. (Ipse enim & Chrysosto. totam hanc parabolam ad finem

eleemo

eleemosynæ interpretantur) Lyra dicit per hoc denotari remorsum propriæ conscientiæ. Quid multa? Labor hic vanus & inutilis extitit, quoniam in eodem tempore sponsus aduenerat, & quæ paratæ fuerant, intrarunt cum eo ad nuptias. id fiet, quando sponsa ecclesia cum Christo glorificabitur. Prudentes virgines ingrediuntur ad nuptias, dum ad gaudia admittuntur fœlicitatis æternæ: fatuis autem ianua cœli est perpetuo clausa, quoniam paratæ non sunt. Prudentes in lampadibus cõscientiarum suarum oleum fouent operum bonorũ & charitatis diuinæ, quum interim fatuæ omni virtute & dilectione destitutæ. excluduntur per æternam damnationem. & vt maxime pulsent, sero tamen nimis aduenient, quum clausa iam ianua mereri porro nihil possunt. iuxta illud verbum domini, Operamini dum dies est: veniet enim nox in qua operari nemo poterit. Audite ergo iustam sententiam iudicis, Amen dico vobis, nescio vos. Quid? non illos notuit, qui omnia nouit? Quid ergo est, nõ noui vos? improbo, reprobo vos, in scientia mea nõ agnosco vos, scientia mea vitia nescit. (scit eos scientia visionis, sed nõ approbationis) sic iudicat deus peccatũ, & tamen illud nõ cognoscit, quoniam displicet ei, sicut antea dixit de malis, quia confitebor illis quod nunquam noui eos. *Lyra.* *Ioan.10.* *Augustí.* *Matth.7.*

¶ Gregorius pulchre hic exclamat, O si sapere quis in cordis palatio possit, quid admirationis habet, quod dicitur, Venit sponsus? quid dulcedinis, Intrauerũt cum eo ad nuptias? quid amaritudinis, Et clausa est ianua! Venit quippe illi, qui in aduentu suo elementa cõcutit, in cuius conspectu cœlum & terra contremiscit. (Induc, si vis, totũ Gregoriũ, quia hic bene afficit.) O enim quã horribilis est dies illa, dies magna & amara valde, quam nullis verbis propheta explicare satis potuit. Dies, inquit, iræ dies illa, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarũ & caliginis, &c. Audite itaq; & attendite dilectissimi verba saluatoris, Vigilate, quia nescitis neq; diem neque horam. Nolite differre opera bona vsque in futuram patriam. non inuenietis illic oleum venale. hic operandũ est bonum, & acquirenda charitas, vt hoc digni efficiamini, qui ingredi possitis cum sponso Christo domino in vitam æternam, quam ille nobis concedat omnibus, Amen. *Gregorius.* *Sopho.1.*

¶ Eius rei exemplar in hac sanctissima virgine Agnete nobis proponitur, cuius supplicium ipse sanctus descripsit

Ambrosius. Christianis enim prognata est parentibus, cúmque è scholis aliquãdo domum rediret, in eius amore exarsit Romani præfecti filius, eique multũ auri promisit, quod illa sedulo cõtempsit, dixitque ab alio iam se amatore esse præuentam, qui illo longe & nobilior esset & pulchrior & ditior & potentior, quique eã anulo fidei subarrarit. Quod audiens adolescens, amoris impotentia (ita vt fit) victus, lecto decubuit. eius mali causam pater per medicos resciuit, qui post multa cognouit quoq; Christianã eam esse. Hinc ad iudicium pertractam, precibus & minis mouere cœpit & persuadere, vt in filij amorem cõsentiret. quæ quum constanter perseueraret, optionẽ detulit ei. vt vel cum reliquis virginibus deæ Vestæ sacrificaret, vel cum scortis palam luxuriaretur. quorum cum neutrum vellet, nudam eam in lupanar pertrahi fecit. sed miraculose adeo prolongati sunt capilli eius, vt iis non secus ac vestimentis contegeretur.

¶ Postquam ergo in prostibulũ venit, angelum domini inuenit, qui eam lumine circũdedit, & candida veste exornauit. lumen etiam cum viderent iuuenes, exterriti sunt. sed præfecti filius temerarie nimis irruit in lumen, vt prauę suæ satisfaceret libidini, statimque diabolus eum suffocauit. & factus est concursus populi magnus murmurãtibus multis. Interea accurrit & præfectus ipse, mortis causam inquirens. cui respondit Agnes, quoniã is cuius voũltatem voluit implere, potestatem accepit super eum. Promisit ergo præfectus se ei crediturũ, si filium suscitaret, quod & illa precibus suis ad deum fusis impetrauit. itaque ipse cum resurrexisset, egrediens palam confessus est Christum. Hinc voluit eam præfectus dimittere, sed pontifices idolorũ seditionem mouerunt, vbi præfectus metuens ne excluderetur, rem totam delegauit Aspasio, qui S. Agnetem in ignem proiici iussit. sed ignis per mediũ diuisus, magnam cõbussit hominũ multitudinem virgine inoffensa, quin potius per hujus orationem extinctus est ille. Aspasius autem timens seditionẽ vlteriorem vulgi, virginem sanctam per collum trãsfodi iussit, sicque illa sanguinem suum perfudit propter dominum & fidem Christi, oleum quoque charitatis habuit secum, & cum virginibus prudentibus introiuit cum spõso suo Christo ad nuptias fœlicitatis æternæ. Eam cum sepeliuissent parentes, & flerent ad sepulchrũ, die octauo ecce vident nocte

media

media turbam virginum pertranſire, & inter eas Agnetem in veſte aurea, quam comitabatur agnus candidus. Illa igitur ſtans, vetuit parentes ſe amplius lugere tanquam mortuam, ſiquidem cum omnibus iis lucidas acceperit māſiones, iámque cum eo eſſet in cœlis, quem in terris poſita toto deſiderio dilexiſſet. Hinc eſt quod eccleſia octauum etiam diem S. Agnetis piè cōcelebrat. Eam vt pro nobis oret dominum Ieſum Chriſtum, profuſis precibus deprecemur, &c.

DE PVRIFICATIONE VIRGINIS MATRIS MARIAE, EVANGELIVM.

Lucæ 2.

IN illo tempore, Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ, ſecundum legem Moyſi, tulerunt Ieſum in Hieruſalem, vt ſiſterent eum domino: Leuit.12.
ſicut ſcriptum eſt in lege domini, Quia omne ma Exo.34.
ſculinum adaperiens vuluam, ſanctum domino Leuit.5.
vocabitur. Et vt darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in & 12.
lege domini, par turturum aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Hieruſalē, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus & timoratus, expectans conſolationem Iſrael, & ſpiritus ſanctus erat in eo. Et reſponſum acceperat à ſpiritu ſancto, non vi- Act.10.
ſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum domini. Et venit in ſpiritu in templum. Et cum inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo, & ipſe accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit deum, & dixit, Nunc dimittis ſeruum tuum domine, ſecundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, Quod paraſti ante faciem omnium populorum, Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

HOMILIA PRIMA.

PRAECLARA veréque ſancta eſt dies hodierna, in qua Chriſtus poſt matris ſuæ puerperium in templum præſentatus eſt Hieroſolymis, iuxta præſcriptū legis Moſaïcæ. Quomodo enim non maximū eſſet, quod ipſe ſpiritus ſanctus tam eximiæ antea per prophetas ſuos prædixerat, nobiſq; vt præclarū quid denuntiarat? Siquidē ita deus per prophetā prædixit, Ecce ego mitto angelū meum, qui præparabit viam ante faciē meam. *Mala.3.*

& ſtatim veniet in templum ſuum dominator quem quæritis. & angelus teſtamenti quem vos vultis. Id hodie impletum eſt, quando Maria tam laudabili comitatu puerum Ie-
Mala. 47 ſum obtulit in templū. Hoc præuidit & Dauid ipſe in ſpiritu, dicens, Suſcepimus deus miſericordiam tuam in medio templi tui, ſecundū nomen tuum, ſic & laus tua iuſtitia plena eſt dextera tua. Sed nos iam principio quæ euangeliū habet, deinde quæ ad feſtiuitatē hanc pertinent, explicemus. *Poſtquam*, inquit Lucas, *impleti ſunt dies purgationis*. Ecce textum obſerua, & videbis Mariam hodie tria legis præcepta impleuiſſe, primū purgationis, quod ad ſeipſam: ſecundum oblationis, quo ad filium. tertium redemptionis illius, puta primogeniti. De primo ait Lucas, *Poſtquā impleti ſunt*
Leuit. 12. *dies purgationis eius ſecundū legem Moyſi*. ita enim habet lex, Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus iuxta dies ſeparationis menſtruæ, & die octaua circuncidetur infantulus, ipſa vero trigintatribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, & ſexagintaſex diebus manebis in ſanguine purificationis ſuæ. Hoc illud remanſerat in reliquis Euæ, quoniam ſicut
Eccle. 25. ait Sapiens, A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur. eáque cauſa eſt, quur maiorem ei inflixerit dominus pœnam quam viro, quum dixit, Multi-
Geneſ. 3. plicabo ærumnas tuas & conceptus tuos. In dolore paries
Leuit. 12. filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.

¶ Quæres, qualis fuerit immunditia & velut excōmunicatio mulieris per dies ſeptem. hoc nimirum voluit, ne quis cum ea rem vllam haberet, ne māducaret, néve biberet. Ipſa quoque quicquid tunc cōtigiſſet, pro immundo haberetur, & eam veſtemque eius ſi quis tetigiſſet, itidem erat im-
Leuit. 12. mundus, & lauacro indigebat. Impletis ſeptem illis diebus, adhuc libera nō erat, nec quicquam ſanctum tangere audebat, nec conſecratum manducare neque exire, donec die quadrageſimo veniret in templum, allatura ſacerdoti ſacrificium ad atrium tabernaculi. is deinde pro ea offerebat, deúmque deprecabatur pro purgatione illius. Ex illa itaque præcepti formula conſtat Mariam nulla purificatione indi-
Beda. giſſe, nec eouſque in excōmunicatione fuiſſe, quoniā ſic habet textus, Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit. quod Ma-

ria

ria non fecit, quæ Christum sine virili semine sola spiritus sancti obumbratione cõcepit. Et tamen ex humilitate iuxta cõsuetudinem legis ob maiorem obedientiã ostendendam, & ne scandalũ faceret, aliis se mulieribus assimilauit. Ideóque & Bernardus ait, Vere ô beata virgo nõ habes causam, nec tibi opus est purificatione, sed nunquid filio tuo opus erat circunciſione? Esto inter mulieres tanquã vna illarum: nam & filius tuus sic est in medio puerorũ. Vbi igitur iam sunt neochristiani, qui laudabilem ecclesiæ consuetudinem in benedicendis puerperis cõtemnunt, neque obseruare voluntarium & morem aliarum mulierum? Vah malitiam hominum & insolentiã: an superiores se iudicant virgine Maria, quæ porta illa fuit in domo domini clausa, ne aperietur, neq; vir trãsibit per eam, quia dominus deus Israël ingressus est per eam? Quãuis immũditia iam isthæc in honorem virginis Mariæ rursus est sublata. nunc enim si supperetent vires, posset aliqua primo statim die templũ intrare, deoque gratias agere, vt ait Gregor. ad Auguſt. epiſcopum Angliæ. verũ non admittit hoc imbecillitas muliebris quãobrem mariti eo tempore mulieribus parcere deberent vsque dum virtutibus confirmarentur. 2 *Postquam impleti sunt dies purgationis eius secundũ legem Moysi*, bene dixit, inquit Theoph. secundũ legem Moysi: nam secundũ veritatẽ nulla necessitate astringebatur expectare dies purificationis, *tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum domino*. Duo hic designãtur pro Christo domino facta: alterũ, quod cum paruulis omnibus habuit cõmune, vt pro eo offerret mater puerperium egressa: alterũ, pro primogenitis peculiare, de quo dicemus vbi primũ hæc absoluerimus. Lucas enim testimonium adducit scripturæ, *Quia omne masculinũ adaperiens vuluam, sanctũ domino vocabitur*. vbi primogeniti intelliguntur, qui primi materna clauſtra violarent. (vide hic Theophylactum, quem cautè legas, & cautius prædices vel potius fileas.) In ea re quia nõ parum situm est, immorandum nobis erit nõnihil, vt fundamentũ rei attingamus. Ab origine igitur mundi in ipsa adhuc lege naturæ magnũ fuit priuilegiũ primogenituræ, quod inde colligas licebit, quoniam Iacob à fratre suo Esau primogenita coëmit. quúmq; deinceps benedictionem ei à patre anteuertisset, iratus dixit, Primogenita mea ante tulit, & nunc secundo surripuit

Bernard.

Ezec. 4.

Distin. 5. c. 2. 3. 4.

Theophy.

Theophy.

Genes 25. & 27.

benedictionem meam. ¶ Multa nãque reuera priuilegia habuit primogenitura. principio enim hoc habebat, quod primogenitus honestiꝰ aliis fratribꝰ vestiebatur, vnde & agnoscebatur in eo, quod cum benedictione offerebat victimas.

Cloſſa. Id ex sequentibus magis patet, quando Rebecca filiũ suum
Hieron. Iacob optimis vestibus induit Esau. Hieronymus addit Iudæos referre, penes primogenitos sacerdotale fuisse officiũ simul & vestimentum, in quo offerebant splendide vestiti in solennitate festiuitatum. Secundo loco benedictioné paternam peculiariter habuit primogenitus, quod exemplo Isaac patet, qui benedictioné volebat seniori filio Esau dare, sed consilio Rebeccæ intercepta ea est à Iacob iuniore.

3 Ad hæc duplicem primogenitus habebat hæreditatem & cibum, tantúmq; hereditauit quantũ alij duo. Quoad cibum, testimoniũ habemus in Ioseph, qui quum venissent ad
Gene. 43. se fratres sui in AEgyptũ, maiorem partem detulit germano suo fratri Beniamin loco suo, quoniam vt referunt Iudæi, si quando singulis fratribus quinque missus seu fercula
Deut. 26. dabantur, Beniamin offerebant decem. Quod ad hæreditatém pertinet, suffragatur ipsa nobis scriptura. si enim quis liberos ex duabus habebat vxoribus, vt posteriorem habuisset chariorem, nõ poterat tamen priuilegiũ primogenito prioris vxoris auferre, & alteri posterioris vxoris etiam primogenito cõferre, quod nũc plerũque accidit, sed prioris vxoris primogenito cogebatur duplicem dare hæreditaté, eo ꝙ penes ipsum principiũ erat liberorum, & ad eum spectabãt iura primogenituræ. ¶ Eáque insuper ratio est, cur duodecim tribus Israël numerentur, ipsáque terra promissionis in
Gene. 37. duodecim partes diuisa fuerit, quum tamen ex duodecim
& 49. filiis Iacob, Leui pars nulla obtigerit. Iacob enim voluntate diuina ius primogenituræ à Ruben transtulit, propter peccata sua de quibus enim incusabat Ioseph, & tradidit illud Ioseph, qui sic duas partes & tribus obtinuit in Israël secundum duos filios Ephraim & Manassen. Quãuis etiam
Gene. 42. Manasses primogenitus fuerit Ioseph, Iacob autẽ auus eius priuilegium primogenituræ transtuli in iuniorem fratrem suum Ephraim, quamobré per modũ crucis dexterã super Ephraim, sinistram autẽ manũ super Manassen collocauit.

4 Præterea primogenitꝰ semper sacerdos erat, reliquósque benedicebat. sic Abraham benedixit filiũ suum Isaac,

Isaac

Isaac Iacob & Esau, Iacob filios suos duodecim & duos nepotes. idem faciebat primogenitus in magnis festiuitatibus & quando offerebat, quoniam per omne tempus legis natu re, sacerdotium affixum fuit primogenitis, semperque natu grandior iunioribus habebatur honestior, iunior quoq; benedictionem accipiebat à seniore, sicut Abraham à Melchisedech, qui ex sententia multorum fuit Sem filius Noe, eratque senior, & ideo appellatus sacerdos altissimi. Et hęc iura primogenitorum perdurarunt vsque ad Aaronem. *Gen.14.*

3 Præmissis itaque illis de primogenitis, quomodo sacerdotes fuerint & ministri dei, quibusque gauisi sint priuilegiis, reliquum est dicere auxiliante dei gratia, quomodo permutatio facta sit & sacrificium pro eis oblatū, iuxta id quod in hoc euāgelio commemoratur. Et primum quidem se mihi offert quod dixit dominus ad Moysen, Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam in filiis Israël, tā de hominibus quàm de iumentis. Mea sunt enim omnia, Et in mōte Sinai sic ait, Mea sunt omnia primogenita filiorum Israël tam ex hominibus quam ex iumentis. Quando igitur omnia primogenita domini erant, nec tamen in eius seruitute cuncta manebant, sed partim inepta ad eam erant, præcepit ea redimi. ¶ Atque ne nimium immoremur, quadruplices inuenimus primogenitos. Erant enim qui offerebantur domino & permanebant, cuiusmodi erant animalia mūda, oues, vituli, &c. Erant primogeniti qui oblati redimebantur, vt infantuli hominum. Et adhuc redimebātur quidam non oblati, vt primogenitus asini. Alij nec offerebantur nec redimebantur, vt primogenitus canis. Missis itaque aliis, tantum dicemus de primogenitis hominum. vbi nihil etiam dicemus de fœmellis, quoniam hæ solo sacrificio facto redimebantur. De primogenitis autem masculis dixi dominus ad Moysen, Primogenitum filiorum tuorum redimes, nec apparebis in conspectu meo vacuus. Redemptio hæc alibi expressa est, quando dominus sacerdotium trāstulit ad tribum Leui. Ego, inquit dominus, accepi Leuitas, pro primogenitis quæ aperiunt omnem vuluam in Israël. Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israël. Ex die quo percussi omne primogenitum in terra Aegypti, sanctificaui eos mihi, & tuli Leuitas pro cunctis primogenitis filiorum Israël. Iussit tunc numerari dominus primogeni- *Exo.13. Nume.8. Exo.34. Nume.18. Exo.14. Num.8. Exod.13.*

ta filiorum Israël, deinde quoque Leuitas omnes, inuentiq; sunt primogenitorum 273. plures Leuitis. Tũc præcepit dominus eos redimi, singulos siclis quinque, & eam pecuniam iussit numerari Aaron. ¶ Videant hic neochristiani quam vere obganniant, Omne quod pro pecunia equũ sit, sine pecunia quoque iniquum non esse. Si forte ad ædificationem aut restaurationem templi dandum sit aliquid pro redimendo esu butyri in quadragesima, statim sine pecunia volunt idem audere, & tamen hic luce clarius cernunt præcepisse dominum primogenitos pecunia redimi. Quod si ea permutatio iusta fuit, quur nõ hic etiam in altero opus bonum commutari queat & debeat? Abstinere à butyro in quadragesima opus est deo bene placens. sumptibus suis iuuare & promouere sacrarum ædium structuram, itidẽ placet deo. Ex rationabili ergo causa alterum altero cõmutare, iniquũ nõ est. Ita nimirum opus aliquod bonum, vel etiam votum vnum in aliud permutatur, arbitrio superiorum accedente & iudicio. Possent hinc non inualidæ probationes indulgẽtiarum peti, & inuenio quidem in antiquis pœnitẽtionariis tempore quo piscorum patrum rigida obseruabatur seueritas, iniunxisse confessoré pro delicti exigẽtia aliquot dierum ieiunium: deficiente autem paulatim charitate, impositum est, quantula pecunia dies ieiunio tranfigendus redimi posset, discretũq; tunc est inter diuitẽ & pauperẽ. Id quoq; tempore desiit esse in vsu vt iam neq; ieiunia neq; pecuniarum largitiones in pœnitentia demandentur, eousq; etiam inualuit illud, vt nunc inter neochristianos neq; cõfessioni locus vllꝰ sit reliquus, quod heusine graui dolore dicere nõ possumus. Ad extremũ, vt aliquãdo textum hunc finiamus, rursus eo vnde digressi sumus redeuntes, principiũ eius re-
Exod. 13. & 14. sumimus in manus. Duarũ hic legũ meminit Lucas, alterius
Num. 18. de primogenitis quos sæpius præcepit dominus redimi. Omne primogenitũ hominis pecunia redimes. Id renouauit in monte Sinai, quando dixit ad Aaroné, Omne primogenitum tuum erit tantum. pecuniam accipe pro primogenito hominis. Hocq; alterum est de redemptione primogeniti. Lex altera cuius hic fit mentio, est de sacrificio purgationis. eaq; communis erat puerperis omnibus, vt agnum anniculum offerrent in holocaustum, & pullum columbæ vel turturis in oblationem pro peccatis. Sin autẽ eius egestatis esset

mulier

mulier, vt nihil inueniret manus eius, offerebat par turturū aut aliarum columbarum, quando agnum offerre non poterat. Hinc sequitur pauperculam fuisse Mariam, quæ pauperum hostiam pro filio obtulit, par turturum, non agnum, quanuis proprie loquendo vere verum agnum obtulit Marię, qui tollit peccata mūdi. itaq; hic paupertas Christi & Maria innotescit. An autem par turturum vel aliarū columbarum obtulerit Maria, in scripturis expressum non est, neque admodum nobis scire profecerit, licet vtrunque suo non careat mysterio. Columba enim bonitatem & simplicitatem, turtur autem castitatem designat. & quia castus, vt ille ait, turtur gemit, gemitum hunc mystice etiam exponunt doctores, maxime Bernardus, qui & rationem reddit, quur dixerit Moyses duos pullos columbarum & non par columbarum, sicuti par turturum, quibus nos hic breuitatis studio supersedemus. Atque hæc non sufficiant. *Beda.* *Ioan.1.* *Beda.* *Bernard.*

HOMILIA II.

QVADRAGINTA à Christi natiuitate diebꝰ, Maria puerum Iesum à Bethlehem detulit in Ierusalem oblatura eundem in templum secundum legem Moysi, quanuis ea legis prœcepta Mariam nihil ligabāt, neq; Christū qui ex virili semine conceptus nō erat. Pulchrè hic Bernardus ait, Putas quod dicturus Moyses, mulierem quæ peperisset filium immundā esse, non timuerit super matre domini blasphemiam irrogare? & idcirco præmisit, Si susceperit semine. Alioqui si non præuidisset parituram sine semine virginē, quæ necessitas erat de susceptu semine facere mentionem? Et quia legimus ita loquutum esse eum domino Moysen, nemo Christianus credere debet hosti virginis matris Luthero, qui Mariam quoque sub has leges coërcere conatur. fuit autem comitatus ille longe honestissimus, quem secum Maria & Ioseph cum puero Iesu & vicinis habebant. neq; tamen in eo satis erat, quoniā adhuc Hierosolymis Simeon ille iustus expectabat redemptionem Israël. Quanuis enim pleraque male habebāt in Ierusalem vrbe omni malitia referta, tamen nōnullos sibi reseruauit dominus, quoniam semen piorum & iustorum nunquam totum perit, sicut dixit dominus ad Eliam conquerentem filios Israel fœdus domini esse transgressos, seque solùm remā fisse, cuius iam animā *Bernard.* *Exod.13.* *& 34.*

etiam illi quærerent occidere. tunc enim respondit dominus reliquisse se septem milia virorum in Israël, qui nō incuruarint genua ad idolum Baal. Iustum autem fuisse hunc Simeonem euangelista testatur, dicens, Homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israël, & spiritus sanctus erat in eo. Theophylactus dicit eum non fuisse sacerdotem, sed tamen communiter doctores dicunt eum fuisse sacerdotem & in officio sacerdotali, quod credo verius, quia inducendo puerum in templum, ipse accepit eum in vlnas, & benedixit Mariæ & Ioseph, quod non feciſſet, nisi fuisset sacerdos, vt ex numeris liquet, quod Aaron & filiis suis benedicebant filios Israël. Vide partem primam. Primū quoq; laudis suæ locum obtinet iustitia, quod de vniuersali iustitia dictum est, quæ alias in se virtutes complectitur, quomodo dicere solemus virum aliquem iustum & probum esse, quam laudem non ad vnum tātum virtutem. sed multarum congregationem referimus, quāuis etiam hic iustitia illa intelligi potest de seruatis mandatis dei. Verùm quando probitas sola non raro hominem in superbiam adducit & contemptum reliquorum, ideo merito accedit timor in quo iustus consistat: quoniam iuxta Sapientis dictum est, qui sine timore est, iustificari non potest. Ad hæc bonus ille Simeon forti suffultus erat spe ergà deū, expectans consolationē Israël. Tunc enim vltra modum premebantur Iudæi in spiritualibus & ciuilibus rebus. siquidē vniuersum seculare imperium penes Romanos erat, & eum quem illi Iudæis præficiebant, qualis tunc Herodes erat Idumæus. Omne igitur, & summum Iudæorum desiderium hoc fuit, vt sub aduentum Messiæ ab huius seruitutis iugo liberarentur, sicut eis prædixerat Aggeus propheta, Veniet desideratus cunctis gentibus, & domus domini implebitur gloria. Atque illa omnia confirmat Lucas, quum ait spiritum sanctum fuisse in eo, qui si malignus extitisset, spiritum sanctum inhabitatorem non habuisset: iuxta illud, In maleuolam animam nō intrabit spiritus Sapientiæ, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus disciplinæ effugiet factum, &c.

Theoph.

Num. 6.

Tomo 1.

Eccle. 1.

Agg. 2.

Sapi.

2 Ad hæc, diuinas quoq; reuelationes habuisse Simeonē Lucas innuit, quando ait *eū accepisse responsum à spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christū domini.* Quæ reuelatio sine dubio data est ei super tam perseuerāti

oratione

oratione ſua, & ardẽti deſiderio cũ gemitibus, quando tandem aduenirẽt ille Meſsias: ſicut & omnes illi antiqui & pij patres ingemuerunt ſuper eius aduentu. vnde Eſaias dixit. Vbi eſt zelus tuus & fortitudo tua, multitudo viſcerum tuorum & miſerationum tuarum? Tu domine pater noſter & redemptor noſter, à ſeculo nomen tuũ. Vtinam dirumperes cœlos & deſcenderes. Quid igitur mirũ, ſi ſuper huiuſmodi ardẽtiſsimo deſiderio reſpõſum accepit Simeõ, ſe, niſi viſo antea Meſsia, nõ moriturũ? fuerũt ſane iſtiuſmodi hominũ nõ pauci in Iſraël, qui cognorint prophetias Iacob & Danielis iam tũ eſſe impletas, aduentũq; tũc appropinquare Meſsiæ, qui cogitarint illud quod hic Simeõ. Putaſne videbo: Putaſne me eouſque victurum? putaſne quod Meſsiæ natiuitas viuũ me inueniet? putaſne illis me oculis viſurum quod firmiter credo? & huiuſmodi quędam alia. ¶ Hæc omnia tãta diligentia enarrauit Lucas, vt ex multitudine teſtiũ efficacior conuinceretur certitudo veritatis. nanq; in honorẽ & gloriã Chriſti, teſtes propoſuit Mariam & Ioſeph, angelos qui in eius natiuitate apparuerũt, paſtores, tres magos, iis nũc Simeonẽ addit & Annã. Vt aũt perfecta eis fides haberetur, virtutes principio & laudes explicuit Simeonis, ſicut & poſtea Annæ, verũ non abſurdũ hoc fuit, quando certiſsimos teſtes etiã ante natiuitatẽ ſuam habuit dominꝰ, Gabrielẽ archangelũ, Elizabethã, Ioannẽ Baptiſtam, & ante eos prophetas & patriarchas omnes. Sed quod ſpiritũ ſanctũ habuerit Simeon, hinc etiã probat euãgeliſta, quod nũc quoq; in ſpiritu venit in tẽplũ, ita vt ſpiritus ſanctus in eo habitarit, ipſum docuerit & duxerit, hoc eſt, hoſpes, doctor & ductor illius fuerit iuxta illud Eſaiæ, Spiritus domini ductor eiꝰ fuit. Nec quis ibi miretur, quoniam ſi hoſtis malignus ſuos huc illuc ducit & agit, quomodo nõ ſpiritus ſanctus bonos ducere & mouere queat quo volet? ¶ Atq; hinc colligunt doctores, Simeonem conuenientem fuiſſe teſtem veritatis, eo quod habitatio eius fuerit in præclara & illuſtri ciuitate. Nomen quoque ſuum felix erat, tantum enim ſonat, ac ſi obedientem vel auditorem dicas. Virtutibus inſuper & moribus inſignis fuit, ſi quidem iuſtus extitit & timẽs deum, expectans redemptionem Iſraël. Magiſtro etiã vtebatur optimo ſpiritu ſancto.

Eſa. 63. & 64.

3 Porrò ab operibus bonis & verbis Simeonem cõmen- *Mat. 7.*

dat euangeliſta, vt videas quomodo arbor bona fructus bonos proferat Quum iam parentes induxiſſent puerum Ieſum in templum, vt ſecundum conſuetudinem legis pro eo ſatisfacerent, ibi parentes Chriſti commemorantur Maria & Ioſeph. vere enim Maria mater eius fuit, Ioſeph autem pater tantum nuncupatiuus ſiue putatiuus, ſicuti deinceps Lucas inſinuat Ieſum filium Ioſeph habitum eſſe. Eadē hora venit & in templum ſpiritu ſancto ducente Simeon, ipſe quoque agnouit puerum & accepit in vlnas ſuas. Quam diligenter putas obſeruaſſe Simeonē, quinam in templum venirent, priuſquam Maria cum puero Ieſu aduentabat? Hic non ſufficit vel eloqui vel cogitare aliquis homo, quantum admiratus ſit ille ſuper hoc puero, quum etiam nondū ſatis aſpexit, quātis gaudiis perfuſum fuerit pectus & cor eius, ō amicè Mariā & Ioſeph compellarit, quanta reuerētia ſuſceperit paruulū in vlnas ſuas, quando iam tāgebat, quem iam diu videre tantū deſiderarat. Ecce quam abundanter & affatim remunerat dominus, vberius præſtat quàm promiſerat. ſiquidem pollicitus erat Simeoni viſurum eum Chriſtū domini, quē ille iam tangit & propriis geſtat manibus. Quibꝰ quātisque putas gratiarum actionibus exercuerit ſe lingua eius, quando redemptorem mundi manibus ſuis geſtare cōtigerat ei, & videre ſalutare ſuum? Statimq́, ibi in vlnas ſuas recepit puerum, teſtimonium dedit ei, in hæc verba prorūpens, *Nunc dimittis ſeruum tuum domine ſecūdum verbū tuum in pace.* En Simeonem vobis de repente nuntium euangelicum, tantum iam ſalutaria proteſtantem de puero Ieſu, dicentemq́ue, *Nunc dimittis domine.* Quid hoc dimittere niſi mori eſt? quaſi diceret: Age nunc ô domine mori paratus ſum, quum viderim Chriſtum domini, quem me ante mortem viſurum eſſe, promiſiſti. quo verbo ſimul ille diuini verbi veritatem certò profitetur. Sed quid eſt in pace dimittere? nimirum in morte, poſtquam ille pacem patribus annuntiaturus eſſet in limbo, modo illa ſibi mors contingeret in pace. Hoc etiam orare & petere debent Chriſtiani omnes, vt eos ſinat dominꝰ in pace mori, in pace quod ad proximos ſuos, vt ſine inuidia & odio decedāt: in pace proprię conſcientiæ, ne vermem acquirant remordentem, qui eos ad deſperationem deducat miſericordiæ diuinæ, vel in defectionē fidei, ſed vt liceat quiete & in bona cōſciētia mori.

Luc. 3.

In

In pace insuper, quo ad malignos spiritꝰ, qui capitale odiū, simul & bellū incipiunt sub morte hominis, omnē mouentes lapidē, vt eum decipiāt & fallant, secundum quod dominus prædixit serpentem insidiaturum calcaneis hominis. Quicquid enī diabolus antea leue alicui proposuit, vt persuaderet peccatū, id graue facit tempore mortis. réſq; hic habet non secus atque cum trunco ligneo, qui quū adhuc in flumine natat, facilè ab vnico pertrahitur: ad littus autē vbi fuerit ventum, ibi decem oportet manus virēſq; adhibeant vt extrahant. ita planè peccatum leue est, vsq; dum peruenīat ad littus mortis, vbi tādē aggrauatur & graue putatur. Ad quemcunq; sensum ex superioribus intelligi potest, Simeonem petiisse vt dimittatur in pace, in qua corpora sanctorum, Sapiēte teste, sunt sepulta. Qui exactius pio affectu vellet emeditari omnia, is cogitādi haberet occasionē, quidnam Simeon obtulerit paruulo Christo, quē pacis datorē cōfessus est. 4 His accedit ratio rationis huius. Quia, inquit Simeon, *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omniū populorū.* quasi diceret Ecce cū gaudio moriar descensurus ad patres in limbū, simul atq; iam vidi oculis corporeis & spiritualibus filiū tuum salutare mūdi. (salutare enim quū ait tuum, alloquitur patrem, & Christum confitetur filium suum, qui sit salutare actiuum, non saluificet patrē, sed quod pater nos saluificet per filium) alteraq; hęc laus est quā Simeon Christo tribuit, qđ salutare eū vocauit. Neque hic eius laudis finis est, insuper non Iudæorū tantum, sed omnium gentium salutare fatetur, quum ait, *Quod parasti ante faciē omnium populorum,* sicut Christus ipse ait multos venturos ab ortu & occasu solis, qui requiescant cum Abraham, Isaac & Iacob. Cōmunis nāq; omniū saluator est Christus: iuxta illud Pauli, Virtus dei est in salutem omni credēti, Iudæo primum & Græco. Ac deinde, An Iudęorum deus est tantum? nónne & gentium? imo & gentium. Atq; hoc tertiū est encomium Christi, quē totius mundi prędicat esse salutare, nō Iudæorū tantum, vt Iosue & alij fuerunt. Quāobrem & ipse commissionem hanc dedit apostolis, Ite in orbem vniuersum, prędicate euangeliū omni creaturæ. Et hæc tamen pulchrè discernit Simeon, vt sit quidem lumē ad reuelationem gentiū, gloria autem plebis Israël. Intelligi id posset quasi pro interpretatione su-

C. ne. 3.

Similitudo non ab surda.

Mat. 8.

Ro. 1. 3.

Mar. 16.

periorũ, vbi dictũ est, esse Christũ salutare populorũ. quorum aũt? quæsierit aliquis. Ecce respondetur, Iudæorum & gentium. Estq́ue hæc multiplicatio & magnificatio gloriæ Christi, qui non tantũ sit salutare, sed & lumen gentiũ, de
Esaiæ. 9. quibus propheta dicit, Populus gentiũ qui habitabat in tenebris, vidit luc̃e magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est iis. quænam lux illa? hæc nimirũ, de qua
Ioan. 1. hîc Simeon loquutus est, & alibi Ioannes, Erat, inquit, lux vera, quæ illuminat omnẽ hominẽ venientẽ in hũc mundũ. Concludit ergo hymnum suum, *Et gloriã plebis tuæ Israel.* Quo ad literam, nõ exigua sane est Iudæis gloria, Christum secundum carnem ex Iudæis natum, & Iudæum fuisse, & tamen Simeon antea gentes quã Iudæos cõmemorauit. cognouit enim in spiritu, prius creditura esse multitudinem gentium, quã Iudæos, aliquãdiu in sua cæcitate futuros induratos, dicente etiam Paulo, quia cæcitas ex parte contigit
Rom. 11. in Israël, donec plenitudo gẽtiũ intraret, & sic omnis Israël saluus fieret. Sunt qui per Israëlem iustos intelligãt & beatos, quoniã Israël videntem deum sonat. sicq́; cotemplatur pulchro ordine Simeonem Christũ prædicare salutare, lumen & gloriam: salutare quidem peccatorũ, lumen autẽ iustorum, & gloriam beatorum. Salutare enim est cõtra peccata nostra, lumen aduersus insciti am, & gloria cõtra miseriam exilij nostri. Hinc iam votum illud Simeonis quotidie vsurpat ecclesia in completorio, quod vltimum habet locum in horis canonicis, sicut & septima ætas quiescentium est. Inuocemus ergo puerum Iesum, vt quia ipse est salutare mundi, malignitatem peccati in nobis sanet: quia lumen est, insciti am nostrã sua diuina luce illuminet, & quia gloria plebis suæ est, nosq́ue hic exules misere affligimur, inde non liberet, & gloriã nobis conferat salutis æternæ, Amen.

HOMILIA III.

SOLENNIS hæc dies, qua virgo mater puerum Iesum Hierosolymas duxit præsentãdũ in templum, à prisci is iam inde Germanis à luminaribus appellationẽ habet, quæ & hodie consecrari solent ex cõmuni Ecclesiæ cõsuetudine. Quam ne contemnatis, sed potius, vt ibi quoque decenter vos gerere posiitis in omni pietate, principio iam dicemus, quomodo festum hoc luminarium cœperit primũ, deinde vsum hũc vtriusq; testamen

teſtamenti ſcriptis eſſe conformem, poſtremò oſtendemus eius rei (modo tẽpus tulerit) myſticã expoſitionẽ. Et primum omniũ conſtat, huic feſto occaſionem dediſſe abuſum quendam Romanorũ, qui ſingulis annis quinq;, primo die Februarii, vniuerſam ciuitatẽ facibus circunlatis luſtrabant in honorem Februæ matris, & ea cõſuetudo quũ iis qui ex gẽtibus ad Chriſtum cõuerſi erãt, facilẽ extorqueri nõ poterat, inſtitutũ eſt hoc feſtum luminariũ in honorem virginis matris, vt ſic abuſus facularum in laudem & cultũ verteretur diuinum. Neq; malẽ illud in hunc diẽ relatum eſt, Luce 2. vt quocunq; modo nos etiam ſpiritualib⁹ Simeonis gaudiis participaremus. ſicut enim ipſe verũ lumen Chriſtum ſuis vlnis geſtauit, ita nos lumen materiale manibus noſtris portamus, quo deſignatur illud, quod Simeon confeſſus eſt datum ad reuelationẽ gẽtium. nam & nos per lumẽ hoc externum admonemur, lumen illud patris æterni vlnis mentium & fidei firmiter retinere. Sed & quo ad virginẽ Mariã, nõ fuit hoc inconueniens. ſiquidẽ quum alias dies hic purificationis dicatur, ne quis offendatur, ratus immũdã antea fuiſſe eam, ſicq; purgatione indiguiſſe, inſtitutum eſt eodẽ die feſtũ celebrari debere luminariũ, eo quod Maria à ſole iuſtitiæ Chriſto domino quem peperit, gratia & virtutibus nimis quam exornata refulſit. ita enim reſplenduit interius per puritatem conſcientiæ, vt foris etiam clareſceret totius integritate vitæ. ¶ Quarto loco ratio etiam illa aſsignari poteſt, propter vſum luminarium illorum, quæ ſic ſacrantur, de quo ad finem huius homiliæ. Nicolaus de Lyra, ait feſtum hoc inſtitutum temporibus imperatoris Iuſtini, idque Conſtantinopoli, quum ibi maxima peſtis graſſaretur. 2 Quum autem vſum hunc luminarium in templis tenere adeo reiiciant Lutherani, vt alias cæremonias omnes, nimiumq; de iis ridicule loquantur, quaſi ſine iis non viſurus ſit deus, quæ ſane non exiguæ ſunt blaſphemiæ, nos itaque vſum luminarium teſtimonio ſcripturarum confirmabimus. Quoniam luminaribus vti in templis in cultum diuinum, ab ipſo deo edocti ſumus, qui parari ſibi candelabrum præceperit ex auro puriſimo cum ſex calamis, tribus vtrinque cũ ſuis ſcyphis, ſpherulis & liliis. Ibidem præceptum eſt Moyſi à domino, Facies & lucernas ſeptẽ, & pones eas ſuper candelabrum, vt luceant ex Exo. 25.

a duerſo. Emũctoria quoq;, &c. Ecce quã diligẽter demandauit dominus deus cãdelabrũ hoc ex auro puro parari de-
Exod.27 bere, & de lampadibus aliquanto poſt clarius, Præcipe, inquit, filiis Iſraël, vt afferant tibi oleũ de arboribus oliuarum puriſsimum, piloq; contuſum, vt ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonij extra velum, quod oppanſum eſt teſtimonio. & collocabũt eã Aaron & filij eius, vt vſq; mane luceat corã domino. Perpetuus erit cultus per ſucceſsiones eorũ coram filijs Iſraël. Ioſephus quoq; refert tres ſemper arſiſſe per diẽ, ad noctẽ autem incenſas omnes fuiſſe, vt per eam totam arderent. Ad hæc præcepit dominus ſacer-
Lib.3. ca.7. dotibus, Ignis in altari ſemper ardebit, quẽ nutriet ſacerdos, ſubiiciens ligna mane per ſingulos dies. Ignis iſte per-
Leui.6. petuus eſt, qui nũquã deficiet in altari. ſemper enim ardebat in vſum holocauſtorũ. Neque in alium finem Salomon etiam cãdelabra aurea quinq; parari iuſsit ad dextram, à ſi-
3.Reg.7. niſtra totidem, & in iis flores ſicut lilia, & lampades aureas de ſuper, & forcipes aureos, & hydrias, & fuſcinulas & phialas, & mortariola & thuribula de auro puriſsimo. Quã do igitur hæc de luminaribus tam ſedulo præcepit dominus, quis hominum ea erit temeritate, vt conditorem ſuum æternum, & indeficientẽ ſapientiæ fontẽ, audeat ſine blaſphemia reprehendere? Quod ſi obiecerit ex neochriſtianis quiſpiam, in veteri hæc præcepta eſſe teſtamento, nihil igitur ad nos Chriſti euangelio ſubiectos pertinere: ei quoque reſponſum volumus, verũ id quidem eſſe. nam alias nos quoq; habere cogeremur candelabra, quorum vnũ centum haberet talenta cum lampadibus ſeptem, ſed vnũ hoc ex eo viciſim quæro: An deus ille in veteri teſtamento cæcus fuerit, eo quod iuſſerit tot ſibi lucernas accendi, quod is iam impudenter cauillatur. An nõ idem vtrinq; deus, qui omnia bene vidit, luminis nullius indigus, & tamen voluit tot in templo luminaria ardere? Aut vnde probabis deum quod olim voluit & præcepit, nunc prohibuiſſe? Aut cum ſæculo bulla è cœlo tibi deſcendit? Quur igitur ſanctas eccleſiæ cęremonias miſſas facilis? 3 Quid, quod & in veteri teſtamento feſtum celebre fuit luminarium, in alium tamen finem inſtitutum quã hoc noſtrum? Quum enim Antiochus idolis ſuis templũ contaminaſſet, omniaq; eius vaſa dehoneſtaſſet, illud cum gaudio rurſus conſecrauit Iudas

Macha

Machabæus, & cõmuni omnium cõsensu vniuersõ populo instituit dedicationis huius festum celebrari debere, quod & festum luminũ appellarunt, sicut & Iosephus testatur: id ea de causa, quod vbique in parietibus templi luminaria affigebant: quod etiam nunc fit, vt vbicũque crucem fecit (vt solent duodecim fieri) in dedicãdo templo suffraganeus, ibi cereus suffigatur. quanuis aliam adhuc causam reddit Iosephus, quur illi festum hoc luminũ dixerint, sempérque obseruarint, eo quod eis splendidum lumen reuerendi cultus diuini & fidei insperatò apparuerit. Quanto autem rectior nobis Christianis sententia est, quod diem hũc à luminaribus appellemus, quoniã in eo nobis saluator noster Christus dominus apparuit, oblatus in templum, qui nobis datus est in lumen ad reuelationem gentiũ, & gloriam plebis tuæ Israël? Hic itaque nõ illaudatus luminarium vsus in cultu diuino iam olim à piis Iudæis obseruatus, nunc etiã ab ecclesia catholica receptus est, quãdo & Christus datus nobis est in lumen ad reuelationem gentiũ: lumen illud verum, quod venit in mundũ, & illuminat omnem hominem: lumen inquam mundi, in cuius lumine insuper videbimus lumen felicitatis æternæ. In eius luminis ortus reges gentium ambulauerunt. Christus quoque ipse de tenebris vocauit nos in lumen suum admirabile: quisquis enim sequitur dominum, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ quando deus ipse à Iacobo rectè pater luminũ dicitur. Quũ igitur inuisibilia dei, & æterna eius virtus atque sapientia per ea quæ ab eo sunt facta, cognoscũtur & vidétur, quomodo nõ ab externo illo visibili lumine accenderemur ad cõtemplandam excellentiã luminis diuini? Aut quid vetat quo minus cereũ succédentes, pro piis animabus oremus, Requiẽ æternã dona eis domine, & lux perpetua luceat eis? Au quid tandem in hoc vniuersõ mũdo, qui ab ornatu appellationẽ traxit, vel pulchri?, vel humanæ naturæ cõformius, vel deniq; necessariũ magis lumine? Ecquid tandẽ futurus sit ipse mundus lumine destitutus, nisi horribilis abhominatio omnis calamitatis & miseriæ? Quur itaq; Christianũ hominẽ nõ incitaret aspectus luminis ad omne bonũ? aut quur quóve modo displiceat deo, si sibi per hanc creaturam piè seruiatur.

1. Mac. 4.

Ioan. 10.

Libro 12. cap. 14.

Lucæ 2.

Lucæ 2.

Ioan. 1.

Ioan. 8.

Psal. 35.

Ioan. 8.

Lucæ 1.

Iaco. 1.

Rom. 1.

4 Quod autem neochristiani interim erubescunt in manibus suis cereos gestare, quorũ vsum insuper imprudenter

ſuggillant, neque tamen intermittunt diabolo lucernã ſuccendere, mera fit cum ſeductione, tum ſuggeſtione diaboli, qui iam olim ante mille annos Vigilãtium ſimili errore inuoluit. is enim ad eundẽ modum ſimplicitatem Eccleſiæ irridebat, dicens, Prope ritum gentiliũ videmus ſub prætextu religionis introductam in eccleſiis, ſole adhuc fulgente, moles cereorum accendi. magnũ honorem præbent huiuſmodi homines beatiſſimis martyribus, quos putant de viliſſimis cereolis illuſtrãdos, quos agnus, qui eſt in medio throni, cũ omni fulgore maieſtatis illuſtrat. O impudentem veſaniam hominis, qui ob inſignem hanc temeritatẽ ſuam & hæreſim damnatus eſt, ſicuti ſanctus Hierony. eius errores condẽnauit, vbi cõtra ipſum inducit, in omnibus orientalibus eccleſiis luminaria ſuccendi ad lectionẽ euangelij, non vt ſic melius videatur, ſed ad declarandum eccleſiæ gaudium ex illo tam felici nuntio, quod nobis per euangeliũ innotuit. Nemo etiam catholicus auerti & deterreri ſe ſinat à laudabili hac conſuetudine per figmenta & deliberationes neochriſtianorum, clamantiũ rem hanc inutilem eſſe, neque luminibus indigere deum. Quod quidem verum eſt, quoniã eis opus non habet, ſicuti nec indiguit vnguento quo eũ Magdalena perunxit, quod tamen factum & ipſe cõprobauit, & ab exprobratione apoſtolorum defendit. At nõne in veteri quoque teſtamento deus luminibus nõ magis quam nunc indiguit, eorum tamen vſum ibi præcepit? Quando omnes etiam nos Chriſtiani profitemur deum neque luminibus, nec vllo noſtro cultus opus habere, ſed interim nos eo indigemus, & clamamus cum Dauide, Conſerua me domine, quoniam ſperaui in te. Dixi domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Conſtat ſanè eum noſtri nõ indigere, cuius eſt totus etiam orbis terrarũ, & quicquid in illo eſt. & tamen laudamus deum in donis ſuis, volentes ſic eſſe grati in eum, vt deinceps plura bona nobis largiter impendat, & dicimus cum Dauide, Tuæ diuitiæ, & tua eſt gloria, tu dominaris omnium, in manu tua virtus & potentia. Tua ſunt omnia. & quicquid de manu tua accepimus, dedimus tibi. Maius periculũ intendunt, qui hic curam prætendunt pauperũ, vanos clamitantes eſſe ſumptus luminarium, quos præſtiterat in vſum pauperũ conuertiſſe. ij non faciunt hoc eo, quod tam ſint ſolliciti de pauperibus, quos

Hierony.

Matt. 26.

Exo. 25.

Pſalm. 15. & 49.

1. Par. 29.

parum

parum aut nihil adiuuant, ſed blaſphemant dominũ, dicentes vanas eſſe luminarium impenſas, quaſi nos deus omni honore digniſſimus ſit, quem ei exhibere totus mundus præualeret & poſſet. Quid mirum autem, ſi mali corui malum ſit ouum, iſtique patrem ſuum imitentur Iudam, qui & ipſe ſuccenſebat de vnguento corpori Chriſti ſuperfuſo, ratus præſtitiſſe, ſi venũdati precium eſſet in pauperes collatum? Sed non erat hic verus animus ſuus, ſicuti neque neochriſtianorum eſt. verùm hoc ille dixit, non quod multum adeo curaret pauperes, ſed quia fur erat & loculos habens, ea quę mittebantur portabat. ¶ Quid quod & myſtica expoſitione non caret? ſicut enim hic Simeon Chriſtum confeſſus eſt eſſe lumen ſpirituale, ita hoc totum facile ad dominũ referri poteſt. Apes nãque virgineo opere ceram ex melle cõficiunt, & ſic Maria Chriſtum integritate virginitatis ſalua edidit. ſiquidem luxuria apes non aguntur, neque per commixtionem generãt, dolorem in partu non ſentiunt, & ſubito tamen magnã apum multitudinẽ producunt. Quæ omnia pulchrè Mariæ cõueniunt, quæ ſine virili commixtione citráque partus dolorem, Chriſtũ edidit ſaluatorem. & ideo proprie cera humanitatẽ Chriſti deſignat, ſicuti filum candidum ſanctam eius animã, & flamma diuinitatem, quoniã deus ſæpe in ſcripturis nomine ignis ſignificatur, deúſque ignis conſumens appellatur. An hæc ſignificantia luminum admonemur hac præcipue ſolẽnitate purificationis Mariæ, quomodo nos purgari oporteat in ſpiritu. nempe luminaria geſtantes, puri & mũdi coram deo erimus. Quid autem aliud eſt lumen accenſum & ardens, niſi fides recta bonis operibus redimita? quoniam ſic docuit dominus, Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. nam ſicut lumen ſine flãma nihil eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt. Filum porro rectam animi intentionem in opere deſignat, quoniã hoc ſine illa bonum eſſe nõ poteſt, iuxta illum, Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit. Quum ergo homo fidem rectam habens, bona inſuper opera facit affectu bono, is demum iuſtus erit coram domino, quod alia parabola docuit dominus exemplo virginum prudentũ, quæ ſumpſerũt oleum ſecũ cum lampadibus. ita enim nos quoque habere decet diuinæ charitatis oleum, & rectæ intentionis, atq; tunc lumen accenſum hic coram deo

Matt. 26.

Ioan. 12.

Heb. 12.

Luc. 12.

Iac. 2.

Matth. 6.

geſtabimus, & in futura patria illud impetrabimus æternũ. ¶ Hinc ergo eſt quod cõſecrationem luminarium inſtituit Eccleſia, vt non tantum nobis proſint ad informationem, ſed & vtilia ſiant & ſalutaria in vſu, iuxta illud quod canit Eccleſia, Vt in quibuſcunque locis illuminata fuerit, diſcedat & contremiſcat diabolus, & fugiat pauidus cum omnibus miniſtris ſuis de habitationibus illis, Domine deus, te humiliter deprecamur, vt has candelas ad vſus hominum & ſanitates corporum & animarum benedicere digneris & ſanctificare. In hoc precatur Eccleſia obnixè dominũ deum, vt mittat ille archangelum ſuum ſanctum Michaëlem, qui diabolũ à noſtris habitationibus & domiciliis omnibus expellat: ſicuti profligauit eum à Sarra & Tobia, ita nunc abigant è tẽplis, domibus & locis omnibus, vbi miniſtri ac ſerui dei inhabitans, vigilantes aut dormientes, vel quocunque modo piè conuerſantes. Omnes itaque Chriſtiani luminaribus illis pio affectu vti debent, ſpe bona firmiter cõfidentes fore, vt ſic ab omnibus inſidiis & fraudibus diabolicis virtute verbi & orationis huius liberentur, ipſique tandem ad cõſortium peruenire mereantur angelorũ & ſanctorum omnium in æterna beatitudine, ibidem perpetuam diuinæ eſſentiæ lucem contempluri. Quam rem nobis omnibus miſericors & propitius cõcedat Ieſus Chriſtus dominus noſter, lumen indeficiens, lucémque inhabitãs inacceſſibilem, cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

IN CATHEDRA S. PETRI APOSTOLI, EVANGELIVM, Matthæi 16.

Illud vide infra in die apoſtolorum Petri & Pauli.

QVOD ad hiſtoriam attinet, breuiter nos expediamus. Quoniam S. Petrus poſt illam apoſtolorum diuiſionem, annis quinque ſe cõtinuit in Ponto, Aſia, Galatia, Bythinia & Cappadocia, quam ille tanquam peculiaris apoſtolus adminiſtrauit, prædicatione ſimul & doctrina ſua inſtituit diligenter, ſicut & epiſtolas ſuas ad eos ſcripſit. Deinde Antiochiam venit, vbi etiam per ſermones Pauli, Petri & Barnabæ, aliorúmque, vſqueadeo multi crediderunt euangelio

1. *Pet.* 1.

Actu. 11.

euangelio homines, vt ibi primũ à Christo Christiani cœperint appellari. Ah miserere nostri domine Iesu, quod præclara illa ciuitas, in qua primum Christianæ plebis auditum est nomen, Mahometo nũc seruit & infidelibus. Atqui Antiochiam cum veniſſet Petrus, ibiq́ue miracula tam & pluri ma & maxima fierent, vt iam supra decem milia & hominũ baptizata essent, ipseq́ue adeo qui erat cunctis potentibus in ciuitate sublimior Theophylus, hic etiam domus suæ ingentem basilicam ecclesię nomine cõsecrauit, in qua Petro apostolo constituta est ab omni populo cathedra, vt impleretur scriptura, quæ habet, Exaltent cum in ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudẽt eũ. Ibiq́; septem annis rexit Petrus, vnde deinceps ab vniuerso Christianismo ecclesia illa Antiochena digna iudicata est, quæ honore & dignitate decoraretur Patriarchatus, sicut & Alexandria & Hierusalem, longoq́ue post tempore Constantinopolis. Quartò vero anno imperatoris Claudij, qui & vltimus suæ extitit administrationis, Petrus Romã venit, vbi quũ magna hominũ multitudo ad fidẽ iam esset conuersa, erexerunt ei hîc quoque cathedrã magnificam, & ipsum desuper imposuerunt, ibiq́ue rexit annis 25. quod & D. Hieronymus testatur, & Damasus Papa. ¶ Quur autem festũ factũ hoc sit, S. Maximus in quodam docet sermone. Nam quum apud ethnicos moris erat in Februario, festum obseruare conuiuis dicatũ, idq́; facilẽ adeo abrogari non poterat, festum hoc cathedræ Petri à sanctis patribus in hoc institutum est, quanuis ne sic quidem aliquãdiu adhuc postea ab ista sua crapulatione abduci poterant, quin hoc ipsum etiã festũ epularũ Petri dicerent, tantisper dum hîc quoq; abusus paulatim aboleretur.

Ex recognit. Clementis. lib.10.

Psal.106.

Hieron. Maxim⁹.

IN DIE CINERVM.

In domo puluueris, puluere vos conspergite. Mich.1.

NON sine euidenti grauiq́ue ratione Ecclesia Christiana instituit in hũc ipsum diem, sacros consecratosq́ue cineres capitibus suis vti susciperãt Christiani, quãuis apud multos id quoque cõtemnatur, adeo vt isti insano, impio & diabolico suo furori hodie magis vocẽt, quam toto alias anno, tantúmq; in ignominiam Christi & Ecclesiæ, suarumq́;

animarum damnationem. Vt autem pij Christiani omnes vsum illum sacrorum cinerum penitus intelligant, suáque corda & animos recte in ea re instituant, paucis tantũ quæ maxime sunt necessaria, explicabimꝰ. ¶ Principio feria hæc
Matth.4. quarta, caput dicitur ieiunij: nãque ipse etiam Christus, vt sancti patres voluere, anno iam trigesimo ætatis, cum feria tertia baptizatus, alteróque post die in desertum adductus esset, suum inchoare cœpit ieiuniũ. Et hoc quidé ipsa etiam quadragesimæ supputatio secum affert, quæ quũ quadragintas diebꝰ durare debeat, & tamé in sex septimis dies sint 42. ablatíque diebus dominicis sex, dies iam quatuor nobis deficiunt, qui quatuor ijsce huius septimanæ diebus supplentur. De illo quadraginta horum dierum sacratissimo tépore, nihil nunc dicere intendimus. Tantũ quia illud Christus ipse obseruauit, & ab ipsis iam inde apostolorũ temporibus in hæc nostra secula vsque cõtinuo vsu obseruatũ deuenit.
Hierony. sicuti nobis sanctus Hierony. Augusti. & Damascenus clarè testantur, nos quoque decet illud in omni obedientia sanctè & religiosè obseruare. Verũ nos huic interim fundamento nostrũ illum superstruamus sermonem. Quandoquidem hodie est caput ieiunij, initium temporis pœnitentiæ, decet Christianũ quéque pium, piè quoque & sanctè se illi parare. Summus autẽ pœnitentiæ gradus humilitas est, vt sic homo ipse se cognoscens, demittat & humiliet coram summo bono & omnipotentia dei: vnde tandẽ fiat, vt ille misericordiam & remissionem percipiat delictorũ. Hinc enim toties
Ecclesia. iam ecclesia iis verbis veluti soléniter vtitur, Humiliate capita vestra deo. indies etiã illud decantat, Flectamus genua. Ita te mater illa charissima subinde docet & monet, vt vniuersum tuum ieiuniũ nil nisi mera quædã sit humilitas. Aut
Eccle.4. quid aliud ipsa etiam tota cõfessio est, nisi humilitas quædã & obedientia? sicut & Sapiens dicit, Presbytero humilia animam tuã, & magnati humilia caput tuum. ¶ Deinde ex iis iam sequitur, cur tandẽ omnia cantica precésque omnes hodie in humilitatem tendant & pœnitentiã, vt sic nostri aliquando misereatur deus. Cõsecratura etiam cineres Ecclesia, incipit hoc modo, Exaudi nos domine, quoniã benigna est misericordia tua, secundũ multitudinem miserationum tuarum respice nos. Ipsúmque missæ hodiernæ officiũ hoc
Sap.11. auspicatur introitu, Misereris omnium, & nil odisti eorum

quæ

quæ feciſti, diſsimulans peccata hominum propter pœnitentiam, & parcés illis, quia tu es dominus deus noſter. Miſerere mei deus, miſerere mei, quoniam in te cõfidit anima mea. Proponit etiam prophetiam Ioëlis: Conuertimini ad dominum deũ veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. inter veſtibulũ & altare plorabunt ſacerdotes miniſtri domini & dicent, Parce domine, parce populo tuo. Tractum deinceps incipit, quem per omné quadrageſimã ſecũda, quarta & ſexta feriis conſeruat: Domine, non ſecundum peccata noſtra facias nobis, neq; ſecundũ iniquitates noſtras retribuas nobis. Domine, ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarũ, cito anticipent nos miſericordiæ tuę, quia pauperes facti ſumus nimis. Adiuua nos deus ſalutaris noſter, & propter gloriã nominis tui dñe libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuũ. Et ne ſim lõgior, duabus maxime rebus velut innixa & ſuffulta vniuerſa inſiſtit pœnitentia: miſericordiæ quidé, quo ad deũ. ſine hac enim non tantũ nemo hominũ ſaluatur, ſed & pœnitentiam ſuffi cientem agere nullus poſſet, ſicut inquit Dauid, Non enim iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Humilitati ve ro, quo ad nos: ea enim, vt antea memorauimus, vſqueadeo eſt neceſſaria, vt citra hanc nequeat venire homo ad pœnitentiam & miſericordiã dei. ille nãq; vt ſuperbis reſiſtit, ita humilibus dat gratiam. Quantum autẽ filios ſuos ad humilitatem hodie exhortetur eccleſia, vel ex ipſis cineribus & iis quæ circa illos canuntur dicunturque, colligere licet. *Ioel. 2.* *Pſal. 102.* *Pſal. 142.* *Iacob. 4.*

3 Eccleſia cineres illos ex ſacratis præteriti anni palmis vſtos cõſecrat, idq; collectis quatuor. In quarum priore orat clamatq; ad deũ, vt mittere dignetur angelũ ſuum ſanctum de cœlo qui cineres illos benedicat & ſanctificet, vt ſint remedium ſalutare omnibus nomen ſanctum dei humiliter inuocantibus, ac ſemetipſos pro cõſcientia delictorum ſuorum accuſantibus, vt ſic cineribus iſtis ſeſe aſpergant ad corporis ſanitatem & animæ tutelam. In ſecũda collecta etiam precatur deum Eccleſia, quatenus inſpiciat conditionis humanæ fragilitatem, & hos cineres pro ſua pietate benedicere dignetur, quos cauſa proferendæ humilitatis atque promerendæ veniæ capitibus noſtris imponi decreuimus, vt qui nos cinerem eſſe, & ob prauitatis noſtræ meritum

in puluerem reuerſuros cognoſcimus, peccatorum omnium veniam & præmia pœnitentibus repromiſſa miſericorditer conſequi mereamur. In tertia collecta orat Eccleſia: Deus qui humiliatione flecteris & ſatisfactione placaris, aurē tuę pietatis inclina precibus noſtris, & capitibus ſeruorū tuorū horum cinerum aſperſione attactis, effunde propitius gratiam tuę benedictionis, vt eos ſpiritu cōpunctionis repleas. In quarta quoq; collecta ſic precatur, Omnipotēs ſempiterne deus, qui Niniuitis in cinere & cilicio pœnitentibus indulgentiæ tuæ remedia præſtitiſti, concede propitius, vt ſic eos imitemur habitu, quatenus veniam conſequamur obtētu, &c. ¶ Has Eccleſiæ precationes cum ponderamus diligenter, videmus cur nam & cineres recipiamus, & in recipiendis quid recogitare debeamus. Si enim humilitas pœnitentiæ eſt fundamentum, humiliare nos quoque debemus, & cineres capitib⁹ noſtris inſperſos ſuſcipere, vt nobis elargiri dignetur deus ſpiritum compunctionis & gratiæ perfectæ pœnitentię. Quotquot ergo propoſitum habent bonū, ſe quoque ordinationibus ritè accommodare eccleſiaſticis inſtituunt, etiam hoc ſancto tempore pœnitentiam agere, confiteri, & ſacramentum ſuſcipere, ij quoque debent hodie conſecratos recipere cineres. Porrò admonetur hîc quilibet homo fragilitatis ſuæ, quoniam & ex terra & puluere compactus ſit, & in puluerem rurſus diſſoluendus. Et hæc quidem ſalutaris eſt ſanctæ humilitatis cogitatio, firmumq; & ſolidum ſalutaris pœnitentiæ fundamētum. Quî poſſet enim homo magis admoneri apud ſemetipſum peccata fugere, neque id tātum, niſi inſuper eo etiam adducatur, vt ea quoque diſpliceāt ſibi, quam dum ſuam vel tacitus ſecū reputat abiectiſsimam etiam imbecillitatem & vilitatē, dum terram ſe & nihil aliud niſi eſcam & receptaculum vermiū videt doletq;: dum cogitat enim qui magno elatus faſtu ſuperbit, En ego cinis ſum, ſua confunditur inſolēs ſuperbia. Dū auarus, luxurioſus, adulter, crapulator, inuidus & iracundus ex animo ſecum commemorant, Ecce puluis & vmbra ſumus, ſumus & ecce miſerrima tellus. Et noſtri fugiūt vt leuis aura dies: Carpimur, vt ſtipulæ rapido carpūtur ab igni, Nec niſi viuendo ſomnus & vmbra ſumus: qua tādem eſſent obſecro pertinaci & indurata peruicacia, vt talia cogitantibus nō ſua diſplicerent ſcelera? ¶ Submonetur præterea

terea hîc quilibet iſtius abominationis Adæ, cui quod dixit deus verbum, idem tibi quoque ſacerdos dicit, dum cineres capiti aſpergit tuo, Memento quod cinis es, & in cinerem reuerteris. Adam in paradiſo in maxima gloria futurus & immortalis erat, ſed propter peccatum & ex paradiſo pulſus eſt, & abominationem iſtam meruis, vt in puluerem rurſus redigeretur, hoc eſt, quod mori vt nos, eum quoq; oportebat. *Genes. 3.* Vt iam tum potuerit illud dicere cum propheta pro ſe ſimul & vniuerſa ſua poſteritate: Cecidit corona capitis noſtri, væ nobis quia peccauimus. Coronâ ſuâ abiecit Adã per inobedientiam, imò nos quoque omnes illam per peccata abiicimus, ideo poſt peccatum deniq; nudum eſſe ſe ſenſit Adam, cuius exemplo nos quoque cognoſcere debemus, peccatis gloria nos noſtra priuatos eſſe, ideoq; ad decorem animæ noſtræ indigere gratia dei. ex nobis enim nihil niſi puluis & cinis ſumus. *Thre. 5.* ¶ Ex iis itaque iam cõmemoratis cauſis, homines ſub initio huius ſancti temporis cineribus ſolẽt aſpergi, in ſignum & ſuæ cuiuſque pœnitẽtiæ, & omnibus in vniuerſum hominibus communis fragilitatis, ſicut apud quoſdam mos eſt, hominibus etiam morituris cum exhibetur ſacramẽtũ, ſimul quoque cineres capitibus inſpergere.

4 Firmum etiam huius rei ex ſacris literis fundamentum habet eccleſia, ſicut in quarta collecta commemoratur. Quũ enim in Iudæos expeditionem mouiſſet Holofernes, illiq; ſupra modum tribularentur, ſacerdotes ſacrificaturi, & cilicio veſtiebantur, & cineribus ſuper capita ſua conſpergebãtur. *Iudit. 4.* Quo exemplo etiam Iob dicebat, Saccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam. *Iob 16.* Similiter Dauid quoque pœnitentiam ſuam declarans, in Pſalm. ait, Cinerem ſicut panem manducabam, & poculum meũ cum fletu miſcebam. *Pſal. 101.* Quid quod Iudæis ſub Aſſuero grauiter afflictis propter Amon, qui mandauerat omnes quotquot in regno ſuo eſſent Iudæos occidi, Mardocheus quum hoc cõperiſſet frater Eſther, ipſe quoque ſciſsis veſtimentis ſuis, ſaccum induit, cineresque ſuper caput aſperſit: Iob vero ad dominum, Ipſe, inquit, ego me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere, Et hæc nimirum illa etiam fuit pœnitentia, qua vſi Niniuitæ. Poteris hic tu hiſtoriam extendere, quam voles, gratiam apud dominum emeruerunt, ſicuti quarta collecta commemorat, & idipſum quoq; apud *Eſther 4.* *Iob vlti.* *Ionæ 3.*

Luc.10. Matthæum & Lucam Christus approbat. ¶ Hanćque pœnitentiæ formam prophetæ quoque docuerunt: ita enim ad
Iere.6. domum Iuda, Ieremias clamat, Filia populi mei, accingere
Iere.25. cilicio & conſpergere cinere, luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Et idem quoque ad optimates, Vlulate paſtores & clamate, conſpergite vos cinere optimates gregis, quia completi ſunt dies veſtri. ſicut & feciſſe illos conſtat,
Thre.2. atteſtante idipſum propheta in Threnis, Sederunt in terra, conticuerunt ſenes filiæ Sion, conſperſerunt cinere capita
Dan.9. ſua, accincti ſunt ciliciis. Daniel quoque ille vir deſideriorum, in propria perſona hoc feciſſe legitur, quum in captiuitate detineretur Babylonica, dicés, Poſui faciem meam ad dominum deum meum, rogare & deprecari in ieiuniis, ſacco & cinere, & oraui dominum deum meum. Ad eundem
1. Mach.3 modum Iudæi fecerunt in bello Machabæitico, quum exercitus Lyſiæ appropinquaret Iudæ. Tunc enim Iudæi diem illum ieiunarunt, ciliciis ſeſe veſtierũt, veſtibus aliis ſciſſis, & cineres ſuper capita ſua aſperſerunt, & deinde legimus,
2. Mac.4 Sciderunt veſtimenta ſua, & planxerunt planctu magno: & impoſuerunt cinerem ſuper caput ſuum, & ceciderũt in faciem ſuper terram, & exclamauerũt tubis ſignorum, clamauerunt in cœlum. Et hoc quoq; ipſum eſt quod voluit Mi-
Mich.1. chæas in iis verbis, quibus ſermonem hunc noſtrum exorſi ſumus in domo pulueris puluere vos conſpergite: (eſt enim eadem dictio hic & Gene.3. His omnibus deſeruit plurimũ nobile illud canticum eccleſiaſticum, quod ſolenniter canitur, dum homines cineribus aſperguntur. Immutemur habitu, in cinere & cilicio. ieiunemus & ploremus ante dominum, quia multum miſericors eſt, dimittere peccata noſtra deus noſter, &c. ¶ Idq́ue etiam num plurimi faciunt pij & catholici homines, qui nũc habitum quoque ſuum & veſtitum permutant: plures enim & viri & mulieres abiiciũt hodie torques, anulosq́ue aureos, & cætera ornamẽta ſua, nec ſericis porro vtuntur veſtibus, neque ex argenteis bibũt poculis. verum voluptates huiuſmodi mundanas, omniaq́; ſeculi gaudia procul à ſe amoliuntur, adeo vt plerique rubris etiam aut viridibus veſtimentis iam hodie non induantur amplius. Profectò enim quicquid hoc modo propter deum intermittitur aut contemnitur, ſanctè & piè fit. Quanuis in multis locis hic iã vſus increbuit inter homines, vt preciosis

amicti

amicti vestibus si quando cõmunicandum sit, ad sacramentum eucharistiæ suscipiendum accedant. atque id tantum faciunt in honorem & reuerentiam sacramẽti domini nostri Iesu Christi, credentes se illum veraciter hic accipere, neq; id etiã omnino male, modo vestes nec nimiũ leues nec ad scãdalũ proximi sint paratæ. Nam vt inquit S. Gregorius, Centurio ille, qui dominum ad se in suam domum aduenire nolebat, & synagogæ princeps Iairus, aduentum Christi ad filiam suam grauiter efflagitans, inter se mutuo non repugnarunt. ¶ Verùm furiosi isti christiani illud malè intelligẽtes, plurimum aberrant, dum non satis esse putant ecclesiæ catholicæ se aduersari, esseq́ue inobedientes, nisi insuper iam hodie demum, vestitu simul & gestu fatuos, bubalos & asinos sese simulent, quasi pœniteat eos esse quod homines sunt. est ea certe non minima sanctissimæ fidei nostræ contumelia & ignominia. ¶ Sed & Lutherani quod hic obiiciant habent, clamitantes dixisse dominum per Esaiam prophetam, Nunquid istud vocabis ieiunium & diem acceptabilem domino, saccum & cinerẽ sternere? similiter & Ioel dicit, Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Ad quæ respondemus, Dominum hic voluisse, exhibitionem istam externam nihil esse, nisi simul ipsum quoque cor conspiret. idq́ue vt est verissimum, ita omnia illa ideo intermitti debere externa, nusquam ex sacris literis vere colligitur. Vtrunque enim vno illo capite connectit mutuo quodam veluti nodo Ioel, dicens, Conuertimini ad me in toto corde, in ieiunio, flectu & planctu, &c. Sic enim placatus est dominus super Achab, quod coram eo humiliatus est, &c.

Grego.
Mat. 8.
Lucæ 8.
Esaiæ 58.
1. Re. 21.

DIE S. MATTHIAE APOSTOLI, EVANGELIVM, Matthæi 11.

¶ Euangelium hoc iam ante explicauimus Dominica quinta post festum S. Trinitatis, idq́ue parte prima require. Et tamen ad vberiorem sanctissimi apostoli Matthiæ laudem & gloriam, qui & ipse iudex cum Christo comparebit in extremo iudicio, libet hic de sua electione scripturam Lucę in libro Actuum Apostolorum explanare.

Lucas capite primo Actuum Apostolorum.



N DIEBVS *illis, Exurgēs Petrus in medio fratrum, dixit (Erat autem turba hominū simul fere centū viginti) Viri fratres, oportet impleri scripturā, quām prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qua fuit dux eorū, qui cōprehenderunt Iesum, que cōnumerat⁹ erat in nobis, & sortitus est sortē ministerij hui⁹. Et hic quidē possedit agrū de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius Et notū factum est omnibus habitātibus Ierusalē, ita vt appellaretur ager ille lingua eorū acheldema, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum, Fiat commoratio eorum deserta, & nō sit qui habitet in ea, & episcopatū eius accipiat alter. Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt cōgregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos dominus Iesus incipiens à baptismate Ioānis, vsque in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnū ex istis. Et statuerūt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam. Et orātes, dixerūt, Tu domine qui corda nosti omnium, ostende quē elegeris ex iis duobus vnum, accipere locū ministerij huius & apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis. Et cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim apostolis.*

Psal. 108.

Infra 4.

HOMILIA VNICA.

Act. 2.



ISTORIA illa quam Lucas hic commemorat, post ipsam non longe ascensionem domini contigit, ante diem pentecostes adhuc. verū quonam decem illorum dierum facta sic in scriptura expressum non est. Certe enim in diebus illis surrexit Petrus in medio fratrū. Qui autē fratres ij fuerint iam ante ostenderat Lucas: fuerunt enim præter vndecim illos apostolos, etiam Maria mater Iesu, & cæteri fratres ac mulieres, omnes quidem pene cētum & viginti. Quæ quidē prima fuit Christiana congregatio post mortē domini, primaque illa Ecclesia catholica ex sanctissimis personis, vnde hæc ecclesia, quam nunc per vniuersum mundum longe lateque dispersam cernimus, & nata est & extructa. & ij quidē fratres & sorores omnes erāt, quapropter dicitur, quoniam surrexit Petrus in medio fratrū. id clarius aliquāto expressit Lu-

Act. 4.

cas

cas deinceps, quum ait, Multitudinis credentiũ erat cor vnũ & anima vna, vnde non immerito fratres dicti sunt. Deum immortalẽ, quã penitus extincta iam est charitas mutua & fraterna dilectio, quã planè non recolimus nos patre vnum habere in cœlis, cui quotidie inclamitamus illud, Pater noster qui es in cœlis. nõ cogitamus Christum caput esse nostrum, quoniã si serio meditaremur nos non tantũ fratres esse quo ad carnem ex primo Adã terrestri, sed etiã in gratia, quo ad Adam cœlestem, non tot inter nos quotidie orirentur odia, disidia, cõtentiones, bella, iurgia & mille discordiarum genera. Diceres, An non ex spiritu sancti instinctu scripsit Lucas, eo quod non exactè, sed quasi dubitanter numerum expresserit fidelium? sic enim ait, *Erat turba hominum simul fere centum viginti*, &c. Non sane hoc ex dubitatione profectum est, sed sicut mos est scripturæ, quod hęc quoq; cõmunem loquendi consuetudinẽ imitatur, quæ sic habet, vt magnã multitudinẽ aut summã expressuri, in certo insistamus numero, quãuis ibi in duobus aut tribus vltro citroque non conueniat, dicimus tamen fere ita esse. Non ergo dubitãter hic Lucas loqui voluit, sed cum diminutione aliqua numeri nõ planè consummati, ex cõmuni vsu loquendi. 2 Nunc iã ipsum Petri sermonẽ attẽdamus, cum ait, *Viri fratres, oportet impleri scripturam.* hæc quoq; nulla coacta necessitas est, sed veritas ineuitabilis, sicut alibi etiam Christus dixit, Oportuit Christum pati. (vide ibidem) ita planè oportuit impleri scripturam. neq; ignorabat hoc Petrus, vel ex ipsa obiurgatione dominica, quando in horto montis oliueti audiuit sibi dici à domino, An putas quia nõ possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? Et vos igitur dilectissimi aliud non cogitate, nisi quia oportet impleri scripturam, quoniã signaculum habet efficax & ineffabile spiritum sanctum, veritatẽ diuinam, sigillum certissimũ quod violari non potest. Quicquid ergo scriptura habet de periculis nouissimi tẽporis, de Antichristo, de variis sectis perditionũ, de defectione & scissione fidei, de maxima tribulatione cuiusmodi nõ fuit vnquã, id omne oportet impleri, atq; proh dolor illis etiã nostris temporibus incipiũt non parua futuræ deuastationis præludia, quoniam oportet im-

Beda. *Luc. 24.* *Tom. 2.* *Mat. 24.* *Mar. 15.* *2. Thes. 2.* *2. Ti. 2. 3.* *2. Pet. 2.*

pleri ſcripturam. (vide plura tomi. 2. homilia vltima.)

¶ Sed quam tandē oportet impleri ſcripturā Petre, quam prædixit ſpiritus ſanctus per os Dauid de Iuda? Ecce quanta eſt eminentia ſcripturæ, quoniā quod dixit Dauid, ait Petrus prædixiſſe ſpiritū ſanctū. omnis enī ſcriptura ſancta ex ſpiritu ſancto eſt. quotieſcunq; ergo audis citari tibi locum ex Moyſe, Eſaia, Dauide, Ioanne, Matthęo, Paulo, aut aliis,

Hieron. ſuper Eze. 40. & Mich. 3 non eſt quod perſonā aſpicias hominū, quorum nō propriè eſt ſermo ille qui adducitur, ſed ſpiritus ſancti per eos loquētis nō ſecus atq; per calamū, authore Hieronymo. ipſum & Petr⁹ teſtatur, Nō volūtate humana allata eſt aliquā do prophetia, ſed ſpiritu ſancto inſpirati, loquuti ſunt

2. Pet. 1. Rom. 15. 2. Co. 13. ſancti dei homines. Ita de ſeipſo etiā Paulus inquit, Nō audeo aliquid loqui eorū quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiā gentium. & alibi, An experimentū quæritis qui in me loquitur Chriſtus, Hæc itaque illa eſt prę rogatiua & dignitas ſacrarum literarū immēſa ſuper omnes diſciplinas & artes quæcunq; ſunt in mundo: quoniā illę omnes ab hominibus ſunt inuentæ, hęc ſola diuinitus eſt profecta. nemo ergo cōtemnere eā debet, nemo in luſum vertere, nemo aliorſum rapere quā ſit intelligēda, nemo deprauare. Vę ergo tibi hęretice, quiſquis ſigillum diuinū literas ſacras vanis falſiſq; tuis gloſſematibus corrūpis, ecce blaſphemiā cōmittis, & peccas in ſpiritū ſanctū, ex quo ſcriptura ſacra originem habet. ¶ Iam itaq; Petrus teſtimonium ſcripturæ hic inducit de Iuda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Ieſum. & in euāgelio ſuo quomodo factū ſit, explicat Lu-

Luc. 22. cas & ait, Adhuc loquēte Ieſu, ecce turba & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos, & appropinqua-

Ioan. 18. uit Ieſu, vt oſcularetur eū, Idem & Ioānes cōmemorat, dicēs, Iudas cū accepiſſet cohortem, & à pōtificibus & phariſæis miniſtros, &c. Pergit de Iuda Petrus & ait, *Qui cōnumeratus erat in nobis, & ſortitus erat ſortē miniſterij huius.* De apoſtolatū loquitur hic Petrus in quē & Iudas electus fuerat

Mar. 3, Mar. 10. à domino, vt teſtatur Marcus, fecit vt eſſent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare, ex iis etiam Iudas fuit numero ſaltē, nō merito, quod & eccleſia de omnibus dicere poteſt miniſtris malis. Vbi ſatis apparet, iniquitatē non auferre officiū, quoniā etſi quis peccator eſt, tamē adhuc princeps eſt, epiſcopus, parochus, iudex, &c. ſic Iudas quāuis iniquus,

quus, apostolatū tamen habuit vsq; in suspendium suum. & sic dominus dixit ad discipulos, Nónne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? loquens vtiq; de Iuda, quē sciebat se traditurum, &c. ¶ *Et hic quidem possedit agrū de mercede iniquitatis.* agrum intelligit Petrus peregrinorū, qui triginta denarijs coēptus est, quos abiecerat Iudas prēcium sanguinis. Sunt qui dicant Iudam possedisse agrum illum, quoniā in eo sepultus sit. verùm ij nullam habent scripturæ authoritatē. Verùm Beda ait id more sacri eloquij dictū esse, *possedit*, pro possidere fecit. pecunia enī illa precium iniquitatis erat & perditionis, quā aduersus Christum operatus fuerat, quoniam omnis pecunia malè conquisita, precium est iniquitatis, nec bene cōmodat vlli. ¶ *Suspensus etiam ille crepuit medius.* O præmiū iustum malignitatis suę. indigna siquidē erat anima eius maledicta quæ per os emigraret, quo osculatus fuerat ipse Christū prodendo. O peccator filij Iudę, quisquis indignè assumis sacratissimū Christi corpus, caue tibi ne hac morte & tu moriaris, cōtingatq; tibi quod hæretico Arrio. Testatur Matthęus Iudā suspendisse seipsum. id quando acciderit, ex scriptura nō constat. sunt quidē nonnulli qui factum esse statim putāt in die parasceues, quū videret dominū adeo crudeliter manus suppliciis affici. ratus enim ipse erat effugiturum eū manus Iudæorū, vt sæpe antea fecerat. Alij putāt ipsum suspendisse se tādē in die paschæ, sic, quod diuulgata resurrectionis dominicę fama, desperare cœperit & semet suspēderit. Quicquid sit illud, & quandocunq; se suspēderit, constat vtique eum iam cū hæc diceret Petrus, se suspēdisse ante festa pentecostes. 4 Cæterùm deinceps iam testimoniū ex Dauide introducit Petrus, quo cōfirmat, aliū apostolū in locū Iudæ eligi debere. & geminū quidē locum inducit ex diuersis psalmis desumptū, alterū ex psal. 68. *Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea:* alterum ex psal. 108. *Episcopatū eius accipiat alter.* Prior ille locus plerunq; de Iudæis intelligitur, quorum synagōga à deo contempta sedet iā sine rege prīcipe, sacrificio, altari, ephod & sine Theraphin. Ita aūt inducit Petrus, quasi & de Iuda intelligatur, cuius domus per suspendiū facta est deserta. Altera aūt authoritas propriè de Iuda accipiēda est, quoniam in eodem psalmo triginta sunt maledictiones in Iudā Schariothē illa-

Ioan. 6.

Mat. 27.

Beda.

Lib. 10. eccl. hist.

Et l. 3. tripartitæ in fine.

Osee. 1.

Beda.

tæ, iuxta numerũ argenteorũ, quibus dominũ vendere non timuit. Iuda ergo per ſuſpendiũ cõſummato, cum iam duodenarius apoſtolorũ numerus imperfectus eſſet (illũ enim multis locis ſpiritus ſanctus abſolutũ eſſe cõprobauit, ſicut de apoſtolis dicturi ſumus) ideo oportuit teſtẽ aſſumi ex iis viris, qui fuerãt cõgregati in omni tẽpore, quo intrauit & exiuit inter eos dominus Ieſus. Ecce ex viris inquit, nõ mulieribus, quæ tamẽ ibi erant aliquot celebres & ſanctæ, imo ipſa quoq; ſanctiſsima virgo Maria, ſed ea tamen indulſit permiſitq; facilè, vt Petrus iuſſum & cõmiſſum exequeretur ſpiritus ſancti, neq; præſumpſit vllam in fide ordinationem facere, quod nũc procaculæ conantur Lutheranorum vxoreulæ facere, nõ cogitantes quòd Paulus præcipit mulieribus ſilentium in Eccleſia. Verùm & huc illuc proficiſci oportebat apoſtolos ad officium prædicandi, cõferendique teſtimonium de Chriſto, in quare adminiſtranda minus & aptitudinis & authoritatis habiturus erat ſexus muliebris quàm virilis. Statuerunt ergo duos, quos fuiſſe putant nonnulli ex ſeptuaginta duobus diſcipulis. vnanimiter deinde orarunt dominũ, vt eis reuelaret quem ex ijs duobus elegiſſet ad apoſtolatũ, vnde cõſuetudo profecta eſt Eccleſiaſtica ante electiones dominum rogãdi pro gratia ſpirituſſancti. Sed multi interim nõ expectant illã, ſed prœuenientes multis conatibus, aliquãdo temerariis corruptelis munerum & largitionibus emunt ſuffragia, nõ confidentes ſpiritui ſancto, certã ſibi faciunt per fas nefaſq; electionem. iniquè & ſane iniuſtè, vnde & multa miſerrimè ſurſum ac deorſum iactantur in mundo. *Dederunt itaque ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiã.* ¶ De hac ſorte multa ſcribunt doctores, eo quod ſortibus epiſcopũ aut quécunq; prælatum eligere canonibus cautum eſt: ca. vlti. extra de ſorti. Quidã prætextũ hunc quærunt, dicẽtes factam eſſe electionem hanc prius, quàm perfectio ſpiritus diffuſa fuerit in eccleſiam. dicit ergo Beda, Matthias, qui ante pentecoſten ordinatur, ſortè quæritur: ſeptem verò diaconi qui poſtea, nequaquam ſortis agitatione, ſed diſcipulorum tantũ electione, apoſtolorum verò oratione & manus impoſitiõe ſunt ordinati. Verùm hoc nõ ab omnibus recipitur, diaconos ex ſpiritu ſancto electos eſſe, & non etiã Matthiam apoſtolum, quũ tamen apoſtolum eſſe, multis modis maius & eminentius ſit quam

In commu ni.

1.Co.14.

Beda.

Hieron.

Beda.

Act. 6.

quam esse diaconum. voluit ergo hic quoque apostolos dedisse sortem ex spiritus sancti instinctu. Adhuc alij putant sortem hanc non cõmuni modo datam esse, sicuti nunc numero pari aut impari, virgultis quoque vtimur breuibus & longioribus, aut simili re fortuita, sed signum fuisse diuinitus datum. id ex ipsa apostolorum oratione coniiciunt, quando orarunt, *Tu domine ostende quem elegeris ex iis duobus.* & vtique in hoc opere sancto exaudiuit eos deus orantes, & ostendit quem elegerit. Idem affirmat Dionysius, inquiens, Videtur mihi scriptura sortem appellasse diuini quippiam & præcipue muneris, per quod illi choro sacratissimo insinuaretur, qui esset diuina electione declaratus. Ita putant multi sanctum Matthiam per illustrationem radij aut alterius visibilis signi, à domino deo ostensum & declaratum apostolum, qui sic annumeratus est cum vndecim apostolis, vti in aliis dationibus spiritus sancti factum est. *De eccl. hier. c. 5. part. 3.*

DE S. MATTHIA.

SANCTVS Matthias apostolus à deo electus, & per Petrum alióque sancto cœtui adiunctus, remansit cum hac sancta cõgregatione, donec apostoli ex commissione Christi diuiderentur, vt vniuersum orbem profecti. ibi tunc primũ ille prædicauit in Macedonia, vbi fidem Christi astruxit. multa insuper passus aduersa ab idololatris, venenum exhibitũ bibit sine dãno, vinctus quoq;, à Christo domino sibi apparente, cõfortatus & liberatus est. Hinc in Iudæam reuersus, prædicauit, atq; à Iudæis pro blasphemo captus & lapidatus est, incussa tãdẽ capiti suo securi, sepultus ita in Iudæa est, deinde missus Romã à Cõstantino. Quũ autem Helena vrbẽ Treuirim multũ amaret, & gnauiter ẽdificaret, multísq; tẽplis illustraret, curauit per episcopũ Agritiũ, qui antea patriarcha fuerat Antiochen⁹, núncq; primus factus fuerat archiepiscopus Treuirẽsis, reliquias S. Matthię apostoli Treuerim trãsferri, illas quoque in S. Eucharij primi episcopi tẽplo, argẽteo repositi sarcophago. vnde deinceps templũ illud S. Matthiæ dici cœpit. Sic itaque vnicus ille apostol⁹ est qui in Germania habetur integer & corpore toto, licet in eodẽ monasterio magna pars reliquiarũ sancti Philippi collocata sit. illum colite, vt pro vobis intercessor apud dominum deum existat pius ac propitius, Amen.

¶ Qui custos est domini sui, glorificabitur. Prouer. 27.



AB AETERNO sibi dominus virginem elegit Mariã, iuxta id quod & Sapiens agnouit, quũ
Prouer. 8. dixit in spiritu, Dominꝰ possedit me ab initio viarum suarũ: antequã quicquã faceret à principio, ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Quod si igitur ab æterno deus sibi illam elegit matrem, ipsaque virgo tenella erat, quãuis multos subitura labores & pericula, eo quòd puerum etiam Iesum ita volente deo, multas sustinere oportebat persequutiones, cuius curam, interim agere decebat Ioseph hum in fuga ad AEgyptũ & reditu, ideo sicut Maria ab æterno præuisa fuit in matrem filij dei, ita & Ioseph in nutritiũ atque
custodem Christi & Mariæ electus, conuenientibus huic officio donis ornatus est, vt non male de eo intelligatur illud
Psal. 22. Dauidicum, Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide precioso. vtique enim beatitudinem ille hanc cõsequutus est, de qua Sapiens
Eccle. 25. & 26. dixit, Beatus qui habitat cum muliere sensata. & inde, Mulieris bonæ beatus vir, atque non multo post, Pars bona mulier bona, in parte bona timentium deum dabitur viro pro factis bonis. Quando igitur vir sanctus in custodem pueri Iesu, & virginis matris electus est, merito gloria magna exornatus est, iuxta id quod principio induximus, Qui custos est domini sui, glorificabitur.

Euangelium Matthæi 1. Liber generationis. Vel Matthæi 1. Cùm esset desponsata mater Iesu. Vel ibidem, Exurgens Ioseph à somno. Vel Matthæi 2. Angelus domini apparuit Ioseph in somnis. Vel Lucæ 2. Et erant pater eius & mater eius mirantes. Vel Marci 6. Facto sabbato, cœpit Iesus in synagoga docere. Varij variant, quisque pro sua deuotione & consuetudine ecclesiæ, in qua moratur. Euangelium generationis exposuimus supra in festo conceptionis Mariæ. Euangeliũ, Erant pater eius & mater eius, declarauimus parte prima ideo iis omissis, dicamus aliqua de dignitate S. Ioseph, &c.

ET

ET principio quidem, si vniuersam reuoluamus scripturā, inueniemus huius nominis quatuor, eorūmque singulorū laus vni huic decenter tribui potest. primus adeo Ioseph, patriarcha fuit, filius Iacob, is qui principali virtute Sapientia laudem emeruit maximam, quoniam totam rexit AEgyptum. (Dic historiam quantū placet, & applica) Ioseph ille typum Christi gessit, eo quod ipsum fratres sui tanto persequebantur odio, vt ne verbum quidem pacificum vllum ei loquerentur. Quomodo & Iudæi fratres Christi ipsum in mortem vsque persequuti sunt. Insuper fratres eius vendiderunt ipsum denariis viginti, ex consilio Iudæ vnius ex fratribus, non secus atque apostolus Christi Iudas magistrum suum vendidit triginta denariis. Ioseph à Pharaone pro sapientissimo habitus & reputatus est, quamobrem lingua AEgyptiorum saluatorem mundi vocauit. Et dominus à Petro sapientissimus iudicatus est. nanque cæteris à domino secedentibus, quum quæreret ille, an non & ipse abiturus esset, dixit, Domine, quo ibimus? verba vitæ habes. Alibi etiam quum apostolos suos interrogaret quénam se esse dicerent, solus respōdit ipse, Tu es Christus filius dei viui. Ita Ioseph ille & multis modis laudatus est, & typus Christi extitit.

Genes. 49.

Augusti. super Genesim.

Gene. 37.

Gene. 37.

Gene. 41.

Ioan. 6.

Matt. 16. Mar. 15.

¶ Alter autem Ioseph nobilis iste fuit ex Arimathia, quem sua commendauit fortitudo, siquidem & ipse erat expectās regnum dei. vnde nihil diffidens, ingressus est ad Pilatū, & petiit corpus Iesu, illúdq; sepeliuit in monumento suo nouo. qua re non sine laude inseruiuit domino iam tum mortuo, vnde & ipse laudem & gloriā meruit apud dominum deum. ¶ Tertius porro Ioseph, filius est Alphæi & Mariæ Cleophæ, vnus ex septuagintaduob⁹ discipulis frater Simonis & Iudæ & Iacobi minoris. hunc quoque singulare commendat exemplum iustitiæ. quum enim surgeret Petrus inter fideles primitiuę ecclesię, iámque successor esset eligendus in locum Iudæ, constitutus est hic Ioseph, qui vocatur Barsabas, qui cognominatus est iustus. An non hæc ei laus magna est, ipsum iam tum à fidelibus habitum esse dignum qui fieret apostolus, cui etiā dignitas & existimatio eo fuit amplior, quod veluti proprio cognomento ab omnibus dicebatur iustus? nō me præterit, quod alij dicunt hoc nomen fuisse proprium. Quartus hic Ioseph, cuius hodie festū co-

Mar. 6.

limus, laudari posset à quarta illa virtute cõtinentiæ, sed de eius laude paulò pòst dicturi sumus, tantũ iam ostendamus ipsum triũ illorũ virtutes in se cunctas habuisse. primi enim sapientiam, secundi fortitudiné, & iustitiã tertij in se vnus habuit. nanque si sapiens non fuisset, quomodo per AEgyptiacam profectionẽ pericula ex Herode imminentia euitare potuisset? siquidem vel ex masculà sua virtute idoneus
Matth.1. erat, qui puerum Iesum & Mariam custodiret, fugientes in AEgyptũ. Sed & iustitiæ eius testimoniũ Matthæus præbet quum ait, *Ioseph vir eius quum esset iustus, & nollet eam traducere.* Ecce cõmuni scripturæ more expressit euangelista, eum omnibus ornatũ virtutibus, iustum coram deo fuisse.

2 Est itaque illud præcipuũ in laudibus Ioseph, vnde reliqua manant quę deinceps explicabimus, quoniam maritus
Augu. cõtra Faust. lib.23. Mariæ exitit, siquidem hæc illi desponsata est Matthæo & Luca attestãtibus. Multa hic de matrimonio dici possent inter Mariam & Ioseph, atque quod hoc perfectũ coniugium omnia habuit bona matrimonij, quanuis corporaliter commixti ipsi nõ sunt. sed neque proposuerunt illud vnquã facere, eo quod ambo perpetuã vouerant castitatem, sicut ex
Lucæ 1. verbis Marię ad angelum satis colligitur. Virum enim, dixit illa, nõ cognosco. Hoc est, vt ait Ambrosius, proposui mihi nullum me cognituram. Si nanque verè dicere potuit Sarra
Tob. 3. vxor Tobiæ, Tu scis domine quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia: virum tamen cum timore tuo, nõ cum libidine mea cõsensi susciperè, quãto magis potuit hoc dicere Maria virgo & mater dei? Sic autẽ & Ioseph virgo permansit, perpetuámque castitatem seruauit. Id iis verbis affirmat sanctus
Hieronym. Hieronymus cõtra Heluidium, Tu, inquit, dicis Mariã virginem nõ permansisse. ego mihi plus vendico, etiam ipsum
Ioan.9. Ioseph virginem fuisse per Mariam, vt ex virginali coniugio virgo filius nascereturr. plus enim fuit custos Mariæ quã maritus. Adduci in hoc idem potest validum argumentum, Christus iam morti proximus, in cruce pendens. matrem Ioanni cõmendauit apostolo, vbi quærunt doctores, quur nõ Petro aut alteri ex discipulis commiserit eam, reddúntque
Beda. rationem huiusmodi, quoniã virginem virgini virgo commendare voluit. quod si igitur Christus Mariam iam grandæuam annos habentem quadragintaocto, non nisi virgini

cõmen

cõmendauit, sequitur eum tenerã illam adhuc in annis iuuenilibus puellã nõ alteri quam virgini cõmisisse. Insuper addit Gerson, cõsiderandum hoc esse, nõ virginem tantum fuisse Ioseph, sed & in eo deum per gratiam suam omnem carnalem cõcupiscentiæ ardorem extinxisse, vt sic potuerit cum sanctissima pulcherrimaq; ue virgine Maria, citra omnem prauæ libidinis tentationẽ cohabitare. Vnde sunt qui volunt Iosephum in ipso matris vtero sanctificatum instar Ioannis Baptistæ. (& ideo improbatur sententia aliquorum, qui opinãtur Ioseph prius fuisse cõiugatum, & ex priori cõiugio habuisse filios, qui propterea dicti sint fratres domini, sicut Iacobus, licet illius sententiæ fuit beatus Ambrosius, tamen per superiora bene refellitur, & per Hieronymum contra Heluidium & super Matth. ca. 13. & de viris illust.) *Ambros.* *Calat. 1.*

3 Rationes autem, quur Maria desponsata fuerit Ioseph, assignari multæ solent. eo enim ipso Christus incarnationem suam voluit celare diabolũ, qui alias passionẽ & mortem eius quocunque modo impediuisset. deinde, ne Iudæi aduersus virginem furore correpti, eam lapidarent. ad hæc, vt ille paruuli simul & matris in fuga AEgyptiaca, & alibi curam gereret. Plures passim extant causæ, quarum quatuordecim solus Albertus suppeditabit. Magnúmque hoc est, quod hic consideramus. siquidem tanti fecit matris suæ dignitatẽ dominus, vt magis passus sit, homines partim dubitare, partim etiam errare circa suam natiuitatem, ita vt fabri filius diceretur, quàm vt mater, si maritum non habuisset, in suspicionem impudicitiæ apud homines incidisset. Quanuis poterant etiam Iudæi & Herodes hũc sibi prætextum assumpsisse, quod merito persequerentur eũ, qui nec legitimè foret natus. Insuper abhorrere poterant Gentiles, si quando audissent dominum nõ legitimè fuisse natũ. vnde & Ambrosius ait, Quid Iudæis, quid Herodi posset ascribi, si natum viderentur ex adulterio persequuti? Mitto hic historiam, quomodo viri de stirpe Dauid cum virgis venerint ad summum sacerdotem, vbi quũ ex omnibus sola virga Ioseph florere cœperit, declaratum fertur, ipsum à deo electũ fuisse in cõiugem Mariæ. Verũ hic occurrit quæstio. Quum supra dictũ sit, & meminerit Ambro. ideo desponsatum fuisse Ioseph Marię, vt eius & filij curã gereret in fuga maxime AEgyptiaca, quomodo huic labori & solicitudini *Orige. in Homilia.* *Ambros.* *Epiphanius.*

accommodus ille fuerit iam vetulus & senio cõfectus, planeq́; talis, qui magis aliena cura indiguerit quàm qui eã aliis impenderet? Respondet ad hoc Gerson, & ait nõ fuisse eum admodum ætate grauatum, sed adhuc robustum iuuenem, vt sic facilè expeditam vtriusq; curam gerere potuerit. Rationem assignat ille eandem, quoniam seniculus tam longè expeditioni ac profectioni parum fuisset idoneus. addit inde locum illum propheticum, Gaudebit sponsus super spõsam, & habitabit iuuenis cum virgine, ait Glossa, Ioseph cũ Maria. Ad hæc, Ioseph ita iuuenis, magis fuit idoneus & famam defendere virginis, & diabolo celare mysterium incarnationis, quam si iam senio confectus fuisset. Quãuis apud me rationes illæ non tantum valent, & cõcludunt, sicut eas alij extollunt, siquidem non minus possibile fuit deo etiam seniculo Ioseph virtutem & vigorem conferre proficiscendi in AEgyptum, quam quod iuueni donũ impendisset pudicitiæ & castitatis. Itaque in hac re nõ lubet ad alterutram partem declinare, vbi nullum nobis constat scripturæ pro quacũque parte testimonium, eo maxime, quod ad recepta & diu persuasa opinione temere discedendum non est. facilius igitur paterer, antiquiori sententiæ authoritatem suam fidemq́ue manere. 4 Sequitur ex omnibus illis, Ioseph à deo electum esse custodem Mariæ, suæq́ue intemeratæ pudicitiæ & virginitatis, nominis quoq; & famæ melioris, insuper vitæ illius & salutis tutorem defensorẽq́ue in Iudæa simul & AEgypto, vbi constat eum coniugi suæ fidelissimè inseruisse. Quo nomine etiam adhuc virgines & matronæ honestæ nominis sui & honoris integritatem sancto debent Iosepho committere: omnes insuper, quibus periculosæ instituuntur profectiones, locaq́ue adeunda sunt parum tuta semet S. Ioseph committere debent, & ex illo comitatum, securitatẽ, tutelam & intercessionẽ petere. Neq; verò virginis tantũ matris, sed & pueri Iesu custos sedulus extitit, atque sic non Mariæ, sed Ioseph apparuit angelus, dicẽs, *Surge & accipe puerum matrémque eius, & vade in AEgyptum, & esto ibi donec dixero tibi.* Magnum hoc est, tutela sua Iosephum custodire debere & sustentare, qui sustẽtat omnia, omnia custodit, & vniuerso dominatur orbi. sed nec in infantilibus annis hoc tãtum fecit, sed semper deinceps paterna ei obsequia exhibuit vsque dum duodecim annorum esset,

In sermone de natiui. Mariæ

Esaiæ 62

Mat. 2.

ſet, victum laboribus ſuis ei ſuggeſsit, ipſi de omnibus vt pa
ter prouidit, ita vt pater eius iam ab omnibus haberetur,
Chriſtusque fabri filius diceretur. Merito itaque ab eodem *Mat. 13.*
quem ſedulo adeo cuſtodiuit, glorificatus eſt in æternæ glo
riæ felicitate. Oremus dominum deum, &c.

HOMILIA POSTERIOR.

¶ Qui timet deum, faciet bona: & qui continens eſt iu-
ſtitiæ, apprehendet illam, & obuiabit illi quaſi mater
honorificata. Eccleſiaſt. 15.

MIRANTVR plerique, quur parum adeo in ſa *Cerſon.*
cris literis de natiuitate, vita, dignitate & glo
ria virginis matris Mariæ ſit deſcriptum, & a-
liquanto minus de Ioſeph. ſed mirari deſinēt,
ſi paulò altius expenderint totum mundū con
prehendere non poſſe laudes Mariæ & Ioſeph, ſi ad lōgum
omnia de eis eſſent deſcripta. ideoque ſi quis quod ſcriptū
eſt, puſillum expendit, facilius etiam reliquum quod maius
eſt inueniet. quanuis enim verum eſt quod de iuſto ait Da-
uid ad dominū, Præueniſti eum in benedictionibus dulcedi
nis, ita vt nemo niſi præueniēte dei gratia iuſtificetur, iuxta
illud quod & dominus dixit, Nemo veniet ad me, niſi pa- *Ioan. 6.*
ter meus traxerit eum: nemo tandem ad magnam venit per-
fectionem, niſi per media quæ præcedant, dicēte ſuper hoc *Maxim.*
Maximo in homilia de martyribus: Martyres propter adipi
ſcendam cœleſtem coronam omnibus ſe mandatis domini-
cis ſubdiderunt, & ita cunctis ſe defixerunt legibus ſaluato-
ris, vt propter anteactam vitam mererentur ad hanc marty
rij gloriam peruenire. Nō enim illo in tempore tantū per-
fecerunt præceptum domini, quo confeſsionis ſupplicium
pertulerunt: ſed neceſſe eſt illos prius ſecundū euangelium
Chriſti vixiſſe, vt Chriſti paſsionibus potirentur. Ita hic de
S. Ioſeph dicere poſſumus, vt maxime parum de eo ſit ſcri-
ptum, tamen tātum nobis extat ac conſtat, eum etiam antea
vitam ſanctam vixiſſe, quoniam alias ad tam ſublimē gradū
euectus non eſſet. Chriſtus nanq; ei matrē ſuā cōmiſit: deus
eidem proprium filiū ſuū cuſtodiendū commēdauit, matris
dei conjunx ille fuit, Chriſtiq; cuſtos & nutritius, ex mūdo
vniuerſo vnicū ſibi deus ad hoc miniſterium delegerat virū
de ſtirpe Dauid, Ioſeph hūc ſolum: quod vtiq; factum non

fuisset, nisi ille antea quoque vitam sanctã, & deo bene placentem egisset. Quia ergo timuit deum, fecitque bona, continens insuper fuit iustitiæ, apprehendit illam, ipsaque ei honorifice obuiauit, ita vt ex omnib⁹ vnus putatiuus haberetur pater pueri Iesu, qui ipsum etiã toties amice patrem appellauit, quoniam qui timet deum, &c.

Euangelium vt supra.

¶ Quibus quantisque immensæ sanctitatis donis diuinitus donatus sanctus Ioseph fuerit, longum nobis est ex ordine recensere. nos itaque ex multis paucula tantum recensebimus, ad laudem dei & sancti Ioseph honorẽ. nihil interim de eius natiuitatis sanctimonia dicere animus est, quomodo & quare sit ille desponsatus Marię, quo pacto in accumulatione virtutum cæteros sui nominis sanctos excelluerit, tacebimus, quod supra per nos tactum est, decuisse vt ille nutritius tutor paruulo Iesu daretur à deo. quanuis enim sint hæc magna, tamen habemus in eo priuilegia illis longè maiora in scripturis expressa. Principio nanque quis nõ videat magnum hunc esse Iosephi honorem, quod genealogiam Christi descripturus Matthæus, idipsum per Ioseph facit, non Mariam: sic enim ait, *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham:* tandemque patriarchis & prophetis enumeratis, subdit, *Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, de quæ natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Ambr. dubitare, inquit possemus, nisi consuetudo nos instrueret scripturarum, quę semper viri originem quærit. & inde, Viri persona quæritur, qui etiam in senatu & reliquis ciuitatum curiis generis asserit dignitatem. sicque Christus quum venit in mũdum, etiam secundum mũdum debuit describi. Quumque ij qui secundum mundum maximi videri cupiunt, generis sui nobilitatem à primis iam inde maioribus magno tumore & fastu exaggerent, constat ex Matthæo, Ioseph ex nobilissimo patriarcharum genere esse prognatum, ex tot præclarissimis regibus maximisq; viris. vnde non immerito genealogiam Christi ex Ioseph contexere voluit euangelista. (Induc, si vis, ex festo conceptionis Mariæ.) Fuitque genealogiæ huius stirps illa multum benedicta, quæ ex Ioseph profecta est, sicut promisio Abrahæ & Dauidi facta est. atqui ibi cognationem cernere licet Mariæ & Iesu, quo ad Ioseph, quoniam omnes à stirpe Dauidica descenderunt.

Matt. 1.

Super Luc. 3.

2 Hoc

2 Hoc quoque in laudibus Ioſeph computatur, quoniam non tantũ Mariæ cohabitauit amicè, ſed & puero Ieſu, quæ ſumma fuit dignitas. Siquidem quũ magnificiamus in Ioanne quod digito oſtenderit Chriſtum, qui deinceps corpore Ioannis combuſto illæſus permanſit: ſi pro magno habemus in Ioanne Euangeliſta, quod ſupra pectus domini in cœna recubuit: ſi inſuper magno commodo fuit mulieri illi ſolus fimbriæ veſtimenti dominici contactus, & ſimili modo in aliis quàm longè tum illuſtrior tum eminẽtior erit dignitas Ioſeph, qui (vt piè credendũ eſt) ſine dubio nõ ſemel Chriſtum in vlnis ſuis geſtauit, manibus tractauit, & ſæpe amplexus eſt, amãter eum inſuper & paternè oſculatus. Quò quæ certior ille fuit filium eum eſſe dei, eo plura ei exhibuit obſequia, maioriſque charitatis argumenta, ſicut cum filio ſuo dilecto pater amantiſsimus agere ſolet. Huiuſmodi nimirũ honorem & reuerentiam Chriſto exhibuit Ioſeph, vt hinc perſuaſum omnibus eſſet, Maria tantum excepta, ipſum Ioſephi filium eſſe, eo quod hic illi omnia paternæ dilectionis argumẽta & officia præſtaret. Quum autem Ioſeph ante Chriſti paſsionem & mortem mortuus ipſe fuerit (alias enim quid opus fuiſſet eum tantopere matrem Ioanni commendare?) vtique Chriſtus & Maria ſunus Ioſephi deplorarunt, quoniam creditur eum ante Chriſti baptiſmũ fuiſſe demortuum. ita cum Maria annis 30. vixiſſet, Ioſepho itaq; letaliter ægrotante, quiſque pro ſuo pio affectu cogitare poteſt, quantum rurſus miniſterij & ſolatij dominus, vtputa filius eius creditus, ſuo putatitio parenti quo ad mundum, exhibuerit. ſi enim ſuper Lazarum fleuit adeo, vt mirarentur tam feruentem ipſius amorem Iudæi, quando ardentius fleuit nutritij ſui parentis mortem? Vſqueadeo mutua illa Ioſephi cum domino Ieſu & virgine Maria conuerſatio, immenſam eius arguit ſanctimoniam & dignitatẽ. vnde ſperare facilè liqueat, quod quicquid filium ſuum Chriſtum rogauerit Ioſeph, vel etiam coniugem dilectiſsimam Mariam, eius rei repulſam paſſurus ſit nunquam. Vos itaque chariſsimi, nolite tam ſancti viri obliuiſci, quin eum ſedulo inuocate pio affectu, neque ille in neceſsitate vos deſeret.

Ioan. 1. *Ioan. 13.* *Luc. 8.* *Mat. 13.* *Hieron.* *Ioan. 11.*

3 Inde quoq; dignitas ipſius eluceſcit, quod ipſe tanquam à ſupernis & intimis dei ſecretis myſterium incarnationis Chriſti ab angelis audiuit. quũ enim deſponſata eſſet Maria

Ioseph, antequam familiarius cohabitarent, venit ad eam ar
changelus Gabriel, ipsaq; filium dei cooperante spiritu san
cto concepit, statim deinde surrexit, & in mõtana profecta
Luc.1. festinanter visitauit Elizabeth. vbi doctores putant Iosephũ
eam fuisse comitatum, aut certe eã nisi ipso permittẽte non
Matt.1. abiisse, mansitq; hic Maria tribus mensibus cum cognata.
Rursus autem domum reditura ad maritum, inuenta est hã-
bere in vtero de spiritu sancto: & Ioseph, quia iustus erat,
metuebat eam ad se adducere, vnde cogitabat eam clam di-
mittere. Neq; tamen quod eam dimittere clam voluit, factũ
id esse credendum est vllius suspicione mali: sed ideo, quo-
niam virtutem mysterij & sacramentum quoddam magni-
ficum in eodẽ cognoscebat, cui approximare se indignum
Origen. æstimabat, iustè se humilians in omnibus, timebat sibimet
ipsius tantæ sanctitatis coniunctionem adhibere. Subscribit
Hieron. Hieronymus, Ioseph sciẽs illud castitatẽ & admirans quod
euenerat, celat silẽtio, cuius mysterium nescibat. Nouerat
ille vitæ ipsius sanctimoniam, & virginalis virtutis honesta-
tem. Nouerat vtriusque coniunctionem, & coniugium ca-
Luc.5. stum ex spiritu sancto esse. Nouerat insuper vtriusq; pro-
positum, quod virginalem castitatem ambo voluissent: non
ergo de Maria diffidebat, sed more humiliũ semet indignũ
reputabat, qui huic sanctissimæ & à deo electæ virgini coha
bitaret, sicut & Petrus dicebat, Domine, exi à me, quia ho-
mo peccator sum. Admiratur hoc idem Chrysostomus, &
Sup. Mat. ait, O inextimabilis virtus Mariæ, plus credebat Ioseph san
ctitati Mariæ, quam eius vtero, plus gratiæ dei quam natu-
ræ. Videbat quidem eam grauidem, sed nihil de ea siniſtrũ
suspicari poterat, magis potiusq; credebat virginem con-
cipere posse, quàm Mariam peccasse. inde cogitabat de mo-
Gloſſa. do quo tam sanctam virginem dimitteret, cuius cohabita-
tione ipse dignus non erat. Hinc testatur quædam Gloſſa,
ex facie virginis egressum fuisse quendam splẽdorem diui-
num, & radium decentissimum: vnde nihil nisi magnum &
præclarum de ea cogitare Ioseph potuit. Neque mirum est:
Augusti. Ioseph de Maria mali nihil cogitasse (licet Augu. videatur
Bonauen. alicubi dicere contrarium) quum scribat Bonauentura ha-
buisse ex fidei relatione Iudæi, etsi formosissima fuerit Ma-
ria, neminem tamen eorum vnquam ex eius aspectu exar-
sse libidine, aut in cõcupiscentias malas incidisse. siquidẽ illa

eiusmodi

eiusmodi affectiones prauas suo honestissimo aspectu extinxerit magis atq; deleuerit. Ioseph o itaque de dimittéda Maria cogitanti apparuit angelus, & dixit, *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariã coniugẽ tuam. quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est: pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum*, ipse enim saluũ faciet populum suum à peccatis eorũ. Hoc iã ante etiã Mariæ annunciauerat angelus, verum illa celauerat, & vt erat humilima, etiã Ioseph o cõiugi nõ dixerat. sed idẽ postea angelus istud arcanũ mysteriumquoq; aperuit ipsi Ioseph, qui deinceps posthabito metu cohabitauit Mariæ, fuitq; illi honor Ioseph vere maximus, quod ei per tantũ angelũ incarnationis mysteriũ diuinitus innotuit, similiter & nominis ei⁹ sanctissimi & vniuersæ redẽptionis humanæ mysteriũ. 4 Accedit an hunc cumulum dignitatũ etiã illud, quod in sua præsentia multa & magna fidei nostræ sanctissimæ cõtigerunt arcana, & angelus sæpi⁹ insuper ei loquutus est. Affuit enim Ioseph, quando Maria Christum peperit sine dolore, quando mirabilia à pastoribus cõmemorabantur de angelorũ claritate & laude, vbi admirabundus semper cum stupore affuit ille. Ad hæc in circunciſione Christi interfuit Ioseph, quando primum innocẽs eius sanguis effusus est, sanctũ illi nomen impositum, iuxta id, quod ei reuelauerat angelus. Corã affuit Ioseph, quãdo eum tres magi adorauerunt, suaq; illi munera obtulerunt. Corã affuit Ioseph, quando in tẽplum præsentatus Christus & columbis rursus est redẽptus. Audiuit ibidẽ prophetiam Simeonis, & hymnum, quo ille Iesu pueri laudes prædicauit, audiuit & Annã, super quibus omnibus admiratus est Ioseph. ¶ Præterea quater apparuit ei angelus domini, Primum, quãdo Mariã dimittere volebat: deinde, quum Herodes occisurus erat innocentes. tunc enim apparuit ei angelus & dixit, Surge, & accipe puerum & matrẽ eius, & fuge in AEgyptum, & esto ibi donec tibi dicam. Herodes nanq; quæret puerum ad perdendũ eum. Tertio, quum iam septẽ annis fuisset in AEgypto, rursus apparuit ei angelus, dicens, Surge, & accipe puerum & matrem ei⁹, & reuertere in terrã Iuda, mortui sunt enim qui quærebãt animam pueri. Ad extremum reuersus Ioseph in Iudæam, quum audiret Archelaum loco patris sui regnare, visus ei angelus, iussit ipsum proficisci in Galilæam,

Matt. 1.

Luc. 2.

Mat. 2.

1 2 4 Angelus 3

Vnde facilè colligere poterit quilibet prius, quantũ ſanctitatis habuerit Ioſeph, quẽ deus tanti donis illuſtrauit. Cæterùm quomodo ſe exhibuerit puer Ieſus erga Ioſephũ, cui inde plurimũ dignitatis redũdat, vel ex illo cõſtat quod euãgeliſta dicit, Quoniã quũ inueniſſent eũ Hieroſolymis, deſcendit rurſus cũ eis. & venit Nazareth, & erat ſubditus illis. quibus tandẽ? Ioſeph nimirũ & Mariæ. conſidera hic, quiſquis es inobediẽs, qui magiſtratui parere nõ vis cõſidera exemplũ Chriſti. Attendant liberi qui parentibus obedire recuſant. Ecce hic Chriſtus eius deiq; filius, parẽtib⁹ ſuis dedignatus nõ eſt obtemperare: & tu tuos cõtẽnes parẽtes, neq; illos colles? nõ ſequeris eorũ monita? qua tandẽ fronte id audebis, vt eos non patiẽter audias? Ecce in foribus pœnam. aut enim duriſsimũ aliquãdo ſuſtinebis ſuppliciũ, aut repẽtinus ſuperueniet interit⁹, quãdo calumniã & cõtumeliam ipſe incides turpiſsimã, omnibus etiã in mũdo futurus abiectiſsimus. Audi ſuper hoc præceptũ domini, Honora patrẽ & matrẽ, vt ſis longæuus ſuper terrã. illud exẽplo ſuo implere volẽs domin⁹, ſuis quoq; patiẽter paruit parẽtib⁹. O humilitatẽ ſaluatoris noſtri immenſam. O ordinẽ admirandum & ſtupendã mutationẽ, vt deus hominibus, creator obſequatur & obediat creaturæ. Verùm hoc magnã arguit dignitatẽ Ioſeph, cui ſimul Ieſus & Maria obtẽperant, non quod illud obſequium deſiderarit ipſe, ſed quia ex ſpiritu ſancto intelligebat ita velle deũ. ſic ergo diſpenſatiue factũ hoc eſt, ad implendũ myſteriũ redẽptionis. In omnib⁹ adeo Chriſtus nobis omnib⁹ aſsimilari voluit. accepta enim forma ſerui, habitu eſt inuẽtus vt homo. Expendunt hic latius doctores, in eo quod Chriſt⁹ pauper naſci voluit, ipſeq; Ioſeph labore ſuo victũ cõquiſiuit, veniſſe ſuper ipſum benedictionem hãc, laborẽ manuũ tuarũ quia mãducabis beatus es & bene tibi erit. quodq; Chriſto à vicinis dictũ eſt, fabri filiũ eum eſſe, putant ipſum eo opere victũ ſibi quæritaſſe. Inſuper Hieronymus putat Mariam extendi imperitã non fuiſſe. Docẽtur inde etiã Diuites atque monentur, ne liberos ſuos ociari ſinant, multã enim malitiã docuit ocioſitas, ideo neq; Maria ociũ ſequuta eſt. ſed lana ac tela victũ ſibi quæſiuit, atq; vt Sapiens ait, quæſiuit & linum, operata eſt conſilio manuũ ſuarũ. Hinc pie meditãtur deuoti quidam patres, Chriſtũ adhuc paruulum circũcurſitantem, quæ de opere

Luc. 2.

Exo. 20.

Philip. 2.
Pſal. 127.

Mat. 13.

Hieron.
Eccl. 33.

Pro. vlti.

opere & labore paterno deciderent, ligna collegisse: deinde cum adoleuerat, etiam manu labori adiunxisse. vnde factum sit vt à vicinis fabri filius diceretur. Hoc opere verisimile est vsum Christu esse, donec in perfectiorem veniret ætatẽ, iamq; per se suæ matri prospicere posset. Ibi tum feliciter ex hoc seculo migrauit Ioseph, sine dubio occurrentibus sibi angelorum choris animamq; eius sanctã excipientibus & in limbum patrum deducẽtibus, vbi vtique Abraham, Dauid omnesq; tum patriarchæ tũ prophetę eũ exceperũt, qui narrauit eis quomodo filiũ haberet iam Messiam. qui mundũ redempturus ipsosq; ex carcere limbi illius esset liberaturus, & adducturus in patriã felicitatis æternæ. Eam nobis quoque omnibus concedat idem mundi conditor & redemptor Christus Iesus dominus noster, Amen.

Marc. 6.

DIE ANNVNCIATIONIS VIRGINIS MATRIS MARIAE QVOD EXORdium est nostræ redemptionis. Euangelium.

Lucæ primo.

IN ILLO tempore missus est angelus Gabriel à deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, & nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eã, dixit, Aue gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei, Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud deum. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus & filius altissimi vocabitur. Et dabit illi dominus deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus, dixit ei, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrbait tibi. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius dei. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud deũ omne verbum. Dixit autem Maria, Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Marc. 1.

Iudi. 13.

Iudi. 6.

Esaiæ 7.

Mat. 1.

HOMILIA PRIMA.

PRIVSQVAM ad immẽsa festiuitatis huius mysteria perueniamus explicanda, breuiter quidem quoad fieri poterit, sed tamẽ de verbo ad verbũ, hoc excutiemus euãgeliũ, quod primũ omnium peruenit in mundũ. Missus, inquit euangelista, est angelus, qui vt cognoscatur ex nomine, addit, Gabriel. & vnde siue à quo, subdit, à deo. Ibi primum cœpit salus humana & redemptio nostra, quã non temere ab angelo incipit & exorditur euangelista, quoniã mysteriũ & sacramentũ illud ab æterno fuerat absconditum in deo, qui tamẽ omnia creauit, donec idipsum per angelũ reuelaret. fuitque negocio huic nũcius nõ inconueniẽs angelus, eo quod per Christi incarnationẽ restauratus etiã est lapsus angelorũ: iuxta id quod

Ephe.1. ait Paulus, quoniã proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporũ instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis

Ephe.1. & quæ in terra sunt in ipso. & illud etiã Dauidicum,

Psal.109. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas. Decuit ergo angelum mitti, vt ipsius lapsus (ex singulis enim choris aliquot exciderant angeli) restauraretur, ex promissione domini facta per prophetã, Suscitabo tabernaculũ Dauid quod cecidit, & ea quæ corruerant instaurabo. Ad hæc, lapsus hominis

Amos 9. à malo angelo incepit. Multa hic de missione angelorũ dici possent, sed nunc in præsentiarũ animus non est ab historia recedere. Angelo huic à deo misso, nomẽ erat Gabriel. Raro,

Beda. inquit Beda, legimus, quod apparẽtes hominibus angeli, designantur ex nomine, verũ quotiescunque fit, vtiq; fit, vt etiã ex nomine ipso quod ministraturi veniũt, insinuẽt.

De nominibus heb. Gabriel autẽ fortitudinem dei significat, authore Hieronymo: quoniam in hoc venit angelus ille vt fortitudinem ipsumque filium dei annunciaret, qui vere fortis extitit ad expugnandũ diabolum in hoc mũdo. Vulgare quidem est, quod Gabrielem hunc archangelum dicere solent. nemo tamẽ opinetur eũ ex aliquo inferiori choro fuisse angelorũ,

Gregor. sed ex supremo illo principatuũ, ita inquiente Gregorio, Mittit ad virginem nõ quemuis angelum, sed fortitudinem suum archangelũ. decuit nanq; ad hoc sublime mysterium mitti altissimum angelum, quia altissimũ annunciaret, quique ipso nomine opus suum & laborẽ designaret. Gabriel enim fortitudinem dei sonat, quum venerit ille iam annunciaturus

ciaturus regem gloriæ, dominum virtutũ, potentẽ in præ-
lio ad debellandũ aërias potestates. Probari idem potest ra- *Psal. 24.*
tione. Rex etenim negocium in quo multũ situm est expe-
diturus, facit illud per charissimum & fidelissimũ sibi mini-
strum. Iam vero certũ est quod ait Augustinus, In rebus per *Lib. 12.*
tẽpꝰ oris illa summa gratia est, quod homo in vnitate per- *de trin.*
sonæ coniunctus est deo. ministerium ergo tantũ vni ex al- *cap. 19.*
tissimis angelis cõmittere voluit. Quid quod ad prophetã
Esaiam de summis angelis vnum misit deus, quoniã sic scri- *Esaiæ 6.*
ptũ est, Volauit ad me vnus de Seraphin? quod si ad eũ de-
misit dominꝰ vnum ex supremo choro ipsum tãtum expur-
gare, vt magis idoneus esset ad annunciandã prophetiã fu-
turæ incarnationis Christi, quanto magis ex summo choro
angelorum misit vnum, qui iamiam imminentẽ illã denun-
ciaret? & quia inferiores angeli à supremis mittuntur, dixit
hic Lucas angelum illum à deo missum, puta immediate, &
ex supremo choro, nõ talem qui ab alio angelo fuerit mis-
sus, ideoq; & ad Zachariam dicit, Ego sum Gabriel qui asto *Lucæ 1.*
ante deum. (& ita est de angelis assistentibus) neq; hoc pa-
rum illi decuit angelo quo ad proprietatem suam, eo quod
ipsi reuelatio tribuitur mysteriorũ dei iuxta Glossam quæ
habet, Gabriel fac vt intelligam visionem (id est, prophe-
tiam.) Iam vero incarnatio filij dei, mysterium lõge pro-
fundissimum est. Ex eo quoq; decentius fuit illud, quod E-
uam in paradiso pessimus omniũ seduxit diabolus, quẽ ait
Christus homicidam fuisse ab initio, & non stetisse in veri- *Psal. 103.*
tate. vnde eundẽ Dauid quoq; draconem vocat, quem po-
suit dominus ad illudendum homini. Rursus iam cõuenie-
bat ad redemptionẽ hominis restaurãdam, altissimum mit-
ti angelum ad Mariam. Et cur tandẽ non nobilissimum an-
gelum deus ad nobilissimã virginẽ mitteret? imõ decuit vt
deus ad virginem qua in terris nõ habebat electiorem, an-
gelum mitteret, quod dilectior ei nõ erat in cœlo. Vniuer-
sam enim legationẽ illã vt instituit, ita perfecit dominus ex
mera charitate generis humani. Ita deus dilexit mundũ, vt
filium suum vnigenitum daret. est autẽ Seraphin supremus
angelorum chorus nomenq; suũ habet à dilectiõe petitum.

2 Iam porrò circunstãtias omnes propriè describit euan- *Ioan. 35.*
gelista, quo maior ei tanquã vero scriptori fides adhibeatur.
tempus iam ante indicauerat sexti mensis, puta ab annun-

ciatione. Zachariæ facta. nunc post nomen angeli & illum à quo missus sit, locũ insinuat, quia ciuitatẽ Galileæ cui nomen Nazareth. inde virginis meminit, cui nomẽ Maria: & viri, cui desponsata fuerat, Ioseph. Quę omnia solicite adeo, nõ temere vtiq; spiritꝰ sanctus per Lucã describi voluit. nã quod à deo missus erat angelus ille, nuncij magnificentiã arguit, profecti à domino dominantiũ regúmq; omnium rege. quod autẽ in Nazareth Galilææ ciuitatẽ mittitur, à prophetia nõ abhorret, quoniam Nazareth Galilææ oppidũ fuit, nõ procul à monte Thabor, vnde Nazarenus dictus est Christus. iamq; olim qui Christo fuerunt infensi. nos etiã Nazarenos vocabant. Adhuc quoq; authore Eusebio, ciuitas est quæ dicitur Nazareth, sedẽ in tribu Zabulõ, de qua dixit prpoheta, Primo tẽpore alleuiata est terra Zabulon & terra Nephthalim, & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanẽ Galileæ gẽtiũ. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucẽ magnã. & sic inducit Matthæus illud de Christo, quia Nazareus vocabitur. Neq; parũ conuenit huic operi expositio duorũ istorum nominum, imò multũ conducit ad illud, quod in hoc nũcio parabat dominus. siquidẽ Galilæa rotam sonat aut trãsmigrationẽ. sic ergo in Galilæã missus est angelus Christi natiuitatẽ nunciaturus, vt homo à rota miseriæ & infelicitatis mũdi huius liberaretur, atq; ab exilio transmigraret in ciuitatẽ futuræ patriæ. ideo etiã Christus ibi cõcipit voluit, ibi primũ incepit prędicare. gloriámq; resurrectionis suæ manifestauit, sicut angelus mulieribus apud sepulchrũ annunciauit, vt sic principium, mediũ & finis pulchre conuenerint. ipsi quoq; apostoli Galilæi dicti sunt, non tantũ à Iudæis & Gentibus, sed etiã ab angelis post Christi ascensionẽ. Insuper illud eo cõueniebat magis, quod quia Christꝰ in salutẽ & redemptionem venit nõ tantũ Iudęorũ, sed & Gentiũ: in Galilæa autem Iudæi & Gẽtes cohabitabant, hinc itaq; in eorũ omniũ redemptionẽ Christꝰ humanã voluit assumere naturã: iuxta illud quod ei dixit dominus, Posui te in lucem gẽtiũ, vt sis salus mea vsq; ad extremũ terræ. Pulchrè etiã conuenit Nazareth appellatio. floré enim vel germen sonat, aut etiã sanctificationẽ, seu magis vnctionem, vnde Nazarei appellati sunt, qui semet sanctificauerant & addixerant deo. hic autem iam concipi debebat sanctus omnium sanctorũ, flos florum

Apo. 19.
Esaie. 9.
Mat. 2.
2. Tomo.
Mat. 4.
Mar. 16.
Mat. vlt.
Act. 2. & 1.
Num. 9.

florum iuxta illud, Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de germine eius aſcendet. flos hic, Chriſtus dominus eſt, in ciuitate floris annunciatus, conceptus & educatus. *Cloſſa. Eſa. 11.*

3 Præterea addit Lucas miſſum eſſe angelum ad virginem deſpõſatam Ioſeph, cui nomẽ Maria: quæ, quia virgo perhibetur, laus ipſius eſt peculiaris. virgo enĩ eiuſmodi eſt, quæ ſuperat omnes: virgo prudentiſſima, quæ ſumpſit oleũ ſecũ. ſiquidẽ in corde ſuo caſtitatẽ nouit, vitã vixit angelicã per cõtemplationẽ myſteriorũ dei, pudica & caſta tota in virginali geſtuũ morũmq; honeſtate. (ex illis quinq; mẽbris potes facere ſermonẽ de virginibus) laudẽ hanc perpetuæ virginitatis nulla potuit ante Mariã virgo habere, ſed omnes ante eam nihil prius habuerũt, quã populũ dei electum ſuo quẽlibet tẽpore augere itaq; nulla perpetuã ſibi ꝓpoſuit caſtitatẽ, niſi Maria, quę & primã & maximã inde retulit palmam. ſiquidẽ quẽ humano generi lapſum intulit cõiugium Euæ, Mariæ recuperarit virginitas. Coniugiũ Euæ angelis impediuit impletionem ruinæ, Marię caſtitas rurſus impleuit cõiugiũ Euæ deſpoliauit cœlos, Mariæ virginitas reſtauravit. Quod autẽ illa, ita diſponente ſpiritu ſancto, deſponſata eſt marito, rationes aſſignant Ambroſ. & Origẽ. quarũ aliquot in die S. Ioſeph declarauimus. Ioſeph enim de domo Dauid fuit, quod nõ tantum Ioſeph, ſed & Mariæ competit, quæ etiã fuit de ſtirpe regia Dauid, cuius hic meminit eo maxime Luc. vt memorẽ reddat lectorem ꝓmiſſionis diuinæ, quæ facta eſt Dauidi in illo verbo, Iurauit dñs Dauid veritatem, & nõ fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedẽ tuam. & ſecundũ illud ꝓphetæ, Super ſoliũ Dauid & ſuper regnũ eius ſedebit. Et nomen virginis Maria. nomẽ hoc ſanctũ & benedictũ eſt, quod reuelauit angelus Ioachim & Annæ de eo dici ſolet in die natiuitatis Mariæ, ſed idipſum huic rei valde accõmodũ eſt, authore enim Hiero. dicitur illuminatrix mea, vel illuminãs eos, vel illuminata, vel ſtella maris, ſermone autẽ Syro domina dicitur, quæ omnia præ cæteris mulieribꝰ Mariæ cõpetunt, quoniã ipſa in mundũ protulit ſolẽ iuſtitiæ, lumen vniuerſi orbis, ipſa ſtella illa maris eſt, in quã aſpicere nos omnes debemus, quotquot in mari mũdi huius nauigamus. Primus legiſlator Moyſes, & ipſe nominis huius ſororẽ habuit, mulierẽ præſtantiſſimã omniũ eorũ quæ tranſierunt per mare rubrũ. illa *Ambroſ. Origen. Pſal. 131. Eſa. 9. De nom. Heb. Beda.*

nanque glorioſo iſto cantico celebrauit dominum, dicens;
Exo.15. Cantemus domino, glorioſe enim magnificatus eſt, equũ & aſcenſorẽ proiecit in mare. Ita ſecũdi legiſlatoris mater noſtra hæc Maria, cãtico ſuo magnificauit dominũ, ſicut omnes vtriuſq; partes inter ſe cõparari poſſent (at hoc plus eſt, pro meditatione ſeu cõtemplatione doctis, quam pro communi plebe & turba indocta.) Quódq; Mariæ non incõuenienter nomen hoc ſit inditũ, ex ſuperiori interpretatione
Vegerius proſequitur.
Apo.12. S. Hiero. teſtatur S. Ioannes cum ait, Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, ſuper caput eius corona ſtellarũ duodecim. Ecce cur Maria dicta illa ſit illuminata vel illuminatrix, ſiue ſtella maris aut
Cant.6. domina, quomodo de ea ait ſpõſus, Viderũt eam filiæ Sion, & beatiſſimam prædicauerunt, & reginæ laudauerũt eam. Imò vniuerſus hic mundus ſatis eam laudare non poteſt. nihil enim hic neochriſtianorum curamus blaſphemias, qui ſoli ab eius gloria & honore veneratioñéque abhorrent.

4 Ingreſſus eſt ergo ad eam angelus, in thalamũ ſcilicet quo habitabat, vbi diligenter attendunt doctores, Mariam non hinc inde fuiſſe vagatam, quod petulãtes & laſciuæ faciunt puellæ, ad inſtabilem & libidinoſum animum ſuum mundo declarandum. Maria orationi incubuit ardenter & tranquille, quod inde dominus eius & filius docuit ſuos, vt orare volẽtes cubile intrent, ibiq́ue clauſo oſtio orent deum
Matth.6. patrem, qui ſic inuocatus, exauditurus ſit eos. Ita plene in o-
Iudith.8. ratione ſua ſemet abdidit domi, ſicut fortiſſima Iudith, quæ in penetralibus ædium conclaue habuiſſe legitur, vbi ſeclu-
Tob.3. ſa cum ancillis ſuis habitabat. Sarra quoq; Tobiæ in ſupremas domus ſuæ partes aſcendens, commorata eſt ibi tribus diebus & noctibus continue cum lachrymis orans dominũ, vt eam à calumnia liberaret. Quanto magis ſanctiſſima & caſtiſſima virgo Maria recluſa ab aliis habitãs, perſeuerauit in orationibus ſuis, quoniã de ea typice dictũ eſt illud, Hor
Cant.4. tus cõcluſus ſoror mea? nec quiſquã ſuſpicari debet, author
Bernar. Bernardo, fores hic apertas fuiſſe. Recolũt ibi pij patres, Mariam in cõclaui ſedentẽ profuſis precibus dominũ oraſſe pro aduentu Meſſiæ, atq; præ oculis habuiſſe illud Eſaię,
Eſa.7. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, hoc eſt, nobiſcum deus. taliaq́ue lectitantem, ſummo ſtupore & admiratione attonitam fuiſſe, atque in-

clamaſſe,

clamasse, O fœliciſſimam virginem illam, vtinam ea mihi contingeret felicitatis pars, vt te videre tibique ancillari & ſeruire merear. O domine miſericordiarũ, quando erit tempus illud, vt populũ tuum redimas, vt Meſſiam mittas mundi redemptorem? Talia meditanté virginem inuenit angelus, ingreſſus tũc ad ipſam Cõclaue illud in quo Mariã reperit angelus, obſcurũ eſt, & mirabiliter per ſanctos angelos à Nazareth per mare tranſlatũ, iámque cernitur in Loreta in Marchia Ancõſtana, in magno & auguſto téplo, vbi & virgo Maria omnibus fidelibus vndecũque cõfluentibus multa auxilia, ſolatia & præſidia exhibet. A Ethiopes quoque ex mari, quod ab eo loco vix duobus diſtat miliaribus, conati ſunt templum hoc ſpoliare, ſed in ipſo monte excæcati ſunt, nec potuerũt cum angelo Gabriele intrare. Aiunt inſuper ſæpe cœptum eſſe etiam pio affectu aliquid muro eius conclauis aſtrui, ſed permanere nihil potuiſſe, vti coram vidimus veſtigia. At iam voſmetipſos & omnia quę habetis chariſſima, in Mariæ tutelam commendate, &c.

HOMILIA SECVNDA.

VNVS ex principatibus ſupremo illo angelorũ choro Gabriel, à deo miſſus in ciuitatem Nazareth, venit ad virginẽ Mariam. idem ille antea annunciaturus Ioãnis Baptiſtæ natiuitatem, apparuerat viro. verũ hic in annunciando Chro domini, nõ Ioſeph, ſed ſoli apparet Mariæ, quoniã ex ea tantũ ſine vllo virili ſemine Chriſtus cõceptus ſimul & natus eſt. Quomodo autẽ ingreſſus ſit angelus, aiũt doctores veniſſe eum aſſumpto corpore ex aëre, ſicq; in figura hominis & quidẽ adoleſcentuli ornatiſſimi (id enim angelũ decebat tãtæ puritatis) apparuiſſe Mariæ, quomodo & Abrahę tres angeli corporali ſpecie apparuerũt, ipſi Loth duo, vnus quoq; qui ſortiſſimi Samſonis annunciauit natiuitatem. nãque is adeo repræſentabat hominem, vt neſciret Manue eum angelum eſſe, tantiſper dum in flamma ſacrificii videret eum aſcendere in cœlum. ſic & Raphaël angelus Tobiæ miſſus eſt, neque ſciebat ipſe eum angelum eſſe, donec diceret ille, Ego ſum Raphaël angelus, vnus ex ſeptem qui aſtamus ante dominũ. Quúmque eſſem vobiſcum, per voluntatem dei eram, ipſum benedicite & cantate illi. Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere, ſed ego cibo inuiſibili & potu qui ab hominibus

Geneſ. 18. & 19. *Iudith* 13.

Tob. 5. & 12.

videri nō poteſt, vtor. Huiuſmodi nimirū facie humana apparuit etiā Gabriel Mariæ, nec eſt quod cogitent ſimplices eum aliis ſuis aduolaſſe, ſicq; ad Mariā ingreſſum fuiſſe. nā quod alatos pingūt vulgo angelos, eo tantū fit, vt ipſa pictura ab hominibus ſecernantur, vel vt eorū declaretur celeritas. neq; enim opus eſt angelū pedibus vti ad ambulandum quo volet, ſed illuc velociſſime cōferre ſe poteſt quocunq; lubitum fuerit. Sic ergo ingreſſus ad Mariam angelus eſt in corporea & viſibili forma, habitu honeſtiſſimo, non ita tamen, vt putes eum auro gemmiſq; redimitum fuiſſe, quod hæc temporalia nō fuerint magni momenti apud Mariam, quæ vt erat pudiciſſima, honeſtatē tantum in veſtitu & aliis rebus maximi fecerit. Quæras vnde ſcierit hic nomē angeli Lucas, quū tamen nō fuerit hoc ſæpius in ſacris literis vſitatum, vt angelorū expreſſa ſint nomina. Raphaële excepto, & vbi ipſe nomen ſuum Gabriel Zachariæ dixit, at hic non item. Reſpōdetur, habuiſſe hoc Lucam ex virgine Maria, ſicuti piè credendum eſt, Lucam ex ipſius doctrina & reuelatione permulta accepiſſe. quamobrē præ cæteris euangeliſtis multa de Mariæ virginis vita & actis conſcripſit. Maria autem illud ex inſtinctu ſpiritus ſancti cognouit, qui & angelum ei manifeſtauit, & nomen eius expreſſit. Quis enim nō credat frequens apud Mariam fuiſſe miniſteriū angelorum? vnde & quod deinceps ait Lucas, perturbatā eſſe Mariam in ſermone ipſius non ad perſonam eius referendū eſt, quaſi aliena ſibi fuerit, ſed tantū quo ad ſermonem eius. ſiquidem cogitabat qualis hæc eſſet ſalutatio. credendum ergo eſt, principio ſtatim etiā ex nomine cognitum fuiſſe Mariæ angelum per ſpiritus ſancti inſtitutū. 2 Ingreſſus itaque angelus, ſalutare ipſam cœpit & dicere, Aue gratia plena, dominus tecū, benedicta tu in mulieribus. O ſalutationem magnificā & honeſtiſſimā, cuiuſmodi in terra omnibus retro ſeculis audita nunquā fuit. O quantum inde gaudiorum cōcepit ſibi regina cœli Maria, & habitura eſt perpetuo. Quamobrem vniuerſa eccleſia toties eam illi offert quotidie, ſanctiq; patres multas pias ſuper ea meditationes deſcripſerunt, quas hic breuitatis ſtudio nō adducimus. ſed vnum tamen reticere non poſſumus, vt paululū quid ſuper ea cōſuetudine dicamus, quod mane & veſperi pulſum glorioſæ huius ſalutationis recolendæ obſeruamus, admonemúrque

múrque eo ipso omnes, gaudiorũ virginis Mariæ meminisse, quæ habuit ex salutatione angeli, simulque gratias agere deo optimo maximo de glorioſa filij ſui incarnatione.

¶ Aue dixit angelus, Maria. hinc à tali principio toti reman ſit ſalutationi nomẽ & appellatio, quá vtiq; conſtat in cõſilio factã altiſſimæ & indiuiduæ trinitatis. Pulchre enim hic cõtemplantur ſancti patres, ſingulas perſonas trinitatis Gabrieli cõmiſſionem dediſſe. Et patrem quidẽ dixiſſe. Vade & virginẽ illam quã mihi ab æterno ſpõſam elegi, vt mater eſſet filij mei, cuius ego ſum pater. Filiũ quoque ei ſic commiſiſſe, Eia age abi ad eam, quã ex omnibus filiabus hominũ mihi elegi, vt eſſet mater mihi chariſſima, ſub eius ego viſceribus & præcordiis conquieſcã, eius vbera fugam, ipſiúſque filius ero dulciſſimus. Hinc ſpiritũ quoque ſanctum iniunxiſſe Gabrieli, Perge & ei nuncia me venturũ, ipſam omnibus gratiarũ donis impleturũ, & ex eius ſanguinibus puriſſimis filio dei corpus formaturũ, vnde fiat ipſa mulier ex omnibus ſanctiſſima, mater genitrix dei. Huiuſmodi quædã poteſt pro ſuo affectu quilibet homo pius hodie meditari, quæ tũc in cœlo ſint geſta. quando honeſtam & glorioſam hãc legationẽ deus deſtinauit in terras, tali ſalutatione præmiſſa, tanta cõmiſſione adiuncta, quæ quinque iam milibus annorum in cõſilio trinitatis occulte fuerat ſuſpenſa. Dices, cum tanta ſit eius ſalutationis authoritas, tamq; eminens dignitas, quid eſt quod & eccleſia & fideles omnes ea frequenter adeo & pene ad vtilitatem vtatur? Reſpondeo hic tibi, quoniam ſine dubio nõ recepiſſet ipſam eccleſia pro quotidiana oratione, propria authoritate, niſi habuiſſet ſuper eo inſtinctũ ſpiritus ſancti, cuius numine factũ eſt, vt quotidianæ ſint preces inſtitutæ. & primo quidẽ oratio illa, quã dñs ſuo ſanctiſſimo ore & fecit primus, & inſtituit ad laudẽ & inuocationẽ patris cœleſtis in ſeptẽ petitionibus, quas cõtinet. Huic pxime voluit ſuccedere ſalutationẽ angelicã, cui addidit laudẽ & cõmendationẽ Chriſti Ieſu, quæ & ipſa à ſpiritu ſancto p Elizabethã ad nos deuenit, benedict⁹ fruct⁹ vẽtris tui. Quomodo enim præſumere auderet peccator, vt immũdo ore aſſumat verba diuina & angelica, niſi illud ita fieri debere ordinaſſet eccleſia ex ſpiritu ſancto? Salubriter autẽ hoc ita inſtitutũ eſt, vt poſt laudẽ ſummi patris & petitionẽ eorũ quæ nobis ſunt neceſſaria, breuiter etiã deinceps

Matt. 6.

laudemus Christū, interiecta samē laude mediatricis nostræ quatenꝰ sic ꝓ vtriusq; aduocati Iesu & Marię intercessionē, quicquid à deo patre digne petimꝰ, efficaciter cōsequamur.

Hasia. ¶ Et hinc morem illum in septem horis canonicis & alibi habet ecclesia, vt post finitam orationē dominicā & angelicam salutationem, rursus repetat illud vltimum dominicæ orationis, Et ne nos inducas in tentationem, &c. quasi dicere vellet, Omnipotens pater. septem nobis necessaria dare te rogauimus in oratione quam nos ipse docuisti, per intercessionem filij tui Iesu Christi, quem ex Maria virgine nasci voluisti. iam itaque per ipsius interuentū exaudi nos, ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, Amen. Ita vt in oratione nostra properantes à principio ad mediū, recurramus rursus à medio ad principium. 3 Sed hic differendum nōnihil est, & inuehendū aduersus nefandū neochristianorum errorem, qui nec orari volunt salutationem hanc, neque ad orandū eam pulsu homines admoneri, dicentes non hanc esse orationē, sed tantum Mariæ cōmendationem, eo ꝓ non sit in ea verbum aliquod petitionē in se habens. Hi non eo tantum male faciunt, quod se à cōmuni ecclesiæ cōsuetudine segregant, imò in hoc quoq; imprudenter agunt, quod eo ipso nescire se profitentur & nō intelligere, in quonam forma modúsq; orationis cōsistant. potest enim orare qui verbo petitorio nullo vtitur, quod in nostris mendicis clare cernitur, quoniam alij quidem petunt sibi aliquid propter deum cōferri & dari, alij autē cantu aut instrumento quopiā siue fidibus egestatem suam declarant, alij bonitatem tantū & diuitias eius quam rogant, commendant: alij quoq; miseriam & calamitatē suam quā patiuntur, deplorant: alij morbos & incōmoda monstrant, vlcera aut vulnera ostentant, quę pro ipsis loquātur & petant, satis esse ducentes mala sua cognosci & patere iis, qui misericordiā eis velint exhibere. Ita & in spirituali mendicitate magna admodum est hominum copia, imò homines omnes quotquot sunt in mundo, in hoc xenodochio ægroti decumbūt, quorū supremus curator Christus est, qui nos docuit mendicare, dum iussit orare, Pater noster qui es in cœlis, &c.

¶ Verùm adhuc prēter illam orandi formulam, plures aliæ sunt spiritualis mendicitatis viæ, & ex iis tres potissimæ. Prima est, cum rogatur quidem deus, sed non expressis verbis,

tantum

tantum cum commendatione bonitatis ſuę ex deuotione & humilitate, puta cum dicitur quam magnus, beneficus, propitius & miſericors ſit, &c. Secunda, ſi proponatur ei aduerſariorum & inimicorum ſuorum furor, tyrannis & crudelitas. Tertia, ſi qui rogat, inopiã miſeriam & egeſtatem deplorat, dicens, atq; commemorans quam debilis ſit & impotẽs. Id adeo vel ex eo certũ eſt, quoniam nemo Chriſtianus negare poteſt nos pſalmos orare, quod autẽ ſunt pſalmi in quibus nihil petitur, ſed tantũ celebratur deus, diabolus interim atq; hoſtes Chriſti incuſantur? Quot ſunt etiã in quibus Dauid ſuam ipſius deplorat miſeriam, vt in Pſal. 8. 19. 13. 45. 46. & 47. ¶ Quum itaque fateri cogantur Chriſtiani, omnes iſtiuſmodi pſalmos quibus laudatur deus, eſſe vtique precationes, quid vetabit ſalutationẽ & laudem Mariæ orationẽ haberi? ſi quãdo ſic ſalutat peccator Mariam, Aue gratia plena, dominus tecum, quid aliud dicere videtur niſi illud? Admoneo te ô virgo Maria illius gaudij tanti, quod habuiſti in annunciatione archangeli Gabrielis, quando plena fuiſti & adhuc es omni gratia, fac me illius gratiæ participem. tecũ enim dominus eſt, vt ſic poſsis conſtanti fiducia apud illũ pro me interpellare, &c. 4 Ipſa quoq; archãgeli verba ſingula, vt ſunt efficaciſsima ita myſterio nõ vacãt. ſic nanq; exorſus eſt, Aue. quod germani ſalutationis verbo exprimunt, eo quòd deceat omnes homines ſalutationẽ hãc oraturos, in genua ſua procidere. Nam cur homo mortalis genua ſua non demittat in terrã ad hanc ſalutationẽ, ad quã ex ſummo cœlorũ throno filius dei deſcendit in terram: aut quid mirum ſit, ſeruulum humiliare ſe & genua flectere, cũ reginam cœli & terræ eſt ſalutaturus? Sunt ex doctoribus qui aiunt, Gabrielem quoq; ſe corã virgine inclinaſſe, ſuaq; genua curuaſſe, quãdo eam ſalutauit. ſiquidem iam olim typice figuratum fuerat, Chriſtum reuerenter eam habiturũ, quoniam in hiſtoria Regum legimus ſurrexiſſe regẽ, vt obuiaret matri ſuæ, ac deinde inclinaſſe ſe erga eam. quæ ſane figura extitit eius, quod Chriſtus matri ſuæ in aſſumptione obuiauit. Inſuper Ioannes quoque in ipſo adhuc matris vtero exultauit, quando Maria viſitauit Elizabeth Inuitet ergo nos ad ſalutandam Mariam Gabrielis exemplum, Ioannis exultatio, & lucrum nobis inde proueniens, quoniam ab ea re ſalutamur. ſicut doctores hic fructus tres commemo-

3. Reg. 2.

Luc. 1.

rant, qui proueniunt iis qui salutãt Mariam, desumptos ex
Eccle.15. verbis Sapientis, Obuiauit illi quasi mater honorificata, cibauit illũ pane vitæ & intellectus, firmabitur in illo & non flectetur, & exaltabit eũ apud proximos suos. Quisquis ergo ex Maria auxilium sperat & sapientiam impetrare vitę, sedulo salutet eam. Quisquis in bono perseuerare cupit, ne flectatur in malũ, salutet Mariã. Quisquis in honore vitam transigere cupit, & is Mariam salutet. Fuit Romæ ciuis, & matrona quędam honesta, nomine Maria, de qua sic scripsit Paulus Romanis, Salutate Mariã quę multũ laborauit in vobis. (Pulchrũ hoc est thema, quod applicabis ad salutationẽ
Rom.15. angelicã.) Quod si igitur Paulus diligẽter adeo salutari voluit Mariam ciuẽ, quanto magis nos salutare debebimus virginem Mariam, omni tum diligentia, tum pietate, cũ angelo dicẽtes, Aue gratia plena, &c. Deprecemur dominũ deũ pro omni necessitate ecclesiæ sanctæ & catholicæ, pro omnibus in vtraq; potestate positis, pro iis etiã cũctis pro quibus nos ille velle velit, & debere orare. Oremus & pro parentibus nostris, fratribus & sororibus, pro benefactoribus nostris omnibus & fautoribus, etiam pro iis quibus causam & occasionẽ dedimus peccandi, pro fidelibus omnibus defunctis, & iis qui singularem intercessionem nõ habẽt, &c.

HØMILIA III.

MISIT deus ad Mariam Gabrielem archangelum, qui ad eã ingressus dixit, Aue gratia plena. Salutationem hanc omniũ longẽ glorioßissimam, propriè sibi sumpsit ecclesia vsurpandã, & in ea pleriq; sancti patres multa cũ pietate se exercuerunt, animi sui feruentẽ oblectantes affectũ,
Bernar. sicut sanctus Bernardus mellißuus Mariæ seruus, multũ & grauiter in ea laborauit, quoniã apud se quisq; non sine admiratione cogitare potest illud cũ Maria, Qualis est hæc salutatio? Quid sibi vult Gabrielẽ angelum de cœlo missum venire ad Mariã in conclaue, curuare genua, flectere caput, & salutare honorificè, quam norat iamiam futurã angelorũ cœlorum reginam? Id adeo etiãnum hodie contemplamur: quomodo oporteat Mariã plenam esse gratia & virtutibus, coronam glorię, quam deus tanta dignatus est per angelum suum salutatione. Hinc est quod toties ei illã proponimus, vt diuinę miserationis recognoscat initium, humanęq; redemptionis

demptionis exordium, præter id per quod ipſa ſumpſit initium in hac ſalutatione, vt eſſet mater dei, cũ ita exorſus eſt angelus, Aue. Mitto hic quod verbũ illud, ſi inuertas literas Eua dicitur: quoniã quod amiſit Eua, Maria reſtituit. Mortẽ nobis intulit Eua, Maria reddidit vitã. Neq; commemorare hic licet expoſitionem verbi Aue, hoc eſt, ſine vę. ſiquidẽ ſine omni væ peccati Maria concepta eſt, & nata extra maledictionem Euæ, ſine qua ipſa etiam deinde cõcepit & peperit quum triplex vę reliquerat Eua filiabus ſuis: primum, quod in peccato originali concipiantur & pariantur: alterum, dum grauiter ferunt liberos: poſtremum in eo, quod non ſine ſummis doloribus pariunt ipſę. inde cum exempta & immunis fuerit Maria, recte ei dictũ eſt Aue. nos quoq; dũ illud ei inclamamus, eo ipſo admonere eam debemus, vt gratiã nobis impetrare dignetur, quatenus ipſius interuẽtu liberemur, non tantum à væ præſentis peccati, ſed & futuræ damnationis. Poſſem hic latius ex ipſa vocabulorũ proprietate oſtendere, quomodo vox hæc ſalutationis, apud Græcos & Latinos gaudiũ proprie deſignet. (quoniã Aue ab auendo dictũ, gaudium importat ex recupita, ſicut chaire in Græco) quicquid autẽ hoc eſt, ſcholis relinquatur. tibi ſatis hoc ſit, per verbum illud Aue, vniuerſo mũdo gaudium & pacem eſſe annunciatã. 2 Addidit angelus, Gratia plena. Vere plena tota, quoniã gratia tãta digna erat, vt mater dei efficeretur, iuxta illud quod ait Sapiens, Mulierem gratia plenam inuenturã gloriam. Ita Maria plena gratia adinuenit gloriã, imo ipſum gloriæ & dñm & regẽ: atqui vt plena eſſet gratia, vitia & peccata à ſe omnia profligauit, vnde intellectui ſuo lumen acceſſit, vt virtutes amaret, ſicut in perſona ſua dixit ille, In me omnis gratia vię & veritatis, in nobis interim miſeris mortalibus plenitudo eſt prauæ cõcupiſcentiæ & ardoris in omne malum. Propone in hoc tibi principes, reges & optimates, ecce non implentur niſi faſtu & peruerſa dominandi libidine, vbi modus nullus eſt cogitandi de ampliandis dominiis, diuitiis coaceruandis. ab iis immunis Maria extitit. & ꝓ eo gratia dei plena inuẽta eſt, Plenius intuentur doctores hic & examinãt ſcripturas, quæ teſtantur Stephanum quoq; gratia & fortitudine plenum fuiſſe, & de Chriſto ſic habent, Vidimus eum plenum gratia & veritate. Atqui Mariam conſtat nõ eam habuiſſe gra-

Prouer. 11

Eccle. 2.

Act. 6.

Ioan. 1.

tiæ plenitudinem quam Christus, & tamen maiorē Stepha-
no. Ad hoc discernendū dicunt doctores multiplicē esse gra
tiæ plenitudinem. Est enim plenitudo gratiæ quo ad suffi-
cientiam, quæ alicui sui tum status tum meriti respectu suf-
ficiens est, qua etiam ille satiatur. ea est in omnibus sanctis
quam tamen alius alio habet vberiorem, alius minorem, suæ
Psal.16. tamen gloria quisque contentus est, dicens cum Dauide, Sa
tiabor cū apparuerit gloria tua, Nō secus acsi habeat rex fi-
lios tres, adultum & maturæ ætatis vnum, alium adolescen-
tulum, tertium inter hos duos medium: vestiat autem singu
los habitu deaurato, habebit vtiq; minor natu vestem mino
rem adulto, sibi tamen sufficientē, siquidē maior ei futura
erat inutilis. qua de re alias plura applica. Alia gratiæ pleni
tudo est per singularem aliquam prærogatiuā seu eminen-
tiam, eaq; præ aliis sanctis fuit in Maria. illa enim glorioſe
adeo omni repleta est gratia, & instar scrinij referta, atque
à deo electa, omniq; gratia impleta. Tertia porrò plenitu-
do copiæ & abūdantiæ est. hanc cōstat esse in ecclesia Chri-
sti catholica, qui thesaurus eius est, commune meritum san-
Fundamē tū indulgē tiarum. ctorum ex operibus perfectionis. Quod quisquis recte in-
telligit, iam fundamentum & rationē habet assignare indul
gentiarū. Quarta in super gratiæ plenitudo, emanationis est
Ioan. 1. & superfluentiæ, quam Christus habet, & de ea Ioannes di-
2. Cor. 11. xit, quia de eius plenitudine omnes accepimus. plenitudo il
Ephe. 5. la gratiæ Christū caput efficit vt sæpe Paulus cōmemorat,
sic enim gratia illius diffusa per omnia membra, totamq; ec
clesiam, promanat in sacramentis & omnibus operibus bo-
nis, influitq; hoc modo motū & sensum. Quicquid ergo in
ecclesia bonū est, puta illuminatio fidei, gratia sacramento-
Ad Dar-danum. rum bonorumq; operū, id omne ex passione & morte, imo
ex sanguine Christi redundat. quod intelligens August. ait,
Sicut omnes sensus in capite sunt, ita omnes gratiæ in Chri
sto. Et hoc iam discrimē interest plenitudinis gratiæ in Chri
sto, Maria & Stephano, sicut in vasculis: quorum quædam
etiam non oppleta, plena dicuntur. aliter enim concha plē
na est, aliter canalis, alio modo scaturigo fontis. patera per
se plena dicitur, tantum siquidem capit, quantū infunditur,
vltra id canalis etiam in alios locos deuehit aquam, quū inte
rim fons diuiti vena scaturiens, ex se largiter aquam, submi
nistrat, nec vnquam deficit. Sic res se habet in proposito,

quoniam

quoniã ſic ſancti pleni ſunt gratia, vt cõcha aqua: quã ſi infundas multã multum habet. nanq; cuilibet ſanctorũ dicere poſſum[2], Quid habes quod nõ accepiſti? ſignificatũq; id eſt in cõcha, quã impleuit Gedeon rore ex vellere. Maria autẽ plus habet gratiæ, vnde & ipſa plena gratia dicta eſt, ſed inſtar canalis, qui licet non habeat aquam ex ſe, tamẽ abundat & aquã latius deriuat. ſic Maria non ipſe fons eſt aquæ, ſed eam ex illo habet, à deo nimirum, diuitẽ tamen & adeo huberẽ, vt poſſit aliis cõmunicare. vnde eam Sapiẽs ait, inſtar canalis egreſſam de paradiſo. At Chriſtus omni gratia pleniſsimus eſt, ſicut fons aquis abundat vera ſcaturigine ebulliens. is enim hortũ eccleſiæ irrigat gratia ſua, omniſq; aqua gratiæ ab eo diffunditur tanquã mediatore redẽptionis vnico. quod attendẽs Sapiens, ait, Fons hortorũ, puteus aquarum viuentium. 3 Deinceps laudat Mariã angelus, & ſalutando ſubdit, Dominus tecum. Iam erat apud eam dominus auctor legationi huius. quãdo enim plena erat gratia in corde, ore & opere, vtique fuit apud eam dominus. imò hinc plena erat, quod ſecum habebat dominum omnia gratiæ fontem, Dominus tecum. Pater ille tecum eſt, qui ad te iam venit cum filio ſuo, manſionẽ apud te facturus, eríſque mater filij dei. dominus ergo tecum, tecũ deus filius in vtero. (ſtatim id erat futurum) deus ſpiritus ſanctus, & ipſe tecum eſt in obumbratione. Declinata hic eſt humanæ naturæ miſeria, quæ hic eſſe nulla poterat, vbi dominus & theſaurus erat omnis gratię, de quo Paulus ait, Vnus eſt dominus omnium, diues in omnes qui inuocant eum, quoniã non eſt inopia timentibus dominum. O te beatiſsimam virginem Mariã, quæ te cruciare poſsit miſeria, cum tecum ſit dominus? Quãto verius poterat tibi dicere Gabriel, Quicquid in corde tuo eſt, vade age & perfice illud, tecum enim dominus eſt, quam dixerit Nathan ad Dauid. Omnes itaq; Chriſtiani inuocẽt Mariã, vt per eius interuentũ cum ipſis quoq; ſit dominus, quod & ſi non ea fiat perfectione, vt in Maria, quod nemo noſtrũ nec petere audet, nec habere poteſt. ſed quantum cuiq; ſatis eſt, ſicut cũ multis piis hominibus vtriuſq; teſtamenti fuit dominus, quoniam ſic dixit ad Ioſue, Ego tecum ero, non dimittam nec derelinquam te. Sic in huiuſmodi ſanctorũ hominũ perſona clamauit propheta. Inite conſiliũ. & diſsipabitur. loquimini verbũ, & nõ

1. Cor. 4.

Eccl. 14.

1. Tim. 1.

Can. 4.

Ioan. 4.

Rom 10.

Pſal. 33.

2. Reg. 7.

Ioſue 1.

Eſaiæ 8.

fiet, quia nobiscum deus. Simili modo salutauit angelus Gedeonem, Dominus tecum, cuius verbi virtute percussit ille
Iudic. 6. castra Madianitarũ. ¶ Et est sane hic illud admirandũ, quod angelus qui venerat annunciaturus Marię aduentũ filij dei, dixit eum iam esse secũ, quem annũciabat ad eam vẽturum. iam enim in mente illius erat, qui paulò pòst de ipsius carne humanam volebat assumere naturam. ita properauit ad sa-
Can. 2. lutem & redemptionem nostram deus. Et ideo de celeritate eius ait sponsa, Ecce hic venit saliens in montibus, transi-
Psal. 18. liens colles. atque ex huiusmodi gaudio prior angelo venit Christus ad Mariã, exultauit nãq; vt gigas ad currendã viã, à summo cœlo egressio eius. Cursum hunc iam consumma uit ad Mariã, vt esset cũ ea, & per illam cum vniuerso homi num genere pacé firmaret, quando apud Mariam, & ex ipsa carne humana assumpta factus est frater noster. Ora itaq;, ô Maria filiũ tuum pro nobis, vt sicut fuit ille singulari præsi dio tecum in corpore & animo tuo, ita sit ille iam nobiscũ per suam magnam gratiã hic in terris, & per gloriã suã illic in æterna patria, Amen. 4 Neq; adhuc ille fuit laudũ Ma riæ modus, insuper adiecit angelus, Benedicta tu in mulie ribus. id adeo manifestè & aperte ex præcedentibus colligitur & sequẽtibus. Nam quũ antea per prophetas fuerit annũciata, in vtero matris sanctificata & prẽseruata, à filio dei electa, à spiritu sancto in templũ dei consecrata, quã vir nul lus attigerat, sed virtus obũbrauerat altissimi, quis non eam benediceret supra omnes mulieres (in nãq; hic, in mulieribꝰ dicit excellentia) quæ virgo concepit, virgo peperit, virgo ante & post partũ permansit? O virginẽ sanctam, ô virginitatem admirandã. Vere benedicta tu in mulieribus mundis-
Luca 10. sima in virginitate, sanctissima in filio. O Maria benedicta tu in mulieribꝰ, quoniam in tua virginitate fertilitas magna est, & in fructuosa fertilitate immensa sanctitas. hinc est ℣ beatã te dicunt omnes generationes, te colũt angeli, metuũt & contremiscunt diaboli, ex te consolationem, spem & fru ctum vberrimũ recipiũt peccatores. O te Mariã benedictã, quia benedictionem assequuta es diuinã, quæ abhominationem legis cõtempsisti. O quanto magis te benedictã, quam
Iudic. 5. fuit Iahel vxor Aber, quam tamen & Delbora benedictam
Luc. 10. dixit in mulieribus, quoniã tu partem elegisti optimam. De te recte canit ecclesia, Benedicta filia tu à domino, quia per

te fructum

te fructũ vitę cõmunicauimus. Quid in muliere virginitate præstãti⁹, si spectes honorẽ? qui quo ad vsum fertilitate vtilius? vtrunq; tamẽ id sola cõiunctim habuit Maria: iuxta illud quod ex poëta in canticũ ecclesiasticũ est absumptum, *Sedulius.*

Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa es, nec habere sequentem,
Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo.

Recolat itaq; apud se quilibet, quam sublimiter summus ille dei nuncius salutet Mariam, commẽdet & extollat Aue, quoniã gratia plena es, eaq́; ab eo qui tecum est deus, impleta: quo maximè iure optimo benedicta es super omnes mulieres, quæ ante in Eua fuerant maledictæ. Ora filiũ tuum Christum Iesum pro nobis, vt & nos filij tui, benedictionis eius participes efficiamur in æterna patria. Amen.

HOMILIA QVARTA.

SINVM misericordiæ suæ aperire volens clementissimus deus, ablegauit cœlitus angelum Gabrielem ad virginem Mariam, quam ille primo ingressu salutauit & dixit, Aue gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulierib⁹. Quæ cũ audisset, turbata est in sermone, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Turbationem hanc virginis gloriosæ dicunt patres neq; ex dubitatione, neque desperatione profectum, sed tum ex verecundia virginea, tum verò ex profundissima humilitate. geminã enim licet in scripturis reperire turbationem: passionem alteram, propassionem alterã. Altera, dum voluntatẽ hominis tangit & afficit, simul quoque concutit ac exterret, ad infidelitatẽ adigit & ignorantiæ tenebras, sicut cõtigit Zachariæ, qui etiã turbatus est, loquente secum Gabriele, quoniã horror cecidit super eũ. Sic Daniel correptus est perturbatione, vt nõ manerent in eo vires, sed deformata facie, omni destitueretur virtute. Alia adhuc turbatio est, quæ voluntatẽ quidẽ hominis tangit & aggrauat, sed neq; in infidelitatem adducit, neq; alienationẽ mentis infert & errationẽ. Sic perturbatus est Christus quãdo dixit, Nunc anima mea perturbata est, & quid dicã? Similiter & in cœna. sed & Maria hic turbata est sine omni vitio, ex sola virginea pudicitia & castitate simul ac humilitate. Ait ergo Ambrosius, Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Di-

August.
Lucæ 1.
Dani. 10.
Ioan. 12. & 13.
Ambro.

ſcite itaq; virgines verborũ euitare laſciuiã, quoniã Maria etiã ex angelica turbata eſt ſalutatione. ¶ Ad hæc magna penſanda eſt virginis huius ſapiẽtia, quia ſtatim audita ſalutatione, ipſa eius verba expẽdit, neq; reſtitit per infidelitatem, neq; ſubito per leuitatẽ conſenſit, eo quod omnis qui cito credit, leuis eſt corde. ſimul tamẽ Maria hic Zachariæ
Eccl. 19. in credẽdo duritiem euitauit & leuitatẽ Euæ, quæ maluit ſerpenti credere quam deo. Et propriè dicit hic euangeliſta turbatam eã eſſe in ſermone eius, ex cuius aſpectu & apparitione perturbata nõ fuerat, quod ea infrequẽs illi nõ erat, ſed ex ſermone tantũ & inſolita ſalutatione perturbari cœpit. vñ & cogitauit qualis eſſet hæc ſalutatio, quomodo &
Ruth 2. Ruth mirabatur quũ veniſſet ad Booz. ſic enĩ dicebat, Vnde mihi hoc vt inuenirem gratiã ante oculos tuos, & noſſe me dignareris peregrinam mulierem? Obſeruata autẽ virginis perturbatione, ſubiunxit angelus conſolaturus eandẽ, Ne timeas Maria, inueniſti gratiam apud deũ. tantũ affuit vt ex laude ſua efferret ſe, vt etiam perturbaretur Maria, quanuis hoc pleriſq; filiis Euæ vitiũ eſt, vt placeat eis multũ, ſi laudentur etiam falſo, quod fit non raro. Quum itaq; angelus ſapientiã obſeruaſſet Mariæ, iam cogitantis de ſalutatione mirabili, volẽs ei auferre triſtitiã, ſtatuit aperire qualẽ attuliſſet ſalutationẽ. Ne timeas, inquit, Maria, quinimò qualis hæc ſi ſalutatio vide. Inueniſti gratiã apud deũ, quo nomine & merito te ſalutaui plenã gratiæ, quia placuiſti altiſſimo, apud quẽ & gratiam inueniſti, quam Eua in paradiſo
Eſaiæ 7. perdiderat. Statim verò vbi confortauerat Mariã, nuncium proponit angelus, & ait, Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. De hoc nomine ſanctiſsimo ſatis multa diximus die circunciſionis domini, prædictumq; hoc iam ante fuerat per prophetam dicentẽ, Ecce virgo concipiet & pariet filum, & vocabitur nomen eius Emanuẽl, quod eſt nobiſcum deus. Propriè autem ad Mariam dixit angelus, quia vocabis nomen eius Ieſum, quoniam ei qui vere inter homines patrem nõ habebat, nomen imponere matrem conueniebat. Atq; hoc illud nomen eſt, de quo propheta dixerat, Omnis qui inuocauerit nomẽ do-
Ioel 2. mini, ſaluus erit. Sed quia eius nominis plures fuerant, ſecernit illum à reliquis, & ait, Hic magnus erit, & filius altiſsimi vocabitur. Non eo modo quo multi hæretici teme-

re

rè afferuerũt Christum puram esse creaturam, proinde additum est, Quia filius altissimi vocabitur. Magnus quidem fuit & Ioannes, vt ait Theopylactus, sed non ad hoc altissimi filius, Iesus autẽ filius altissimi. Ille quasi homo magnus, hic magnus quasi deus. ¶ Magna siquidẽ est diuinitas, quæ nec cõprehendi neq; cõcludi, nec vetustate potest immutari, atq; vt verbis angeli plus crederet illa, addit ipse deinceps promissionẽ propheticã, dicens, Quia dabit ei dominus deus sedem Dauid patris eius. eo quod promissum erat, Christum de stripe Dauid nasciturum: iuxta illud, Iurauit dominus Dauid, & nõ frustrabitur eũ, de fructu vẽtris tui ponã super sedẽ tuã. Sedes hæc & imperium siue regnum, omnia illa spiritualiter debent intelligi, quomodo ille per prædicationẽ, fidẽ & gratiã regnaturus sit in omnibus piis ac timẽtibus deũ. ideoq; & subdit, regnaturum eũ in domo Iacob in æternũ. Quæ autẽ est domus Iacob alia, nisi qui ex Hebræis crediderũt? Veruntamẽ sicut Paulus ait, Quia non omnes qui ex Israël sunt, Israëlitæ sunt, sed qui sunt filij promissionis, atq; ideo regnũ eius nõ habebit finẽ. Semper etiam in ecclesia reget mundũ, donec regnũ tradat deo patri. Hoc est, vt ait Augustinus, donec tradet ei fideles, in quib⁹ hic regnat per fidẽ & gratiã, vt deindein eisdẽ regnet perpetuo per gloriã & felicitatẽ æternam. ¶ Neq; adhuc subito ad hoc nunciũ in nomine sanctæ trinitatis factũ respondit Maria, sed vt virgo omnium prudentissima, latius institui cupiuit, dicens, Quomodo fiet istud, quia virũ non cognosco? Quæ etiam interrogatio nõ animo dubitantis facta est, quum nõ dixerit se vel non satis credere, vel adhuc dubitare de eo quod futurũ esset, sed magis patet ex iis verbis argumentũ, eã credidisse angelo: iuxta illud Elizabethę, Beata es quæ credidisti domino. ergo modũ quo futurum sit, tantum inquirit. possibile nanq; id esse iam legerat, edoctaque erat in Esaia dicente, Ecce virgo concipiet. & ideo credidit futurum, sed quomodo fieret, ante non legerat. nõ enim quomodo fieret, vel prophetæ tanto fuerat reuelatũ. legerat, quia virgo concipiet: non legerat, quemadmodum generaret. Omnia hæc diuersa fuerunt in Zacharia, quem oportuerat vtique credere ex omnibus circunstantiis & argumentis veritatis, angelum illum bonum fuisse. siquidẽ & in loco sancto apparuit ei, in templo & officio, cul-

Theoph. Ambros.

Psal. 131.

Theop.

1. Cor. 15.

Auguſt. 85. q.

Luce 1.

Esaiæ 7.

Ambro.

Luce 1.

tuq́ue diuino occupato illi: neq; aliud annũciabit, niſi quod ad gloriam dei & ſalutem eſſet humanã. ad hæc itaque propriè & accomodate cuncta explicabat, vt decuerit Zachariam ei credere. Verũ neq; ille interrogauit, ſicut hic Maria, Quomodo fiet iſtud? ſed dixit, Vnde hoc ſciam, nolens enim credere angelo, quaſi alium requirebat fidei teſtem, &
Armac. angelꝰ ei ſufficiens teſtis nõ eſſet. Vide Armacanũ de quæſtionibus Armeniorum libro decimotertio, capite quinto de peccato Zachariæ. Et hinc ob dubitationem ſuã punitus
Gen.18. eſt ita, vt mutus fieret: ſicut & Sarra deridebat angelos, natiuitatem Iſaac annũciantes. quambrem & angelus dixit ad Abraham, Quare riſit Sara vxor tua? Nunquid deo quicquam eſt difficile? Ad hęc Theophylactus ait, Non prius tale quiddã factũ eſt, neq; poſthac fieri. ideo ignoſcit ei angelus, & non condẽnat, vt Zachariam: qui merito cõdem-
Gen.30. natur habuit enim exẽpla multa, quandoquidem & multæ
1.Reg.1. ſteriles fuerunt. virgini autem nullũ exẽplum erat, ſicut illi ſuppetebant plurima, vt Sarræ, Rachelis, Annæ, Samuelis, &c. ¶ Nõ caruit etiã hic angelus reſpõſo. habebat enim inſtructionẽ abſolutiſsimã, quo amplius adhuc eruditet virginem, dixiq́;, Spiritꝰ ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Immenſa ſunt hæc verba & ineffabilia, proinde à litera longius nõ diſcedemus, vt hac homilia, euãgelium finiamus. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, quaſi diceret. Quod vouiſti domino virum te nullũ cogniturum, id ſane illa ſanctiſsima generatio non prohibebit, quoniã ſpiritus ſanctus ſuperueniet in te, operaturus ibi incarnationem filij dei, & ex puriſsimis ſangninibus tuis corpuſculũ illius affirmaturus. In te, inquit, nõ ab externo ſemine fiet illud, ſed ſine omni virili cõmixtione operabitur hoc in te ſuperueniẽs ſpiritus ſanctus. Ecce quam graphice ſimul & prudenter angelus hic nondũ oſtendit Mariæ, quo ſit futurum illud, quum ait breuiter, Spiritus ſanctus, ecce ſublimitatem & maieſtatem operãtis: ſuperueniet, an modũ quo fiat: in te, ait, non in phantaſmate aut ſomnio, propriè in te fiet hæc operatio. ¶ Et virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Quæ alia eſt dei viritus, niſi ipſe filius dei? Aut quis altiſsimus niſi deus pater? ita hic trium perſonarum operationem in incarnatione Chriſti proponit angelus, virtutem altiſsimi, eo quod omnẽ virtutẽ declarauit deus in filij ſui incarna-

carnatione, quæ longe amplior fuit quam creatio cœli & terræ. Atque huc accommodandum est illud Dauidis, Tecum principium in die virtutis tuæ. sed & filium dei, virtutem eius dici Paulus testatur, dum Christum dei virtutem dicit in salutem omni credenti. Sed quænam hæc obumbratio est? eo nimirum referenda, quod sicut concupiscentia prauavrit: iuxta illud, Melius est nubere quá vri, ita vicissim gratia dei refrigerat & extinguit ardoré istum, sicut ait spõsa, Sub vmbra illius quã desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Maria ergo sub vmbra filij dei fuit, eo quòd sicut vmbra refrigerat, ita ignitus cõcupiscẽtiæ ardor in hac Mariæ obumbratione extinctus est. ¶ Hinc colligunt doctores, quod Maria in vtero matris cõcepta sit, & in cõceptione immunis ab omni cõtagione peccati originalis, qua de re multa diximus supra in festo cõceptionis Mariæ. in hac autem obumbratione ille penitus extinctus est. vtique enim sanctificata est Maria in conceptione Christi, non fuit autem sanctificatio illa facta in extinctione peccati alicuius vel originalis vel actualis, sed tantũ fomitis. Atque idem sentit hic Glossa, dicens, quia obumbrare est refrigerare incentiuum vitiorum, quod nõ est aliud nisi fomes, Breuitatis studio intermitto hic expositionem Ambrosij, qui vult vmbram Mariæ factam ex nube carnis Christi. ¶ Nũc tandem glorioſe & magnifice concludit angelus per illationem responsum suum. Ideóque ait, & quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur filius dei quid enim aliud sperabatur, imò quid aliud ex aduentu spiritus sancti, ex virtute altissimi, ex castissima virgine poterat nisi sanctum nasci, & huiusmodi quidem sanctũ, filius ipse dei. Vide hic latius duos obumbrationis modos in Theophylacto. 4 Porrò iam responsum suum Gabriel simili confirmat exemplo, neque remoto eo, sed ex proximo desumpto ab Elizabeth cognata. Adeo fuit ille incurãdo negotio diligens, pacificus quoque fuit ingressus suus, quod in salutatione manifestũ fuit. Mirabilis fuit denunciatio eius, virginem filium dei concepturam & parituram. Non ignarus ille fuit mysteriorũ dei. siquidem etiam modũ quo fiat illud, Mariæ reuelauit. Ad extremum iam nuncio suo fidem facit, dum exemplo comprobat, dicens, Ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa filium suum in cõcepit in senectute sua, Id vt verùm esse doceret,

Psal.109. *Rom.1.* *Cant.2.* *Glossa.* *Ambros.*

addit tempus, menſem ſextum cõmemorans illi, quę iam latebat omnibus grauidata & prægnans. Quod non ita intelliges, quaſi Maria de verbis angeli addubitante, voluerit ideo Gabriel huiuſmodi exemplis fidem eius confirmare, quando illa ne minimum quidē aliquādo diffidit de myſteriis dei: ſed eo factum eſt, vt ille Mariam magis exhilararet ex gaudio cognatæ, & vt illa præcurſoris ſui natiuitatem ab angelo, non ab homine addiſceret primum. deinde ne virgo à deo electa, quaſi ignara haberetur myſteriorum dei: inſuper vt doceret eam imminere iam tempus naſcituri Meſſiæ, cuius pręcurſor ante ſex menſes iā fuerat cōceptus.

Luce 1. ¶ Sic ergo ait, Ecce Elizabeth cognata tua. Quomodo cognatæ fuerint, ſcriptura non exprimit. hinc mirantur nonnulli, quomodo fieri potuerit vt fuerint cognatæ, quū Maria ex tribu Iuda extiterit, Elezabeth de tribu Leui nata ſit. ſiquidem filia fuit Aaronis, vt Lucas teſtatur. fuit autē hic

Nu. vlt. mos Iudæorum, vt vnius tribus perſonę cōtraherent matrimonium, ſicut præceptū eſt à domino, Omnes viri ducent vxores de tribu & cognitione ſua, & cunctę fœminæ de eadem tribu maritos accipient, vt hæreditas permanet in familiis. Reſpōdetur, quia prohibitio hæc eo facta eſt, ne bona cōmutarentur. illi autem de tribu Leui immobilia bona nulla habuerunt, ideo ad eos lex hæc non pertinuit, maxime vero poterant contrahere matrimonium cum tribu Iuda. id

Beda. adeo confirmat Beda quum ait, In Exodo ſcriptum eſt, Ac-

Num. 6. cepit Aaron vxorē Elizabeth filiā Aminadab, ſororē Naazon, quæ peperit ei Nadab & Abiud & Eleazar. Ecce &

2. Par. 22. ante edictum legis ſuperna prouiſione ſacerdotalem regali iunctam fuiſſe progeniem. Sic deinceps Ioſabeth filia regis Ioram nupſi pōtifici Ioiadæ. neque id ita factū eſt immerito, imò quia Chriſtus futur⁹ erat rex & ſacerdos verus, quo nomine in vtraq; hac tribu & progenie vnctionis ſeu chriſmatis remanſit vſus. Nō ſunt quidem hæc quæ in hūc modum retulit Beda, inepta dicta, ſed tamen nō ſatis declarāt, quāta fuerit inter Mariā & Elizabeth cognatio. Reperio in

Cyrillus. antiquioribus, Cyrillum in cōcilio Epheſino dixiſſe patribus, Emerentiā habuiſſe duas filias Annam & Eſmeriā, atq; hanc quidē matrem fuiſſe ipſius Elizabeth, Annā autem Mariæ. ſic cōſtaret, Mariā & Elizabetham duarum fuiſſe ſororum filias, atque ita ſentit eccleſia Hieroſolymitana. (vide

etiam

etiam in Vigerio.) Ecce menſis hic ſextus, inquit Gabriel, eius, quæ vocatur ſterilis, quoniã non eſt impoſſibile apud deum omne verbũ. (omne quod non includit contradictionem in fieri.) Omne ſiquidẽ poteſt deus, in cuius potentia obedientiali omnis eſt creatura. ſic ait angelus, Aut eſtne quicquã deo difficile? & Hieremias, Nõ erit, inquit, tibi difficile omne verbum, qui facis miſericordiam in milibus. ſic Pſaltes ait, Omnia quæcũque voluit fecit. 5 Quum autẽ iam Maria à principio ſalutationis perturbata fuiſſet, rurſuſque animã recepiſſet, rogaſſetque quomodo futurũ eſſet illud myſteriũ tantum, iam tandẽ voluntatẽ ſuam omnem contradit & offert, inquiens, Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecundũ verbum tuum. quæ verba magno ardore ponderat ſanctus Bernardus in hunc modũ, Quid differs ô Maria vltro conſentire in hoc opus tantũ támque admirabile, vbi expectant omniũ hominũ animæ, ipſique in limbo patres per tui ventris fructum liberari? Cõſenſum tuum præſtolantur & angelorum chori, vt eorum ruina tuo partu reſtauretur. Deus & ipſe pater voluntatẽ tuam deſiderat, vt ſibi deſponſeris. Hoc & filius cupit, vt eius mater efficiaris, ipſeq; ſub tuo materno pectore conquieſcat. Idem ſpiritus ſanctus petit, quatenus diuina ſua operatione Chriſto corpo ſanctiſſimũ admirabiliter ex tuis puriſſimis ſanguinibus cõformet. ¶ Expectamus & nos domina verbũ miſerationis, quos miſerabiliter premit ſententia dãnationis. In tuo breui reſpõſo ſumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur. Hoc ſupplicat à te pia virgo flebilis Adam cum miſera ſobole, exul de paradiſo. Hoc Abraham. hoc Dauid, hoc cæteri flagitant ſancti patres ſcilicet tui, qui & ipſi habitant in regione vmbræ mortis. Hoc totus mũdus tuis genubus ꝓuolutus expectat, da virgo reſpõſum feſtinanter, & celeriter propitiũ. O domina reſpõde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & ſuperi. Ipſe quoque rex & dominus tantũ deſiderat reſponſionis aſſenſum. ¶ Tandem ergo conſenſit, & id quidem humiliter, breuiter, modeſte, planéque obedienter. (extende hæc vt placet nam ex hoc ſolo dicto facies duos ſermones, nos properamus ad finem.) Ecce ancilla domini. Statim poſtquã verba hæc eloquuta eſt Maria, eodem momento corpus Chriſti à ſpiritu ſancto formatum eſt, ſuiſque membris totum cõſtitit. Benedicta quoque eius anima

Vigerius.

Gene.19.

Hier.23.

Pſal.113.

Bernard.

eodem momento à deo creata corporíque eſt infuſa, & ſic verbum dei æternum ſimul vtrunque illud ſibi vniuit, aſſumpſitque in vnitate diuinæ perſonæ, & ſic verbum dei tunc caro factum eſt. ¶ O quanta myſteria operatus eſt deus ad vnicum Mariæ cõſenſum, ideoque puerum illa nõ vt aliæ mulieres, tamdiu in vtero geſtauit antequam vitalis eſſet, ſed à principio puer Ieſus perfecte viuus membríſque ſingulis fuit perfectiſſime formatus. Quamobrem Hieremias in ſpiritu præuidens myſteriũ hoc tantum, in hæc verba prorupit, dicens, Nouum faciet dominus ſuper terram, mulier circundabit virum vtero gremij ſui. Ecce paruulum Ieſum virum vocat, eo quòd à principio omnibus membris integre ſit formatus, quodque notat omnia vſu ſuæ rationis non minus quam ſi annos 30. haberet. ſtatim enim impletũ eſt in eo illud Pauli, quod in eo omnes ſint theſauri ſapientiæ & ſcientiæ dei reconditi. & iſtud quod Ioannes ait, datus eſt ei ſpiritus non ad menſuram. Et quanuis feſtum illud conceptionis actiuæ, Mariæ dicatur, tamen multo magis no mine incarnationis Chriſti appellandum eſſet. Tu itaque quum audis ad ſalutationem angelicam pulſari, nõ tantum recole gaudium Mariæ ex illa ſalutatione profectum, ſed & Chriſto gratias age pro glorioſa ſua incarnatione. ¶ Iamiam paratus eram cantare receptui, & ecce ſuccurrit mihi in mentem blaſphemia impudens & impia neochriſtianorum circa pulſum ad ſalutationem illam, qui & pari malitia abrogarunt cantica beatæ virginis, Salue regina, & Regina cœli, propria tantum temeritate & citra omnem rationẽ, Vbi mirari ſatis nõ poſſum quaſdam vrbes, quę cum inſignis habeant ſapientiæ viros, non tamen vident, quam ineptas nihílque concludentes rationes præ ſe ferant eorum prædicatores huius abrogationis, Verùm hoc argumentum euidens eſt, eos in proprio faſtu & propoſito excæcatos eſſe, aduerſus eccleſiam catholicam. ¶ In iſtarum rationũ numero hæc quoque prætexi ſolet, quod in iſtis canticis regina dicatur Maria, quæ ſeipſam domini ancillam tantummodo profitetur. Quis obſecro tam cæcus eſt, vt non videat quam nihil cõcludat hæc ratio? Maria magnæ humilitatis exemplo ſemet humilem profitetur ancillam, nõ debet ergo à nobis appellari regina. ¶ Ioannes ſeipſum negat & Eliam & prophetam eſſe, imò indignum aſſerit qui domino ſoluat corrigiam

Hiere.31.

Coloſ.2.

Ioan.3.

Ioan.1.

giam calceamenti. Iniquè igitur feciſſe dominum cenſendũ eſt, qui affirmat eum Eliam & pluſquam prophetã eſſe, imo non ſurrexiſſe inter natos mulierum ſanctiorem illo? Similiter Paulus ſe abortiuum, minimum apoſtolorum, & indignum vocat qui dicatur apoſtolus. Num itaque nos peccabimus, principem apoſtolorum eum ſubinde dictitãtes? An male in hoc fecerit Chriſtus, quod eum vas appellauit electionis, eo ꝙ nomen ſuum porter coram gentibus, regibus & filiis Iſraël? Nec abhorret quod ſimili caſu Bethſabea ſe ancillam Dauidis vocauit, inquiens, Nónne tu domine mi rex iuraſti mihi ancillæ tuæ per dominum deum tuum, &c. Aut ideóne regina non fuerit, quod ſemet appellauit ancillam? nónne ei Salomon thronum erexit ſuo proximum ad dextram? Conſimilibus exemplis tota vndiq; ſcriptura pleniſſima eſt. Ecce enim quando Hieremias dixit ad dñm, A a a domine, neſcio loqui, quia puer ego ſum dixit rurſus ad eum dominus, Noli dicere quia puer ſum, quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis. Pudeat te ô Chriſtiane miſerrime, nolle honorare te virginem Mariã. Erubeſcat homo infœlix qui non vult nominare reginam, quam rex regum non dedignatur dicere matrem. Aut nónne quæ regem habet filium, regina eſt & dici meretur, atque adeo debet? Nũquid non ei dixit angelus de filio ſuo quod regnabit in domo Iacob in æternum, quod regni eius non ſit futurus finis? Dic age homo temerarie & reſponde, plus ne ſit quod eam nos homines peccatores ſalutamus reginam, an quod eam ſalutauit angelus dei gratia plenam & in mulieribus benedictã: aut etiam hoc plus illo ſit, quod etiam tu cogeris, nolis velis matrem eam confiteri dei, atqui negare hoc non poteſtis, etiamſi diſrumpamini, niſi impium non ducatur, vos cum Neſtorio conſorte hoſtes Mariæ dici & eſſe. Accedit quod vos (neochriſtianos cõpello, gigantes iſtos, qui parat a in cœlos irruptione, ſanctos omnes, ipſam glorioſiſsimam virginem Mariam, & mirum ſi non ipſum Chriſtum, deturbare inde conati ſunt) inficias ituros non puto, quin credatis eam ſuper choros angelorum eleuatam. Nos itaque dilectiſsimi in Chriſto, Mariam collaudemus cum angelis, cum Elizabetha, cum vniuerſa eccleſia catholica, vna tum voce tum pietate ingeminantes ſubinde ei ſalutationem illam angelicam dicentes, Aue gratia plena, dominus tecum, &c.

Matt. 11.
1. *Cor.* 15.
Act. 9.
3. *Re.* 1.
Hiere. 1.
Luce 1.

HOMILIA QVINTA.

Natus ex Maria virgine & homo factus est, ex symbolo. Vel, Exordium nostræ redemptionis deuote recolamus & exultemus, dicentes, Gloria tibi domine, ex cantico ecclesiastico, &c.

Formulæ exordiendi Ecclesiarum.

DOMINVS noster Iesus Christus, per meritū suæ sanctissimæ incarnationis, & per immensum glorioſæ matris suæ Mariæ gaudiū, quod illa ex angelica salutatione & virtute altissimi hodierna die concepit, super omnia omnium hominum gaudia in terris, dignetur nobis diuinam suam cōferre benedictionem & pacem, deinde omne quod conducibile nobis est ad salutem mentis & corporis, quatenus transacto calamitoſæ vitæ huius curriculo, consequi possimus æternæ gaudia vitæ. Hoc quisquis ardenter desiderat, ex animi sui desiderio dicat, Amen. ¶ Verba principio statim huius homiliæ vobis proposita, sanctæ sunt matris ecclesiæ, quibus illa filios & alumnos suos ad hodiernæ festiuitatis veneratione exhortatur, & sic habent, Exordium nostræ redemptionis deuote recolamus, &c. ¶ Simul atque

Ephes. 2. dilectissimi in Christo, Adam primus ille parens omnium nostrum per peccatū suum simul cum paradiso & cœlo gratiam ipsam dei & dona omnia nō pro se tantum amisit, sed & pro posteris suis, qui iam omnibus dei donis destituti miserrimæ viuebant, pro filiis dei nati filij iræ, locúmque tunc

Rom. 3. 8. habebat illud alterum Pauli, Omnes peccauimus & egemus gloria dei: quia sicut per vnum hominē intrauit peccatum in mundum, & per peccatū mors ita & mors intrauit in omnes, quoniā peccauerunt omnes: hinc igitur cœlum clausum omnibus erat, quia quantūcunque sanctus quis erat, tamen

Gene. 6. oportebat eum descendere in limbum. sic Noe descendit il

11. 22. 13. luc, qui tamen iustus & perfectus extitit in generationibus suis, & cōuersatus est cū deo. Abrahā quoque, qui tam gratus fuit deo, vt promitteret ei quod in seminē suo benedicerentur omnes gentes, & quod semen suum futurū esset sicut puluis terræ & stellæ cœli. Cuiús dixit dominus deus, Benedicam benedicentibus tibi, & maledicā maledicētibus tibi.

Exod. 33. Moyses vir fuit mitissimus, qui & facie ad faciē cum domino loquutus est, sicut solet amicus cū altero. Dauid adeo deo charus fuit & gratus, vt ille se inuenisse eū diceret hominē secundū cor suū. Nullus tamē horum in cœlū venire potuit

plus

plus quinque milibus annorum, donec domino deo cõplacuit ſanctiſsima virgo, ex qua filius ſuus humanam aſſumeret carnem. Qui & ipſe noluit communi omnium peccatorum lege naſci, ſed modo quodam inconſueto, inaudito & ſupereminenti, ſicut illum ſanctum ſanctorũ probe decuit. Nanq; ille pro patre operationẽ habuit ſpiritus ſancti, pro matre virginem pudiciſsimam, pro ſemine immaculatas virginei ſanguinis guttulas. Quumq; reliqui homines in peccatis concepti etiam naſcãtur, hic vnus ſine omni peccato, plenus gratia, etiã ex matre gratia & virtutibus plena naſci voluit. Incarnatio hæc, hodierno confecta eſt die, gaudeant igitur Chriſtiani omnes vt qui maxime, quando & Maria inefabile gaudium inde retulit, ex ſalutatione quam ei angelus ex ſanctiſsimę trinitatis conſilio denunciauit. in qua & ipſa multis modis collaudata eſt, adeo vt merito iam abhominatio Euæ & maledictio abolita credatur. talia quoq; recolit hodie ſancta mater eccleſia, in ſingulis ſeptem horis canonicis, repetens illud nobile canticum, Hæc eſt dies, quam fecit dominus, hodie dominus affectionem populi ſui reſpexit, & redemptionem miſit, hodie mortem quam fœmina intulit, fœmina fugauit. hodie deus homo factus, id quod erat permanſit, & quod non erat aſſumpſit. Ergo exordium noſtræ redemptionis deuote recolamus & exultemus, dicẽtes, Gloria tibi domine, Quæ & fuere exordij noſtri verba prima vnde omnia illa noſtra promanat oratio. atqui de iis vt valeamus nos plura dicere, & vos cũ fructu audire, petamus gratiam à domino: quæ vti facilius conferatur, interueniente pro nobis beatiſsima virgine dei genitrice Maria, ipſam ſalutatione angelica ſalutate. qua eã hodie ſalutauit archãgelus Gabriel, dicite toto mẽtis affectu, Aue gratia plena, &c.

Damaſ.

Euangelium Luc. 1. vt ſupra.

HOMILIA SEQVITVR DE DIGNITATE ET EMINENTIA GLORIOSAE huius feſtiuitatis.

ROLENNE hoc & illuſtre feſtum, quatuor in ſe præcipua & maxima continet, qua gratia cuiq; pio Chriſtiano præ cæteris magis & diligẽtius eſt obſeruandum. Quanuis enim appellationem habeat à virgine Maria deſumptam, cuius etiam reuera feſtiuitas hæc magna & inclyta eſt, tamen peculiariter

festum Christi & totius humanæ naturę cõtinet, Primò nã-que omnium verbum dei patris æternum, hodie caro factũ est. Deinde humana natura super omnes exaltata est choros angelorum, dum in vnitate personæ vnita est filio dei.

3 Ad hæc hodie cœpit redemptio generis humani, vnde festum hoc aliorum omnium fundamentum existit, quoniã omnia Mariæ virginis festa vilescunt, si non sit hodie mater filij dei effecta. Magna sunt festa Christi, præsertim dies sanctus dominicæ resurrectionis, qui dierum totius anni omnium longe sanctissimus est, sicuti infra dicturi sumus. quod si tamen non esset ille hodie homo factus, nullũ haberemus aliorum festorum, non festum illud solenne natiuitatis, nõ circunci sionis, nec resurrectionis, non ascensionis, Deinde, si non ipsum haberemus, nouæ huius legis euangelicę latorem, nec apostolos haberemus, nec martyres, qui morte pro Christi fide constanter sustinuerunt. reliquum est ergo, festum hoc aliorum omnium fundamentum esse.

4 Postremò non minimum est quod illud in se festũ continet, immẽsa virginis matris dignitas & exaltatio, quoniam ea hodie mater dei est facta. Et quãuis antea sanctificata fuerat & præseruata in vtero matris, ita vt eam hodie angelus dixerit gratia plenam, non paulò tamen magis adhuc hodie est sanctificata, vberioremq; gratiam recepit quã habuerat antea. Quid quod tantũ hodie gaudium infusum est in animam eius, quando ipsam impleuit spiritus sanctus, & virtus obumbrabit altissimi, vt superet illud omnia gaudia mũdi? Et si quis vnquam homo purus in hac vita diuinam essentiã clare aspexit, sane credendum est, illud etiam communicatũ esse Mariæ iuxta illam elegantem theoricam siue regulam Bernardi, Quicquid aliis etiam minimis est concessum, Mariæ vtique non fuit negatum. Sunt autem qui putent Paulũ & Ioseph in hac vita diuinam essentiam vidisse, quo modo idem hoc negari poterit de beatissima virgine Maria, creatura vtique nobilissima & ab æterno electa, vt esset mater & genitrix filij dei. 2 Ex iis quatuor primo loco dicturi sumus circa hanc solẽnitatẽ, quoad ipsam virginẽ Mariã pertinet, interimq; nihil dicemus de Mariæ sanctimonia, quæ multis veteris testamẽti figuris nõ semel est designata, in arca Noe, in rubo quẽ vidit Moyses, in virga Aaronis, in vellere Gedeonis, in porta Ezechielis, in fonte signato & similibus

Augu. ad Paulinã de videdo deũ, & in diabol. ad Oros. q. 83.

libus. Quum itaque definitum esset in sanctæ trinitatis con filio, vt redimeretur genus humanum, eiq; officio designata Maria, ex qua filius dei humanam naturam, carnem simul susciperet & sanguinem, nuncium illud Gabrieli demãdatũ est, hoc est, vidit ille in diuinæ essentiæ speculo, sibi faciendum hoc esse. Et sine dubio quia ex supremo angelorũ choro fuit, plurimi cum comitati sunt angeli, quod inde colligunt doctores, quoniã si in natiuitate filij dei magna apparuit cœlestis exercitus multitudo, quid vetat quur nõ & illud factum sit in eius incarnatione? ¶ Expendentes apparitionem angeli huius doctores, dicunt eũ sæpius in terris visum esse, primum Danieli, cui incarnationem Christi reuelauit per figuram petræ abscisse à monte sine manibus. petra siquidem Christus est, qui sine virili semine ex Maria cõceptus & natus est. 2 Apparuit etiam Gabriel Zachariæ, dum ei natiuitatẽ Ioannis annunciauit, prædicens præiturũ eum Christo in spiritu & virtute Eliæ. 3 Hodie quoque visus est Mariæ, eidemq; Christi incarnatione in reuelauit. 4 Apparuit & Ioseph volẽti dimittere Mariam, dixitq; Ioseph fili Dauid, ne timeas Mariam accipere in coniugem tuam. quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. 5 Pastoribus apparuit vigilantibus noctu super gregem, natumque iam Christum eis annunciauit, & proculdubio ipse etiam natiuitati Christi interfuit. 6 Tribus magis quoque visus, monuit eos ne reuerterentur ad Herodem. 7 Apparuit in somnis Ioseph, & dixit ei, Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in AEgyptum. 8 Rursus, iubens eum cum puero & matre reuerti, mortuo iam Herode. 9 Eidem denuo apparuit, quando præcepit vt nõ in Iudæam, sed in Galilæam proficisceretur reuersus. 10 Idem ille Gabriel visus est die sancto paschæ virgini Mariæ. sine dubio sic eam loquutus, Regina cœli lætare, quia quem meruisti portare, resurrexit sicut dixit. 11 Deinde apparuit & mulieribus id sepulchro. plane enim sunt qui illum Gabrielem fuisse autumant. 12 Apparuit quoque apostolis post ipsam domini ascensionem. An autem idem ille apparuerit domino in monte Oliueti, ex multis colligi potest argumentis & Gabrielem eum fuisse, sicut in passione Christi dictum est. Insuper & plures adhuc apparitiones ei tribuunt doctores, vt Abrahę.

Luc. 2. *Dan. 2.* *Luc. 1.* *Mat. 1.* *Luc. 2.* *Mar. 1.* *Marc. 16.* *Luc. 24.* *Act. 1.*

Iacob, Ioachim & Annæ, quibus nos hic ſuperſedemus.

3 Sic itaque Gabriel mandatū exequuturus diuinū, ſuſcepto corpore, viſibilis ad Mariam venit, & ita vocaliter cum ea loquutus eſt, (neque enim intellectualis tantum iſta fuit loquutio) vt voce eius corporaliter audires, factumq́ue id eſt à condito mundo anno 5199. quanuis Iudæi computant 3760. Aduentum ſuum cur tandiu diſtulerit dominus, alibi diximus. Contigit autem hoc 25. die Martij qui menſis in hoc placuit deo, quoniam communi doctorum noſtrorū & mathematicorum ſententia eodem menſe conditus eſt mundus, ſole exiſtente in Ariete. ideoq́ue dominus dixit Hebræis, Menſis hic principium erit menſium, vobisq́ue adeo primus menſis erit in anno. Eodem menſe populus ex AEgyptiaca captiuitate liberatus eſt, tranſiuitq́ue per mare rubrum. Decuit ergo & illo menſe Chriſtū incarnari, qui totum genus humanum ex tenebris AEgyptiis liberatum, traduceret per mare rubrum ſanguinis ſui & mortis: quoniam in Martio renouantur omnia, tunc germina cuncta virent. eodemq́ue modo Chriſtus renouaturus omnia, imo & deus nouum facturus in eo, opus illud cœpit in Martio. (hæc omnia ſecundum communem ſenſum, quia Hebræi tenent mundum eſſe creatum in Septembri, & omnes arbores plenas fructibus hinc in hunc vſque diem celebrant feſtum noui anni concurrenter ad noſtrum quartum decimum diem Septembris. & appellant feſtum illud Roshaſcana, id eſt, caput anni. Vide Picum, ſi placet.) Neq; diuerſum eſt iis, quod ideo dominus agnum eodem menſe manducari præcepit. Iudæi quoque feſtiuitates ſuas omnes à menſe, Niſan, hoc eſt, Martio computarunt. ¶ Quo ad diem, controuerſia nulla eſt, factum hoc eſſe die 25. Martij. quod ideo contigiſſe creditur, quoniam eodem dominus etiam cœlum & terram, angelicamq́ue naturam creauit: ficq́ue vno hoc hodierno die & conditus eſt mundus, & deus homo factus. quanuis hic feria ſexta fuerit, cuiuſmodi die Adā conditus, lapſus & paradiſo eſt eiectus. Videat hic pro ſuo quiſq; captu, quomodo ſumma ſapientia probe omnia ordinauit, & ordinate digeſſerit. Nota obiter nūc, calculati occurrit, quod B fuerit litera dominicalis, & cyclus ſolaris decem, quia in trigeſimoquarto anno ſequenti iterum fuit dies 15. Martij feria ſexta, in qua Chriſtus paſſus eſt, & tunc fuit

Exod.12. *Exo.14.* *Iere.31.*

fuit cyclus ſolaris 16. In omnibus iſtis magna diuerſitas eſt. Strabi tamen & Haymonis ſententiæ præferuntur. Occurrit interim iam ad manus Beda libro de natura rerum, capit. 46. vbi ex Dionyſio Abbate Romano & quodam Victorio concludit indictionem 4. fuiſſe, aureum numerũ 2. epactas 11. &c. ¶ Habito igitur anno (nam de Hebræis non ita laboremus, qui etiam inter ſe ſunt diuerſi, quia & Ioſephus, Leui per Gershom, Kimhi & alij mire variãt) credimus Chriſtum incarnatum anno mundi conditi 5199. ita computat Beda & Oroſius. Iſidorus deficit in tribus annis. ſcimus mẽſem quia Martium, & cognoſcimus diem 25. Verùm ibi adhuc ſubeſt quæſtio, qua diei hora factum id ſit. Id quia in ſacris literis expreſſum non eſt, quiſque pro ſuo arbitrio & iudicio citra fidei offenſionem poteſt proponere. Quidam nanque moti Sapientis dicto, putant media nocte id perfectum eſſe. Ita enim Sapiens ait, Quum quietum ſilentiũ cõtineret omnia, & nox in medio curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus domine exiliens de cœlo, à regalibus ſedibus venit. Sunt alij qui factum credunt hora tertiarum, quæ hora diei tertia eſt. ea Adam ex humo rubra à deo creatus eſt, eadem lex Moyſi data eſt, eadẽ ſpiritus ſanctus in linguis igneis venit ad diſcipulos. Adhuc quidam volunt Gabrielẽ veniſſe ad Mariã cõpletorij tempore, quoniã poſt reliqua luminaria ſol ſero tãdẽ veſperi creatus ſit. quo tempore & ſol iuſtitiæ ſit incarnatus ex virgine, ſed hæc omnia nullis ſunt ſcripturarũ authoritatibus ſuffulta. Quod ſi autem nos cõſideremus eccleſiæ conſuetudinẽ, qua mane & veſperi pulſari ſolet ad ſalutationem angelicam, colligere poterimus facilẽ, quur illud à primis eccleſiæ authoribꝰ ad nos vſq; peruenerit, ſuper iis quidã doctores ſentẽtiã huiuſmodi firmant Gabrielem multo pluribus verbis officiũ nuncij ſui ſuperegiſſe, quam à Luca ſit deſcriptum, quoniam peculiare fuerit euangeliſtis omnibus breuiſsime cõplecti ſingula, & ea ſubſtantialia tantũ. Putant ergo angelũ ad Mariã veſperi veniſſe, eamq; ſalutaſſe. quũ eſſet veſpertinæ orationi intenta, deinde ſic angelum cũ ea noctẽ abſumpſiſſe totam ſanctis & cœleſtibus colloquiis vſq; in mediam noctẽ, quãdo tandẽ illa conſenſit in incarnationem Chriſti, & adhuc quod reliquũ erat tẽporis, conſumpſiſſe mutua myſteriorũ dei collatiõe vſq; ad exortũ diei, quo tẽpore demũ abſceſſit

Sapi. 18.

Exo. 19. Act. 2.

Auguſti.

Fráci ſcus Maronis.

Gabriel ab ea hinc aiunt illi pulsari salutationē angelicam vesperi, quod tunc venit angelus ad Mariam: mane autem, quia tūc receſsit ab ea. Quod horum trium factum est, scit ipsa quę Christū genuit mater, & nouit ille quem nil latet, deus optimus maximus. Quomodo autē Maria fuerit vera mater Christi, & quid fecerit ad natiuitatē Christi, quidq; requiratur ad hoc vt aliqua fiat mater, remitto me ad doctores. non enim videtur esse pro plebe, maximē corā iuuenibus nō ædificat. 4 Nihil hic sumimus nobis dicendū de humanæ naturæ sublimatiōe, quoniā ea res manifesto opere patet in ascēsione Christi, & assumptiōe Mariæ. satis hic sit interim scire, quod per incarnationē Christi humana natura capax facta est gloriæ in vita æterna per singulos angelorū choros, imo Christus & Maria super omnes illorum choros sunt exaltati, quodq; piè credendū est, S. Ioannes supremum iam angelorū locum cōsequutus est, vnde Lucifer exciderat: estq; ille iam nō tantum omnibus natis mulierum, sed & cunctis angelis superior. Hinc putant quidā doctores parem esse Ioseph, de quo nūc nō laboramus, sed de incarnatione Christi dicere pergemus, Filius itaque dei verbū æternum humanā naturam, corpus & animā, carnē, sanguinem, & ossa susceſpit, non ex fœmineo semine, sicut alia proles ex ipso coagulatur in ipso matris vtero, sed ex castis & sanctissimis Mariæ sanguinibus, neque ex quolibet sanguine, sed ex sanguine cordis Mariæ. Vnde etiam prouenit, quod Christus subtilissimę fuerit complectionis, naturæ omniū tum tenerrimæ tum nobilissimæ, cuiusmodi nullus vnquam homo in terram peruenerat, vt recte de eo dixerit Dauid, Speciosus forma præ filiis hominū. Omittimus quomodo aliqui doctores meditātur vnam particulā transfusam esse in Euam, & ex Eua succesſiue vsq; in Mariam, & quod ex illa portiuncula, spiritus sancti virtute formatū & organizatū fuerit corpus Christi. Vbi ergo corpus ita formatū fuit omnibus mēbris, eodem momento etiam anima creata simul & infusa est, statimq; à filio dei assumpta, pari cooperatione triū sanctissimarum personarum, quarum ex iis vna tantum, scilicet filius, humanā susceſpit naturā. Eius rei similitudinē hanc proponunt doctores, siquando virgines tres vnam ex eis induāt, tres quidē illæ simul in vestienda vna laborant, & tamen vna tantū vestitur. Ita hic in proposito,

Thom. Bonauen. Richardus Hales.

Matt. 11.

Damas.

posito, quanuis tres personæ omnes operatæ sunt incarnationem, solus tamẽ filius homo factus, carnem illam susceperit, Neq; omnino dissimilis hæc cõparatio est etiã sacris literis, siquidẽ & Paulus incarnationem habitũ vocat, quum ait, Hic quũ in forma dei esset, nõ rapinã arbitratus est esse sæqualem deo, sed exinaniuit seipsum, formã serui accipiẽs, habitu inuẽtus, vt homo. Et quidẽ similitudo illa paulo remotior, verũ interim vnio illa diuinæ q̃ue naturæ, in vna persona vsq; adeo omnẽ nostrum superat intellectũ, vt nõ liceat nobis eum cõprehendere, nec aliquam sufficientem huius rei similitudinem in terris ostẽdere. Iacobus alia similitudine vsus, cõparauit implãtationi vel insitioni, dicens, Cum omni mansuetudine susc̃ipite insitum verbum. Sicut enim truncus ipse per se cõsistit, cui de nouo virgultum inseritur, neq; vel à seipso consistit vel viuit, nisi vitale nutrimentũ ex trunci aut stipitis radice attrahat: ita humana in Christo natura, per se persona nõ est, sed in persona diuina est, cui & insita est, vnde & omnis in eam vitalitas permanet. Hæc sunt qualescunq; tandem directiones intelligẽtiæ nostrę, quoniã altissima illa vnio admiranda magis est quam intelligenda, vt & canit ecclesia. O admirabile commercium creator generis humani animatũ corpus sumens, de virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine semine, largitus est nobis suam deitatem. Hieronymus in epistola ad Paulam & Eustochiũ, sic ait, Quod natura nõ habuit, vsus nescisuit, ignorauit ratio, mens nõ capit humana, pauet cœlũ, stupet terra, creatura omnis etiam cœlestis miratur, hoc totum est quod per Gabrielẽ Mariæ diuinitus nunciatur, & per Christũ adimpletur. Augustinus quoque, In rebus, inquit, per tempus ortis, illa summa gratia est, vt deus homo, & homo fieret deus. Et illa sancta vnione prouenit, quod naturæ proprietates suas in verbali saltem attributione non in rerum permixtione cõmunicant, in hunc modum, Humanitas Christi ex virgine nata est, eadem in AEgyptum fugit, capta, illusa, flagellata crucifixa, adextremum mortua est. similiter dicimus filiũ dei ex virgine natum, captum, crucifixum, mortuum, non quidem secundum suam naturam diuinam, sed humanam. Vicissim quum dicimus Christum hominem condidisse mundum, nos saluare, omnia gubernare, omnipotentem esse, hæc non quo ad

Philip. 2.

Iacobi 1.

Hieron.

Auguſt. lib. 13. de tri. ca. 19.

humanam ſunt accipienda naturam. (ſit autem communicatio idiomatum in concretis, non in abſtractis, ſecundum totum, nō ſecundum partes, in affirmatiuis, non in negatiuis, &c. Vide Aliacen. q. vnica tertij.) Eius rei ſimilitudinem à remotis in nobiſmetipſis ſumere poſſumus. Homo, dicere ſolemus, rationalis eſt & intellectualis, id ex parte animæ tantum verum eſt: homo beari poteſt, & hoc tantum quo ad animam. Rurſus, ſi dixero, Homo materialis eſt mortalis, procerus, niger & inſalubris, hæc corpori tantum conueniunt. Ecce quęlibet hominis pars proprietates ſuas habet, communicans eas cum toto homine, quod etiam aliquo modo hic fieri ſolet. ¶ Ad extremum videat & recogitet hic omnis Chriſtianus immenſam dei gratiam & miſericordiam, in hoc quod ipſe dei filius tantum ſe humiliauit & exinaniuit, vt pro redemptione noſtra non horruerit virginis vterū, carnem aſſumpturus ab illa, hodieque inceperit mereri, & theſaurum eccleſiæ colligere. Quotieſcunque ergo huius myſterij mentio in eccleſia, omnes procidere debēt ad genua ſua, vt cum canitur illud in ſymbolo, Et homo factus eſt, atque in euangelio Ioannis, Verbum caro factum eſt. Gaude & lætare fidelis anima, quoniam hodie tua omniumque hominum ſalus incepit, hodie pax inter deum & hominem firmata eſt, inter angelos & nos, quæ tandem die natiuitatis Chriſti per angelos promulgata eſt, quum cantarent, Gloria in excelſis deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Glorificate itaq; dominum deum, laudate & virginem ſanctiſsimā Mariā, quæ cum mater facta ſit, virgo permanſit, creatura ſuum peperit creatorem, filia parentem, quam ideo vt ſuam reginam omnes perpetuo concelebrant angeli. Deus optimus maximus nobis in hac vita gratiam conferre dignetur, quatenus exacta hac tranſitoria vita laudare eam poſsimus nos quoque cum ſanctis angelis in æterna patria. Id adeo tu præſtare dignare Chriſte Ieſu, qui es benedictus in ſecula, Amen.

Luce 2.

DIE RESVRRECTIONIS DOMINI.

Alleluia. vel הללו יה
In reſurrectione tua Chriſte cœlum & terra lætantur, Alleluia.

Rece-

RECEPTISSIMA fuit omnibus retro ſeculis apud priſcos conſuetudo, vt ſi quando rex aut princeps aliquis ex hoſtibus ſubactis victoriam retuliſſet, domum reuerteretur eo apparatu & magnificentia triumphans, vt ipſe ſublimi curru inſidens albis veheretur equis omniſq; populus ferias, quas repentinas vocabant, agerent, laudem exclamãtes victoriæ principis. magnificis quoq; titulis eũ excipiebãt, victoré triumphatoré exclamantes, hoſtiũ ſubactoré, aſſertoré, patremq́; patriæ, iuſtũ, piũ, clementé, &c. Sed quis vnquã triũphum & victoriã meruit amplioré, quã ipſe Chriſtus Ieſus dominus noſter, qui vexillo crucis aduerſus draconé immaniſsimum pugnauit diabolũ, ipſumq́; deuicit, mortem æternam eripuit, limbum confregit, vectes & vincula diſrupit, vinctos patres illos iuſtos quos ille annis 5200. collegerat, liberauit, ſecumq́ue tranquam diuitem rapinã & opima ſpolia hoſtibus eripuit, victorq́ue potentiſsimus triumphauit in curru felicitatis æternæ, qui rotas habuit quatuor, quatuor donorum, quibus glorioſum Chriſti corpus clarificatum eſt? Ideoq́ue canit eccleſia per vniuerſum mundum,

Salue faſta dies, toto venerabilis æuo,
Qua deus infernum fregit, & aſtra tenet.

Imo cœlum & terra gaudiũ magnũ cõceperunt ex golrioſa Chriſti reſurrectione. Inde eccleſia filios ſuos exhortatur ad laudé dei, vtens porro ſemper in omnibus cãticis nobili illo verbo Alleluia, laudate deũ. Haleluia enim hoc ſonat, quia haleluia laudate ſignificat, Ziuui à verbo תלל & יה eſt vnum de nominibus diuinis, deſiguans deum & dominum, cuius meminit S. Dionyſius in libro de eccle. hierarchia, ca. de ſanctificatione chariſmatis. Vos itaque omnes hic congregati, gaudete & lætamini hoc die ſanctiſsimo, gaudete inquam in reſurrectione Chriſti, Alleluia, &c.

Euangelium Marci 16. Illud require parte ſecunda in principio.

TRIA in hoc p̃ſenti ſermone nobis ſunt peragẽda, auxiliãte dei gratia. Primo oim, diſſerẽdũ de iis q̃ glorioſam Chriſti reſurrectioné p̃ceſſerũt, putaqũo ille deſcẽderit ad inferos: deinde, de gloria ſimul & tẽpore reſurrectionis: poſtremo de variis tũ apparitionibus tũ geſtis, quę hodierno die cõtigerũt. Et p̃nci-

pio quidem constat, hunc certum esse fidei nostræ articulū, Descendit ad inferos, hoc est, in limbum. Articulum hunc cōmuniter credunt constituisse Thomam apostolū, simulq; testimonium dedisse resurrectioni Christi, quoniā vnus ille est articulus perpetuo filo contextus, qui habet, Descendit ad inferos, resurrexit à mortuis. Gloriosa enim & benedicta anima Christi, die paraſceues per morté à corpore dissoluta, re vera & essentialiter descēdit in limbū, liberare & eripere inde patres. Sicq; impleuit propheticū illud, Penetrabo omnes partes inferiores terræ. Nā etsi diabolus, quoque morté Christi expectabat, vt habet Gloſſa quædā super Danielē, tamen ille spe & expectatione sua omni frustratus est, ideoque ad eius confusionem & consolationem patrū, illis singularem gratiam exhibiturus, descendit Christus in anima sua ad inferos, neq; suspicandum est eam descendisse solā, sed cum magno comitatu angelum etiā præcurrentiū, & in limbo pulsantiū cum hac voce, Attollite portas principes vestras & eleuamini portæ æternales, quia introibit rex gloriæ: illi autē exterriti, vix per tremorem eloqui valētes, dixerunt, Quis est iste rex gloriæ? Pulchre hīc contēplantur sancti patres, angelos planè limbū totum circumulasse, Multū gauisos de animarum quas in hac vita custodierant liberatione. vnde & respōderunt illis, Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio, hic est ille rex gloriæ. sicq; potenter angeli expugnatum iam limbum ingressi, expulerunt inde dæmones, tanquam præualidi serui & ministri Christi. ¶ Quantum aūt hic exterriti sunt spiritꝰ ma'igni, tantū vicissim gauisi sunt patres. siqui dem iam gaudiū angelorū exaudierant iubilantiū & cantantium, radium quoq; & fulgorem aduentantis Christi conspexerant, quo respicies dixit propheta, Habitātibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. In huius itaq; fulgidi luminis intuitu, admirabundi omnes dixerunt adinuicem, Ecce redemptor noster venit. Eccum Messiam, quem tot annorum milibus expectauimus, profecto is est, iam aduenit. Appropinquante deinde illo, omnes prociderunt in genua sua. (eo modo quo spiritus competunt gestus hominum.) id repræsentans ecclesia, celebrant processionem solennem. cum iubilo decantans, Cū rex gloriæ Christus, infernum debellaturus intraret, & chorus angelicus ante faciem

Eccl. 24. *Psal. 23.* *Esaiæ 9.* *Ecclesia.*

ciem eius portas principũ tolli præciperet, ſanctorũ populus qui tenebatur in morte captiuus, voce lachrymabili clamauerat, Adueniſti deſiderabilis, quẽ expectabam⁹ in tenebris, vt educeres hac nocte vinculatos de clauſtris. Te noſtra vocabant ſuſpiria, te larga requirebant lamenta, tu factus es ſpes deſperatis, magna cõſolatio in tormẽtis, Alleluia. Hinc ergo magna cũ lætitia exultãtes iubilant, vnde & impletum eſt illud Zachariæ dictum de Chriſto, illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent. Quid multa? gaudiũ illud ſanctorũ patrũ ſatis exprimere nemo poteſt, quando coram viderunt Chriſtũ, animã eius ſanctiſſimã, nobiliſſimã, planeq; ſuper benedictam. 2 Quatuor ſunt inferni partes, ſicut in ſacris literis manifeſte exprimũtur. Eſt enim infernus damnatorũ in pœnis, & illuc dominus nõ peruenit. Eſt alia pars eorũ, quæ tantũ habent pœnam damni, vbi detinentur paruuli iam nõ baptizati, olim in lege nõ circũciſi, & gẽtiles fatui. Superior inferni locus ipſe eſt limb⁹ patrũ, de quo & iã diximus, & plura poſtea dicturi ſumus. His accedit purgatoriũ, in quo detentæ animæ, non tantũ viſione carẽt & aſpectu dei, ſed aliquid inſuper patiũtur ꝓpter peccata, de quibus hic pœnitentiã quidẽ, ſed tamen nõ ſufficientem ſatisfactionem habuerũt. Hic ergo pie credendum eſt, Chriſtum nõ tantum ad limbũ patrum deſcendiſſe, ſed & in ipſum purgatoriũ, quod tũc totũ euacuauit, ita vt qui multis adhuc annis debebãt in purgatorio pati, ſint tibi ꝑ Chriſtum liberati. (ideo referunt aliqui in tenebris, ad limbũ patrum: & vmbrã mortis, ad purgatorium.) Atque hoc facile crediderim voluiſſe Gregoriũ in hodierna homilia, quando locum tractat Oſeæ, Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne, quum ait, Id quod occidimus, agimus vt penitus nõ ſit. ex eo autẽ quod mordemus, patrẽ abſtrahimus patrémq; relinquimus. quia ergo in electis ſuis funditus occidit mortem, mors mortis extitit: quia vero ex inferno partẽ abſtulit (ſcilicet in purgatorio) & partẽ reliquit (damnatorũ) non occidit funditus, ſed momordit infernum. Purgatoriũ quidem permãſit, ſed qui in eo fuerant, liberati ſunt per Chriſtum. Sicque vult Gregorius, quod domin⁹ eos quos ex fide & operibus ſuos eſſe cognouit, etiã ex inferni clauſtris eripuerit, eo quòd Chriſtus dixerit, Quum exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum. hoc ergo fecit, quando nullum

Luc. 1.

Crego.

Oſeæ 13.

Ioan. 12.

electorum suorũ reliquit in inferno. Atqui illi qui in purgatorio sunt, sunt electi omnes & in gratia dei, sequitur ergo, eos quoque exemptos & liberatos esse cum Christo.

¶ Cõfirmari hoc potest etiam corporali exemplo. videmus enim apparatũ & magnificentiã regum, vbicũque ingrediũtur cum comitatu suo, quomodo & pfugi, & ij qui expulsi erant ob facinora sua, calcaribus & equis inhærentes accurrant. præterea siquando ad coronationẽ veniant, carceres & ergastula soluunt, res omnes inde liberãtes. Quũ ergo Christus dominus sit omniũ longe mitissimus, idémq; ditissimus simul & potentissimus, quur non ipse ea sit misericordia in triumpho suo, vt amicos & electos suos liberet victos? Et tamen hoc quidã firmare nitũtur per verba Petri, quũ ait in primo sermone suo, quod susciteuerit deus Christũ à morte, solutis doloribus inferni. nõ suspicandũ est autẽ de Christo, deũ in persona sua soluisse dolores, quoniã à morte quã semel passus est, amplius nihil mali sustinuit Christus, quoniam cõsummatũ iam erat. itelligendũ itaque hoc illi volunt esse de dolore infernali eorũ qui fuerãt in purgatorio. Vide iuniores, qui omnes cõmuniter hoc tenent. Marsilius quest. 13. tertij, Thomas de Argentina, Prulifer, Vorrilon, Lõdulpus, &c. Hos tibi cito, nõ vt eorũ nitor authoritate, sed vt eis visis, & scripturis p eos adductis, melius valeas iudicare.

Actu. 2.

Concertatio. Stap.

3 Videmus etiam ex illo, quomodo quotidianus ille fidei nostræ articulus sit intelligẽdus, Descendit ad inferos. (Ecce numerum pluratiuũ, vt non vnum, sed plures inferos indicet, scilicet limbi & purgatorij, ad quos Christus descenderit) ita nimirum, quod ille non tantum in limbum, sinum ipsum Abrahæ, sed & in purgatoriũ descendit, vbi fuerunt dolores inferni. Et quid vetat quin dicam fuisse illam peculiarem Christi gloriam & magnificentiæ suæ commendationem? Atque hic video subscribere ipsum Augustinum in epistola ad Euodium, vbi post multa ad longum inducta, eo declinat, quod in sinu Abrahæ nõ fuerint aliqui dolores inferni, ac proinde ob eum locũ tantum dici nõ posse Christum descendisse ad inferos, solutis doloribus inferni, sed quia quosdã ex diuina sua misericordia liberauit, declinãdo pœnas eorum, cuius rei manifesta extant testimonia, vbi inferni & dolorũ eius fit mentio. Nulla, inquit ille, causa occurrit, quur illo credatur veniisse saluator, nisi vt ab eius doloribus

Epist. 99.

loribus saluos faceret, quod non fecit iis qui erant in sinu Abrahæ, expectantes in secura requie, quando tandem educerentur in gaudia beatorũ. Vide tu epistolam, pulchra est enim & grauis. Eo potest hæc quoque ratio adduci, quoniã Christus ad latronem dixit, Hodie mecum eris in paradiso. Quærit ergo Augustinus Euodiũ, Si fuisset latro cũ Christo quoad corpus, in sepulchro ipsius eum oportere fuisse. Sin quo ad animam, nõne fuit apud inferos? Cõmunis autẽ est doctorum sensus & intellectus, Christum in cruce paradisum intellexisse illum spiritualem, scilicet aspectum essentiæ diuinæ, sicut statim dicturi sumus. (quãuis subtilis & acutus posset tueri, proprie etiam de paradiso terrestri, sed prætereo, non sumus hic vt disputemus) At hinc tale colligunt argumentũ, latro hic multa mala in vita sua operatus est, vnde facile in eo aliquid fuit quod opus habebat purgatione, de quo hic per eum satisfactum nõ erat. Et tamen illo non attento, promisit ei Christus paradisum, ideoq; licet in paradiso fuerit, & in eum debuerit venire, Christus eũ inde liberauit. Ad hęc si obiiceres pœnã & culpam remittere potuisse, aut etiam remisisse Christum huic latroni, sicut illi mulieri adulteræ fecit, rursus ex me audires amplius quiddam, Si misericors fuit dominus in cruce pendens, quanto magis iam à resurrectione triumphans, quoniã sic argumentatur & Ambrosius, Si passionis humilitas tantum præstitit cõfitenti resurrectionis gloria quantum tribuit deprecanti? Largior enim ad præstandum solet esse, sicut ipsi scitis, læta victoria quam addicta captiuitas. Aut si paradisum promeruit latro, quãto magis Christianus veniam deprecãs & misericordiam? Possumus ergo hæc ita ad paradisum referre, quod eum euacuauerit Christus, ad incrementum gaudij & gloriæ tam sanctæ diei. 4 Audiuimus Christũ ita descendisse ad inferos, quod benedicta eius anima ad patres venerit in limbũ, & animas miseras in purgatorio detentas. Verum inde nondũ constat, quamdiu Christus in inferno permãserit, quoniã ab hora nona diei parasceues qua mortuus est, aliquot neque paucæ sunt horæ vsque ad tẽpus resurrectionis eius. Sic ergo respondent cõmuniter doctores quoniam anima Christi non diu in purgatorio permanserit, sed statim liberatis animabus, duxerit eas ad reliquas in limbo detentas. Quoniam is tunc ordo quoque erat, quod si quis

Ambros.

homo decedebat in gratia dei, habens tamen adhuc in conscientia sua aliquid pœnale, anima eius primũ veniebat in purgatoriũ, vbi simul atq; satisfecerat, liberata inde procedebat ad limbũ. Quia autem ordinate fit quicquid à deo fit, Christus quoque ordinem hunc nõ inuertit. quanuis etiam triumphi sui glorioſam victoriã minus decuiſſet diu in purgatorio remorari, ipſumq́ue ſic paſſum electos ſuos preſente ſe diutius ibi pati dolores. Quandiu autem anima Chriſti fuerit in limbo (neque enim hic curo quoſdã doctores, qui arbitrantur eam mã ſiſſe vſque ad inſtans reſurrectionis, innitentes cuidã dicto Auguſtini in libro de fide ad Petrum. quia autẽ ille locus apparet mihi ambiguus & propoſitum non probare, ideo remitto illa ad ſcholas) quando nõ habet quæſtio expreſſam in ſacris literis diſſolutionem, neque nos funditus poſſumus aliquod tempus definire: ſatiſq; eſt, ſimpliciter credere Chriſtum deſcendiſſe ad inferos. quamdiu autem ibi remanſerit, relinquamus ei, qui ipſe deſcendit, & ſuæ diuinæ omni ſcientiæ. ¶ Sine tamen temeritate piè contemplantur doctores, Chriſtum ſimul atque tradito in manus patris ſpiritu mortuus ſit, deſcendiſſe in limbum, eoq́ue occupato, tantum manſiſſe cum patribus, cõmemoraſſe eis quæ & quãta paſſus ſit pro vniuerſo genere humano, atque quomodo oportuerit eũ pati, & ſic intrare in gloriã ſuam, non multo aliter quã cum duobus diſcipulis in Emaus euntibus declarauit ſcripturas. Id ita aiunt feciſſe eum vſque in mediam noctẽ diei paraſceues, & tũc miniſterio angelorum limbum totum deſtruxiſſe & cõfregiſſe: patres autem ex eo loco ſecũ adduxiſſe in paradiſum terreſtrẽ, vbi ſuſtẽtarit eos diebus 41, vſque in diem aſcẽſionis, quo aſcendit in cœlum, iuxta dictum prophetæ, In ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua. In reliquis hoc quoque ſciendũ eſt, quoniã vbi primũ anima Chriſti in paradiſum & limbũ peruenit, ibi ſtatim fuerunt illi ſaluati, diuinam cõtemplantes eſſentiã, qui paradiſus ſpiritualis erat, quem intellexiſſe putant Chriſtum in cruce, quãdo eum latroni promiſit. Hinc eccleſia in ſabbato reſumit cantus angelicos, ſcilicet Gloria in excelſis, Alleluia, Sanctus, &c. Attenta tamen ſemper intentione ad noctẽ reſurrectionis, vt benedictio Gregoriana cerei Paſchalis explanat. Quod autem quanuis beati non peruenerint in cœlum qui verus eſt beatorum

Rom. 13.

Richar. Thom.

Luc. 14.

Zacha. 9.

Luc. 23.

beatorum locus, in promptu ratio est, quoniã non decebat quécunque hominem priorem Christo ascendere in cœlũ, quare expectarũt eum qui illos secum adduxit, sicut præuidit in spiritu Dauid, dicens, Ascendens Christus in altũ, captiuã duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Explicato igitur gaudio patrum in limbo, nunc proxime de magna lætitia hominũ & exultatione dicturi sumus angelorum, &c.

Psal. 67. Ephes. 4.

HOMILIA SECVNDA.

Hæc est dies quam fecit dominus: exultemus & lætemur in ea. Psalmo 117.

DVBIVM nemini est, charissimi, deum opti. max. qui vniuersum mundum, qui cœlum & terram, angelos, homines ipsumque tempus creauit, omnes etiam creasse dies, sed tamen ipsi inter se dies æquales non sunt, nõ quidem ritu & errore gentilium, quem reiicit Paulus, sed tum diuina institutione, tum ecclesiastica ordinatione. siquidé maximus nunc error est inter neochristianos, contendentes æquales esse omnes dies, nec alterum alteri præferendũ. inde haberent illi cõtinua bacchanalia, cum tamen iam olim veteri prouerbio receptum sit, nõ semper esse Panatheuaica. longe aliter iam inde ab origine mundi obseruatum est, vbi in ipso statim primordio creationis, cũ 6. diebus opus suum cõsummasset dominꝰ, tandé cõquieuit die septimo, illúmq; sanctificauit. deinceps quoq; à Iudæis festa quædã præcepit obseruari, ex quibus adhuc aliqua sibi retinuit ecclesia, quãuis diuersa de causa, alia demisit, & pro iis rursus alia euangelicæ legi cõformiora substituit. Ne vero longius euagemur discedendo à themate propositio, etsi inquam dies festa multi fuerint annis 5233. hunc tamen paschalem diem præ cæteris omnibus elegit, tum angelis in cœlis, tum hominibꝰ in terra, patribúsq; ex limbo iam in paradisum adductis ad æterna gaudia. De hac siquidem die in spiritu prædixit Dauid, inquiens, Hæc est dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea. Et sic iam inde à primo Adam omnes dies peccati fuerant, imò potius atra quædam & caliginosa nox mortis & ærũnæ, omnes homines inuoluens caligine sua, ita vt totũ illud tẽpus ad Adã nox merito queat dici, qua mortalis homo ad tenebras vrgebatur inferorũ, vel in limbũ, vel in purgatoriũ vel etiã in ipsum detrusus infernũ damnato-

Colo. 1.

Genes. 2. Exo. 25.

Psal. 117.

rum. Verùm noctis huius finẽ fecit dies illa glorioſa reſurrectionis Chriſti, cũ qua ſimul vita cœpit æterna, quando ha ſancta nocte Chriſtus reſurrexit. Vnde S. Gregorius ſanctitatem huius diei tãtopere admiratus, ait de hac nocte. (recepit hoc eccleſia in benedictione cerei, vſus eſt prius etiã Gelaſius papa) Exultet iam angelica turba cœlorum, exultent diuina myſteria, & pro tanti regis victoria, tuba inſonet ſalutaris. Gaudeat & tellus tantis irradiata fulgoribus, & æterni regis ſplendore illuſtrata, totius orbis intelligat ſe amiſiſſe caliginem. lætetur & mater eccleſia, tanti luminis adornata fulgoribus, & magnis populorum vocibus hæc aula reſultet. Quapropter aſtantibus vobis fratres chariſſimi, ad tam miram huius luminis claritatem, vna mecum quæſo omnipotentis dei miſericordiã inuocate. Hæc nox eſt, in qua deſtructis vinculis mortis. Chriſtus ab inferis victor aſcendit.

Gene. 2. Exo. 20. ¶ Quia ergo Chriſtus hoc die reſurrexit, ideo eum præ cæteris ſanctificauit. quamobrem & dies appellatur dominica: quod hæc ſit illa dies multo priuilegio donata, in quam antiquum illud ſabbatum legis eſt tranſlatum, vt iam nos amplius non ſabbatum, ſed dominicum diem feſtũ peragamus,

Apoc. 1. quod iam olim temporibus cœpit apoſtolorum, vtique nõ ſine ſpiritus ſancti inſtinctu. vnde & Ioãnes eius meminit, fuiſſe inquiens ſe in ſpiritu in die dominico. Quando igitur, qui integram adhuc ſectaris Chriſti fidẽ, quæreris, quur diem dominicum, nõ ſabbatũ feſtum colas & obſerues, reſponde habere te hoc ab eccleſia catholica, cui idem à ſpiritu ſancto eſt reuelatũ & inſpiratum. neque id immerito, ob immenſum gaudiũ Chriſti reſurgentis, quomodo & Eſaias in ſpiritu præuidit fore vt ſit ſabbatum ex ſabbato, ſiquidẽ diem hũc reſurrectione ſua ſanctificauit dominus, ideoque dominicum dici voluit. ¶ Hinc promanauit illa eccleſię cõſuetudo, vt per octo hos dies continue in ſacris precibus & diuinis officiis verſus hic decantetur ex pſalmis, Hæc dies quã fecit dominus, deinde quoq; per totum annũ, pſalmus ille ſingulis diebus dominicis totus cãtari ſiue orari ſolet in eccleſia in eccleſijs bene ordinatis. Vnde recte Greg. in ho

Homi. 22. dierna homilia ſic dicit, Hanc recte nobilitarem, ſolennitatem nobilitatis dicamus, quia ſolennitates cęteras antecedit, ſicut enim in ſacro eloquio ſancta ſanctorum vel cãtica canticorum pro ſui magnitudine dicuntur, ita hęc feſtiuitas recte

de dici poteſt ſolennitas ſolennitatum. Caue itaque tibi fidelis anima, ne aliquod hoc tam ſancto die peccatum incurras, quoniam ob peccati circunſtantiam grauius ſit etiã peccatum ipſum, ſicque peccatum quod hodie quis perpetrat, grauius eſt quam quocunque totius anni die. Sed neq; ex ſola reſurrectione Chriſti quanuis glorioſa, magnificẽtia colligitur huius diei, verum & eo, quod hæc futura ſit dies dominj magna, dies perpetua, quę noctem non habebit, dies felicitatis æternæ. Sicut ergo dies hæc prima fuit, qua dominus creauit cœlum & terram, angelos & luminaria, ita poſt diem illum nouiſsimum ſol ſtabit, neq; mouebitur amplius ſed erit dies perſeuerans, immotus vltra & continuus, perpetuo duraturus. Dies ille dominicus erit, octauus dies ſanctorum, ſemper manſurus. In eius rei argumentum non ſolemus veſperas exordiri more aliarũ horarũ per hos octo dies, vt in aliis dieb⁹ hocverſu ex pſalmis deſumpto, Deus in adiutoriũ meũ intende, ſed cũ Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, eo modo quo officiũ miſſæ inchoatur. (illud enim olim hoc modo incipiebat à Kyrie eleiſon, vſq; ad tempora Cęleſtini Papæ, à ſancto Petro, qui introitum conſtituit.) non debent ergo hodie presbyteri incipere veſperas cũ verſu illo, Veſpertina oratio aſcẽdat ad te domine. quoniam dies illa domini nec veſperã habitura eſt, neq; noctẽ. vnde & Dauid inquit, Ordinatione tua perſeuerant dies. Atq; ſic dies illa dies ſancta eſt, quã fecit dominus, de qua gauiſi ſunt ipſi angelorũ chori, eo quod cœleſtis Hieruſalẽ reçdificari cœpta iam eſſet, numerusq; ciuium plurimũ augeretur. Gaudeamus itaque & lætemur, cum gaudio concinentes illud,

Cene. 1.

Kirieleyſon

Pſal. 118.

Saluefeſta dies, Surrexit Chriſtus hodie, &c.

¶ Hæc eſt dies quam fecit dominus, exultetis itaq; & lætemini Chriſtiani omnes, quoniam hanc nox atra & caliginoſa præceſſit. Nox enim antea fuit angelis, qui tot milib⁹ annorum hoſpitẽ nullum ſuſceperant in cœlum, quũ iam rurſus quotidie aliquid numero accedat, vnde ruinæ eorũ impleantur. lætus ergo & alacer deſcẽdit angelus de cœlo inſtar fulguris, reuoluit lapidẽ ab oſtio monumẽti, & ſedit ſuper eũ. Erat quoque aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimentum eius ſicut nix, præ cuius timore exterriti ſunt cuſtodes. Nox inſuper fuit patribus, qui tot milib⁹ annorũ vincti, detenti erãt in limbo. iis nimirũ læta fuit hæc dies, quãdo cum

Matt. 28.

benedicta anima Christi ascenderunt ad monumentum, viderunt quomodo dominus gloriæ glorioſam animã ſuã ſancto corpori rurſus vniuit, fecitq; illud reſurgere ornatum dotib⁹ fœlicitudinis & beatitudinis ęternę. Multa magnaq; nox fuit virgini matri & apoſtolis, vere nox mœroris, lachrymarum & fletus, cõpaſſionis & perturbationis. & Maria quidem dulciſsimum filiũ amiſerat, apoſtoli autem optimum maximum præceptorem & dominum deſeruerant, omnesq; alij Chriſtiani, qui ſpem in dominũ repoſuerant, ij omnes ſpe ſimul & conſolatione deſtituti erant, nox iis omnibus atra fuit. Nox & Ioſepho fuit ab Armathia ſicut euãgelium Nazareorũ oſtẽdit, quẽ ideo Iudæi captiuum tenebant. Chriſtus autem hodierna die rurſus liberauit nõ ſine magno gaudio. Similitet & de Nicodemo res habet, eo qđ Ioſephum in ſepeliendo Chriſto adiuuerat. ſed hrs omnib⁹ Chriſtus diẽ hunc attulit lætitiæ ſimul & ſalutis. Vt iã non illi tantũ ſed Chriſtiani oẽs merito debeant exultare deũq; rogare, vt nobis diem lętum & æternum concedat, qui perpetuo duraturus, finem non habebit in æterna patria.

2 Nunc tandem ad feſtiuitatis huius hiſtoriam peruenia-mus, dicturi quænam hodierna die contigerint inſigniora. Vbi primum meditetur fidelis anima, quãtum gaudiorũ benedicta anima Chriſti hodie ſit aſſequuta. hæc enim dies illa eſt, in qua Chriſtus magna lętitia exultauit, gauiſusq; eſt, vnde & nos omnes capiti noſtro Chriſto cõgaudere debeamus. Id adeo vt funditus intelligatur, ſcire vos conuenit, benedictam animã Chriſti ab initio ſuæ creationis in ipſo die annunciationis Mariæ, beatam fuiſſe, atque aſpexiſſe iam tũ eſſentiam diuinam, eamq; ſumme dilexiſſe. (habuit viſionẽ & fruitionẽ eſſentiæ diuinæ) beati porro tria habẽt in beatitudine ſua. viſionem eſſentiæ dei, fruitionem eiuſdem, & quæ inde ſequitur, immẽſam delectationem cũ ſummo gaudio. Tertium hoc anima Chriſti annis 33. non habuit, ſed eo vltro ipſe priuauit. in hoc tantũ, vt humanos poſſet pati defectus, ipſamq; ſuſtineret mortem ob redemptionem generis humani. (volo dicere, Anima Chriſti fuit beata in inſtãti creationis ſuæ. quũq; tria ſint in beatitudine, viſio, fruitio, & delectatio conſequens, delectatione hac miraculoſe caruit anima Chriſti, vt ſuſtineret miſerias humanas, paſſionem, crucem & mortem. Maximas igitur gratias agamus

Chriſto

Christo, qui vt nos beatos efficeret, tot annis caruit delecta tione & gaudio beatitudinis suæ.) Post ipsam vero Christi morte, vnita iam rursus anima corpori, visio essentiæ diuinæ summæq; delectationis, gaudium immensum cum maxima delectatione infudit, quæ sane delectatio & ab anima permanauit in corpus inde quoq; glorificatum, quatuorq; dotibus beatitudinis largissime donatum, puta subtilitate, celeritate impassibilitate & incorruptibilitate. Hinc igitur dominus immenso cũ gaudio potenter & glorioſe propria sua virtute & imperio à morte triũphans resurrexit, adeo vt in obsequium eius angeli etiã concusserint terram, quæ tũc tremuit, demisso angelo cœlitus instar fulguris. Communi enim doctorum sententia (quia Hieronymus existimat resurrectionem Christi factam media nocte, ac cõmunior sententia est, post medium noctis tandẽ resurrexisse eũ.) Christus media nocte patribus reuelauit se resurrecturũ in corpore, quumque plurimas secũ animas ab inferis reduxisset, multis etiam hanc gratiam nunc contulit, vt resumpto corpore secum resurgerent, iuxta illud quod ait Matthęus, mo numentis apertis multa corpora sanctorum resurrexisse, & venisse in ciuitatem sanctam, ibique apparuisse multis. *Matt. 27.*

3 Vnde sequitur articuli fidei nostræ intellectus, quando profitemur Christum tertia die resurrexisse à mortuis, non quod triduum totum Christus fuerit mortuus, sed quia cõmuni scripturarum more partem sæpe totius appellatione significamus. Mortuus ergo dominus in die parasceues, eodem & sepultus est, totoque sabbato decubuit in sepulchro deinde post medium noctis versus auroram dominicæ diei resurrexit. Vide August. libr. 4. de ciui. dei, cap. 6. Et quia ante sabbatum totum aliquot horis diei parasceues similiter & diei dominici dominus iacuit in sepulchro, dicit scriptura eum tertia die resurrexisse. Quod autem fuerint illarum horarum, quando etiam hic doctores variant, aliis ponentibus 36. aliis 40. id totum diuinæ relinquamus omni scientię. Qui super iis tribus singula vellet deuotius cõtemplari, haberet plurima quibus pium animum suum exerceret. si ergo quis voluerit plura videre, videat Stapul. de triduo mortis Christi, & quæ catholici contra eũ scripserunt, quia non est bonum coram plebe, recepta fidei nostrę mysteria in dubium vocare, quod ille & imprudenter & impie fecit in *Synoche che.* *Augusti.* *Stapulen.*

quibuſdam. Hoc etiam antea de ſe futurũ prædixerat Chri
Luc. 18. ſtus diſcipulis ſuis, inquiens, Ecce aſcendimus Hieroſoly-
mam, & conſummabuntur omnia quæ per prophetas ſcri-
pta ſunt de filio hominis, quoniam occident eum, & die ter
Dies me- tia reſurget. Atque illi dies ſunt perpetua memoria digni
morabilis. in eccleſia ſemper habiti, & ex omnibus alij tres electi, qui
præ cæteris haberentur illuſtriores. feria 6. enim deus crea-
uit hominem, eadem & lapſus emeruit mortem. rurſus in il
la die Chriſtus morte ſua hominem demortuum, à mortuis
Gen. 3. faucibus eripuit & liberauit. Die autẽ ſabbati requieuit do-
Gen. 2. minus in creatione mundi, cum iam conditis omnibus opus
Gen. 1. ſuæ creationis conſummaſſet. Ita & Chriſtus ſabbato con-
quieuit in ſepulchro, abſoluto iam redemptionis myſterio.
Deinceps glorioſa hac die dominica, ſicut dominus prima
creationis ſuæ die cœlum condidit & terram, ita Chriſtus
poſt reſurrectionem ſuam nouus apparuit homo & immor
talis, dominus cœli & terræ, triumphator mortis.

4 Neq; vero tria hæc ſine magno myſterio in hunc mo-
dum ſunt diuinitus præuiſa, quoniã feria ſexta diẽ primum
Peccauit Adã. ſignificat innocentię, qui non fuit integer, partim tamẽ fuit
in paradiſo trãſactus, ſed Adã diſrupit eum. eo quod nõ to-
to die permanſit in illo. Dies alter, dies gratiæ eſt, per ſabba
tum repræſentatus, hic nimirũ totus extitit, quoniã & præ-
cedentem habuit noctẽ peccati originalis, & ſubſequentem
actualis peccati. Dies totius gloriæ eſt, quem dies paſchalis
ſignificauit. is perpetuus ille dies eſt, quẽ nulla noctis ſubſe
Rom. 8. quentis caligo obſcurare poterit, quoniã Chriſtus quum in
Beda. eo reſurrexerit à mortuis, ſemel amplius non moritur. Vn-
Li. 1. ſuper de hac nocte, vt ait Beda, temporum mutatus eſt ordo, ſiqui
Gen. c. 17. dem ante Chriſti reſurrectionẽ dies ſupputabãtur ab auro-
ra, licet feſta in priori veſpera incepiſſent: nunc autem dies
Gen. 1. à media nocte vna in aliã connumeramus Aug. inquit, Pri-
mus homo cecidit à luce, & dies creationis in noctem pecca
ti, quemadmodũ prima dies à luce inchoata in noctẽ deſiit,
ſicut Moyſes dicit, factũ eſt veſpere & mane dies vnus. Nũc
autem ab ipſa Chriſti reſurrectione, incipiendũ eſt à nocte
diem verſus, hoc eſt, à peccato Adæ ad redemptionẽ Chri-
ſti. ideoq; & dies iſte magnũ illum diem domini, quẽ nulla
Matt. 28. nox intercipiet, deſignat. Sed hic vnũ adhuc occurrit, quod
prætereundũ non eſt, quãdo ex Matthęo ſupra diximus an-
gelum

gelum descendisse de cœlo, & reuoluisse lapidē, intelligendum nō est, quasi Christus aliter resurrexisse nō potuisset: quoniā firmiter illud nobis est credendum, propria virtute eum etiā clauso resurrexisse sepulchro, qui deinceps occlusis foribus ingressus est ad discipulos, & antea natus fuerat non reseratis virginei vteri claustris. Sed vt ad angelum redeamus, si quis solerter omniū cōsideret euangelistarū scripta, videbit nullū eorum commemorasse, quomodo tādem resurrexerit Christus, sed tantū multa vbique fit mētio angelorum, qui apparuerint mulieribus, quādo vacuum inuenerant sepulchrū. Angelus igitur ille qui legitur lapidem ab ostio reuoluisse, credendus est tandē post Christi resurrectionē apparuisse. quod ex multis certis colligitur argumentis: quoniā si Christus propria virtute ascendit in cœlum, iuxta illud Psal. Exaltare domine in virtute tua: quur non & eadē sua virtute resurrexerit? Aut quid magni adeo fecisset Paulus, quod Iesum Christū & virtutē resurrectionis eius cognouerit? Præterea, si adeo præpotens fuit ille, vt confregerit portas inferorū, vnde & ibidē potens ideo, fortis, dominus virtutū & rex gloriæ appellatus est, quis credat indiguisse eum angelo qui lapidem amoueret ab ostio, quum tamen nihil resistat potestati illius, qui verbo vnico montē monti imponere potest? Credendum igitur est, dominum prius resurrexisse, quam aurora refulserit, idq; propria sua virtute. deinde illi in obsequium, nobis & mulieribus in exemplum doctrinæ, similiter & custodibus sepulchri, descendit angelus de cœlo, apparuit circa monumentum, vsque ad terrorem custodum, reuoluit, inde lapidem ab ostio monumenti, seditque super illum, vt sic mulieribus præter ingressus in monumentum, sicut clare euangelica narrat historia, post hæc ministerio angelorū terra tota tremuit. & sicut illa in passiōe Christi, quasi & ipsa cōpatiens cōcussa est, ita iā rursus in resurrectione cōditoris sui velut in lætitiæ signū cōtremuit. Audi & euigila peccator, Si sic terra tremuit, quum dominus ad veniā suorū resurget: quomodo contremiscet, quum noxiorū omnium turba resurget ad pœnam? Gaudete itaque dilectissimi in hac sacra die & exultate, quoniam dié hanc fecit dominus. Clamemus omnes in spiritu cum Psalmista, quum diem illam præuideret, dicente, O domine saluū me fac, ô domine be-

✳

Beda.

Psal. 20.

1. Cor. 1.

Philip. 3.

Psal. 23.

Mar. 16.

Bernar.

Seuer.

Psal. 117.

ne prosperare, benedictus qui venit in nomine domini. Id itaque prestare digneris triumphator potentissime Christe Iesu, qui es benedictus deus in æuum, Amen.

HOMILIA TERTIA.

Vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, &c. Apocaly. 5.

Ioan. 1. *Esaiæ 52.* *1. Pet. 2.*



OMINVS noster Iesus Christus, vt agnus innocens occisus est, quoniam ipse agnus ille erat qui tollit peccata mundi, vt agnus innocens ad occisionem ductus est, nec aperuit os suum, & quum maledicebatur, non comminabatur. Verùm enimuero etsi vt agnus mortuus sit, tamen vt leo generosus & validus præpotenter resurrexit: leo animal vtique est animosum, forte, magnanimum, præclarum, generosum & victoriæ appetentissimum est. Quum itaque Christus fortitudinem & potentiá suam omnẽ in resurrectione declararit in limbo inferorum, in cœlo & terra, recte eũ leonem vocauit Ioannes in spiritu de tribu Iuda. quo nomine sanctus Marcus facie leonina efformatur, quod præ cæteris euangelistis resurrectionẽ Christi grauiter adeo descripserit, cuius etiam euangeliũ hodie vsurpari in missa ab ecclesia institutũ est. Hic est ergo ille leo de tribu Iuda, quẽ ipse etiam patriarcha Iacob in spiritu præuidens, dixit, Catulus leonis Iuda. Merito quoq; gaudere debent hodie Christianis omnes vna cũ Christo, qui triũphator hodie instar leonis deuicta morte resurrexit, infernumq́ue subegit. ipsum laudemus & glorificemus omnes, læto pectore cantantes,

Gen. 49.

Salue festa dies. vel, Surrexit Christus hodie.

Vicit inquá leo de tribu Iuda, radix Dauid. Quando semel in mentionem leonis incidimus, operæpretiũ fuerit, super ea re nõnihil quoq; dicere, & id quá breuissime, deinde ad gesta huius diei progrediemur. Merito aũt Christus leo dicitur de tribu Iuda, & ille victor, quoniã Christ⁹ hodie Iudæos, diabolum, mortem, omnesq́; mundi huius calamitates deuicit. Iudæos quidẽ superauit, qui antea in cruce pendentem suspenso naso calũniabãtur, dicentes, Si tu es Christus, descende de cruce. Ecce, quod multo maius est, ille iam hodie victa morte, clauso resurrexit sepulchro. Blasphemi antea Iudæi clamitabant, Confidit in deum, liberet eũ nunc si vult, dixit enim se filium dei esse. Ecce hodie liberauit eum deus iuxta id quod ipse prædixit per os Dauid, Ego dormi-

Psal. 3.

ui

ui & ſoporatus ſum, & exurrexi, quia dominus ſuſcepit me. Diabolum quoq; deuicit & debellauit, eo quod limbū ipſius cōfregit, purgatorium euacuauit, multā magnamque eius poteſtatem in mundo diminuit, ſicut prædixerat, Iam princeps huius mundi eiicietur foras. Quæ etiam cauſa eſt, quur iā non tot ſint in mūdo obſeſsi & dęmoniaci, quot ante Chriſtum natum fuerūt, deinde quur idololatria & vniuerſus dæmonum cultus, qui tunc in mundo frequentiſsimus erat, pro magna parte abolitus ſit. Deinde mortē quoque ſubegit dominus, dum ad vitam ipſe reſurrexerit, nosq; ſimul omnes certos fecit reſurrectionis noſtræ, dicēte Paulo, Si Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus. Ad extremū dolores etiam & omnes mundi huius miſerias ſuperauit, in quibus adhuc nos miſelli continuis aduerſitatibus & calamitatibus perpetuis preſsi iactamur ſubinde & excruciamur. Quæ mala omnia Chriſtꝰ in paſsione ſua deuicit, omnesque poſt eum ſancti per gratiam ſuam iuxta illud Ioannis, Abſterget deus omnem lachrymā ab oculis ſanctorū, & iam amplius non erit neq; luctus neq; clamor, ſed nec vllus dolor, quoniam priora tranſierūt, &c. ¶ Extende illa quatuor, & habebis bonum ſermonē. Circa victoria in Iudęos, induc vigiles territos, Iudæos iam expulſos, vagos per totū mūdum, ſine rege, ſine principe, ſeruos Chriſtianorū, ſemper timidos, & ſpretos, &c. Circa victoriam diaboli, induc quæ ſupra de purgatorio, de limbo patrum dicta ſunt. Item quomodo ſit ligatus. ſicut vidit Ioannes in ſpiritu, Et vidi angelum deſcendētem de cœlo, habentem clauē abyſsi, & catenam magnam in manu ſua, & apprehēdit draconē ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſathanas, & ligauit eum per annos milles, & miſit eum in abyſſum, & clauſit & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat amplius gentes, donec conſummarētur mille anni. Circa victoriam mortis, dic de potentia & modo reſurrectionis, vt ſupra. Circa victoriam autem doloris, dic de gaudio huius diei, & quomodo apparuit diſcipulis, & dixit, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Sic habebis egregium ſermonem. Vt ſemel finem apponeremus, ſtudioſe illa reſecauimus. 2 Adhuc penitius inueſtigant doctores rationes, quur Chriſtus in ſacris literis leoni compararetur. Id quanuis illi multis longiſsimo proſequantur, nos tamen paucis abſoluemus, quo-

Ioan. 12.

1. Cor. 15.

Apoc. 21.

niam præcipue cõditionẽ hãc leo habet, quum primũ leæna peperierit, & leunculi pro mortuis humi iaceãt, die tertio ſtare ſolet ſuper eos leo, & rugit, ſicq́ue illi vitam recipiunt. Nónne ad eundẽ modum & Chriſtus poſtquã tribus diebus conquieuit in ſepuchro, tandem voce dei patris reſuſcitatus, à morte ſurrexit: iuxta illud, Ego dormiui & ſoporatus ſum & exurrexi, quia dominus ſuſcepit me? 2 Ad hæc apertis, leo dormire ſolet oculis, ita & Chriſtus triduũ totum dormiuit quidem in ſepulchro, ſed tamẽ vigilauit in limbo & purgatorio, vt facilẽ ſic dicere potuerit illud, Ego dormio, & cor meum vigilat. 3 Inſuper leo dum à venatore fugatur, veſtigia ſua propria cauda delens, ne conſpiciantur, perturbat & obnubilat. Ita Chriſtus diuinitatẽ ſuã occultauit, ne eam diaboli & Iudæi cognoſcerent. Atque eodem modo per longũ decurrendo inducere potes de eius fortitudine, & quam ſit intrepidus, neminẽ metuens: iuxta illud, Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pauebit occurſum. Præterea ita ille animalium omniũ rex eſt, vt nullum audeat ipſum excitare, dicente Balaam, Accubans dormiuit vt leo, & quaſi leæna quam ſuſcitare nullus audebit. Sic nemo vel auſus eſt vel potuit excitare Chriſtum. Niſi pater illius. Samſon per modum ænigmatis propoſuit, quidnã hoc eſſet, De comedente exiuit cibus, & de forti dulcedo. cibus ille, mel: & fortis, leo erat. quid enim vel melle dulcius, vel leone fortius? Et de noſtro quoque leone Chriſto exiuit cibus vitæ æternæ, mel doctrinæ ſalutaris: iuxta illud Dauidis, Quam dulcia faucibus meis eloquia tua? ſuper mel & & fauum ori meo. Gaudete itaque & lætari merito poſſumus atq; adeo debemus, quoniam hodie leo noſter vicit de tribu Iuda. Vnum tamen nobis à Chriſto poſtulemus, profuſiſq́ue precibus deprecemur, ne ab eius rugitu horreamus tremuli, quoniam alias ea eſt leonis natura, vt ad eius rugitum feræ omnes cõtremiſcant, occultent ſeſe & aufugiant. Sic quoq; leo noſter rugiet in die nouiſsimo, ita vt cœlum pariter & terra cõtremiſcãt: iuxta illud propheticũ, Leo rugiet, & quis nõ timebit? O domine Ieſu Chriſte, ne nos exterreas in die nouiſsimo, per gaudium glorioſæ tuæ reſurrectionis, Amen. 3 Nunc tãdem ad huius diei geſta perueniamus, illud quoq; breuiter expediturí. Simul atq; glorioſa & benedicta anima Chriſti ſummo gaudio & lętitia affecta

Pſal.3. *Can.5.* *Prou.30.* *Nu.24.* *Iud.14.* *Pſal.119.* *Amos.3.*

affecta est ex susceptо corpore, ornata iã dotibus beatitudinis, primũ omniũ apparuit Christ⁹ domin⁹ nostermatri suę Mariæ, quoniã nullus vnquã in terra fili⁹ matrẽ suã amauit ardentius quã Christus Mariã. apparitionis huius modũ pij patres sic cõtemplantur, q⁹ Maria sepulto iã corpore Christi in die paraſceues, reuersa sit dolentissima ad crucẽ, eamq; adorarit, siquidẽ ibi recẽs adhuc viuus ille Christi sanguis apparebat. Deinde vt erat resurrectiõis Christi certissima, abdidit sẽ in cõclaui, meditatura mysteria dei, creationẽ hominis peccatũ & lapsum eius, qui iã paradiso exultabat miser, diluuiũ, promissionẽ patriarchis factã & prophetis. Cõtẽplabatur insuper hic, quomodo ipsa cõcepisset Christũ, peperisset, educasset, cum eo in Aegyptum fugisset: deinde quomodo ille captus, passus, crucifixus, mortuus esset & sepultus, impletis ita circa hæc scripturis omnib⁹. Hæc & huiusmodi plura alia sanctissima virgo toto animo affect⁹ meditabatur, expectãs glorioſam Christi resurrectionẽ, vtiq; non caruit etiã hic cõsolatore suo Gabriele, qui eã cõfortarit. Postquã ergo Christus resurrexit, statim suæ matri apparuit, veneruntq; ante eũ angeli ad illã, salutãtes ipsam & dicentes, Regina cœli lætare, quia quẽ meruisti portare, resurrexit sicut dixit. Ibi deinde per immensum aëra vectus Christus, aduenit instar radiãtis solis fulgidus, & sine dubio eã dulcissime salutauit, & cõsolatus est, quod iã luct⁹ & dolores eius finẽ haberẽt. Vicissim Maria in genua procubuit, ipsumq; adorauit, gratias ei agẽs pro generis humani redẽptione. Reuelauit etiã illi dominus ibi, quomodo in solatiũ fidelũ aliquãdiu adhuc deberet permanere in terris, & tũc ipse eã ad se sine mortis doloribus esset susceptурus in cœlum, ad æternæ gaudia vitæ. Meditãtur hic doctores etiam, quomodo patres vna cũ Christo aduenerint, visuri Mariã, quam filius dei elegerat matrẽ, ita vt admirati sint illã ibi Abrahã, Dauid & alij, vt eã obstupuerit nõ sine laude Esaias, quoniã ipsa esset virgo de qua prædixerat, Ecce virgo cõcipiet & pariet. (curre tu per patriarchas & prophetas, quia longũ esset de omnib⁹ recẽsere, tamẽ mire solet afficere populũ.) Atq; in tali apparitione anima Mariæ summo gaudio à Christo perfusa est, quod non solũ corpus Christi glorificatũ viderit, sed & diuinam eius essentiã, vnde lætitiam suauissimam cõcepit. Quo autẽ gaudiũ illud effusius

Christus Mariæ primo apparuit

extitit & admirabilius, eo fuerat antea anima eius doloribus magis aggrauata, quando dulcissimus eius filius Christus in cruce crudeliter adeo fuerat occisus. Dices, Atqui nullus euangelistarum quicquam de hac apparitione scriptum reliquit, quid igitur? num ideo nō est fides adhibenda, iuxta id quod neochristiani putāt & persuasum habent? imo apparuisse Christum Mariæ & piè credendū & firmiter est tenendū, quando argumenta hic extant nō inualida,

Exo. 20.

quoniā ille matrem suam vtiq; in honore habuit ex præcepto legis, non itaq; passus est eam diutius in maximo luctu vehementissimisq; doloribus permanere. Quod si aūt primum apparuisset Magdalenæ, saltem ei commisisset, vt illud etiam matri suæ denunciasset: non fecit autem hoc, sed tantum iussit vt fratribus diceret, & alijs mulieribus iniunxit angelus, vt discipulis Christi renūciarent & Petro: quoniam non decebat vt alius ad Mariā veniret resurrectionis Christi nūcius, nisi filius ipse, sicut idipsum Anselmus, Landulphus & alij multi, multis rationibus astruunt. vide tu etiā Cusanū. Et aperte dicit Ambrosius libro tertio de virginibus, col. 14. Considerate quia virgines præapostolis resurrectionem domini videre meruerūt. Et infra, Vidit Maria resurrectionē domini, & prima vidit & credidit. Vidit & Maria Magdalena, quanuis adhuc ista nutaret. Rationi quoque hoc cōsentaneum est, quoniam quum nemo hominum magis doluit ex passione Christi quam mater ipsius Maria, decuit vt gaudium & consolationem reciperet prima. ¶ Dum quæritur autem, quur euangelistæ nihil de hac apparitione scripserint, respondeo eas descripsisse euangelistas apparitiones, quæ ad manifestationē & resurrectionis testimoniū sunt factæ: iuxta illud quod ad eos dixit dominus, Eritis mihi testes in Ierusalem & Iudæa & Samaria, & vsq; ad vltimū terræ. Præterea ideo ille ascensionē suam ad cœlum distulit, vt eo tēpore resurrectionem suam pluribus argumentis confirmaret. Non decuisset autē Mariam de filij sui resurrectione testari. Quæ etiam causa est, quur Lucas in Actis, vbi nascentis ecclesiæ primordia narrātur, nusquā testimonium cōmemorat Mariæ, neq; eius mentionem aliquā facit, nisi vbi ipsam in aliorum sanctorū numero reponit, quāuis sine dubio fideles tunc omnes, & apostoli plurimū consolationis exea receperunt, sicut multa ex ea audiuit

Ioan. 20. Mar. 16.

Ambro.

Act. 1.

S. Lucas.

audiuit & didicit ipſe Lucas. Patet quoque idem manifeſtiſſime ex epiſtolis Ignatij ad Mariam vltro citroque conſcriptis. Atque hinc diſſolui poteſt etiã altera obiectio, quando induci poſſet cõtra articulum hunc illud Marci, Surgens Ieſus mane prima ſabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptem dæmonia. nã & hoc nõ ita accipiendum eſt, quaſi nõ antea apparuerit Mariæ, ſed quia inter homines peccatores & eos qui teſtimoniũ reſurrectionis ſuæ dare debebant, Magdalena prima fuit cui ille apparuerit, ſicut iam porro dicturi ſumus. 4 Secundo ergo poſt reſurrectionẽ ſuam dominus apparuit Mariæ Magdalenæ, idq́ue in hunc modũ, Mane priuſquã illuxiſſet, venerũt mulieres ad ſepulchrum vnctur̃e dominum: neque inuenerunt illum, ſed angelũ ſedentẽ à dextris, hoc eſt, verſus meridianam plagã. Ita enim dominus iacuit in ſepulchro, vt caput verſus ad occaſum, pedes autẽ ad ortum ſolis cõuerterit ſicuti inter catholicos ille ſepeliendi mos adhuc obſeruatur. Et hic angelus reſurrexiſſe dominũ eis denunciauit, vt narrat euangeliſta. Volunt igitur doctores, quod quãdo mulieres fuerũt apud monumẽtũ, iam antea reſurrexerit Chriſtꝰ, eoq́; tempore Marię apparuerit matri ſuæ. Deinde quũ mulieres nõ inueniſſent corpus Chriſti renunciauerũt illud diſcipulis eius. venerũt ergo Petrus & Ioãnes, qui inuenerunt omnia iuxta ſepulchrum cõſtituta, ſicut narrauerũt mulieres: iterum metus cauſa nõ ita diu morati ſunt, quoniam iam dies inualuerat. Mulieres autẽ permãſerũt in horto, & ex illis vna Maria Magdalena rediit ad ſepulchrũ, cui ibidẽ apparuit dñs in ſpecie hortulani. quũq́; eã cõpelleret ex nomine, retroſpiciẽs, agnouit, voluitq; eũ tãgere, &c. Hinc eſt quod Auguſtinus & Hieronymus dicunt mulieres bis veniſſe ad monumentũ. ¶ Apparitio tertia ſtatim poſt hanc facta eſt. Magdalena enim cæteris in horto mulieribus poſtquã narrauit, dicto citius omnes illæ cum ſummo gaudio properabant apoſtolis nunciare. Et in ipſa via obuiam eis venit dominus, & dixit, Auete. illæ deinde tetigerunt eum & adorauerunt. Quarto apparuit etiam Petro, iuxta illud quod dixerunt diſcipuli, Surrexit dominus & apparuit Simoni.

Ignatius.

Mar. 16.

Ioan. 20.

Matt. 28.

Luc. 24.

5 Apparuit & ſancto Iacobo, quẽ doctores aiunt ſepulto domino vouiſſe amplius nihil edere velle, donec Chriſtꝰ reſurgeret. Ieiuniũ hoc nonnulli adhuc habent in vſu, quod

1. Cor. 15.

& ieiunium ſancti Niniani dicitur, qui ſepulto dño à meridie diei paraſceues vſq; ad reſurrectionẽ domini ieiunant.

6 Inter reliquos viſus eſt & Ioſepho ab Arimathia, ſecundum euangelium Nazaræorum, quoniam illum tunc Iudæi captiuum tenebant, eo tantum quod dominum in monumento ſuo ſepelierat. ibi ergo apparuit illi dominus, & liberauit eum. hinc & cuſtodes ſepulchri dixerunt ad Iudæos, Date nobis Ioſeph, & nos dabimus vobis corpus Ieſu. Apparitiones illæ tres hodie vtique factæ ſunt, ſed quibus horis ſingulę, ex ſacris literis non conſtat. 7 Interdiu deinde apparuit dominus diſcipulis duobus habitu peregrini in via, quum ambularet in Emaus, ſicuti tomo ſecundo ad longum recenſuimus. *Luc.24.* 8 Decem quoque diſcipulis apparuit Chriſtus die paſchæ, ſed ad noctem. Vtique apparitiones illæ omnes, magnifice factæ ſunt, omniq; gaudio pleniſſimæ fuerunt. Quibus etiam docere voluit Chriſtus, ſe illum eſſe verum fortémque leonem de tribu Iuda, qui mortem, diabolum & inferos ſubegerat, impleuerátque omnia quæ diſcipulis prædixerat ipſe. *Ioan.20.* Quare etiam reſurrectionis fidem comprobauit, vt omnes qui iuxta voluntatem ſuam & legem viuunt, reſurrecturos ſe firmiter credant in gloria, vitámque conſequuturos æternam, quam omnibus nobis ipſe triumphator potentiſſimus concedat Ieſus Chriſtus dominus noſter, Amen.

¶ Hæc omnia ita plane ſunt digeſta, ſecundum literę corticem, quia parum prodeſt coram ſimplici populo diſputare, an eadem fuerit Magdalena, quę venit comitata & quæ venit incomitata: an mulieres ſępius venerint ad ſepulchrum, an minus, vt Hieronymus & Auguſtinus volunt. an etiam Magdalena tenuerit pedes Chriſti cum aliis mulieribus, aut minus. Vide Roffenſem contra Stapulenſem.

DE S. GEORGIO EVANGELIVM, IOANNIS 15.

IN illo tempore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis, Ego ſum vitis vera & pater meus agricola eſt. omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructũ plus afferat. Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem loquutus ſum vobis. Manete in me, & ego in vobis.

in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.

HOMILIA PRIMA.

Frisinga.

MEMINI me aliquando euangelium hoc Frisingæ prædicasse in die sancti Georgij, qui ibi parochialis ecclesiæ patronus tutelaris habetur, nunc non dissimili modo tractabimus. Ego, inquit Christus, sum vitis vera, &c. Quod si mundum hunc vniuersum expenderimus, quid aliud nisi magnus quidam dei liber est, in quo creaturæ singulæ, singula siue capita sunt, siue literæ, siue folia? in iis sapientiã, potentiam & bonitatem dei cõsiderare licet, iuxta illud Pauli, Inuisibilia dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas. hinc fit vt deus omnũ creaturarum nominibus appelletur, quoniã authore Dionysio, nõ est aliqua natura à suprema ad minimam & abiectissimũ vsque vermiculum, vnde diuina theologia nõ possit similitudiné aliquem colligere ad designandam primã rerum omniũ causam, hoc est, deum. & ideo toties parabolis vsus est Christus in euãgelio, vt Marcus scribit. Huius rei causam quisquis fundit⁹ intelligit, videt vtique quã inconsulte agant Iconoclastæ in eo, ꝙ omné vsum imaginum è medio tollere conãtur, quũ tamẽ nos mortales in hac vita ob intellectus nostri imbecillitatẽ imaginibus carere nequeamus. (Vide dominicã sexagesimæ.) Iniquũ eis videtur imagini Christi aliquid honoris exhibere, neq; considerant, quod in nomine eius flecti conueniat omne genu, cœlestium, terrestrium & infernorum. At quidnam Christo similius? imago ne an nomen? sed iam missam faciamus eorum insaniam, quam alias pro dignitate tractabimus. Satis hoc nobis interim est, quamlibet creaturam verbum dei esse, & aliquid loqui, non tantum laudando deum cum benedictione, sed & eundem manifestando. Atque ideo parabolis in euangelio vsus est dominus, vt nos doceret, sicut hic quando seipsum vitem vocat, & patrem agricolam, quibus rebus quid ille voluerit, iam porro inquiramus.

Dionys.

Marc. 4.

Philip. 1.

Psal. 17.

1 Ego, dicit dominus, sum vitis vera. Hæc quia locutio symbolica est, cõsiderare oportet, quare dominus viti sit cõferendus. Et ne longius euagemur, seipsum viti, patrẽ agricolæ, & discipulos palmitibus confert. Sicut enim palmites

Rom. 1.

vinum bonum non ferunt, nisi eorum curam gerat agricola quam maxime sedulâ, ita omnia nostra nihil sunt sine gratia
Ioan 15. dei, quoniâ, sine me, inquit ille, nihil potestis facere. omnis-
2.Cor.3. que sufficiẽtia nostra ex deo est. & nemo, vt ipse ait, potest
Ioan. 6. venire ad me, nisi pater meus traxerit eũ. Ad hæc, palmites oportet ex vite succrescere, alias arescent. ita fideles Christo decet insitos esse, vt humectationẽ gratiæ ab eo percipiant.
Augusti. Et sic Augustinus ait, Christus vbi se vitem, & discipulos suos palmites dicit, secundũ hoc dicit, quod est caput ecclesiæ, nos quoq; membra eius, mediator dei & hominũ homo Christus Iesus. Vnius quippe naturæ sunt vitis & palmites. Quãuis etiã Christus si homo nõ esset, vitis quoque nõ esset, tamen adhuc humorẽ gratiæ fidelibus cõferre nõ posset si deus nõ esset: vbi intelligere facile possumus, quantum solicitudine, imò prouidẽtia dei opus habeamus. Hinc Chry
Chrysost. sostomus dicit, quia Christus sibi sufficit discipuli vero multi indigent agricolæ officio, Propterea de vite nihil dicit, sed de palmitibus (Quia per symbola facile est iter, potes extendere per duos sermones.) Potest ad longũ extẽdi hoc idem, transcurrendo per singulas vitium proprietates, quoniã li-
Esa.53. gnum earum abiectum est & vile. sic quoque Christus contemptus & humilis extitit, quãuis fructu plurimo abundantissimus: cuius facies licet despecta multum extiterit, plurimũ tamen fructus attulit, quia operatus est salutẽ & redem-
Eccle.2. ptionẽ generis humani, vt potuerit facile dicere illud, Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris. Lignum quoque vitis nõ ita solidum est, sed medullam magnam habet, quo-
Matt.11. modo & Christus mãsuetus, atq; vt ipse ait, mitis fuit & humilis corde. Magnitudo medullæ, deuotionẽ significat, vnde omnes christiani docentur, iuxta illud Augustini, Omnis Christi actio nostra est instructio. Quo facit & hoc verbũ
Iob 21. Iob, Medullis ossa illius irrigantur. Præterea vites alimenta sua cõtrario plane modo à reliquis arboribus attrahũt, quæ inter corticem & lignũ arripiunt humorem, ex quo alimentum suum sibi attrahit lignũ. Vis illud experiri? Age detrahe corticem arboris circũcirca ad duorum digitorũ magnitudinẽ, & videbis arborẽ exarescere totam & emori cortice depositio, quoniã nutrimentũ humidũ ascendere nequit vlterius. Hoc in vite nõ est, cuius alimentum per medullam attrahitur in ipso meditullio, vnde humidũ illud ad externa

diffusum,

diffusum, etiam lignū nutrit, vbicunque ergo scindas in palmite, videbis poros quosdā ad medullam tendere. Ita capita reliqua omnia, omnes magistratus, de foris ex cortice, hoc est, à subditis suis sustentationem acquirere debent. solus id Christus nō facit, sed gratiā suam & dona nobis ex ipsa medulla diffundit, hoc est, ab initio meriti sui, quoniam omnia sacramenta & opera bona virtutem suam ex merito Christi obtinent, qui gratiam suam diffundens, totam cibauit ecclesiam, iuxta illud, Ascendens in altum, captiuam duxit captitatem, dedit dona hominibus. (Multas huiusmodi proprietates vitis potes referre ad Christū, quia per symbola apertissimum iter.) Nonnulli naturā vitis Christo accōmodant quoad passionē suam, eo ꝙ post multa quæ Christus discipulis de passione sua prædixit, tandē hanc vitis similitudinē induxit. Siquidē & vitem ad hoc vt palmites protrudat, & botros ferat, multa pati oportet. per hyemem in terram reponitur, amputatur, ligno alligatur, &c. Ita Christus quoq; filius dei sub humo cōtectus, hoc est, vtero virginis inclusus est, circūcisus insuper ad extremum clauis ligno crucis affixus est, vt vinū produceret calicis sui, vinum sanctissimi sanguinis, quo gaudium afferret deo & hominibus. (similiter apta iuxta symbola, & habebis viam qua gradiaris.) *Ephe. 4.* *Euitien.*

2 Non absolute se dominus vitem, sed veram vitem esse dicit, vbi Augustinus sic ait, Nunquid vt adderet vera, hoc ad eam vitem retulit, vnde ista similitudo translata est? Sic enim dicitur vitis per similitudinem, nō per proprietatem, quoniam etiam metaphorice aliqua est vitis bona, aliqua mala. Mala vtique vitis fuit Adam, ex quo quicunque prodierunt palmites, mala concupiscentia infecti fuerunt, sicut ait Paulus, Omnes in Adam moriuntur. Et iterū, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. hinc omnes palmites ex hac vite vitiosi sunt, nisi per fidem & baptismū veræ viti Christo inserantur, vt etiam fatetur Paulus, quia primus homo de terra terrestris, secūdus autem de cœlo cœlestis. Quicunque igitur peccādo à vera vite Christo excidit, alienæ viti & malæ inseritur, & de huiusmodi vitibus dicit dominus per prophetā, Plantaui te vineam electam, omne semen verum, quomodo ergo cōuersa es mihi in prauum vinea aliena? Et per alium rursus, Expectaui vt ꝓduceret vuas, & fecit labruscas. Moyses quoque *Augusti.* *1. Co. 15.* *Rom. 5.* *Hier. 2.* *Esa. 5.*

Deut. 32. significantius dicit, Vua eorum vua fellis, botrus amarissimus, fel draconū vinum eorum, venenum aspidum insanabile. de vinea Sodomorum vinum eorum, & de suburbanis Gomorrhæ. Et pater meus agricola est vineæ illius, vniuersæ nimirū ecclesiæ, qui optime nouit plantare vineam
Matt. 15. istam, sicut ait dominus, Omnis plātatio quā non plantauerit pater meus, eradicabitur. Hoc si ad passionē Christi referatur, intellectum hunc habet, Pater meus agricola est, & ideo me vitem plantauit in hunc mundū, parauit me cultro passionis & mortis. vt sic amplius extendā palmites meos, fideles: deinde post rigidam hyemem, id est, tribulationem mundi huius & mortis, suaues proferam fructus refurrectionis, quos vbi gustarit spōsa ecclesia, dicere possit, Botrus Cypri dilect⁹ meus mihi in vineis Engaddi. Dices, Si pa-
Cant. 1. ter agricola est, quur nō & filius? an nō opera trinitatis sunt
Damas. indiuisa, vt quod vna persona facit, faciat & altera? Respon-
Cyrillus. det Cyrillus, & fatetur immensum illud opus ædificationis fidelium, opus vtique esse totius trinitatis. ideoque & Christus secundū diuinitatem quoque agricola est, secundum humanitatem autem vitis, secundū quam fideles omnes vnum corpus sunt in Christo Iesu. Vnde si singula proprie inuestigamus, lōge plus facit agricola cœlestis ad spiritualis vitis purgationem, quā corporalis hic colonus, qui vitem extrinsecus tantū adiuuat, amputat, impinguat, terrā submini-
Augusti. strat fertilem, ad hyemē recōdit, ad ętatē profert rursus, frangit & educat. cœlestis autem ille & spiritalis agricola, palmitibus suis internū etiam impendit incrementū gratiæ
1. Cor. 3. suæ iuxta illud Pauli, Neque qui plātat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementū dat deus. Vide hic, si placet, Alber-
Albertus. tum allegorizantem omnia, quæ fiunt circa electā vineam, scilicet quod sit in terra pingui, ad latus mōtis, versus meridiem quod in medio habeat vallem de nobilioribꝰ vitibus, quod sit sepia per maceriem, habeat torcular, & turrim pro vigile, labor autem in vinea sit vineam impinguādo, locum irrogādo, vites putando, terram fodiendo, vuas colligendo, merū exprimendo, & vinum in cellaria collocādo, quæ omnia facit cœlestis agricola in fidelibus spiritaliter. (Facilimū est ire per symbola.) 3 Deinceps dicit dominus, Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. Vitis quasi mater & altrix est palmitum ex se succrescentium. Sed

quomodo

quomodo interim nos palmites ſumus in ſpirituali vite Chriſto? ſic enim ait, Omnem palmitem in me non ferétem fructum. Reſpõdet Cyrillus nos non naturales eſſe palmites ex Chriſto prognatos, quum ſimus ab Adam progeniti, & ideo filij iræ omnes natura conſtituti. ſicut autẽ plãtator ſylueſtre aut aggreſte virgultum domeſtico trunco inſerit, in quem illud innaſcitur: ita nos quoq; aggreſtis plãtatio ſumus iam inde ad Adam, & tamen per fidem atq; ſacraméta inſerimur Chriſto. Sic Paulus iis qui ex gẽtibus ad fidẽ peruenerunt, ait, Si tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & cõtra naturam inſertus es in bonam oliuam, quanto magis ij qui ſecundum naturam, &c. Sic & Ioannes dicit, In hoc cognoſcimus quod in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis. Atque in hunc ſenſum dixit hic dominus, Omnem palmitẽ in me, &c. Sed quid eſt hoc quod ſequitur, In me non ferétem fructũ? Aut poteſt ne palmes in Chriſto eſſe qui fructum non ferat? Ad hoc reſpondẽs Auguſt. dicit in corpore nonnunquã membra eſſe arida & demortua, quæ operationem non habent: & ſicut in naturali vite excreſcunt palmites interdum nimis humidi. alij plus æquo tenues & inualidi, alij nimium corpulenti & ligno abundantes, ita vt illud nequeat totum protrudere & vegetare vitis, Quæ omnia prudẽs & peritus agricola diſcernere debet, & cognoſcere quid quantumq́ue expediat viti in hoc, vt botros multos afferat, reliquum præſcindat quod fructum nullũ polliceri videbitur. Ita qui per fidem ſolummodo coniunguntur, ſola illi cõfeſsione inhærẽtes, nec charitatis vimine ſe colligantes, palmites quidem ſunt, ſed non fructuoſi. nam fides ſine operibus, mortua res eſt. Vbi interim exulant neochriſtiani noſtrates cum ſua miſera nuda q́; fide? vere eis non ſufficiens erit. quanuis enim illa etiam facit palmitem ineſſe viti, fructum tamen operum bonorum non profert, ſed tollatur & auferetur è medio.

Cyrillus. Ephe. 2.

Roma. 11.

1. Ioan. 4.

Auguſtin.

Cyrillus.

4 Poſtquam iam narrauit dominus de palmite nõ fructificante, cuiuſmodi & Iudas fuit filius damnationis, quo nomine & in ignem præcipitatus eſt & æternũ, pergit de reliquis dicere, qui iam incipiunt fructũ afferre, ſicut apoſtoli: eos purgat agricola, vt plus afferãt fructũ. Multa purgatione palmites opus habent, eo quod inſiti ſunt ex aggreſti germine, multumq́; immunditiei contraxerũt ex cõcupiſcentia

praua, quæ hominē ſemper irritat ad malū, & impedit à bo
no. Illa ergo quia nos in hac vita nō deſerit, perpetuo etiam
Auguſti. bonos purgat deus. hinc Auguſtinus ait, Quis eſt in hac vi
ta ſic mundus, vt non ſit magis magisq; purgandus? Purgan
1. Ioan. 1. tur enim palmites per ſacramenta, per opera bona, ieiunia,
orationes, vigilias, eleemoſynas, aſsiſtente & auxiliāte cum
primis gratia dei: quoniam ſi dixerimus quod peccatum nō
habemus, ſeducimus noſmetipſos, & veritas in nobis non
eſt. Verus ergo purgator deus ipſe eſt, fide purificans corda,
de qua purgatione ſuo ipſius exemplo propoſito ſic ait Pau
Roma. 7. lus, Scio quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonū.
nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inue-
nio, non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo
malum hoc ago. ſic ego carnalis venundatus ſum ſub pecca-
to. Video enim enim aliam legē in membris meis, repugnā-
tem legi mentis meæ, & captiuātem me in lege peccati, quæ
eſt in membris meis: Ecce quantum vir ſanctus etiam purga
tione indiguit, quum ait, Infelix ego homo, quis me liberā-
bit de corpore mortis huius? & inde ſibi reſpōdet ipſe, Gra
tia dei per Ieſum Chriſtū. Ita idem in vniuerſum de purifi-
catione eccleſiæ loquitur, vbi dicit, Chriſtus dilexit Eccle-
Ephe. 5. ſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mun-
dam eā lauacro aquæ in verbo vitæ. Sic nimirum etiā bono
purificat deus, vt eo plus fructum ferant: quo magis purga
tur: & deinde ſic purgati, vitā ingrediantur æternā, Amen.

HOMILIA II.

CHRISTVS dominus noſter ſeipſum viti, pa-
trem ſuum comparauit agricolæ, dixit ſe om-
nem palmitem non ferentem in ſe fructum,
tollere: bonos autem purgare, vt fructū plus
afferant. deinceps docet quonā purget palmi-
tes & ait, Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem lo
quutus ſum vobis. Ecce quomodo purgamur per verbū dei,
Ioan. 15. dum illud operibus adimplemus. ſiquidem & egregios illos
palmites apoſtolos ſic purgauit, quibus & dixit, Vos amici
mei eſtis, ſi feceritis ea quæ præcipio vobis. Semper ergo ad
purgationē concurrit verbū dei. Quod ſi quis per ſacramē-
Auguſti. ta purgatur, ibi adeſt verbū. ſic enim Aug. ait, Detrahe ver-
bum, & quid eſt aqua, niſi aqua? Accedit verbum ad elemē-
tum, & fit ſacramentū, etiā ipſum tanquā viſibile verbū. Et

infra

infra, Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, niſi faciẽte verbo, nõ quia dicitur, ſed quia creditur. Et infra, hoc verbum fidei tantũ valet in eccleſia dei, vt per ipſum credentem offerẽtem, benedicentẽ, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quanuis nondũ valentem corde credere ad iuſtitiam, & ore cõfiteri ad ſalutem. Sic patrẽ *Ioan. 17.* ſuum orauit dominus, vt apoſtolos ſuos ſanctificaret in veritate, quoniam verbum ſuũ veritas eſſet. Imò & omnis creatura ſanctificatur per verbũ dei & orationẽ. Fuitq; hoc apoſtolis magno ſolatio, quod à Chriſto probitatis ſuæ teſtimo- *1. Ti. 4.* nium haberent, quoniam tunc Iudas non aderat, quem ideo opus non erat excipere, ſicuti antea dictum erat, Vox mũdi *Ioan. 13.* eſtis, ſed non omnes. Hoc quoq; ſolabatur eos, quod ſecum haberent purificatorem illum verũ, agricolam quoq; cũ deo patre, cui in diuina natura coæqualis eſſe creditur. Poſſent etiã verba hęc de Chriſti paſſione & morte intelligi, de qua hic agebatur ſimul & de reſurrectiõe. quaſi diceret, Sermo hic, imo res per eum manifeſtatæ & expreſſæ, mundos vos reddunt, ſi tamẽ credideritis. Hinc ergo exhortatur eos dominus. & ait, Manete in me, & ego in vobis. Audiſtis vitam veram eſſe me, manete in me, & ſic per me accreſcetis, quoniam & ego manebo in vobis per gratiam meam, iuxta illud Pauli, Det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, virtutẽ corroborari per ſpiritũ eius in interiori homine, Chriſtũ habi- *Eph. 3.* tare per fidẽ in cordibus veſtris, in charitate radicati & fundati. O vere felicẽ & beatum hominem, qui ſic in deo eſt, vt maneat viciſsim quoq; deus in ipſo. Proprio tamen ad apoſtolos verba hæc referri poſſent, quos ſic præmonere voluit dominus, vt ſecum manerent, nec fugerent ab illo.

2 Addit inſuper mãſionis huius cauſam, eo quod palmes niſi viti inſitus, per ſe fructũ nullum afferat, ſicuti neq; diſcipuli ſine Chriſto facere quicquam poſſunt. Quo dicto Pelagianorum hæreſim retrudit dominus. illi enim hoſtes inimici gratiæ dei, aſſerebant hominẽ gratia dei deſtitutum, ex naturalibus viribus poſſe opera meritoria facere, & vitã æternam mereri, quũ tamen nemo hominum non tantum nõ bonũ quicquã poſsit facere in hac vita, ſed ne cogitare quidem, ſine præuio diuinæ gratiæ auxilio. Aduerſus hanc hæreſim ſuo tẽpore natam, multa hic grauiter inducit Auguſtinus, qui cõcilio interfuit Mileuitano, quãdo reuocauit Pe-

lagius, sed is pro communi hæreticorum more nõ perstitit,
Augusti. verum in antiquum recidit errorem. Augustinus inter alia sic ait, Magna gratiæ cõmendatio fratres mei, corda instruit humilium, ora obstruit superborũ. Huic veritati resistunt homines mente corrupti, reprobi circa fidem, qui loquũtur iniquitatem, dicẽtes, A deo habemus quod homines sumus, à nobis autem quod iusti sumus. quid dicitis? quid vosipsos decepitis, non assertores, sed præcipitatores liberi arbitrij, ex alto elationis, per inania præsumptiõis in profunda sub-
2. Cor. 3. mersi? Errorem hunc impium subuertit Paulus, prædicans
1. Cor. 4. omnem sufficiẽtiam nostrã ex deo esse: qui etiam inclamat,
Ioan. 3. Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid glo-
Iaco. 1. riaris quasi non acceperis? Ioãnes quoq; Baptista sic ait, Nõ
Roma. 11. potest homo accipere quicquã, nisi fuerit ei datum de cœ-
Iaan. 15. & 6. lo. & Iacobus testatur omne datũ optimum & omne donũ perfectum, descendere à patre luminũ. Paulus ratiocinãdo infert, quod si deus alicui beatitudinẽ daret ex operib⁹, iam gratia non esset gratia. Hinc Christus hic ait, Sine me nihil potestis facere. & alibi, Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. sic nos docet orare ecclesia, Actiones nostras quęsumus domine aspirando prẽue ni, & adiuuando prosequere. Istiusmodi locis tota vndique plena est scriptura sacra, confundens hæresim Pelagianorũ.

¶ Sed tu interim quisquis veram sectari cupis fidẽ. vide ne dum Charybdim deuitas, impingas in Scyllã, quod iã neochristiani faciunt. Nimium enim Pelagius tribuit libero arbitrio, contempta & post habita gratia dei. Contra, Manichæi spreta per omnia libera hominis voluntate, cuncta detulerunt gratiæ dei. In eandem erroris nauim descenderunt iam quoque neochristiani, qui etsi multum prauam libertatem arbitrij sui exercẽat aduersus magistratus, ea tamẽ sunt temeritate, vt vniuersum in nobis negẽt arbitrium liberum neque illud aliquid posse. Id vt falsum est, ita sacris literis & legibus aduersum, atque contra omnem tum intelligẽtiam
Augusti. tum experientiam esse conspicitur. Augustinus enim libr. 3. hypognosticon sic ait, Liberum arbitrium inesse hominibus, certa fide credimus & prædicamus indubitanter. Vlterius super hac re iã dicturi nil sumus, quæ iusto deberet sermone tractari. Satis hoc sit cuique Christiano, confiteri arbitrij libertatem, quod accepimus à deo, hinc quilibet à deo

petat

petat gratiã, qua arbitrium ſuum ad bonũ impellatur. Pulchre ſuper hoc ait Bernardus, Sic deus tria hæc, hoc eſt, bonum cogitare, velle, & perficere operatur in nobis: primum profecto ſine nobis, ſecundũ nobiſcum, tertiũ per nos facit. Et inde, Sic iſta cum libero arbitrio operatur, vt tantũ illud in primo præueniat, in cæteris comitetur: ad hoc vtiq; præueniens, vt iam ſibi deinceps cooperetur: ita tamẽ, vt quod à ſola gratia cœptũ eſt, pariter ab vtroq; perficiatur, vt mixtim, nõ ſigillatim: ſimul, nõ viciſsim per ſingulos profectus operentur, non partim gratia, partim liberum arbitriũ, ſed totum ſingula opere individuo peragant. Gratia itaque dei ſimul cum libero arbitrio operatur bonũ, iuxta illud Pauli, Plus omnibus laboraui, non ego, ſed gratia dei mecum. Satis ſit cuiq; ad probandã arbitrij libertatẽ illud Paulinũ, Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſsitatẽ, poteſtatem autem habens volũtatis ſuæ. Ecce quam aperte teſtatur Paulus habere ſe arbitrij ſui facultatem, quod tamen temerario nimis negat neochriſtianus. qui ſi renuit credere Paulo, ſaltẽ Chriſto fidẽ adhibeat dicenti, Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, & cum volueritis, poteritis benefacere eis. Credat Dauidi in pſalmis ſic profitenti, Anima mea in manibus meis ſemper. Quid multa? beluinus plane eſt error, negare voluntatis noſtræ libertatem. Quum iam plurima de vite dixiſſet dominus & palmitibus, neque dum declaraſſet, quinam eſſent illi. iam porro explicat & ait, Ego ſum vitis, vos palmites. Ego inquam ſum illa vera viuáque vitis, vnde vos omnes gratiæ vitam habetis. Ego ſum vitis, quæ cunctis hominibus largiter effundo vinum lætitiæ ſpiritualis. Vere ille vitis eſt qui ait, Nũquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat deum & homines? quum itaq; ego ſim vitis ſucci plena, quiſquis in me manet, fructum multum affert. Ne autẽ quiſquam putaret ſaltem paruum aliquem fructum poſſe à ſemetipſo palmitem ferre, quum dixiſſet, Hic fert fructum multũ, non ait, quia ſine me parum poteſtis facere. Siue ergo parum, ſiue multum, ſine illo fieri nõ poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt, Sic omnes qui ſemet pciderũt ab vnitate eccleſiaſtica, in Chriſto vite vera nõ permanẽt, ideoq; etiã nihil boni perficere poſſunt, quoniã palmes niſi viti inſitus, fructũ nullũ ferre poteſt. Hęretici autẽ, ſchiſmatici & Chriſtianæ vnitatis perturbatores,

Bernar.

1. Cor. 15.

1. Cor. 7.

Mar. 14.

Pſal. 118.

Iudic. 9.

Auguſt.

præciſi ſunt: & penes eos demortuum eſt, quicquid etiã cogitant & proponunt: ac ſi quid ſanctum inſtituunt & ope-
2. Timo. 3. rantur. id quoque pollutum efficitur, teſte Paulo, Speciem pietatis habentes, virturem eius abnegant. Hinc & ſacramẽta inter hæreticos non viuunt, ſanctimonia apud eos nulla, nihil quod pietatem deceat. atque vt maxime vigerent illa per ſe, hæreticis tamen nihil prodeſſent. Sic quanuis ab hęretico baptizatus forma eccleſiæ legitima, nõ rebaptizatur, attamen eccleſię reconciliatur, quando ea rurſus aſſumitur, vſq; adeo alia opera hęretici non faciunt, niſi plantationem mortis. ¶ Qualis porrò ſit hic expectandus finis, deinceps oſtendit dominus, & ait, Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eũ & in ignem mittent, & ardet. Solent ſubinde conqueri hæretici & quęrere, quur tandẽ comburantur. ecce hic eis cauſam ad literã quia in vite non permanẽt. Vere enim ad hæreticos hoc refertur, qui ſemet ab eccleſia ſegregant, ſicuti ſupra dixit dominus de peruerſis Chriſtianis, Omnem palmitẽ in me non ferentem fructũ, &c. Iſti nimirũ mali & peruerſi ſunt Chriſtiani, qui fide quidẽ ſunt in vitæ Chriſto, ſed nihil boni operantur. Nunc hic dominus de præciſis Chriſtianis loquitur, qui in vite omnino non ſunt, eos relegat ad ignẽt quos etiã oportet antea foras mittere, & per excõmunicationem iudicare, quod amplius eccleſiæ mẽbra non ſint. prædixit il-
Ezec. 15. lud iam olim dominus, dicens ad prophetam, Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorũ quę ſunt inter ligna ſyluarũ? nũquid tolletur de ea lignũ vt fiat opus, aut fabricabit de ea paxillus? Ecce igni datũ eſt in eſcã, vtrãque partẽ eius cõſumpſit ignis, & medietas eius redacta eſt in fauillam. Atq; infra, Quomodo lignum vitis inter ligna ſyluarum, quod dedi igni ad deuorandũ. ſic tradã habitatores Ieruſalẽ. Hinc iã facilè ſimilitudo illa intelligitur, quia
Auguſti. vt Augu. ait, Vnũ de duobus palmiti congruit, aut vitis aut ignis. At nos verbum hoc ſimul & propheticum illud diligentius introſpiciamus, Nunquid tolletur, ait propheta, vt fiat opus? quaſi diceret, Nobile quidem eſt lignũ vitis in ſe, fructũ precioſum proferens, vnde magna eius cura geritur, & plurimi fit inter homines: vbi autẽ præciſum fuerit, ad nihil amplius cõducit in hoc mũdo, niſi vt detur igni. neq; enim ædificiis, neq; tectis, neq; ſculpturæ, neq; vaſis, neque

curribus,

curribus, neq; capistris, neq; læuigationibus aut dedolationibus cõducit. nõ est opifex, qui vsum eius aliquẽ habeat, quum nulli rei accõmodari possit. Vbi immensam dei sapientiã consídera, quod hic similitudine vtitur rei huic cõueniẽtissima. nam quã boni sumus dum manemus in Christo fructificantes, tam vicissim inutiles & quanuis creatura abiectiores efficimur, quando in Christo non monemus. & quid aliud fierent tunc homines nisi diabolo similimi vel etiam proximi, quoniam eum in vita sua sequuntur? Ponderandum inter reliqua nobis esset, quam grauiter, hic & propriẽ dominus de eorum pœna loquatur, quæ in se quatuor continet. primum enim ait, quia mittetur foras: deinde, arescet: mox, quia colligent eum & in ignem mittent: postremo, & ardet, sed hæc omnia singulatim expẽdere tẽpus nõ patitur. Tu tamẽ ex quatuor illis mẽbris fac sermonem, addẽdo ea quæ dicuntur de zizanijs & paleis Lucæ 3. Matth. 3. 4 Vbi iam mala palmitis in vite nõ remanẽtis percensuit dominus, porro bona commemorat eorũ qui in ipso mãserint, & ait, Si verba mea in vobis mãserint, omnia quæ volueritis petetis, & fiet vobis, Ecce hic de mansione loquitur non tantum quoad fidẽ, sed & per gratiã & charitatem: iuxta illud, Qui dicit se manere in eo, debet quomodo ille ambulauit, & ipse ambulare. quoniam sic intelligendũ est quod ait, si verba mea in vobis manserint, ita nimirum, vt ea custodientes etiam opere adimpleatis. sicuti non dissimili sensu loquitur & Iacobus, In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. Huiusmodi nanque membra deo dilecta facilè exaudiuntur: iuxta illud quod ait Moyses, Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris, & Esaias, Tunc inuocabis, & dominꝰ exaudiet te: clamabis, & dicet, Ecce adsum. An autem semper & quomodo exaudiãtur iusti in omnibus orationibus suis, alias ad longum declarauimus.

1. *Ioan.* 1.

Iaco. 1.

Deut. 4. *Esa.* 58.

DE S. GEORGIO MARTYRE.

INCLYTVS & preciosus martyr Georgius, vere viuus extitit palmes, & in Christo permãsit, vnde fructus nobilissimos bonorum operum protulit, per quos ad gloriam & coronã peruenit sanctorum martyrum. Quanuis autem quæ de vita sua referũtur, nonnihil habeãt ambigui, eo quod author igno

ratur eorũ quæ de ipso scripta sunt, ecclesia tamen supplicio & passione eius veneratur glorioſe. Nos interim pontificem sanctũ Gelasiũ audiamus super hac re differentem.

Gelaſ. C.S.Romana, dis. 13. Gesta sanctorũ martyrum qui multiplicibus tormentorũ cruciatibus & mirabilibus confessionum triumphis irradiant, quis ita esse catholicorum dubitat, & maiora eos in agonib⁹ fuisse perpessos, nec suis viribus, sed dei gratia & adiutorio vniuersa toleraſſe? Sed ideo singulari cautela in sancta Romana ecclesia nõ legũtur, quia eorũ qui scripsere, nomina penitus ignorãtur, &c. vt ab in fidelibus idiotis superflua, aut minus apta quam ordo rei fuerit, scripta esse putentur: sicut cuiusdam Cirici & Iulitæ matris ei⁹, sicut Georgij aliorũq; passiones. (nota ibi debere legi Georgij. cõmunia exemplaria habẽt Gregorij, sed menda est expungenda, & pro Gregorij, legendũ Georgij, vt ex vetustis exẽplaribus Paschasij, Isidori & aliorum liquet.) Quæ ab hæreticis perhibentur composita, propter quod (vt dictũ est) ne vel leuis subsannãdi oriretur occasio, in sancta Romana ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prędicta ecclesia omnes martyres, & eorum glorioſos agones, qui eis magis quã hominibus noti sunt, omni deuotione veneramur. ¶ Quãuis ergo vita sancti Georgij adeo approbata nõ est, nos tamẽ de eius sanctimonia dubitare nõ debemus. idq́ue primum eo, quod per vniuersam ecclesiam Græcam sanctus Georgius præ cunctis colitur martyribus, vnde & peculiari titulo eũ cohonestant in libellis precum suarum super hodiernum diem, quem illi 23. die Aprilis solennem sanctumq́ue obseruant, sicuti etiam in Cõstantiẽsi, Spirensi, Strasburgensi diœcesibus obseruari consueuit, & in Gallia similiter atq; Romæ, quanuis in Augustiensi, Eistettensi, Frisingensi, & Ratisponẽsi diœcesibus festum hoc transpositum sit in diem vigesimũ quartum. Aprilis. Græci autem titulũ hunc habent, τ῀ ἁγίου, ἐνδόξου, μεγαλομάρτυρος, τροπαιοφόρου καὶ θαυματιόργου γεωργίου. Hoc est. Sancti, glorioſi, magniq́ue martyris, vexilliferi & miraculorum operatoris Georgij, Insuper Græci cantica multa & pulchra habent de hoc ipso & fratre suo Theodoro etiam martyre. Ad hæc extat adhuc ciuitas in qua natus est, vnde & ab eo nomen hactenus seruat, non longe distans à magna illa gentilium ciuitate Accon. Est etiam vrbs Baruth, quatuor dierũ

dierũ itinere à Ieruſalem poſita. inter eam & aliam quæ vocatur Cappadocia, ferunt S. Georgium occidiſſe draconẽ, & filiam regis liberaſſe. ibi adhuc eſt ſacellum S. Georgij, quod mulieres grauidæ etiam ethnicorum multum viſitãt, neque Chriſtianos ingredi ſinunt, niſi ſoluto pecuniæ precio, ſicut fratres & mercatores qui ibi fuerunt, commemorant. Certum igitur eſt, S. Georgium occidiſſe draconem, vt habet eius hiſtoria, fuiſſeque ſupremum equitum præfectum. Tandem vero mundanum ille habitum depoſuit, palam confeſſus nomen Ieſu, vnde & à Daciano eius regionis præfecto tentus eſt, qui ſuſpendi eum fecit, membraque ipſius vngulis radi & vulnera ſale fricari. Vbi apparens illi dominus, conſolatus eſt eum, oſtendens quomodo multa adhuc oporteret eum pro ſuo nomine pati & ſanctæ fidei profeſsione. Dacianus ratus S. Georgium maleficijs magicis vti, magum adduci iuſsit nomine Athanaſiũ, qui ipſum ſuperaret. ſed hic quoque cum venenum bibiſſet Georgius illeſus, etiam magus ad Chriſtum conuerſus eſt, quem decollari iuſsit Dacianus propter fidem. Deinde inſtituerat ille nouo ſupplicio S. Georgium ſuper rota diſſecare, cultris vtrinque poſitis acutiſsimis ſed ad preces ſancti martyris rota per miniſterium angelorum cõfracta eſt. vnde rurſus Magnetius alius equitum præfectus conuerſus, credidit in Chriſtum. Præterea S. Georgius cuiuſdam viduæ filium ſanauit in carcere, qua re iterum multi peruenerunt ad fidei ſanctæ profeſsionem. Dacianus tandem Georgium adduci curauit in templum Solis, vt oraret. verum orante eo delapſus ignis de cœlo, templum ſimul cum ſacrificulis idololatris exuſsit. Commotus inde Dacianus, iuſsit lebetem pice ſuccendi, quumque Georgium iam eſſet conjecturus in illum, deſcendit angelus de cœlo, extinxit incẽdium & picem infrigidauit quę res fructus ſuo rurſus non caruit. nam inde ipſa Daciani vxor credidit, quæ quum maritum de infidelitate & impietate ſua corrigeret, ille capillis ſuſpenſam eam tantiſper cædi iuſsit, dum Chriſto ſpiritum ſuum traderet. proxime ſequenti die Dacianus S. Georgium decollari fecit, vbi ignis cœleſtis Dacianum & ſeruos ſuos perdidit. Hinc itaque triumphatorem magnum & martyrem præclarum hodie toto mentis affectu colite, interceſsionem eius implorate, &c.

Ioan. 14.

IN ILLO tempore, Dixit Iesus discipulis suis, Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Creditis in deum? & in me credite. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locũ. Et si abiero, & præparauero vobis locũ, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Et quo ego vado scitis, & viã scitis. Dicit ei Thomas, Domine, nescimus quo vadis, & quomodo possumus viã scire? Dicit Iesus, Ego sum via, veritas & vita. Nemo venit ad patrem nisi per me. Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis. Et amodo cognoscetis eum, & vidistis eum. Dicit ei Philippus, Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus, Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem. & quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? Nõ credis quia ego in patre, & pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à
Sap. 5. meipso nõ loquor. Pater autẽ in me manens, ipse facit opera. Nõ creditis quia ego in patre, & pater in me est? alioquin ppter opera ipsa credite. Amẽ amẽ dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horũ faciet, quia ego ad patrẽ vado. Et quodcũq; petieritis patrẽ in nomine meo, hoc faciã.

HOMILIA PRIMA.

ET HOC quoque euangelium partem habet illius prolixi sermonis, quem Christus habuit à cœna vltima cum discipulis suis, sicuti eũ Ioannes à decimotertio capite vsque ad decimumoctauum describit. Nos ipsum iam hic breuiter textum aggrediamur. Non turbetur, inquit Christus, cor vestrũ, neq; formidet. creditis in deum? & in me credite. Mœsti vtique & tristes admodũ erant discipuli ex iis, quæ dixerat eis dominus de negatione Petri, de proditione Iudæ, de offensa eorum omnium in ipso, percusso iam pastore, ouibusque gregis dispersis. Hæc & huiusmodi plura alia quæ retulerat ac prædixerat eis dominus, tristitiam ipsis cõmouebant. vnde consolaturus eos dominus, ait, Non turbetur cor vestrum, neque formidet. ¶ Incipit ille quidem consolationem

nem ſuam à fortiſſimo argumento, oſtendens ſe deum eſſe. vnde & Auguſtinus ait, Ne mortem tanquã hominis timerent, & ideo turbarentur, cõſolatur eos, etiam ſe deum eſſe conteſtans. Creditis, inquit, in deum? & in me credite. quod non eſſet cõſequens, ſi Chriſtus non eſſet deus. ſua nanque hæc natura & non rapina eſt, eſſe æqualem deo patri. Vos itaque ſi de hac forma ſerui periculum timetis, age animum recipe, quoniã reſuſcitabit eam forma dei. Chryſoſtomus, primum diuinitatis ſuæ potentiã indicat. Creditis in deum, inquit, & in me credite, hoc eſt, quod omnia mala tranſibunt, iam & in me & in patrem fides, omnibus vos perſequentibus potẽtior eſt, & nihil vos ſuperabit. Voluit etiam dominus hic docere, quod perfecta fides perturbationem & triſtitiam omnem ſedat, vt habet hic Gloſſa. Id adeo in ſanctis apoſtolis Philippo & Iacobo, in ſancto Laurentio & aliis ſatis patet, qui cum magno gaudio plurima ſuſtinuerũt ſupplicia, eo quod firmiter crediderunt in Chriſtũ, pro quo patiebantur, quanuis etiam vltra fidem interiorem adhuc habuerunt ſpiritus conſolationem. qua de re alias plura.

Auguſt. *Philip. 2.* *Chryſoſt.* *gloſſa.*

¶ Mirabili, inquit Cyrillus, quodam atque diuino in confortãdis firmandiſque apoſtolorum animis vtitur artificio, nihil omittens quod ad erigendos eorum animos facere videbatur. quorum nõ poſtremum hoc eſt, quod imminentia mala prænunciat, vt minus feriant præuiſa, ſiquidem & tela præuiſa minus feriunt: iuxta illud Dauidicum, Paratus ſum, & non ſum turbatus. Ita parare eos voluit dominus, dicens, Creditis in deum? & in me credite, eritiſque parati.

Cyrillus. *Pſal. 118.*

2 Deinceps conſolatur eos ob futuram beatitudinem, audierant enim quod Petrus eum abnegaturus, reliquíque ab eo diſcipuli eſſent fugituri, ne triſtarentur quaſi in iugi rerum omnium perturbatione derelinquendi, latenter eis dimiſſionem pollicetur timoris, dum ait in domo patris ſui manſiones multas eſſe, ſeq; adeo abire paraturũ eis locum. Chryſoſto. Quemadmodũ, ait, Petri mœrorẽ cõſolatur, dicens, Sequeris autẽ poſtea: ita & iis ſpem ſuggerit, ne crederent illi ſoli factam promiſſionẽ, vnde & cœlũ domũ vocat patris ſui, multis mãſionibus diſtinctam, quod ibi regnat in gloria, ſicut & eccleſia præſens domus patris ſui dicitur, quoniã in ea per fidẽ regnat iugiter. ¶ Verbũ hoc diligentius examinant doctores, & dicunt, Chriſtũ non tantum hic

Cyrillus. *Chryſoſt.*

astruere voluisse cœlestium mansionum multitudinem, sed & earundem discretionem, cõtra hæreticum Eunomiũ, qui dixit beatos omnes æqualiter esse beatos, quem erroré Lutherus quoque in euangelio suo ex pulueribus asserto reuocasse videtur ex Orco, dũ omnes nos æquales esse affirmat, etiam si ante mille annos & vltra hæresim hanc exploserit
Hieronym. B. Hieronymus atque cõdemnarit. Sed nos missis hæreticis, dispiciamus quę sancti patres super hunc locum tradiderũt.
Augusti. Augustinus ait Christum, quando de multitudine mansionum loquitur, significare voluisse multiplicé remunerationem, & magnã remunerationis dignitatẽ. Sic & Cyrillo inquit, Hæc multitudo mansionũ differentiã quoque gloriæ significat. omnes enim vitę suæ congruentem honorẽ suscipient, & ipsi beatorũ ordines, ita vt sunt ab æterno præuisi, mansiones vocantur, quarum inæqualem Apostolus intendens, dixit, Sicut stella à stella differt in claritate, sic erit & resurrectio mortuorũ. Obiiceret quispiã ex parabola illa, in qua dominus vineæ operariis in eam cõstitutis æqualẽ pollicetur mercedẽ. Eius rei dissolutoriã responsionẽ require
* *Tom.* 1. Tom. 1. Et quia nõ omnes sint æqualiter beati manifeste do
Psal. 44. cet illud Dauidicum, Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circũdata varietate. Et si inter tot hominum milia in terris tanta sunt faciei discrimina, vt vix aliquem inuenias qui vultu alterũ representet exacte, quanto magis huiusmodi diuersitas erit in æterna beatitudine? Vide supra in die S. Sebastiani. Interim hæc mihi præclara verba Augu-
Augusti. stini considera, Mansionẽ vnusquisque pro suo recepturus est merito. denarius quidem ęqualis est, quem paterfamilias iubet dari operãti in vinea. quo vtique denario significatur vita æterna, vbi amplius alio nemo viuit, quoniam non est viuendi diuersa in æternitate mensura. sed multæ mansiones, diuersas meritoriũ in vna vita æterna significant dignitates, alia enim est gloria solis, alia lunæ, & alia stellarum.
1. *Cor.* 15. (quod Augustinus refert ad æternitatẽ durationis cum sin-
Gregor. gulo denario, Gregorius refert ad vnitatem obiecti. 22. Moralium. ¶ Sequitur cum ait dominus, Si quo minus, dixissem vobis. Tam mihi estis chari, vt nolim vos desertos, re etiam male cõmutata, nisi scirem meliorem vobis vitam in-
1. *Cor.* 15. stare, iuxta illud, Si in hac vita tantum in Christo sperantes
Chrysost. sumus, miserabiliores sumus omnibus, &c. Chrysostomus

videtur

videtur totum in vnum cõtrahere, quia videlicet audiſſent Petro promiſſum, quod poſtea ſequeretur eum, ne putent ſe excluſos, teſtatur multas manſiones eſſe in cœlo pro eis, quæ ſi nõ eſſent paratæ, ego dicerem vobis quia parabo, ſed modo ſunt paratæ. & Græcũ videtur conſonare, & expreſſe interpretatur Theophylactus. ſed Latini Latinã ſequamur eccleſiam, velut ipſa legit. ¶ Tertio, conſolaturus eos dominus, promittit ſe eis præparaturũ locum in æterna patria, vbi diceret quis, paratas iam tum fuiſſe mãſiones in cœlo, quid ergo opus fuerit Chriſtus adhuc parare ſuis locum? Reſpõdeo triplices eſſe diuinarum manſionum præparatores, quoniã & deus ab æterno præparauit in ſua diuina præſcientia, iuxta illud Pauli, Elegit nos ante mundi cõſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in cõſpectu eius in charitate, & ſic manſiones paratæ ſunt ab æterno. Chriſtus autem illas quoque parat duplici via, altera per meritũ ſuum, hoc eſt, quia morte ſua meruit nobis, vt manſiones illas aliquãdo adipiſceremur, quę nobis ſunt ab æterno paratæ: deinde in hoc quoq; parat ille, quia facit vt nos eas habeamus, ipſe nos poſſidere facit. & de hoc loquitur ibi, quaſi diceret, Multas vobis pater meus ab æterno præordinauit manſiones: tũc ergo vado ego adiuuare vos in poſſeſſione acquirenda, vbi morte mea prius redẽptionẽ me facere oportet, vobiſque ianuã reſerare, quoniam alias intrare nõ poteſtis. præparationem illam iam ante præuidit Michæas, dicens, Aſcendit pandens iter ante eos. Neque eſt quod mireris facere hoc Chriſtũ ex tempore, quod pater ordinauit ab æterno. ſiquidem Paulus, vt paulò antè citauimus, ait illum nos elegiſſe ante mundi cõſtitutionem Et tamen hoc idem fecit Chriſtus in tempore hoc, quãdo elegit diſcipulos ſuos, ſicut ait Lucas elegiſſe eũ duodecim, quos & vocauit apoſtolos.

Theophy.

Ephe. 1.

Mich. 2.

3 Ipſi quoque nos præparatores ſumit (imò Cyrillus totam hanc præparationẽ intelligit de præparatione Chriſti, quia cœlũ fuit inuium ante Chriſtum) ſicuti legitur, Præparate domino corda veſtra. ſic intelligitur illud Dauidicũ, Hieruſalẽ quæ ædificatur vt ciuitas, quoniã ibi multæ erũt manſiones, & aſcendent illuc tribus Iſraël. Et ideo debet homo per omne hoc vitę ſuæ tempus ędificare ſibi mãſionem quam illic habeat. Cuius rei figuram habemus, quando filij prophetarum dixerunt ad Eliſeum, Ecce locus in quo habi-

1. Reg. 7.

Pſal. 121.

4. Reg. 6. tamus corã te, anguſtus eſt nobis. Eamus vſq; ad Iordanem, & tollẽt ſinguli de ſylua materias ſingulas, vt ædificem⁹ ibi domum nobis ad habitandũ. Et nobis locus noſter per peccatum anguſtus factus eſt. quiſq; igitur ſibi præparet ligna, Prou. 16. vt per opera bona manſionẽ ſibi extruat cœleſtem. Sic Sa- 2. Cor. 5. piens ait, Hominis eſt præparare ſibi viã. Et Paulus, Scimus, inquit, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationẽ ex deo habemus, domum nõ manufactam, ſed æternã in cœlis. Quid multa? ſunt vtique manſiones illæ cœleſtes ab æterno paratæ à deo patre per æternã ſuam electionem & prædeſtinationem: ſimúlq; tamen parantur temporaliter à Chriſto, per redemptionem ſuam cœlíque reſerationẽ: per nos parantur quoque operibus meritoriis & ſacramentorũ perceptione. ¶ Aliæ expoſitiones ſunt magis ſcholaſticæ, quod manſiones non parentur quo ad beatitudinem, ſed quo ad beandos. & ita mãſiones dicuntur parari, quando eis parantur manſores, ait Auguſtinus. 4 Adhuc quartam addit cõſolationem, dicens, Si abiero & præparauero vobis locum, iterũ venio, & accipiã vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis. Magno ſolatio fuit eis verbum hoc. ſiquidem moleſtum & graue illi erat dominũ iam abire, ſed qui iam reuerſurum eum audiebant, merito recipiebant animum. duplici autem commodo eos exhilarat. ſiquidem manſionem ipſis præparaturũ ſe dicit in cœlo, reuerſumq́ue eos ad ſe accepturum, vt maneant De reditu Chriſti. ibi perpetuo. Quomodo mãſionẽ præparet, iam ante diximus. de reditu nunc reliquũ eſt diſſerere, & quomodo accipiat illos ad ſe, quoniã intelligi primo poteſt de reditu ad 1. The. 4. extremum iudiciũ, iuxta illud Pauli, Deinde nos qui relinquimur, ſimul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum domino erimus. ¶ Hoc quanuis ſit vniuerſo totius mundi apparatu precioſius, quibuſdã tamen inferius videtur quam vt ſatisfaciat, eo quod illud in die nouiſſimo ſanctis omnibus erit æquale. hinc putant hoc loco apoſtolis quiddam excellentius eſſe promiſſum. Volũt ergo hunc domini reditum intelligi debere ad mortem apoſtolorum, ſicut fere de ſingulis illis legitur, quomodo Chriſtus apparuerit eis, ipſoſq́ue ad vitã inuitarit æternã, quomodo & de ſancto Ioãne canit eccleſia, qui ſic orarit ad dominum, Domine, ſuſcipe me, vt cũ fratribus meis ſim, cum

quibus

quibus veniés inuitasti me. aperi mihi ianuam vitæ, & perduc me ad cõuiuium epularum tuarum. Volunt ergo illud hic dominum promisisse apostolis, quod præparatur9 sit eis locum. hoc est, vt meritum eorum respõdeat electioni, sicut ab æterno fuerunt à deo patre electi, vbi & mãsio eis parata est. Tuncq́ue recepturus sit ipsos ad se, primum daturus eis locum felicitatis. Hæc ergo suprema & æterna est apostolorum cum Christo societas. Nihil enim catholicos mouere debet, vel veterum vel nouorum hæreticorũ somnia, qui temerarie nimis contendunt sanctos nõdum esse in cœlis, sed expectare adhuc nouissimum diem iudicij, quoniam hic error est ante multos annos in ecclesia condemnatus, sicut illum Græci cum aliis quibusdam rẽuocarunt in cõcilio Florẽtino sub Eugenio quarto. Aliam insuper cõsolationẽ *Concil.* proposuit adhuc eis dominus, dicens scire eos & quo iret, & viam ipsam. quasi diceret, Quid tandem mœrore cõficimini, quum viam sciatis ad beatitudinem, non ignari quo me via hæc ducat, quoniam ad patrẽ vado qui misit me? Chrysostomus putat, quod hic eorum indicat cordis desiderium, *Ioan.16.* *Chrysosto.* & dat simul rogandi occasionem. Petrus quidé amoris gratia, quo iret, interrogauit, Thomas autem metu, id quod omnes scire gestiebant, & vtiq; omnium hæc erat sententia, quæ Petri, siquidem dubitabant de itinere omnes, quib9 ita ambigẽtibus, intulit dominus, Scitis quo ego vado, & viam scitis. Cuius rei certa quidem & breuis erat dissolutio, sed eã ignorabant discipuli, quod ille ad patrem iret, simulq́; per seipsum iret, per passionẽ suam, & mortem. Verisimile hoc eis non erat, neq; videbãt quomodo fieri posset, vt filius dei crucifigeretur. Nos iam oremus dominum, &c.

HOMILIA II.

DOMINVS noster Iesus Christus perturbatos discipulorum animos erigere volẽs, eo quod ipse deus esset, quod in patris sui domo plurimę sint mansiones, quod abiret paraturus eis locum, inde reuersurus accepturusq́; illos ad seipsum, quoniam quo ipse abiret, scirent, simul & viam ipsam. Verùm hinc metu, *Chrysosto.* illinc vrgente tristitia intelligere non poterant, quod ille dicebat, cuius rei exemplum apertissimum in Thoma appareat, qui dixit, Domine, nescim9 quo vadis, & quomodo pos̃sumus viam scire? Vtrunque, ait Augustinus illos dominus di- *Augusti.*

xerat scire, vtrũque dixit iste nescire, & locum quo itur, & viam qua itur. sed nescit ille mentiri, ergo isti sciebant, sed se scire nesciebant. Suo ergo intellectu & sensu vero, bene & vere ambo loquuti sunt. id adeo ex responsione Christi patet, quæ quanto perfectior est quam interrogatio Thomæ? quia sic dicit dominus, Ego sum via, veritas & vita, quasi dicturus esset, Tu tantum de via quæris Thoma, ego insuper aliquid tibi multo plenius dico, quoniã ego & via sum & veritas & vita. (liquet interrogationẽ Thomæ fuisse dispensatoriam, quia per responsionem Christi tota ecclesia instructa est, Christũ esse viam, veritatem & vitam.)

¶ Omnium apostolorum nomine dixerat Thomas, nescire se viam Christus infert, Ego sum via. si ergo me scitis, & viam scitis, qua nemo errat: insuper ego veritas sum, nemo itaque in me fallitur: & vita sum ego, quia nemo in me moritur, sed viuit inæternum. Non temere vtique tria hæc coniunxit Christus, quod ipse sit via quam ingrediantur omnes, & qua itur, vt inquit Augustinus, vita autem & veritas, ad quam itur, Christus via vera & regia est, sine qua via alia vera non est, vt viæ adhuc multæ sint. ideo viã hic præponit dominus, vt Theophylactus ait, via est ipse Christus, per me enim velut mediatorem omnes veniunt ad patrem. Oportet hominem viam ambulare rectam, si ad vitam & veritatem peruenire cupit. Quur enim hæretici ad veritatem perueniunt? quæres forsitan, sed quum semper discant, ad scientiam tamen veritatis nunquam aut raro pertingunt, quia viam rectam nõ ingrediuntur: sicque nec ad vitam veniunt, neque veritatem attingunt. Volens hic supersedeo multis expositionibus, quomodo Christus sit via. siquidem vnam hic ipse indicat dominus, quum ait, Nemo venit ad patrẽ nisi per me. Ecce qualis nam via sit Christus, quia per eum venitur ad patrem. Sic Paulus ait, Per eum accessum habemus ad patrem, ideo & mediator ille est dei & hominũ, homo Christus Iesus. ¶ Quæris, Quur dominꝰ horũ trium meminerit, viæ, veritatis & vitæ. Respondens hic Cyrillus, inquit, Profunda res est, vt arbitror. dicimus tamen, quod gratia dei nostro cõmiserit ingeniolo. Tribus igitur rebus cõsequemur superiores mansiones: & per actionem virtutis variam, per fidem rectam, per spem vitæ, quorum omnium nemo largitor est, nemo fons, nemo causa præter dominum

Augusti. *Theophy.* *Ioan. 6.* *Roma. 5.* *1. Tim. 2.* *Cyrillus.*

nostrum

noſtrum Ieſum Chriſtum, Ita ergo Chriſtus nobis via eſt, quam nobis oſtendit ad deum: ipſe quoque rectitudo fidei eſt, & amuſsis optima: ipſe vita eſt, quoniã à morte nos reſu ſcitauit, vt cum eo viuere deinceps poſſemus in æuum.

2 Amplius adhuc docet dominus ſe viã eſſe, & ait, Si cognouiſſetis me, & patrem meum vtique cognouiſſetis, quoniam vt ait Sapiens, Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum *Sap. 7.* ſine macula dei maieſtatis & imago bonitatis illius. Et ſicut *Hebr. 1.* dicit Paulus, Splendor gloriæ, & figura ſubſtãtiæ eius. Ne- *Chryſoſt.* que ſibi ipſe in hoc contrarius eſt dominus, quoniã etſi apoſtoli cognoſcebant patrem deũ verum, non tamẽ ita patrem eum eſſe ſciebãt, quod filium ab æterno genuiſſet in deitate æqualem, ſicut eũ in hunc vſq; diem ignorant, & nõ cognoſcunt Iudæi. Ne tamen dominus apoſtolos ſuos plane cenſe- *Ioan. 1.* ret ignaros, verba ſua mitigat aliquantulum, & dicit, A modo cognoſcitis eũ, & vidiſtis eum. Viſio hæc in fide tantum *Mat. 16.* eſt, quomodo eum Nathanaël cognouit, ſimiliter & Petrus dicẽs, Tu es Chriſtus filius dei viui. Apoſtoli autem vbi ſpiritum ſanctum accepturi eſſent, tunc demũ vere eum cognoſcere poſſent. Quomodo autem viderunt eũ? Vtiq; diuinita- *Ioan. 1.* tem eius eſſentialiter non viderunt. ſiquidẽ nemo vnquã in terris homo vidit deum, viderunt ergo illum, iuxta id quod Chryſoſt. ait, Viſam dixit ſubſtantiam dei ſecũdum eorum *Chryſoſt.* poſsibilitatẽ, oſtendẽs quod qui ipſum vidit, vidit & patrẽ. vidit autẽ ipſum non in nuda ſubſtãtia, ſed carne veſtitum. Sic perpetuo eũ cognoſcere didicerunt ex operibus ipſius, ſicut in ſequentibus dominus oſtẽdit. Et præuidit hoc idem Dauid in ſpiritu, quando in perſona Chriſti dixit ad patrẽ, *Pſal. 138.* Mirabilis facta eſt ſciẽtia tua ex me, ſic enim mirabilis facta eſt cognitio dei patris ex virtutib⁹ & miraculis filij ſui. Cõſidera etiã hic, quod cognitio filij dei, euangelium à lege diſcernit, quoniam antea vulgo hominũ non erat perfecte cognitum, deũ patrem habere filium in diuinis ſibi coęternũ.

3 Atqui nónne mirabilis hic videtur ſermo, quum diſtinctis temporibus ait Chriſtus, Vidiſtis eũ, & cognoſcetis eũ, hinc ergo Philippus, quãdo non ſatis poterat apud ſe deprehendere, quomodo vidiſſet patrẽ, dixit ad dominũ, Domine, oſtende nobis patrẽ, & ſufficit nobis. Putabat enim ſatis ſe iam cognoſcere Chriſtũ, ſed patrẽ non ita Cyrillus exiſti- *Cyrillus.* mat hæc verba Philippi prodiiſſe ex quadã incredulitate,

quod putabat huius oculis huius corporis se diuinam posse
Chrysost. videre naturam. Chrysostomus sic ait, Dixerat Christus, si cognouissetis me, & patrē meum vtiq; cognouissetis, & ita per se patrē ostendebat, Philippus autem in contrarium ordinem vertit, inquiens, Ostēde nobis patrē. Insuper Cyril-
Cyrillus. lus hic vidit, & declarauit, quō illa interrogatio Philippo laudi & tribuatur virtuti, quoniam omne fundamentum Iudæorum Christo aduersantium eo tendebat, quod Christus legi Mosaïcæ cōtrarius, quam deus tuliſſet, per hoc etiā aduersaretur ipſi deo patri. si ergo patrem apostolis ostendisset, iam tum omnis Iudæorū calumnia corruiſſet. deinde addit ille, Philippū desideraſſe videre patrem corporalibus
Chrysost. oculis, sicut Christū hic videbat, hoc attendens & Chrysost. ait, Ipse carneis oculis videre eum, volebat, quum tamē debebat ille vel ex veteri edoctus esse testamento, quod nunquam in sua natura apparuerit deus, sed per multas alias visiones, vt in Ezechiele, Esaia, Ieremia, & aliis legitur. Quod insuper addit, sufficit nobis, sane si putasset hoc satis non esse, aberrasset. (non intromittimus hic nos de cōtrouersia iuniorum, an possit videre vna persona sine alia, & an beatus possit frui vna persona sine alia.) Poterat enim Philippus illud ita intelligere, quod visio patris sufficeret illis. diuinæ enim essentiæ visio, hominem sufficientē facit & indeficientem, ita vt vlterius nihil desideret, quū beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus. Quicquid autē sit illud. constat Philippum, nisi inepte quæsiuisset, in hoc schola responsioné huiusmodi non audisse ab optimo magistro. Putabat enim se videre filiū, & vltra illud aliquid melius videre cupiebat, quia patrē. sed dominus ostendit eum nec patrem nosse, neq; filium. ait ergo, Tanto tempore vobiscum sum, & non me cognouistis? Philippe, qui videt me, videt & patrem meum. quomodo itaq; dicis, Ostende no-
Augusti. bis patrem? Augustinus ait loqui hic Christum communi hominum more, nos enim si forte videamus duos inter se similes, dicimus alterutro conspecto, visum etiam esse alterum. sic & Christus iam ante abunde satis docuerat, se & patrem non esse vnam personam, quemadmodū hæretici Patripassiani turpiter aberrauerunt. Ne autem putarent aliū in natura esse à filio patrem, ostendit quia vnum sint, adeo vt qui Christum viderit, viderit patrem. Errauit igitur Philippus,

si putauit

ſi putauit patrem ſe tanquam filio meliorem viſurũ, quoniã æqualis eſt pater, æqualis filius, æqualis & ſpiritus ſanctus, *Athanaſ.* æqualis gloria, eadẽ & vna diuinitas, coæterna maieſtas. Cõ funditur hic & refellitur hæreſis Arriana, quæ antiquarum *Arriana* omniũ fuit turbulentiſsima, maximeq; nociua. (Si placet, *hæreſis.* dic ex Eccleſiaſtica aut Tripartita hiſtoria aliquas ſeditiões & facinora huius hæreſis, quæ etiã imperatores, epiſcopos & totas prouincias inuoluit. Sæuit enim per Alexandriam, AEgyptum & Aſiam minorem, Græciam, Italiam, Aphricam, & progreſſa eſt vſq; in Hiſpanias, vide vbi ſupra.) Dixerunt autem Arriani filiũ nõ eſſe eſſentialiter deũ, & ideo neq; deo patri æqualẽ, ſed creaturam, quanuis nobiliſsimã. Magna & inſignis hæc fuit blaſphemia, turpiter deo irrogata, filio diuinitatẽ adimere. quomodo enim magis blaſphemaretur deus, quam ſi negaretur eſſe deus? Multũ igitur conati ſunt ſancti patres & concilia ipſa errorem hunc euellere, præcipue vero concilium ſanctũ Nicenum, ipſeq; Athanaſius. Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Cyrill', Ambroſius, Victorinus, Fulgentius, Victor & alij ſancti pa *Mat.16.* tres. quorũ induſtria ſimul adiuuente gratia dei, hæreſis hæc eſt conſopita, qui finis & exitus eſt hęreſum omniũ. ſiquidẽ *Luc.22.* eccleſia ædificata eſt ſuper petram, adeo vt portæ inferorũ prævalere non poſsint aduerſus eam. ita fides Petri cõfirma *Heb.5.* ta eſt, vt nequeat diſcindi. Chriſtus pro eo rogauit, ne deficeret, & exauditus eſt pro ſua reuerentia, vt inquit Paulus. ¶ Diceres, Quur nõ obtemperauit hic dominus, & acquieuit petitioni Philippi, vt oſtenderet ei patrem, quum tamẽ in veteri teſtamento pater ſeipſum videri permiſerit in rubo? Reſpondet Cyrillus verum quidem eſſe quod in igne *Cyrillus.* vſus ſit dominus. ſed quid hoc ad cognoſcendam naturam & ſubſtantiam dei? parum ſane ad hoc contulit ignis, magis profuit illa manifeſtatio per ignem, non ad videndam eſſentiam dei, ſed ad operationem eius intelligendam in nobis. *Exod.33.* ſiquidẽ hic populus erudiebatur in religione legis, & quia *& 34.* ille multum durus & contumax erat, ſicuti non ſemel conqueſtus eſt ſuper eo dominus, ideo opus erat vt horribili aſpectu appareret eis, quatenus hinc diſcerent, tranſgreſſores magnam manere pœnam, eo quòd ardentem offenderent ignem, iuxta illud quod Moyſes ait, Deus noſter ignis con- *Exo.19.* ſumẽs eſt. & ideo tãto horrore & terrore data lex eſt, quo-

niam incipiebāt audiri tonitrua, apparere fulgura, & nubes denſæ circundederunt monté, tubarum ſonitus auditus eſt, inde timor inuaſit ſuper populum, quando etiā totus mons Sinai fumabat, aſcendēte fumo ex eo ſicut ex camino, eratq; mons totus formidoloſus, & ſemper creſcebat ſtrepitus & ſonitus tubarum. Nihil ergo huiuſmodi apparitiones profuerunt ad cognoſcendam eſſentiam diuinam, neque nunc Philippo quicquam contuliſſet, etiamſi dominus ſuæ petitioni acquieuiſſet, quia multo æqualior patri filius erat quā ignis. vnde & dixit Chriſtus ad Philippum, Qui videt me, videt & patrem meum. (Vide Hilarium lib. 7. de Trinit.)

Hilarius.

4 Corripit inſuper dominus Philippum, dicēs, Quomodo tu dicis, oſtende nobis patrem? non credis quod pater in me eſt, & ego in eo? quaſi diceret, Philippe, non ſāne intelligis, dū ſeparare nos vis a binuicē, qui inſeparabiles ſumus. male putas nos abeſſe mutuo aut diuerſos eſſe, quum deus vnus ſimus: quomodo ergo dicis, oſtende nobis patrem? an ne in hac vita aliquid ſuperius fide requiris? Nō credis quod ego in patre & pater in me eſt? Hilarius lib. 3. de Trinit. ſic ait, Humani intellectꝰ imbecillitas ratione dicti huius percipere non poteſt, neq; exemplum aliquod aut ſimilitudinē inuenire poteſt rerum diuinarum, quomodo filius in patre, & pater ſit in filio, quum enim aliquid ſit in alio, non viciſſim hoc eſt in illo. ſed quia de ſpiritu ſpiritus, lumen de lumine, de deo deus, totúſque filius ex toto genitus eſt patre, hinc fit nimirum quod ſuperat illud captum noſtrū, quod filius in patre & pater eſt in filio. (Latinè hanc mutuam inexiſtentiam perſonarum ſcholaſtici cœperūt appellare modum eſſendi in per circuminſeſſionē per quā intellige intimam præſentiā realiter diſtinctorū. ſubſiſtentium in eadem ſubſtantia. Et magiſter & alij allegant Hilarium lib. de Trini. quum ſit in lib. 3. & 7.) quaſi ſimile, dicit, Auguſtinus dicit, propter eſſentialem vnitatem totus pater in filio eſt & ſpiritu ſancto, totusque hic ſpiritus ſanctus in patre & filio eſt, & nullus illorum extra alium eſt, tātum propter vnitatem ſubſtantię diuinæ. Hæc ſi tu qui ſimplex es & rudis tātorum myſteriorū, caue vel dubites, vel eruere coneris cum Philippo, ne cum eodem obiurgeris à domino. tantum ſimpliciter crede, reliquum deo & omnipotentiæ ſuæ ſimul & ſanctæ matri eccleſiæ relinquens, Oremus dominum.

Hilarius.

De fide ad Petrum.

HOMI

HOMILIA III.

PHILIPPVS apostolus quum nondum accepisset spiritū sanctum, rudis adhuc & imperfectus in fide, petiit à domino ostendi sibi patrē, & audiuit Christum sibi dicentem, Philippe, qui me videt, videt & patrē meū, ego enim in patre, & pater in me est. Eo vt facilius adigeret & permoueret Philippū, verba & opera allegat, quoniam iis duobus, dictis nimirum & factis, ad credendū persuademur: ex iis etiam diuinitas cognoscitur, quasi ex illis quæ eam proprie declarant. Verba, inquit Christus, quæ loquor, non loquor à meipso. duplicia erāt verba Christi, aliis docebat, aliis miracula operabatur. verba doctrinæ inde firmabat, & ea non ex seipso haberet, sed à patre, in quo quum quis dubitare possit, statim & opera aggreditur, & ait, Pater in me manens, ipse facit opera, quod si ergo mihi credere recusatis, saltem ratione operum credite, quibus doctrina verbaq; mea confirmantur. Non à meipso loquor, inquit, Christus. Verba hæc vt funditus intelligamus, paulò altius nobis sunt repetenda, & ea non sic accipienda sunt, quasi non loquatur ipse, sed sententia hæc est, quia filius dei diuinam essentiam à seipso non habet, sed ab æterno habet eam à deo patre: & operationem ex seipso non habet, sed à patre sicut essentiam. sensus ergo hic est, à me nō loquor, hoc est à meipso nō sum qui loquor, & ideo pater ipse si vobiscum verba facere vellet, non aliter quam ego, loquutus esset. vsqueadeo vna in nobis essentia est, vt opera verbaq; mea etiam patris sint, nosq; simus indiuisi. Et quanuis ante me venerunt nōnulli, qui verbis sibi diuinitatem arrogarunt, eis tamen opera testimonium nullum dederunt. Hinc conspicimus Christum multo plus operibus quam verbis tribuisse, vnde etiam hic magis super ea vrget. *Augusti. Cyrillus.*

1 Et quanuis fides naturalibus nō debet fulciri rationib⁹, siquidem meritū (vt ait Gregorius) non habet vbicunq; ratio humana præbet experimentum, tamē constat etiā fidem rationes suas habere motiuas, sicut hic dominus conatur fidem eorū ex operibus cōprobare. (Hybernicus est mirabilis in hac materia, q. 1. primi, sed excutiatur in scholis) quoniā quisquis nude crederet citra omnē rationē, leuis potius quā fidelis futurus esset: quia qui cito credit leuis est corde. *Grego.*

2 Quum ergo dominus fidē in doctrina sua fundarit, hāc *Eccl. 29.*

autem operibus firmarit, obiiceret contra eum quiſpiam, Atqui nō multum probabis operibus tuis, quoniam aliena poteſtate ea facis. nō itaque laus illorum ad te pertinet, ſed eius eſt in cuius poteſtate miracula facis. hoc præuenire volens dominus, ait nō ſe tantum, ſed omnes in ſe credituros, opera huiuſmodi vtiq; ex ſua poteſtate eſſe facturos. Amen amen, ait dominus, dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. His verbis oſtendere vult & ſe eſſentialiter eſſe deum, neq; diuerſam habere naturam à patre: quod quū nondū intelligeret Philippus, puta imperfectus adhuc in fide, nec illuminatus, quia ſpiritum ſanctū adhuc nō acceperat, fortiter hic in Philippo hæreſim Arrianā cōfutauit dominus. nos interim ſenſum verborum illorū diſpiciamus. Qui in me credit, opera quæ ego facio, & ipſe faciet. Multū ſubtilis eſt hic Auguſtinus in iſtius loci expoſitione, tantum intelligens eū de verbis operum, quoniam & verba opera ſunt, domino atteſtāte, quum ait, Verba quæ loquor, &c. Loquutus eſt igitur dominus, audierunt eum diſcipuli, quumq; que pauci eſſent, crediderunt: vbi fides diſcipulorum, fructus extitit verborū Chriſti, ſed in paucis. Apoſtoli inde maiora fecerunt opera verbis ſuis. multo enim plures crediderunt ad prædicationē apoſtolorum quam Chriſti. ad primum Petri ſermonē in die Pentecoſtes, baptizati ſunt ſuper tria milia hominū. deinde quinque milia. Senſum ergo hūc colligit Auguſtinus, Quicquid ego operor, id omne verbum fidei eſt, hoc etiā vos facietis, planē idem prædicaturi, & maiora iis facturi, hoc eſt, maiora pluraque verba fidei prædicabitis vos, quæ nondū reuelaui. Non poteſtis enī portare modo, ſed docebimini à ſpiritu ſancto, puta de ceſſatione circūciſionis, de fine legis, de cerimonialibus, quoniam de circunciſione ſic ait Paulus, Si circuncidimini, Chriſtus vobis nihil proderit. ſic in omnibus concilijs facit eccleſia. Similiter Chriſtus cōſuluit diuiti, vt venderet omnia quæ haberet, & pauperibus erogaret. nec tamē ille audiuit Chriſtū, quū interim multi diuites ſequuti ſunt apoſtolos idē docētes. ¶ Alij doctores tenacius adhærentes literæ, aliter exponūt, ex quibus Cyrillus ſic ait, Nullus putet quoniā cœlum, ſolē & lunam, angelo rumq; multitudinem produxit, maiora iis fidelibus per gratiā conceſſurū, non enim ad hæc dicētis intentio extēditur, ſed quę

Fidelis maiora opera faciet.

Auguſt.

Act. 2. 4.

Auguſt.

Ioan. 16.

Galat. 5.

Mat. 19.

Cyrillus.

ad

ad vtilitatē hominū & ſanctificationis humanæ menſuram reſpiciebāt, ea ſolū obtulit. Neq; hoc intendit, quod Chriſtus vna tantū lingua, apoſtoli autem variis prędicarint: deinde, quia Chriſtus in Iudæa tantū, neq; multum in Samaria: apoſtoli verò per vniuerſum mundū diuiſi, prædicarūt vbiq; & miracula fecerūt, vbi Chriſtus nullū fecerat: quoniam ad quencunq; horū ſenſuum apoſtoli maiora fecerūt miracula, quā antea per ſe operatus fuerat Chriſtus. Auguſtinus adhuc alio intellectu dicit apoſtolos maius feciſſe opus, quādo iuſtificarūt peccatorē cōcurrēte diuino auxilio. quā deus quando mundum condidit, & inter cætera ſic ait, Intelligat qui poteſt, iudicet qui poteſt, vtrū magis ſit iuſtos creare, quam impios iuſtificare. Certè enim ſi ęqualis eſt vtrūque potentiæ, hoc maioris eſt miſericordiæ. (Et per hoc ſoluit obiectionem, Qui credit, faciet maiora: ergo qui non facit maiora, non credit, quotuſquiſque ergo erit Chriſtianus? Reſpondet. Credens facit maius deo faciente in ipſo quando ex impio fit pius.) 3 Nunc tandē communē audiamus illorū verborū expoſitionē, cum qua cęteras tamen non excludimus. quoad literā etiā fideles maiora fecerunt miracula Chriſto, quia ille dæmonia ex hominibus tantum eiecit, apoſtoli expulerunt inſuper etiā ex ſtatuis & ſimulacris, Chriſtus Lazarū ex quatriduo fœtentē reſuſcitauit cū fletu, fremitu magnoq; clamore. Petr⁹ & Ioānes aliiq; apoſtoli mortuos quāplurimos reſuſcitarunt. Petrus etiā baculum ſuū miſit, qui vbi ſuper corpus ſancti Materni poſitus eſt, reuixit ille. Chriſtus impoſitione manuū ſuarū & cōtactu, ſanauit infirmos, Matthęi 8. 9. Marc. 7. 8. Lucę 5. 6. &c. Sed Petro ponebātur infirmi in lectulis ſuis ſuper plateis, vt prętereūtis eius etiā vmbra curarentur ſeſe cōtingēte, ſimiliter ſudaria Pauli & ſemicincta medebantur ægrotis. Et ea iam ſunt impudētia neochriſtiani, vt impudenter cōtēnant ſanctorum tum veſtitum tum reliquias, non attēdentes quā aduerſetur illud ſacrarum literarū authoritati. Tantū valuit vox Chriſti, dicentis, Ego ſum, vt retrocedentes Iudæi, ceciderint retrorſum ſuper terrā. Sanctus Petrus voce ſua effecit, vt Ananias & Sapphira collapſi, ſubito mortui ſint. & ſimiliter in alijs multis ſe res habet. ¶ Duo tamē hic nobis diligentius ſunt pōderāda: alterū, quia ſi modum operandi conſideres, miracula Chriſti omnibus alijs ſunt vtiq; maio-

Auguſt.

Ioan. 11.

Act. 5.

Act. 19.

Ioan. 18.

ra, propria enim potestate & iusione fecit ea tanquã deus verus, apostoli autẽ fecerũt illa in nomine Iesu, vel deprecati in hoc dominũ, vel à spiritu sancto impulsi. Alterum, quod nõ ideo cogitandũ est apostolos maiores & superiores esse Christo, quod maiora fecerint miracula, quæ tamen etiam Christus fecit: iuxta illud quod sequitur, Sine me nihil potestis facere. Et hoc ipsa testatur in se litera, quòd in Christum credens, maior nõ sit ipso, sed hæc, eius fuit sententia, Magna ego hactenus feci miracula, sicut vidistis ipsi. At iam mihi moriendum est, vti prædixi vobis. verum inde non minuetur potentia mea, quoniam maiora adhuc miracula facturus sum per vos ministros meos, quã hucúsq; fecerim ipse. potentior itaq; ero & fortior validiorq; in declaranda potestate mea post mortem, quando potenter resurgam, quam nunc sim humana fragilitate grauatus. Idque vobis ministris meis futurũ est honestũ, siquidem inde laudem per vniuersum mundũ consequemini: mihi tamen erit illud magnificẽtius, qui hæc tanta per vos tanquam instrumentum meũ viuum sum operaturus. 4 Supra dicta & memorata omnia dilucidiora fiunt ex verbis sequentibus, quum ait, Quia vado ad patrem. Ecce quoniã magnitudo operũ nõ futura sit ob magnitudinẽ ministri, sed ideo quod Christus tũc in ampliori gloria erit. atq; hęc sententia Cyrilli est & aliorum. neq; suspicandũ est Christũ præsentem minus posse quã absentem: sed quia ad patrem per resurrectionem suam & ascensionem, manifestata est etiam eius diuinitas, quam opertam antea habuerat vestimẽto passibilis humanitatis, quam sustinuit in hoc, vt veritas carnis probaretur assumptæ, cõtra Manichæos. Ita ergo ait dominus, Magis adhuc potestatem meam declarabo per vos, quoniã regnabo in cœlis, quã quum iam ipse humana mortalitate pressus, ipse operor in terris. Insuper hoc verbo tacitæ respondit interrogationi Petri & aliorum, quærentium quo abiret. Ecce quia vado ad patrem. & ne putarent se derelinqui ac inde timerent, addit, quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Vnde satis intelligimus, seipsum operari velle miracula illa maiora, vt pater glorificetur in filio. Quomodo autem consequamur omnia quæ petimus à deo, alias affatim docuimus, nunc non est animus repetere. Oremus dominum deum pro, &c.

Ioan. 15.

Cyrillus.

DE

DE S. PHILIPPO.

PHILIPPVS in ciuitate Bethſaida natus in Galilæa, vnde Petrus etiã & Andreas progeniti ſunt, ille quoq; principio ad apoſtolatum vocatus tertius fuit. hic Nathanaëlẽ perduxit ad dominũ, antequã acciperet ſpiritũ ſanctũ. *Ioan.1.*

rudior aliquanto & imperfectior extitit in fide: quãobrem & à domino interrogatus eſt, vnde panes cõparari poſſent in deſerto. poſt cœnã quoq; quum multa dixiſſet dominus de ſua diuinitate & de deo patre, petiit oſtendi ſibi patrem. *Ioan.6.*

Poſt diuiſionẽ apoſtolorũ profectus in Scythiam, ad 20. annos vſq; prædicauit ibi dẽ: quumq; ab infidelib⁹ captus duceretur ad idolũ Martis, exiuit inde draco qui multos inficiebat, vnde & plurimi moriebãtur. Philippus autẽ prædicata ibi pœnitẽtia, ſanauit infirmos, mortuos ſuſcitauit. cõuerſiq; illi, baptizati ſunt. deinde ille põtifices & ſacerdotes per prouinciã vndiq; ordinauit, profectusq; in Aſiã in ciuitatẽ Hieropolim, vel authore Hieronymo in Phrygiã, factus annorũ 87. rurſus ibi etiã ab idololatris captus & crucifixus eſt. *Ioan.14.* *Hieron.*

Super hoc refert Euſebius, quomodo Polycrates Epheſius ſcripſerit Victori epiſcopo vrbis Romæ, Magna lumina in Aſiæ partibus dormierunt, quæ reſuſcitabit dominus in nouiſſimo die aduentus ſui, cũ veniet in gloria, & requiret omnes ſanctos ſuos. dico aũt de Philippo qui fuit vnus ex apoſtolis, qui dormiuit apud Hieropolim, ſed & duæ filiæ ei⁹ inibi virgines cõſenuere, & alia eius filia ſpiritu ſancto repleta, permanſit apud Epheſum, vbi & Ioannes euãgeliſta fuit. *Lib.3. ca.32.*

Nemo tamen putet hũc illũ fuiſſe Philippũ, quem Lucas refert quatuor habuiſſe filias. is enim non ex diſcipulis duodecim, ſed vnus è diaconis ſeptem fuit, qui & baptizauit in Samaria. Huius autem Philippi corpus deinceps Romam delatũ eſt, ſucceſſus temporis ſub Cõſtantino magno, vrgente Helena, alterum eius brachium & bona pars corporis ſui, per ſanctũ epiſcopũ Agriciũ deportata ſunt Treuirim in cœnobiũ S. Matthiæ extra mœnia vrbis. *Act.21.* *Act.8.*

DE S. IACOBO APOSTOLO.

IACOBVS hic minor dicitur, alias etiam frater domini, fili⁹ alphæi, frater Simonis, Iudæ Thaddæi, & Ioſeph, qui conſtitutus eſt cum Matthia ad electionem apoſtolatus. Iacobus hic eo

habetur ſanctior, quod creditur eſſe ſanctificatus in vtero
Lib. 2. ca. 23. de vi. illu. matris. Egeſippus enim, vt Euſebius & Hieronymus commemorant, ait hunc ſanctum fuiſſe ex ipſo vtero matris.

2 Magna fuit inſuper ſanctimonia vitæ ſuæ, quia ſequitur, vinum & ſiceram non bibit, de animali nullo guſtauit
Carth. (vbi exemplum habent Carthuſiani magnum ſuæ abſtinẽtiæ à carnibus, neq; patiantur ſe ab hoc inſtituto auelli per neohriſtianorum impudentiam & gulam) nouacula non
Num. 6. aſcendit ſuper caput eius. Nazarenus enim fuit, oleo ſe non perũxit, ſicut tũc moris fuit. balneo vſus nõ eſt, laneis quoque veſtimentis non eſt opertus, ſed lineis tantũ. ijs accedit pro tertio, quod Hieronymus teſtatur eum ſanctã ſeruaſſe
Cõtra. Io. virginitatem vſque ad mortem. 4 In oratione tam fuit intentus ſedulo, vt frequẽter ſolus templum ingreſſus, procederet ad genua, orãs dominum vt populo peccata dimitteret. hoc ſæpius adeo faciebat, vt genua eius callum cõtraxerint inſtar cameli, ita ab oratione nunquam ceſſabat.

5 Hinc factum eſt vt ab omnibus iuſtus diceretur & Oblias, hoc eſt, cuſtodia ſiue iuſtitia populi, ſicuti ſuperiores tres commemorati teſtes affirmant. 6 Tantæ apud omnes non chriſtianos tantũ, ſed & Iudæos creditus eſt fuiſſe ſanctimoniæ authore etiã Ioſepho de bello Iudaico, vt perſuaſum fuerit eis, omnia iſta mala accidiſſe Iudæis pro vindicta
Ioſephus. Iacobi iuſti, qui erat frater Ieſu, qui dicitur Chriſtus, quem iuſtiſsimũ & piiſsimum omnium cõfeſsione virũ Iudæi interfecerunt. 7 Præterea ob inſignem illam viri ſanctimoniã huic vni permiſſum eſt à Iudæis, ingredi in ſancta ſanctorum. 8 Frater quoque domini dictus eſt, ſicut Paulus
Galat. 5. ait, ſe non vidiſſe aliquem apoſtolorum, quũ veniſſet Hieroſolymam, niſi Iacobum fratrẽ domini. id aũt non eo credẽdũ eſt, quod fuerit ille Mariæ filius, quoniã ea virgo ſempermãſit: neq; ideo quod filius extiterit Ioſeph ex alia cõiuge, quam forte habuiſſet ante Mariã, ſicut aliquãdo opi-
Ambro. natus eſt Ambroſius, & ante eũ Euſebius lib. 2. eccl. hiſt. ca.
Euſebius. 1. Verùm ille frater domini dicitur non tantũ communi Iudæorum cõſuetudine, qui nepotes proximos, fratres vocabant, quoniam ſic nõ ſolus hic Iacobus, ſed alij etiam ſimiliter cum Chriſto ſanguine iuncti, fratres eius dici poſſunt.
Mat. 7. fuit autem Iacobus hic filius Mariæ Alphæi, quæ ſoror extitit Mariæ matris Ieſu. ita Chriſtus & Iacobus duarũ ſororum

rum filij fuerunt. id ex Matthæo colligimus, qui ait, Erant ibi mulieres multæ à longe, quæ sequutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. Et testimonium tibi apertum, quòd Maria hęc mater fuerit duorum fratrum. Iacobi & Ioseph, Marcus addit hanc Mariam matrē fuisse Iacobi minoris. Maria ergo illa vxor fuit Alphæi. vnde & Iacobus iste Alphæi cognominatur. eam Ioannes vocat Mariam Cleophæ, à patre nimirum: quia sic ait, Stabat iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ. Atque hinc Iacobum & fratres suos vocabant Iudæi fratres Iesu, sicut Marcus ait multos admiratos esse in doctrina eius, dicentes. Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia quæ data est illi? & virtutes tales quæ per manus eius efficiuntur? Nónne hic est faber filius Mariæ, frater Iacobi & Ioseph & Iudę & Simonis? peculiariter autem Iacobus hic frater domini dicitur, quod cæteris similior fuit illi tum sanctimonia vitæ, tum similitudine formę, quoniam similimus ei fuit, adeo vt propter ipsum Iudas signum illud dederit Iudæis osculandi dominum, ne pro eo caperent Iacobum, qui facie repræsentabat dominum. (vide S. Hieronymum super epistolam ad Galatas. 2.)

Mariæ Alphæi Cleophæ. *Mar. 15.* *Ioan. 19.* *Mar. 6.* *Eusebius.*

9 Accedit iis omnibus quod vnus hic præ cunctis apostolis constitutus est primus episcopus Hierosolymitanus, sicuti Clemens inquit, Petrus, Iacobus & Ioānes post ascensionem saluatoris, quanuis ab ipso fuerint omnibus pene prælati, tamen non vendicabant sibi primatus gloriam, sed Iacobum qui dicebatur iustus, apostolorum episcopum statuunt. Hoc idem & Hieronymus testatur, verum multo di lucidius sanctus Anacletus Papa & Martyr, quū ait, Hierosolymitanus primus archiepiscopus beatus Iacobus, qui iustus dicebatur, & secundum carnem frater domini nuncupatus est, à Petro, & Iacobo, & Ioanne apostolis est ordinatus, successoribus autem suis formam dentibus, videlicet vt minus quam à tribus episcopis reliquisque omnibus assensum præbentibus, nullatenus episcopus ordinetur. Et ob hanc causam existimat Hierony. sanctum Iacobū in primo apostolorum cōcilio, quando quærebatur de ceremonialibus obseruandis, vltimum habuisse suffragium cōcludendi post Petrum, cui tanquā supremo apostolorū omniū, prima

Clemens. *Anacle.* *Ad Aug. Actu. 15.*

vox & ſententia merito competebat, authore Auguſtino. Tu ſuper hoc plura vide in primatu noſtro S. Petri.) Neq; hic exiguus fuit honor S. Iacobo, primum habuiſſe locum in hoc ſancto concilio ante Ioannem, Andream & alios.

Lib. 2. ca. 25. & lib. 3. c. 36.

10 Ad hæc, illa quoque dignitate hic præ cæteris coruſcat. Iacobus, quod ait ſigillatim apparuit dominus poſt reſurrectionem ſuam. hoc pulchre probat Hieronymus, dicens, Euangelium quod appellatur ſecundũ Hebræos, & à me nuper in Græcum Latinúmque ſermonem tranſlatum eſt, quos & Origenes ſæpe vtitur, poſt reſurrectionẽ ſaluatoris refert, Dominus quum dediſſet ſindonem ſeruo ſacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit ei. Iurauerat enim Iacobus ſe nõ comeſturum panem ab illa hora qua biberat calicem domini, donec videret eum reſurgentem à mortuis. Rurſuſque poſt paululum, Afferte, ait dominus, menſam & panem. ſtatímque additur, Tulit panem, & benedixit ac fregit, & dedit Iacobo iuſto, & dixit ei, Frater mi, comede panem tuũ, quia reſurrexit filius hominis à dormientibus.

De viris il luſtribus.

11 Hunc inſuper honorem reliqui apoſtoli detulerunt S. Iacobo, vt permiſerint primitias (hoc eſt, primã miſſam) illum ſuas celebrare Hieroſolymis, quod inde fecit Petrus in Antiochia, & Marcus in Alexandria. In eius rei fidem & teſtimoniũ ſuffragatur nobis ſexta ſynodus Cõſtantinopolitana, quæ ſic habet, Iacobus frater domini ſecundum carnem, cui primum credita eſt Hieroſolymitana eccleſia, & Baſilius Cæſarienſis epiſcopus, quorum claritas per orbem refulſit in ſcripturis, addiderũt nobis miſſæ celebrationem.

De conſe. diſtin. 2. Iacob.

12 Quoad mortẽ viri ſancti attinet, ſunt qui velint eum bis ex ſuggeſto præcipitatum, ſemel anno 7. ab aſcenſione Chriſti, quum prædicaret Chriſtum verum eſſe Meſſiam, multíque ei fidem haberent, commota ſeditione, accurriſſe quendam cum tumultu in ſuggeſtum, indeque eum deiecíſſe, qui & offenſus in pede, poſtea per omne tẽpus vitæ claudicaſſe dicitur, quanuis Euſebius aliter recenſet hanc hiſtoriam. ¶ Sanctus Hieronymus refert exteſtimonio duorũ, Ioſeph ſcilicet & Clementis libro ſeptimo hypotipoſeon, ad extremũ, rem ſic habuiſſe: Quum iam Feſtus præſes mortuus eſſet, Nero alium qui ei ſuccederet, miſit Albinum. is antequam veniſſet in prouinciam, Ananus pontifex adoleſcens, Anani filius, de genere ſacerdotali arrepta occaſione anarxias,

Euſebius. Ioſeph⁹ li. 20. ca. 7.

anarxias, ſupremum ſenatum eius temporis coëgit, & quoſdam iudicio ſiſti curauit, vbi in eorum numero fuit & frater domini Iacobus. hunc impulit vt palam Chriſtũ abnegaret. verùm quũ ille libere cõfiteretur dominum, iuſſus eſt lapidari, quúmq; eum ex ambitu templi præcipitaſſent, oſſibus cõminutis, fractíſque tibiis, ſemiuiuus ille manibus ad cœlũ eleuatis, dixit, Domine dimitte eis, quia neſciunt quid faciunt. Accurrens autem vnus, pertica ſiue vecte fullonis percuſſit eum in capite, ita vt diſperſo cerebro moreretur. Sicque annis triginta rexit eccleſiam Hieroſolymitanã vſque ad ſeptimum annum Neronis ſepultus. eſt iuxta templum eo loco, quod deorſum præcipitatus erat. Alij cõmuniter eius mortem referũt imitantes Euſebium. 13 Hinc ſequitur cauſa, quur minor hic Iacobus dicatur. neque enim cogitandum eſt id eo fieri, quod minor fuerit ætate: deinde deus proprie nouit quinam ſanctitate excellant, aut ab aliis ſuperentur. ſed minor hic vocatur ratione vocationis, quoniam Chriſtus antea vocauit Iacobum Zebedæi cum fratre ſuo Ioanne, quam hunc Iacobum. factũ eſt igitur ibi, quod etiam nũc hodie fit in cœnobiis, vt qui priores nomina ſua dant ordini aut ſectæ alicui, primos etiam locos poſſideant. Sed hæc de vita ſancti Iacobi in præſentiarum ſufficiant.

DIE SANCTISSIMO AC SOLENNI FESTIVITATE ASCENSIONIS CHRISTI EVANGELIVM, MARCI 16.

IN illo tempore, Recumbentibus vndecim diſcipulis apparuit illis Ieſus, & exprobrauit incredulitatem eorũ & duritiam cordis, quia his qui viderant eum reſurrexiſſe à mortuis non crediderunt. Et dixit eis, Euntes in mundũ vniuerſum, prædicate euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, cõdemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequuntur, In nomine meo dæmonia eiucient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent: etſi mortiferum qui biberint, nõ eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. Et dominus quidem Ieſus poſtquam loquutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbique, domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Matt. 10. Luc. 10. Actu. 1. Luc. 24. Apoc. 11.

DE ASCENSIONE
HOMILIA PRIMA.

EVANGELIVM hoc postremam commemorat apparitionē Christi post resurrectionē illius factam, 40. die à die paschæ, quum iam esset ipse ascensurus in cœlum, & quatuor in se continet.

1 Quomodo apparuerit ille vndecim discipulis discumbentibus. 2 Quo pacto rursus visus sit eis in mōte Oliueti, quādo prædicandi & baptizandi ipsis imposuit officium. 3 Ascensionem Christi cōprehendit. Postremo quomodo apostoli abierūt ad iniunctū sibi prædicationis officium cum operatione miraculorū. Vult enim Magister in historia Scholastica bis dominū hodie apparuisse. Et quanuis sæpius per illos 40. dies apparuerit dominus, sicuti cōmemorauimus de quibusdam in die sancto paschæ, in euāgelio tamen legimus eū decies apparuisse, quinquies in ipso die resurrectionis suæ, Mariæ Magdalenæ, mulieribus abeūtibus à sepulchro, Petro, duobus in Emaus eūtibus, & ad noctem deinde apostolis. 6 Post dies octo apparuit vndecim discipulis, quando etiam Thomas aderat. 7 Septem discipulis in piscatu ad mare Tiberiadis. 8 Super montem Thabor cōuenientibus discipulis in Galilæa. 9 Apparuit hodierno die rursus vndecim discipulis iam discūbentibus Hierosolymis in cœnaculo, vbi antea cœnauerat vltimo cū ipsis.

Apparitiones Christi.

Luc. 24. Ioan. 20. & 21.

Matt. 28.

10 Et vltimo, quum iussisset eos exire ad montem Oliueti, ibi quoque apparuit, & videntibus illis, eleuatus est, sicut infra dicemus. Mora hæc quadraginta dierum ideo facta est, vt huius tēporis spatio resurrectionis suæ veritatem probaret dominus, quoniā in hoc fidei articulo plurimū positū erat. vnde & Lucas ait, Multis argumentis per dies 40. apparens eis præbuit seipsum viuū nō quod quotidie apparuerit tunc ipsis, sed quia à die resurrectionis quo primū apparuerit, vsq; in hunc diem ascensionis, quo visus est eis postremo, dies interfuerunt 40. in quorū nonnullis etiam apparuit eis, sicut & nos iam docuimus, & plures adhuc apparitiones Paulus numerat, quod apparuerit etiam Iacobo, & deinde quingentis fratribus. Argumenta porro illa descripserūt euāgelistæ, siguidē manducauit cum eis, vulnera sua & cicatrices ostendit in manibus, pedibus & latere: carnem suam & ossa mōstrauit, dicens spiritum carnem & ossa non habere sicut in ipso viderent. Insuper Thomas digitos suos

Actu. 1.

1. Cor. 15.

Luc. 14.

imposuit

ſmpoſuit in loca clauorū & vulnus lateris, piſcem & fauum mellis manducauit cum eis, quæ omnia certa ſunt argumẽta veriſſimæ ſuæ reſurrectionis. Sed nos verba euãgelij aggrediamur. 2 Nouiſſime, inquit Marcus, recũbentibus vndecim. nõ cogitandũ hic eſt, vltimã hanc fuiſſe apparitionẽ, quoniam in ciuitate facta eſt, & deinceps rurſus adhuc apparuit eis extra ciuitatem. ita ergo intelligendũ eſt, nouiſſime, hoc eſt, nouiſſimo die apparitionis ſuæ recumbentibus vndecim, quãdo cõueſcens & ipſe eis, præcepit à Hieroſolymis ne recederent, ſed expectarent promiſſionẽ patris quã audierant per os ſuũ. Marcus addit, quidnã cum illis loquutus ſit dñs inter edendũ, quia exprobrauit incredulitatẽ eorum & duritiem cordis, quod nõ ſic accipiendum eſt, quaſi tunc quoque non crediderint poſt tot argumenta, & aperta ſuæ reſurrectionis indicia. ſiquidẽ hoc vſqueadeo apoſtolis non cõueniſſet, vt animos magis deſperatos & induratos cõ probaſſet. ſed quia antea dubitauerãt, iuxta illud Matthæi, Diſcipuli abierunt in Galilæam, in montem vbi cõſtituerat eis Ieſus, & videntes eum adorauerũt, quidam autem dubitauerũt. ſic etiam renunciantes eis Magdalena, quia viuere dominus, nõ crediderunt, ſed ne illis qui fidem habuerunt, qui ex Emaus veniebant. imõ quũ mulieres eis dicerent vidiſſe ſe dominũ, viſa ſunt verba hæc ante illos ſicut deliramentum, & nõ crediderunt. Inſuper ipſo apparente eis domino nocte paſchali, cõturbati ſunt & cõterriti, exiſtimantes ſe ſpiritum videre, deinde quũ etiam manus & pedes eis oſtenderet, quidã non credebant, ſed admirabantur tantum Thomas omniũ vehementiſſimus vrgebat, dicens, Niſi videro in manibus eis fixuras clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Huiuſmodi nimirum infidelitatem & duritiem cordis exprobrauit eis dominus. Fuerunt tamen illæ dubitationes diſpenſatoriæ, eo ꝙ per illas veritas reſurrectionis probata magis eſt & certius manifeſtata, fides quoq; noſtra fortius cõfirmata. Vnde & Gregorius ait in homilia paſchæ, Nũquid caſu geſtum creditis, vt electus ille diſcipulus tunc deeſſet, poſt autẽ veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? non hoc caſu, ſed diuina diſpenſatione geſtũ eſt. Egit nãque miro modo ſuperna clementia, vt diſcipulus ille dubitans dum in magiſtro palparet vulnera carnis, in nobis ſanaret

Ioan.20.

Auguſti.

Matt.28.

Mar.16.

Luc.24.

Ioan.20.

Gregor.

vulnera infidelitatis, plus enim nobis Thomæ infidelitas ad
Beda. fidem, quam fides credentium discipulorum profuit. Beda
Augusti. insuper ostendit, quare Christus nō principio eis exprobra
rit incredulitatem, sed tunc demum quum iam credebant,
quia sic eadem opera exprobratum est etiam istud aliis gen
tibus, quæ nolebant credere prædicationi apostolorum.

3 Quanuis Lucas pluribus hanc rē verbis prosequitur in
euangelio suo & in Actis, illis tamen posthabitis, nos ab E-
Cregor. uangelio nostro non discedemus. Et Grego. quidem putat
Christum ideo discipulis infidelitatē postremo exprobrass-
se, vt illud tenacius inhæreret. Deinde subdit, Ite in orbem
vniuersum, & prædicate euangeliū omni creaturæ. Nun-
quid, ait Gregorius, sanctū euangeliū, vel insensatis rebus,
vel brutis animalibus fuerat prædicandū, vt de eo discipulis
dicatur, Prædicate omni creaturæ? sed omnis creatura nomi
Homo om nis creatu ra. ne signatur homo. omnis enim creaturæ aliquid habet ho-
mo. habet nanq; esse commune cū lapidibus, viuere cum ar-
boribus, sentire cum animantibus, intelligere cum augelis.
De doctr. Christia. Quanuis & ideo omnis creaturæ nomine accipitur homo,
1. Cor. 3. quod omnia sint creata propter hominē, sicut ait Aug. Mū-
Cregor. dus factus est propter hominē, & homo propter deum. quo
facit illud Pauli, Omnia vestra sunt, vos autē Christi. Gre-
gorius aliū præscribēs sensum, addit per omnem creaturam
Mat. 10. posse omnem nationē gentium designari, quod equidē pu-
to Gregoriū eo retulisse, quia antea prohibuerat Christus
apostolis, ne quid prædicarent Gentilibus, quādo vetuit ne
in vias gentium aut in ciuitates. Samaritanorum abirent. de
ipso quoq; sic ait, Nō sum missus, nisi ad oues quæ perierūt
domus Israël. Inhibitionē istā hoc verbo abrogauit, dū præ-
cepit nō tantū in Iudæa, sed vndiq; ad finē orbis terræ vsq;
prædicare eos debere. quæ etiam causa est, quur ille tā vni-
uersali vsus est sermone, dicens, Eūtes in mundū vniuersum
prædicate euangelium omni creaturæ. quasi diceret, Antea
prohibui vobis, ne prædicaretis exteris & gentibus, iam por
ro prædicatæ omni creaturæ super terram, adeo vt si sermo
nis vestri capaces forent lapides, iis quoq; prędicetis. qua de
Parte 1. re alias plura diximus. Theophylactus sua quoq; fretus sen-
tentia, ait dominum hoc vniuersali sermone voluisse doce-
re discipulos, ne iis tantum prædicarent qui verbum susce-
pturi essent, quiq; soli sunt homines nūcupādi, sed eis etiam

qui

qui ſuſcepturi non eſſent. Iuſionem hanc Chriſti prę uidés in ſpiritu Dauid, dixit, In omnẽ terram exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum. quanuis ibi quæſtio oc currit, an euangelium ab apoſtolis per vniuerſum terrarum orbem ſit prædicatum. nónne multæ adhuc quotidiæ inueniuntur inſulæ, & nationes antea incognitę, quibus apoſtoli nunquam prædicarunt fidẽ? Cuiuſmodi ſunt Blemij, Nigrites & alij populi multi, de iis ſic ait Aug. Quo pacto ab apoſtolis eſt prædicatio iſta completa, quando adhuc vſque ſunt gentes, quod certiſimũ eſt nobis, in quibus modo cœpit, & in quibus nõdum cœpit impleri? Non itaq; ſic dictũ eſt apoſtolis, tanquã ipſi ſoli quibus tunc loquebatur, tantũ munus fuerint impleturi, vt fierent teſtes Ieſu vſq; ad extremum terræ, ſed illa Dauidis prophetia quotidie adhuc habet impleri. Et hæc ſane ſententia Auguſtini, noſtris adhuc illorum temporum geſtis confirmatur, quãdo inuictiſſimus & catholicus imperator Carolus, illiuſq; auus Ferdinandus rex Caſtiliæ & Aragoniæ, tot inſulas nouas inuenerũt verſus occaſum ſolis, quarum aliquæ nondum ſunt diſcoopertæ, vt vocant nautæ, hoc eſt, nauigio emenſæ. ea autem ſunt amplitudine, vt quaſi iuſtum integrumq́ue mundum conficiant. in iis, vt aiũt, inauditum eſt nomen Ieſu. earum vnam quatuor potentiſſimi reges habuerunt, quã nunc ſolus poſſidet Petrus Corteſius, catholicæ & regiæ maieſtatis Hiſpaniarum capitaneus ſupremus. Hinc ergo iam oritur quæſtio multum dubitabilis, Quomodo ſe res habeat cum illis, qui ſic neque de baptiſmo neque de Chriſto quicquam audierunt, cum tamen nulla lex liget niſi promulgata: aut an ad eos quoque pertineat & contingat euãgelium, ita vt iſti quia non credunt in Chriſtum, ideo damnentur. Hæc iuſta indigerent homilia, & quia forſitan aliquid infra dicturi ſumus de apoſtolatu, ideo hoc loco ſuperſedebimus.

Pſal. 18.

Ad Eſficium quaſi in fine.

4 Immenſum porro fructum oſtendit dominus, qui eorum prædicatione ſit prouenturus. qui enim crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Ecce duo ad ſalutẽ neceſſaria proponit dominus, fidem & baptiſmum, Vbi tumultuãtur magno tumore elati neochriſtiani, & ſæuiũt aduerſus bona opera, clamantes ſufficere fidem, opera omnia deliramenta eſſe & ad ſalutem nihil conducere, ſiquidẽ credens & baptizatus ſaluabitur. Huic errori occurrentes, circunſpiciamus

singula, & videbimus Lutherum nihil præsidij hic haurire, quia docet solam fidé iustificare & saluare hominé. Atqui dominus illud vsquéadeo non docuit, vt contrarium etiam eius dixerit, scilicet solam fidem non sufficere, nisi accedat baptismus, non autem hic tantũ, sed & alibi docuit hoc dominus, dicés ad Nicodemũ, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum cœlorum. deinde etsi euangelista nullam hic facit mentionem operũ, non tamen ideo omnino neglexit dominus. Imo vtendum est hic regula beati Augustini, in omnium scripturarum cognitione longe vtilissima, de mutua earundem inter se collatione. & tunc videbimus eandem cõmissionem à Matthæo sic describi in hunc modũ, Euntes docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docẽtes eos seruare omnia quæcunque mãdaui vobis. Ecce quod supra fidem & baptismum necessaria sint etiam opera quæ mandauit in hoc dominus vt seruentur. Cæcorum sunt ductores, quicunque vnum tantummodo locum inducunt, neque præter eũ aliud inquirunt. Vel hoc sãltẽ scire deberẽt, quod pro regula ponit Augustinus. Quoniam quod vnus euãgelista tacet, commemorat alter: & interdũ quod vno in loco scripsit aliquis, deinceps intermisit. ¶ Neq; vero sententia illa domui nostræ nata, aut per nos est excogitata. siquidem & beatus Gregorius istũ errorẽ refutat grauiter, & ait, Fortasse vnusquisq; apud semetipsum dicit, Ego iam credidi, saluus ero, verum dicit, si fidem operibus teneat. vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. de huiusmodi qui male & falso credunt, inquit Paulus, Confitetur se nosse deũ, factis autem negant. & Ioãnes, Qui dicit se nosse deũ, neq; mandata eius seruat, mendax est. quæ si ita habẽt, debemus vtiq; veritatẽ fidei nostræ profiteri in contemplatione vitæ, quoniã tunc vere fideles erimus, quãdo operibus implemus quod verbis pollicemur. Et ex illis solis Gregorij verbis discant neochristiani errorẽ suum agnoscere & emendare. Atque is iam solidus est illorum verborũ intellectus ex sententia doctorũ, Quicunque fide formata & per charitatem operantẽ crediderit, atq; baptizatus fuerit, salu⁹ erit. quod si autem neochristianus nudæ voluerit literæ insistere, neque permittere vt aliquid de spiritu accedat, rursus corruet. Esto enim vt fidelis aliquis

baptize

Ioan. 3.

De doct. Christ.

Matt. 28.

Lib. 2. c. 5. & 6. de cõsec. euang.

Gregor.

Tit. 1.

1. Ioan. 2.

Calat. 5.

baptizetur, neq; tamen in proposita pietate perseueret, sed decidat, ecce is non saluabitur. addēdum ergo insuper est illud, Qui crediderit & baptizatus fuerit, & perseuerauerit, &c. Atq; sic tractandæ & exponendæ sunt sacræ literæ, vt vnius intellectum verum ex alterius sensu petas. Nihil ergo vos moueat error iste multis persuasus imprudenter, solam sine operibus sufficere fidē. ponderate potius & amplectemini illud Sapientis consiliū, Quodcunq; potest manus tua, constanter operare, cōsiderate illud Pauli, Dū tempus habemus, operemur bonū. veniet etiam nox in qua nemo operari poterit. memores estote, quod opera vestra manebunt vos & consequentur, quiq; bona fecerunt, ibunt in resurrectionem vitæ, patriam felicitatis æternæ, Amen.

Eccl. 9.
Galat. 6.
Apo. 14.

HOMILIA II. IN DIE ASCENSIONIS *dominicæ, continens præmonitionem aduersus errores barabaptistarum.*

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum dei. Ioan. 3.

VT vulgare, ita verum est illud quod dici solet, Nulla calamitas sola. Quum primū enim nōnulli sub specie Lutherani euāgelij exciderūt fide & ecclesia catholica, statim plures in fide sectiones subhortæ sunt, impleto ibi illo Petri dicto, Erunt in vobis magistri mendaces, qui introducēt sectas perditionis. Ita in Lutherana secta vel sentina potius excreuerunt, qui imagines, sacramenta & missas impugnēt: enati sunt parabaptistæ, & spiritus nescio qui, vt alias interim taceā sectas plurimas & pernicioſissimas. Et barabaptistæ quidē cōnatur simplicibus imponere ex hodierno euangelio, dicentes hanc esse cōmissionē dei vt credamus, & credētes baptizemur, paruuli ergo quū fidē non habeant, vanū & superfluū fore, si baptizentur. Error hic quia nō tantum ecclesiæ & sacris literis, sed etiam paruulorū aduersatur saluti, quorum irreuocabile damnum inducit, scilicet damnationem æternā, condolere sane & misereri debēt omnes pij & veri Christiani: quoniam vt pulchre expēdit B. Augustinus, qui nūc per euangelium suum terribiliter & salubriter clamat, Nisi quis renat⁹ fuerit ex aqua & spiritu sancto, nō intrabit in regnū cœlorū, ipse dudum clamat per suā legē,

2. Pet. 1.
Augusti. Ioan. 3.
Gene. 17.

Anima cuius præputij caro circuncisa nō fuerit, peribit de populo suo, quia pactū meum irritum fecit. Quanuis enim infantuli propriā transgressionem vel actuale peccatū non habent, non sunt tamen corā deo innocentes & mūdi. si quidem originale peccatū habent, quod eos peccatores, noxios, culpabiles & indignos regno cœlorū efficit, priuans ipsos gratia dei. Vt ergo vestem innocentiæ rursus acquirant, gratiam dei consequētur & capaces fiant ingressus regni cœlorum, oportet eos baptizari, iuxta verbum domini, Nisi quis renatus fuerit. Atq; hoc principij huius thema sit exordiū. nunc imploremus auxiliū diuinū, dicentes, Aue Maria gratia plena. ¶ In hoc præsenti sermone dilectissimi in domino, primum omniū docebimus semper fuisse hunc vsum in ecclesia: vt paruuli baptizētur, deinde ostendendū erit, paruulos admodū indigere baptismo: mox, esse hoc consonum scriptis vtriusque testamēti: postremo, rationes aduersariorum refutandæ sunt, quibus ipsi tergiuersantes nitantur paruulos defraudare baptismo. ¶ Et principio quidem ab ipsis iam inde temporibus apostolorū mos fuit in ecclesia baptizandi paruulos. author & testis eius rei nobis adest Dionysius S. Pauli discipul⁹, qui docet quomodo infantes qui mysteria dei per ætatem adhuc cognoscere non possunt, participes tamen fiant aquæ baptismatis, & ait, Istud cum piissimis ducibus nostris (ita solet appellare apostolos) in mentem venisset, visum est admittere infantes hoc modo, vt naturales oblati paruuli parētes, puerum vni ex fidelibus tradāt præclaro diuinarum rerū magistro, sub quo iam puer sit, quasi sub patre diuino sanctæq; salutis alūno. Hunc itaq; præsul spondentem puerū iuxta sanctam educaturū vitam, requirit vt abrenūciationē profiteatur, fideq; confiteatur. Ecce quomodo etiā tēporibus apostolorū paruuli baptizati sunt sub promissione patrinorū. Porrò post apostolorū tēpora annis centū forsan & quinquaginta, presbyter quidā Fidus in Aphrica cœpit contra tunc ecclesiæ ritū aliquid moliri, volēs paruulos in biduo aut triduo post natiuitatē non esse baptizandos. huic scripsit conciliū Aphricanū, in quo etiam fuit sanctus Cyprianus doctor & martyr insignis, Longe aliud in concilio nostro omnibus visum est. in hoc enim quod tu putabas esse faciendū, nemo cōsensit: sed vniuersi potius iudicauimus, nulli hominū nato misericordiā dei & gratiam denegan

c.7. eccles. hierar. *Pueros baptiza.*

Li.3. epist. ad Fidū.

denegandam. Post hæc annis forte ducentis ita scripsit Au- *Li. 10. ca.*
gust. super Genesim. Consuetudo matris ecclesiæ in bapti- 23.
zandis paruulis nusquã spernẽda est, neq; vllo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi apostolica esset traditio, descripsit idẽ hanc materiã duobus libris ad Marcellinum, sub titulo de peccatorũ remissione. Vidit illos libros Augustini Hieronymus, & laudauit, sicuti statim fundamentũ Augustini inducemus. Ipse quoque Hieronymus aduersus Pelagianos, confitetur paruulos esse baptizandos, vt eis peccata in baptismo dimittantur. ¶ Ad extremũ accedit & authoritas sancti cõcilij Mileuitani, cui sanctus etiam *Cõ. Aph.*
Augu. inter fuit. sic aũt habet, Placuit vt quicunq; paruulos recentes ab vteris matrũ baptizandos negat, aut dicit quidẽ in remissionem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adã trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur, vnde fit cõsequés, vt in eis forma baptismatis in remissionẽ peccatorũ non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Audin hic condẽnari, qui paruulos negãt baptizandos? eadem quoq; hæresis quũ repullulasceret sub Nicolao papa, rursus cõsopita & oppressa est. ¶ Si pergam euoluere reliqua, & ad sequentia tempora descendere, ecce inuenio tempore Syrici papæ errorem hunc quoque retrudisse, non quidem planè eundẽ, quia non de paruulis à baptismo ar- *Syricus.*
cendis. sed quia nonnulli in hac fuerant sententia, quod baptizati ab Arrianis aliisve hæreticis, reuersi ad ecclesiã, denuo essent baptizandi. ibi tam exosam habuere patres rebaptizationem, vt noluerint eos rebaptizari debere: quoniam id prohibet apostolus, vetant leges ecclesiasticæ, statutaq́ue Liberij, cuius sanctionẽ vniuersa tenet ecclesia Orientalis & Occidẽtatis. ¶ Ita in primo cõcilio Aphricano, quod in *Cõ. Aph.*
Carthagine habitum est, articulus primus de hac re fuit, & ita decretum, Illicitas esse sancimus rebaptizationes, & satis esse alienumà syncera fide & catholica disciplina. Commemoratur ibidem, quomodo in hoc errore omnium maximè sæuierint furor & insania, quæ sectas insequi solent.

2 Nunc porro ostendere pergamus, quantum indigeant paruuli baptismo, baptizati etiam quam multũ & vberem fructũ inde percipiant. Atq; hic duæ antiquæ hæreses corruũt, quæ baptismum paruulorũ reiecerunt. fuerunt enim hæretici quidam Hierarchitæ, ij voluerunt paruulum nul-

lum in cœlum peruenire posse, siquidem nemo in cœlũ intromittatur, nisi qui legitime certarit, & ibi aliquid meruerit authore Augustino de hęresibus, ad Quoduult deũ. & ij quidé paruulos nó baptizarunt, rati baptismũ eis nihil profuturũ. Fuerunt adhuc alij, Pelagiani, qui etiam non baptizarunt paruulos, dicentes eos baptismo nõ egere, quia peccatũ originale nõ haberent. inde putarunt eos etiam nõ baptizatos, peruenire in cœlũ. Contra hos multa scripsit Augustinus, contra Iulianũ de baptismo paruulorum, ad Marcellinũ, de natura & gratia, de correptione & gratia, in lib. hypognosticon: & ad Cœlestinũ, quib⁹ omnibus Augustinus hoc & huiusmodi alios plures Pelagianorũ errores valide confutat argumẽtis & locis scripturæ, maximè vero in lib. de origine animę. ¶ At nos ex illa amplissima messe quosdam nobis desumamus manipulos, eosque religemus, ex prolixis tractationibus paucula colligamus, Paruuli ergo cõmuni vsu naturæ nati ex Adã & posteris eius, nisi peculiari sint à deo donati priuilegio, nascũtur omnes in peccato originali, quod eos excludit à regno cœlorum. Cõclusio hæc eo pluribus verbis proponitur, vt excludat Christũ & Mariam matrẽ eius. de ea enim, vt ait etiã Augustinus, propter honorem Christi nullam prorsus cum de peccatis agitur, volumus habere mẽtionem. Vltimã declarationis partem propter Zuinglianos posuimus, qui peccatum quidem originale admittũt, sed peccatũ esse negant, sed affirmãt defectũ esse naturalem. vnde sequeretur, certo nihil prodesse baptismum paruulorũ, sicuti prædicauit Zuinglius cum sequacibus suis Leone Iudæo, & Sebastiano Hoffmayster à Schaffhausen, & reliquis magistris perditionis: quãuis in illo articulo vt hæretici instabiles, à supremo omniũ hæretico in hac re Baldasaro defecerunt. Nos aũt cõclusionẽ hanc nostrã aduersus nouos & veteres Pelagianos confirmemus. ¶ Principio Dauid inquit, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis cõcepit me mater mea. Nũquid Dauid, ait Augustin⁹, de adulterio natus erat, de Iesse viro iusto & cõiunge ipsius? quid est ergo, quod dicit se in iniquitate cõceptum, nisi quia cõtrahitur iniquitas ex Adã? nemo siquidem nascitur nisi trahens pœnã, trahẽs meritũ pœnę quod est peccatũ. Deinde Iob dicit neminem esse mundũ coram domino, ac ne infantẽ quidem, cuius vita est vna dies super terrã.

Augusti.

Augusti.

Paruuli habent peccatum originale. Lib. 1. de natura & gratia.

Zuingl. contra Baldasa.

Augusti.

Iob 15. cum concord.

terrā. quod ſi vnius diei infantulus immūdus eſt, vnde obſecro niſi ex originali peccato cōtraxerit immunditiā iſtam? Ad hæc Paulus ait, omnes indigent gloria dei, quia omnes peccauerunt. id cur nō ſit etiā de paruulis dictu, quoniā & ipſi indigent gloria dei, & propter eos etiā Chriſtus paſſus & mortuus eſt. ſic aliquanto clarius dicit idem deinceps, Sicut per vnū hominē peccatū intrauit in mundū, & per peccatū mors: ita in omnes homines morspertrāſijt, in quo omnes peccauerūt. Ecce quoniam omnes peccauimus, & ideo omnes morimur, vnde immunes vtiq; non ſunt paruuli ad quos etiam pertranſit per oſtium peccati. Sequitur, propter vnius peccatū multi mortui ſunt. & inde cōcludit, ſicut per vnius delictū in omnes homines in cōdemnationē, ita per vnius iuſtitiā in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Et ſicut per inobedientiā vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obedientiā iuſti cōſtituentur multi. Quid poterat de peccato originali aperti⁹ dici, quod per vnum hominem irrupit in mundū, quū tamen inde omnes iuſtificentur per Chriſtum? Alibi teſtatur Apoſtolus nos omnes natura fuiſſe filios iræ. nemo autē in ira dei eſt, niſi propter peccatum. ¶ Ineptū admodū eſt, quod impoſtores illi perſuadere conantur ſimplicibus, ideo paruulos nō habere peccatum originale, quod eos dominus inde liberarit. Reſponſum iis volumus, quia ſicut Chriſtus paruulos liberauit à peccato originali, ita & omnes homines à peccatis redemit, quoniā pro omnium peccatis ſatisfecit: iuxta illud, Ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantum, ſed & pro peccatis totius mundi. ſicut autem non ideo non ſumus à peccatis immunes, quod inde nos liberauit dominus, quoniam adhuc peccatum manet, niſi mereri Chriſti per ſacraméta & opera bona efficiamur participes: ita peccatū originale eſt quidem ſublatum per Chriſtum, non quia non ſit, ſed quoniam meruit Chriſtus, & eius meriti virtute ſacramentū baptiſmi efficaciam habet delendi peccatum originale, vt ſic nō male remiſsio peccati baptiſmo tribuatur in ſacris literis: iuxta illud Pauli, Secundū ſuā miſericordiā ſaluos nos fecit per lauacrū regenerationis & renouationis ſpiritus ſancti, & in alio loco, Purgās eccleſiā lauacro aquæ in verbo vitæ. Ita habet profeſsio eccleſiaſtica in ſymbolo, Cōfiteor vnū baptiſma in remiſsionē pecca-

Rom. 3.

Rom. 5.

Ephe. 1.

1. Ioan. 2.

Tit. 3.

torũ. Hinc articulus ille de paruulis nõ natis in peccato originali, in concilio Mileuitano condemnatus grauissime est.

3 Simul atq; iam satis prosequuti sumus, quomodo semper paruuli baptizati sint in ecclesia, & quod illi baptismo multũ indigeãt, eo quod peccatũ habẽt originale, cuius gratia dãnati sunt & diuino destituti aspectu in perpetuũ: reliquum est docere baptismũ paruulorũ tum sacris literis, tum

Gen. 17. rationi esse consentaneũ, dixit enim dominus Abrahã, Hoc est pactum meũ quod obseruabitis in me & vos, infans octo

Paruulos baptizandos. dierũ circuncidetur in vobis. Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo, quia pactum meũ irritũ fecit. Ex hoc textu facilè licet vsum ecclesiæ cõfirmare, idq; in hunc modũ paruuli veteris legis capaces fuerũt pacti diuini, quid obstabit quo minꝰ & paruuli nouæ legis, legis gratiæ, capaces sint pacti & fœderis diuini, sicut & in veteri? Deinde licet infans veteris testamenti neq; credebat, neq; vsum rationis habebat, tamẽ si nõ circuncidebatur, delebatur memoria eius de populo. Quur nõ & anima paruuli iam non baptizati, deleretur de populo Christianoꝰ Constat insuper baptismũ in ecclesia successisse circuncisioni in synagoga, merito ergo paruulis dari debet iam baptismus, vt olim circuncisio. Miserabile alias esset, tot paruulorũ milia excluſa esse debere à catholica ecclesia. Aut qua temeritate licebit istis tot Christianorũ in-

Mat. 2. fantulos reiicere à gratia Christi & promissione, cũ tamen Christus ipse paruulus natus fuerit, & propter eũ paruuli

Ioan. 3. innocẽtes crudeliter occisi sint ab Herode? ¶ Porro dicit & dominus ipse ad Nicodemũ, Nisi qui renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nõ poteſt intrare in regnũ cœlorũ: ergo si ingredi volũt paruuli in regnũ dei, oportet eos baptizari, & sine baptismo nõ possunt intrare in cœlũ. Ecce quã vniuersale & cõmune sit legis huius præceptũ, vnius sacramenti omnibus cõmunis, in cõmuni elemento aquæ. Quod si non esset, deũ immortalẽ quã malè cũ paruulis ageretur? quantũ illi negligerẽtur, si diuersus peccati originalis malum, nullũ

Mat. 19. haberent institutũ remedium? ¶ Ad hæc dixit in euangelio dominꝰ, Sinite paruulos venire ad me, & nolite prohibere, talium est enim regnũ cœlorũ. Et quur tandẽ impedite conãtur Catabaptistæ paruulos, quo minus ad dominum perueniant? quur prohibent? quur arcent à sacramento baptismi,

cum

cum tamen Christus ipse amplexus paruulos benedixerit? Magnaq; & multa testatur miracula, quãto deꝰ amore prosequutus sit paruulos. ¶ Præterea promissio gratiæ Christi nõ tantum adultis, sed & paruulis facta est, sicut Petrus ait, *Act. 2.* Vobis est repromissio & filijs vestris & omnibus qui lõge sunt. Quod si repromissio etiam paruulorũ est, quur Catabaptistæ eos nõ sinunt ad repromissionem peruenire? quur inuident Christo gloriã & laudem ex infantibus, similes pharisęis, qui sustinere non poterãt Christũ à paruulis laudari in tẽplo, quibus obiecit dominus, An nõ legissent illud *Mat. 22.* in psalmis, Ex ore infantiũ & lactantiũ perfecisti laudẽ tuã *Psalm. 8.* propter inimicos tuos? Quur perpeti nolunt Catabaptistę, vt & paruuli perueniant in cœtũ ecclesiæ catholicæ, quum tamẽ propheta in veteri lege expresse eos cõuocarit in numero synagogæ, quoniã sic dicit Iohel, Canite tuba in Siõ, *Iohel. 1.* vlulate in mõte sancto meo, sanctificate ieiuniũ, vocate cœtum, congregate populũ, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos & fugentes vbera? Quur tu infelix Christiane paruulos excludere paras ab ecclesia, & ipsis fœdus Christiani pacti negare?

¶ Et vt aliquando finiamus, quãuis nusquam in Actis apostolorum legantur paruuli baptizati, tamẽ euidens ibi prę- *Act. 20.* sumptio est. nam quando in die pentecostes ad primum Petri sermonem baptizata sunt tria milia hominum, quis credat viros illos omnes fuisse, eo quod nõ fiat mentio mulierum? deinceps vbi de quinque milibus narrat historia, *Act. 4.* viros tantum commemorat, mulierum & paruulorum non meminit. An ne ideo neque mulieres sint neque paruuli baptizati? sine dubio viri se simul cum vxoribus & liberis baptizari permiserunt. nam si dicas paruulos non esse baptizatos, eo quod scriptum illud non sit, eadem ratione dixero & mulieres baptizatas non esse, quod earum in istis locis mentio nulla fiat. Ad hæc ipsi quoq; sine dubio murmurassent vetuli Iudæi, dicentes si baptizati non fuissent paruuli eorum. Ecce circuncisionẽ paruulorum à deo habemus, quod si ergo circuncisionem auersamini, age aliud saltem filijs nostris date signum fœderis, quod sane apostoli aliud à baptismo nec ostendere neq; conferre eis potuissent, quod circũcisioni succesisset, sicut in multis locis Paulus testatur. Aut quomodo tãdem respõdere voluissent il- *Col. 2.*

li parentibus, baptiſmum liberorũ ſuorum obnixe petentibus? ſane paſſuri nõ erant filios ſuos fœdere pacti diuini ca-
Gala.3. rere, aut potius eos circũcidi ſſent. ſic Paulus ait, omnes filij dei eſtis per fidẽ quæ eſt in Chriſto Ieſu. Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtũ induiſtis. ſed quid obſtat quur non & paruuli induant Chriſtum? Quod ſi ad figuras etiam reſpiciamus, vbi nam paruuli ſint in veteri teſtamẽto typice baptizati, videbimus etiã illos typice in veteri teſtamento eſſe baptizatos. quur itaq; non & in nouo baptizari
1.Co.10. debeãt in veritate? Id ita eſſe ſuffragatur nobis ſentẽtia Pau-
Exod.13. li, qui dicit, Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare trãſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari. Et inde, Hæc omnia in figura contingebant illis. Quod ſi rẽ geſtam inſpiciamus, ecce adulti, iuuenes & ſenes egreſsi ſunt, ſicut
Exo.16. dixit Moyſes ad Pharaonẽ, Cum paruulis noſtris & ſenioribus pergemus, cũ filijs & filiabus, cum ouibus & armẽtis. Ergo liberi & paruuli ſimul cum parentibus pertranſierũt mare, aut deportati ſunt per illud, ſicque typice baptizati
2.Pet.3. ſunt in nube & mari. Inſuper Petrus docet diluuium fuiſſe typum baptiſmi, fuerunt autẽ in diluuio iuuenes & ſenes, etiam paruuli, quur itaq; paruuli excludẽdi eſſent à baptiſmo? ¶ Magna quoq; eſt iniuria & cõtumelia in ſpiritũ ſanctum, hominem aliquẽ rebaptizari, eo quod hoc ſacramentum iterari nõ debet, ſicut & cõfirmatio & ordo. Ratio eſt,
Rebaptizari.
Tomo 1. quod in illis ſacramentis deo character imprimitur in animam fidelium, vnde cognoſcantur eſſe cõfœderati pacti diuini, ſicut alibi ex fundamẽto ſcripturarũ probauimus. cõtumelia eſt ergo ſpiritus ſancti in rebaptizato, dum qui denuo baptizatur, iã ante impreſſum ſibi habet ſignaculũ ſpi-
Hebr.6. ritũ. Et de rebaptizatione loquitur Paulus ad Hebræos, dicẽs, Impoſsibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiã donũ cœleſte, & participes facti ſunt ſpiritus ſancti, guſtauerunt nihilominum bonũ dei verbum, virtutesq; ſeculi vẽturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiã rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium dei & oſtentui habentes. non ſunt enim verba hæc intelligenda de pœnitentiæ ſacramẽto, ſicut in hoc errarunt Nouatiani, ſicut ex
Mat.18. iis verbis cõfirmat Ambroſius. Quilibet Chriſtianus ſcit ſibi deum remittere peccata, quotieſcunque venit pœnitentiam

tiam agens. vnde & interroganti Petro, ſeptiéſne deberet ille in die dimittere fratri, reſpondit dominus, Etiã ſeptuagies ſepties. Et ſic Paulus quum nõ prohibeat repetitionem pœnitentiæ, tantum vetat geminationem baptiſmi & eius quæ in baptiſmo eſt renouationis, eo quod impoſſibile ſit huiuſmodi homines renouari, neque aliud quã velle rurſus crucifigere filium dei & habere ludibrio. Et iis verbis Pauli clare ſequitur, alterum baptiſmũ nihil operari in anima baptizati, niſi quod ille grauiter peccat, eludens Chriſtum & amariſſimam eius paſſionem ac mortem. Huiuſmodi etiam homines, ſicut primo baptiſmo liberati & erepti ſunt ex poteſtate diaboli, factíque membra Chriſti, ita deinceps quia rebaptizati, cõtemnunt meritum Chriſti & virtutẽ ſpiritus ſancti in baptiſmo operantis, nihil faciunt. rurſus veniũt in poteſtatem diaboli, duriter obſtinãtur, penéque inſani reddũtur, ita vt temerarij in mortẽ irruant inſtar animalium brutorum. Quur id? inquies, quoniam virtus baptiſmi, imò & ipſa efficacia paſſionis Chriſti in eis perdita eſt, iámque prævalet in eis inſidiator generis humani, excæcans eos & furioſos efficiens, vt ignorent tandẽ quid agant, quídve dicant. quod & ipſi fatentur, ſi quando per gratiã dei redeant ad cognitionem peccati. Atq; hæc cauſa eſt, quur vitã ſuam adeo nihil faciunt, immemores ſui liberorũmque ſuorum. hoc enim & eo amplius quiddã poteſt diabolus, qui idololatras in tantum furorem cõuertit, vt proprios ſuos liberos ſacrificarẽt dæmoniis & igni abſumerent, ſicut teſtatur etiã Iudæos hoc feciſſe Dauid, quũ ait, Immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis, & effuderũt ſanguinem innocentẽ, ſanguinem filiorũ ſuorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerũt ſculptilibus Chanaan. Quæ inſania nónne ab omni humanitate alieniſſima eſt, vltro proprios comburere liberos, cum interim bruta animalia vitam ſuam pro fœtu proleſque impendãt? & cum hoc facile poſſit diabolus, quomodo nequeat & Catabaptiſtas gratia baptiſmi priuatos eo modo obſidere valide, ita indurare, vt temerarie ignis flammas intrent, nihil diuerſi à furioſis? Dominus deus illos omnes illuminet, quatenus gratiam & prærogatiuam baptiſmi rurſus conſequantur, ſicque cum iis, qui ex aqua & ſpiritu renati ſunt, intrare poſſint in regnum cœlorum. quod omnibus nobis concedat Chriſtus dominus noſter, Amen.

Inſaniare baptizatorum.

Deut. 12.

Pſal. 105.

HOMILIA TERTIA, CONTRA *hæresim Parabaptistarum.*

¶ Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c. Ioan. 3.

De consec. distin. 4. rebaptizare Leo cũ itaque eadem distin.

INIQVVM est, paruulo ex Christianis parentibus nato, phibere baptismũ: sed Christianũ adultum denuo baptizare, immanissimũ scelus est, vt ait Augustinus. vsqueadeo rebaptizato, maximi peccati loco habita semper est, sicut & Leo ante mille annos & vltra scripsit. Scimus inexpiabile esse facinus, quoties iuxta hæreticorũ dogmata, contra sanctorũ patrũ instituta, cogitur aliquis lauacrũ quod regenerandis semel tributũ est, bis subire, apostolica reclamãte sententia, quæ nobis prædicat vnam in trinitate deitatẽ, vnam in fide confessionem & vnum in baptismate sacramentũ. Vnde & in hæc tempora vsque, magna & grauis instituta est pœna rebaptizatoribus in iure canonico: quo sic cautũ est, vt episcopi & presbyteri qui se denuo baptizari permisissent, per omnẽ vitam à suo suspenderentur officio: deinde sacramentum eucharistiæ vt laici sub vnica tantũ specie sumerent. Laici autẽ & reliqui homines prophani, si bis ignoranter baptizati sunt. nõ indigent pro eo pœnitere, nisi quod secundum canones ordinari nõ possunt qui autẽ non ignari iterum baptizati sunt, quia quasi iterũ crucifixerunt Christum, per septem annos pœniteant, quarta & sexta feria & tres quadragesimas ieiunent. Neq; verò illud canibus tantũ & ciuilibus legibus est sancitũ, sicuti peculiaris extat in codice titulus, ne sacrũ baptisma reiteretur, vbi Imperatores Valentinianus, Gratianus & Valens sic statuerunt. Eorũ condemnamus errorem, qui apostolorum præcepta calcantes Christiani nominis sacramenta sortitas alio rursus baptismate non purificant, sed incestant, lauacri nomine polluentes, Imperator etiam Honorius sic decreuit, quoniã si quis rebaptizare quempiã de ministris catholicæ sectæ fuerit detectus, vna cum eo quod piaculare crimen commisit, & hic cui persuasum sit, vltimo supplicio percellatur vltimo supplicio, Glossa habet, quod mortem interpretamur. ff. de pœn. l. vltimum. Sunt quidam qui dum inepte defendunt parabaptistas, magistratus seculares incusant iniquitatis, quod illos morte afficiunt. vnde & volunt extremum supplicium non esse mortem, quasi sit

C. eos quos eadem distin. c. quibus.

C. ne. sacr. bap. reit.

alia

alia pœna vlterior mortéque inferior. Quodcunque ergo defensores isti Catabaptistarum dederint supplicium inferius morte, extremum dici non poterit. siquidé affligi semper adhuc magis possent in morte. Hæc non eo dico, quasi tanta mihi sit humani sanguinis sitis, vt voluptatem capiam ex miseranda deploratorum hominum cæde, quos quis non mallet cõuersos saluari? sed ideo tantum cõmemorauimus, vt sic in magistratu seculare positi, habeãt in quo saluent & *Rom.13.* expurgent conscientiam suam, neque seipsos aggrauent ex cuiuscunque rudis & imperiti hominis sermonibus ineptis. siquidem qui princeps est, non frustra gladiũ portat, sed in vindictam malorum. Ita censent decernendum Theodosius *Lib.hi.c.* etiam & Valentinianus & Archanius, Sanctũ baptisma in- *de apo.* honorãtibus, nullo remedio pœnitentiæ quæ solet aliis criminibus adesse, succurritur. Vnde colligere quilibet facile potest, nouum nõ esse, Catabaptistas à magistratibus dignis suppliciis tractari, quando illud imperatores ante mille annos in suis legibus statuerunt, quanuis isti nostrorum temporum Catabaptistæ antiquos illos malitia & peruersitate multis modis superent, ppter alios multos horribiliores errores & blasphemias, quibus irretiti sunt aduersus sacramẽta, cõtra missam, ipsamq; Mariam matré dei, aduersus cõfes- *C. ostendi-* sionem & omnia opera bona. E quibus nos nunc parabaptis- *mus.c.* mum tantũ confutabimus, qui semper adeo exorsus fuit ec- *Roma.1.* clesiæ, vt cõstitutum sit aliquẽ denuo baptizari nõ debere, *c.à quodã* etiãsi ab hæretico, Iudæo aut Gẽtili baptizatus antea fuisset, *de conse.* dummodo ibi legitima obseruata esset forma ecclesiæ. sicq; *distin.* in multis cõciliis decretum, sanctisque patribus est placitũ, paruulos baptizari debere sub amissione & priuatione salutis æternæ, quoniam ad eos pertingit illa sententia Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, &c. Aue Maria.

¶ Cuilibet Christiano satis hoc esse debet, vt credat firmiter, baptismum illum quem in infantia susceperit, sufficere sibi: ac neutiquam persuadeatur, aliũ de integro suscipere baptismum, non tam ipsi quidem baptismo quam spiritui sancto in calumniã & cõtumeliam, quoniã quum Paulus Liddam cum tota familia baptizauit, quis nõ credat tunc etiam paruulos esse baptizatos & mulieres? similiter quãdo idẽ to *Actu.16.* tam familiam Stephanæ baptizauit. Et quid tandẽ miseri- *1.Cor.1.* cordem & benignissimũ Christũ impediat, quo minus nunc *Deut.7.*

quoque paruulos ſuſcipiat, qui iam olim eos in veteri teſtamento benedixit? ſic enim ait, Si poſtq̃ audieris hæc iudicia, cuſtodieris ea & feceris, cuſtodiet & dominus deus tuus pactum tibi & miſericordiã, quam iurauit patribus tuis, & diliget te ac multiplicabit, benedicétq; fructui ventris tui. Quod ſi iã deus benedixit filiis Iudæorũ, quur non & Chriſtianorũ liberos benedictiõe dignaretur gratiaq̃, baptiſmi, ſicut ſuperiori homilia confirmauimus? Vnicũ reſtat adhuc, vt falſas eorũ perſuaſiones & vaniſſima fundamẽta declinemus, oſtendamus etiã vbi ſacris literis abutantur, & earum verum intellectum eos doceamus. ¶ Principio fortiter in hoc pedem figunt, quod baptizãdus nemo ſit niſi ſit ſecundum legem & præceptũ dei. Iam vero mãdauit dominꝰ ipſeque adeo Chriſtꝰ ſic dixit diſcipulis, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine patris & filij & ſpiritꝰ ſancti. Hic admodũ contendũt parabaptiſtæ & clamitant, neminẽ eſſe baptizandũ, niſi prius doceatur & credat. Confirmant hoc ex euãgelio Marci, quũ dicit dominus, Euntes in mundum vniuerſum, prędicate euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui autẽ nõ crediderit, cõdemnabitur. Adducũt ad illud etiam id quod Petrus dixit, pœnitentiã agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrũ in nomine Ieſu, vbi pœnitẽtia prędmittitur ante baptiſmum, quæ tamen in paruulis eſſe non poteſt. ¶ Reſponſio, Verba Chriſti vtique cõcedimus quoniam vera ſunt, ſicut ibi leguntur ad literam. ſiquidem ibi cõmiſit dominus apoſtolis euangelium prędicare per vniuerſum mundum, & fideles baptizare. Vera hæc omnia, ſed quod tu infers, neminem baptizari debere niſi ei antea prædicetur, & ipſe credat, hoc ſane ſomniũ & cõmentum tuũ eſt, nec aliquod habet in ſacris literis fundamentum. nam dum illud coacte ex hoc textu colligis, erras turpiter & peruertis quod violandũ non erat. (eſt mera hæc fallacia conſequentis, quum à negatione antecedentis, infertur negatio cõſequentis.) Sane debebant apoſtoli & docere & baptizare credentes. ſed in negando ſic procedendũ non eſt, vt dicas, ergo qui non docetur baptizari nõ debet. fallax hæc cõſequentia eſt, ſpeciem tantum habens bonitatis, quũ bona non ſit, vt pueri docentur in ſcholis. Vis exemplũ ſimile? bona hæc eſt conſequen-

Mat. vlt.

Mar. 6.

tia,

tia, ſi dico, Homo eſt, igitur intellectuale eſt. Cũ negatione non bene ſequetur, Homo nõ eſt, ergo intellectuale nõ eſt. nam & angelus quũ homo non ſit, rationẽ tamẽ habet. & ſic conſequens poteſt ſubſiſtere ſine antecedente, & baptiſmus in paruulis eſſe poteſt, in quibus neq; doctrina, nec fides ꝓpria præcedit. 2 Quod ſi parabaptiſtæ, vt ſunt pertinaces, in hoc pſeuerare conẽtur, ſententiã Chriſti fuiſſe, ſicuti & fuit doctrinã apoſtolorũ debere præcedere baptiſmũ, & id nos recipimus iuxta cõmiſſionis modũ, & ſicut tunc erãt res fidei, quia tunc oportebat doctrinã præcedere baptiſmũ adultorum ſimul & paruulorũ, adultorum quidẽ, quia niſi edocti prius fuiſſent, baptiſmũ nunquã ſuſcepiſſent: paruulorum autem, quoniã niſi antea parentes cognouiſſent vtilitatem baptiſmi, neque liberos ſuos baptizari permiſiſſent. ¶ Hic itaq; textus nihil aliud probat, niſi oportere doctrinam præire baptiſmũ, quod & verũ eſt. ſed quod nobis Catabaptiſtæ illud nominis coarctãt, aſtringentes & paruulos ad doctrinam hæc ſane ſententia Chriſti non eſt, ſed ſufficit in adultis præmitti doctrinam, ſicuti doctrina & lex Abrahæ data ſatis erat, qui deinceps circuncidit filiũ ſuum Iſaac, ignarum quid ageret vel operaretur circunciſio ſed de hoc paulò pòſt dicemus, quomodo fides parentũ ſufficiat etiam liberis. Argumentũ hoc Catabaptiſtarum neochriſtiani diſſoluere conantur per hoc, quod etiam doctrina ſequatur baptiſmũ, frigide nimis & inepte: nã & Catabaptiſtæ, & neochriſtiani & nos catholici omnes fatemur, vltra doctrinam etiam ſequi baptiſmũ, atque in eum vſum prædicatores & alij præfecti ſunt inſtituti. hoc docere debeant illi, quomodo doctrina præcedat baptiſmũ, ſicut iam explicauimus de adultis. 3 Ad hæc, oportet hic parabaptiſtas collatiõe ſcripturarũ adhibita, videre quænã præcipua cuiuſque ſit ſententia. Nos ergo ſi recte aſpiciamus hunc textũ, videbimus non hanc capitalem ſupremãmque fuiſſe intentionem, quinam baptizentur, & qui nõ, ſed illam, quod hic prædicandi officium apoſtolis iniunctum eſt. qui fidem per vniuerſum mundum in omnibus gentibus plãtarent, & hinc baptizandi munus velut appendicis loco iniungitur. qui prædicationem illam & fidem ſuſcipiebat, is etiã baptizabatur. Nihil hic de baptiſmo peculiare poſitum eſt præter formam, quæ erat, vt baptizarẽt in nomine patris & filij & ſpiritꝰ ſancti.

Lutherani male ſolũt rationẽ Anabaptiſtarũ

Cui autem neceſſarius ſit baptiſmus, Chriſtus hoc loco non docuit. quod inde colligimus, quia ſequitur, Qui nō crediderit, condēnabitur. nō enim dicit, Qui nō baptizatus fuerit, ſicut illud pulchre expendit Bernardus. Cæterùm ſi conſiderare velimus ſacramenti huius neceſſitatē, & quibus conducat, inueniemus illud in Ioanne, quū dicit dominus, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit in regnum cœlorū. Generalis eſt hæc loquutio, vt inquit Auguſtinus, omnes homines tangit, ſenes & iuuenes, etiam infantes. ergo ſi ad regnū cœlorū peruenire volent, oportet eos baptizari. 4 Auguſtinus etiam ait, quod circūſtantiæ illuminēt ſcripturæ ſenſum, & illæ igitur hic pōderatæ ſi fuerit, vbi demandauit dominus legem euangelicam prædicari debere, vel hæc ſola circūſtantia docet de adultis hic agi, & præceptum hoc ad paruulos nihil pertinere, vt ſic de illis ex hoc loco neque affirmatiue neque negatiue colligi quicquā poſſit, quanuis ſequitur quod credentibus adultis & baptizatis, baptizati ſint etiā paruuli, quod tamen ex illo textu minime, ſed ex Ioannis tertio elicitur. Vnde iam ex iis omnibus conſtat, neochriſtianos ex hoc cō textu nihil omnino poſſe aduerſus eccleſiā catholicam ſuſtinere. quod Lutherani pōderant verbū, omnes gētes, nihil probāt cōtra catabaptiſtas. quia non cōprehendit pueros, dicerent ipſi, quia ex textu euincitur quod loquatur de gētibus docēdis, ſed paruuli non docentur. Et ſic apparet etiam reſponſio ad locum Petri, qui quū ſenioribus loquebatur, interrogantibus eum quid facere deberent, vbi ſtatim ſubiunxit ille de pœnitētia agenda, quod vtiq; ad paruulos nihil pertinet, quāuis citra dubium parentes baptizati, ſuos etiā liberos deinde permiſerint baptizari, quomodo Auguſtinus ait baptiſmū paruulorum nos habere ab ipſis iam inde temporibus apoſtolorū, & ſubſcribit Dionyſius. 2 Deinde Catabaptiſtæ ſimplicibus ingerunt & obtrudūt exemplū Chriſti, quoniā ille non paruulus, ſed trigeſimum iam agens annum, ſic baptizatus. Iam verò aiunt, conſtat omnem Chriſti actionē noſtrā eſſe inſtructionem. ſicut ergo Chriſtus ipſe paruulus baptizatus non eſt, ita paruulum nullum baptizauit, ſed neque ipſe nec apoſtoli illud facere vſpiam cōmiſerunt. cōcedimus ſane Chriſtum anno demum trigeſimo eſſe baptizatū, quanuis Auguſtinus & Chryſoſtomus putant eum illam ætatem

Bernard.
Ioan. 3.
Auguſti.
Libro 83. quæſt.
Mala ſolutio Lutheranorum.
Actu. 2.
Auguſti.
Dionyſius
Luc. 3.
Gregor.
Chryſoſt.

iam

iam exceſsiſſe, in quo non laboramus. ſed vt occurramus Ca
tabaptiſtæ, dicimus primo, quod ſi omnes circunſtantiæ bap-
tiſmatis Chriſti deberent examinari & obſeruari, non ba- *Matth. 3.*
ptizaremur baptiſmo euangelico, ſed tantũ baptiſmo Ioan-
nis, quoniam in illo baptizatus eſt Chriſtus, ſecundum com
munem doctorum ſentẽtiam, ſicut & hiſtoria ipſa pulchre
conſonat. (niſi quod hic Damaſcenus eſt ſingularis.)

2 Deinde ſequeretur neminem baptizari debere, niſi qui
annorum 30. eſſet, quod ipſi etiam Catabaptiſtæ nõ obſer-
uant, quos vellem ego audire hic, quur tandẽ illã Chriſti æ-
tatem præmunirent. ¶ Ad hæc, ſi omnes vellent baptiſma- *Luc. 3.*
tis Chriſti ſeruare circunſtantias, oportet eos tantum in Ior
dane baptizari, aut ad minimum in alio flumine.

4 Vt maxime Chriſtus in pueritia baptizatus non ſit, ta- *Luc. 2.*
men tunc quoq; aliud ſignũ fœderis diuini ſuſcepit circũci-
ſionem. ergo ex ipſo facto Chriſti colligitur, non decere vt
paruuli ſint ſine ſigno fœderis. 5 Præterea rationes ſub-
ſunt prægnantes & euidentes, quod Chriſtus tandiu expe-
ctauit. nanq; & eo ipſo quod nec legẽ euangelicã pronũcia-
uit, neq; diſcipulos elegit, niſi prius baptizaretur, docere vo
luit baptiſmũ ianuã & ingreſſum eſſe omniũ ſacramentorũ.
Vt iam non poſsit inde aliqua etiã cauillatio duci aduerſus
baptiſmũ paruulorũ. 6 Super hæc eſt etiã illud parabapti
ſtarum contra omnem rationem. quomodo enim baptizari
potuiſſet etiã Chriſtus in pueritia, quũ adhuc neque baptiſ- *Luc. 1.*
ma aliquod nec vllus erat baptiſta? Et adhuc oportebat Ioã
nem ante eũ præire vt in natiuitate, ſic & in baptiſmate &
in prædicatione & morte, ipſe autẽ interea legẽ impleuit.

7 Ad extremum, non habent iſti aliquod à Chriſto præ-
ceptum. ille enim quanuis multa de baptiſmo dixerit, nun-
quam tamen docuit ea baptizandum ætate, qua fuerat ip-
ſe baptizatus: vel, vt ea forma & modo quo baptizatus e-
rat à Ioãne, vterentur & alij. nullum iſtorum præcepit vn-
quam. Itaque omne iſtud quod hic moliũtur Catabaptiſtæ,
nihil agit, nihil concludit, inſuper & inſtabile eſt atq; infir-
mum, quando cõſideranda non eſt ætas ipſa legiſlatoris. Ec
ce enim Abraham iam centenarius circũciſus eſt, an ne ideo
Iudæi omnes in circuncidendo illam expectarint ætatem?
quotuſquiſq; ex eis fuiſſet circunciſus, decreſcente tandem
& imminuta longeuitate? Cæterum, quum ait Chriſtũ non

præcepisse paruulos baptizari, vicissim mihi responde, vbi tandem peculiariter commiserit mulieres baptizari debere, quoniam in vniuersum de omnibus loquutus est, viris, mulieribus, senibus, paruulis & iuuenibus. An non generalis ista loquutio est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnũ cœlorum? Ecce quia neminẽ excludit, ergo præceptũ hoc etiam paruulos includit sub amissione salutis æternæ. De apostolis iam supra dictum est,
Act. 2. quod quando Petrus tria aut quinque milia baptizauit, pie credendum est, mulieres etiã & paruulos in tanta multitudine fuisse baptizatos. vnde & Lucas ait, appositæ sunt in die illa animæ circiter tria milia non meminit virorũ aut mulierum, nec paruulorũ neq; senũ, nisi quod deinceps viros cõ-
Act. 4. memorat, dicens, Factus est numerus virorum quinq; milia. Atqui ea est scripturæ consuetudo, vt viri tantum, non etiã mulieres connumerentur, sicuti tũc quando dominus in deserto pauit magnam hominum multitudinem, dicit Ioãnes,
Ioan. 6. Discubuerunt viri numero quasi quinque milia, qui mos etiam in veteri testamento semper est obseruatus.

3 Plurimum se effecturos hoc argumento putant aduersarij, quod pueri non credant: non oporteat autem baptizari aliquem qui non credat, iuxta illud verbũ domini, Qui cre-
Mar. 16. diderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Nihil faciunt isti, quod patrini loco infantis profiteantur se credere. dicunt enim, Si pro se loquitur patrinus, forsitan verũ est quod credat. sed quid hoc paruulo ꝓderit? sin ille pro infantulo hoc
Vide ad longum Tom. 4. de sacra. De baptismo. Augusti. dicit, verum non dicit, quoniã paruulus non credit. Respondetur, paruulos ante baptismum non credere nisi per patrinos, veruntamen illi per baptismum in virtute spiritus sancti simul cum gratia suscipiunt fidem, vt porro sint fideles. id antea ex Dionysio confirmauimus, & testatur idem August. dicens quia nulla pars repromittitur paruulis sine baptismo: quoniam si paruuli per sacramentum à deo institutum numero fidelium non ascribuntur, remanẽt vtiq; tenebris. suffragatur & illud quod habet in libr. 1. de meritis & remissione peccatorum. c. 25. quod per sacramentũ baptismatis in paruulis fieri nõ dubitat mater ecclesia, quæ cor ma-
Rom. 10. ternum eis præstat, vt sacris mysteriis imbuantur, quia non possunt corde proprio credere ad iustitiã, nec ore proprio cõfiteri ad salutẽ, nec ideo tamen eos quisquã fideliũ fideles

appellare

appellare cunctatur, quod à credēdo vtiq; nomē eſt, quanuis hoc non ipſi, ſed alij pro eis inter ſacramēta reſponderint. confirmat idem de baptiſ. lib. 4. c. 24. Atq; hoc ita eſſe ex ſacris literis corroborabimus, quoniam ſignū fœderis circuncīſio, in veteri teſtamento paruulū in ſynagoga addebat numero fidelium. ſic Iſaac circunciſus acceſsit catalogo credentium. alias quid profuiſſet circunciſio? aut quur inſtituta eſſet à deo? ſi ergo paruuli illi fideles fuerunt per circunciſionem, quur non multo magis fideles nunc fierent per ſacramentū baptiſmi? ¶ Verū tergiuerſari hic non poteſt Catabaptiſta, quin paruuli placeāt deo. oportet, igitur habeāt fidē, quia ſine illa impoſsibile eſt placere deo, vt inquit Paulus. Audio ſane, hoc quæris, quomodo fidē habeant paruuli. Ecce diſces & illud ex nobis, quoniā nō habent fidem acquiſitam, ſed à deo infuſam, vnde & donū dei eſt. ſic enim Apoſtolus eam connumerat in donis ſpiritus, quum ait, Vnicuiq; datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, alij quidē datur fides in eodem ſpiritu. & alibi, Ex gratia ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, quia donū dei eſt. Vides ergo doctores diſſerētes de fide infuſa, habere eius rei fundamentum in ſacris literis. quoniā ſi Chriſtus Ioannē ſanctificauit adhuc in vtero matris, & viſitāte Maria cognatā ſuam Elizabeth, exultauit infans cū gaudio in vtero matris, quur non etiam Chriſtus in baptiſmo dona conferret paruulis? profecto nanq; paruulus baptizatus, Chriſtianus & fidelis eſt, membrū Chriſti & eccleſię. Quod autem contendit aduerſarius fidē patrini nihil prodeſſe paruulo, ipſumq; pro eo vere dicere non poſſe quia credat. Reſpondetur, eo ipſo apparere quod Catabaptiſtæ nō conſiderent immēſam dei miſericordiā. ſiquidem quū certum ſit paruulos peccatum originale ex aliena primi parētis voluntate cōtraxiſſe, quoniam in ipſo omnes peccauerunt, quur non debeāt gratiam rurſus & veniam mereri itidē aliena voluntate? an nō deus ad miſerendū propenſior eſt, quam ad iraſcendū & puniendum? Vere ille diues in miſericordia, miſericors inquam & miſerator dominus, propitius erga omnes, quia miſericordia eius ſuper omnia opera eius. Quod ſi hic quoq; ſcriptu ræ requiris teſtimoniū, ecce in euangelio Marci offerētibus 4. viris paralyticum domino curandū, reſpexit ille fidē eorum. Vbi Auguſt. ait, Intuendū ſane quantū valeat propria

Auguſti.
Cen. 17.
Pueri credunt.
Heb. 11.
1. Cor. 12.
Ephe. 2.
Luc. 1.
Rom. 5.
Ephe. 1.
Pſal. 144
Mar. 2.
Mat. 9.
Auguſti.

cuiusq; fides apud deū, vbi tantū voluit aliena. Super hac re multa diximus Tom. 2. ¶ Hoc tamē etiā hic admonēdi mihi sunt catholici, q̄ paruuli baptismus fundatus non est super fidē patrinorū, siquidē si vel patrinus nullus adesset, aut qui adesset, fidē rectā non haberet, imo Turca aut Ethnicus esset, adhuc tamen paruulus gratiā baptismi acquireret, eo q̄ in fide baptizatur ecclesię, quę semper integra est, deoq; bene placita, vt ait Augustꝰ. De fide aliena potes inducere illud, quod mater orauit pro filia sua, Cēturio pro puero, Regulꝰ pro filio, & pater ille pro filio suo à dæmonio obsesso. ¶ Iam ne igitur satis cōstat, quam inique Catabaptistę paruulos baptismo despolient, baptizatos fide priuent? vnde quid aliud nisi perpetua sequatur dānatio? quoniā qui non credit, iuxta verbū Christi, condēnabitur. Proh deū immortalē quanta vesania est, tot paruulorū milia defraudare velle ecclesiastica cōmunione, imò & ipsam ecclesiam sanctam tot centenis annis despoliare sacramēto baptismi, ita vt nemo vnquam recte & legitime baptizatus sit, nisi forte vetulus aliquis Iudæus tempore baptismi Ioannis? Quid igitur est, si hæc non blasphemia est, Christū tantopere dilectissimā suā sponsam ecclesiā dereliquisse, neq; interea Christianum vllū fuisse, nisi quū iam isti nescio qui Terræ filij, rebaptizationis authores, ex Cimmeriis tenebris progressi, suā perfidiā disseminarent? Quis vnquā crederet talia? quis non potius persuasum haberet, homines istos impurissimos errare vt qui maxime? O secula, ô mores, ô miseriam tēporis huius, ô deplorata hominū pectora, ô errores inuolutos & inter se dissidēres, vbi pro suo quisq; animo, imo & somnio, effingit quicquid libet. Erroris huius author hoc tēpore primus fuit Balthasarus Hyebmayer Fridburgē. qui primo statim limine, vt in porta canterio, à se ipse discordauit, secūq; dissensit ipse solus aliquādo enim dixit paruulos peccatum mortale nō habere cū Pelagianis, & ideo saluari. deinde opinatus est regnū cœlorū esse paruulorum: ad extremū, priusquam cōbureretur Viennæ anno saluatoris 1528. totus in errore demersus, noluit etiā confiteri de paruulis quicquā, an saluarentur aut condēnarentur, ideoq; & diuinæ tum misericordiæ tū omnipotentiæ credidit esse relinquendū. Antea reuocauerat semel errorē hunc catabaptismi totū, idq; Turegi, sed perfidus omniū hæreticorū more factus, resiliit ab instituto.

Mat. 2. *Luc. 5.* *Ioan. 4.* *Mar. 9.* *Marc. 16.* *Baltha.*

inſtituto. ¶ Et vt aliquando ad calcē perueniam, quū tam miſericors iam olim fuerit dominꝰ in veteri teſtaméto paruulis, vt nō permiſerit eos vltra octiduū in vinculis peccati originalis, quur tandē nunc in tēpore gratiæ eos in peccato illo parentali derelinquat vſq; ad annum decimū aut vigeſimum, vel vltra, quum tamen iā venerit plenitudo temporis, quo miſit deus filiū ſuum factū ex muliere: qui & in hūc mundum ideo venit, vt oēs homines ſaluos faceret, quiſque ſuo ſanguine totius mūdi abluit peccata? Quid quod impia iſta rebaptizādi cōſuetudo cōtra deum eſt, cōtra ſcripturas ſacras & cōtra eccleſiam, quæ ideo ante mille annos & ante Pelagiū condēnauit, cōtra quem S. Hieronymus & Auguſtinus ſcripſerunt, deinde etiā in quinta ſynodo Conſtantinopolitana, multisq; alijs locis ſemper ſunt Catabaptiſtæ condēnati, puta Senerus quidā Antiochenus cū æquali ſuo Petro monachus etiā quidā ex Syria, Zoara dictus. Authymus quoq; cū omnibus ſequacibꝰ ſuis, ſub plurimis imperatoribus, & tādē imperante Juſtiniano. ſiquidē illa blaſphemia eſt, & inſignis quædā cōtumelia in ſpiritum ſanctū, ſemel baptizatū denuo rebaptizari, ſicut multis iā ſupra confirmauimus: quoniā baptiſmus nos dirigit ad mortē domini. vnde & Paulꝰ cōſepultos ait nos cū domino per baptiſmum. Ideoq; etiā Damaſcenus inquit, Sicut ſemel mortuus eſt Chriſtus & amplius nō moritur, ita ſemel & non ſæpius baptizandus eſt homo. Quicunq; enim ſemel recte baptizati ſunt in cōfeſsione Trinitatis, Chriſtū rurſus crucifigūt, dum denuo ſe baptizari permittūt, & quantum in ipſis eſt, cōtumelia afficiunt, virtutē & meritū paſsionis mortisq; Chriſti. Nos itaq; dominū ſuppliciter deprecemur, vt Catabaptiſtas, omneſq; aberrātes à via veritatis, illuminare dignetur lumine gratiæ ſuæ, aliisq; viā veritatis ingredi étibus vitā cōcedat æternā, qui ipſe eſt via, veritas & vita, Amen.

Galat. 4.
Phili. 4.
Rom. 5.
Damaſc.
Rom. 8.

HOMILIA IIII. DE VIRTVTE ET operatione miraculorum.

SIMVL atque dominus noſter Ieſus Chriſtus iamiam aſcenſurus in cœlum, diſcipulis ſuis commiſiſſet prædicare euangelium omni creaturæ, pro quo munere neochriſtianorum prædicatores aliud nil agūt, niſi quod in ſuggeſtis ſuis eccleſiā totam, eiꝰ magiſtratus & cōſuetudines, &

quicquid in ea est calumniantur. Præterea formam eos iam docuerat baptismi in nomine patris & filij & spiritꝰ sancti, ad extremum signa commemorat, quę operaturi erant fideles, dicens, Signa eos qui crediderint, hæc sequętur, &c. Miracula illa ideo hic dominus commōstrauit, vt in iis doctrina sua euangelica & fides commendarętur: iuxta istud Pauli, In nos illa confirmata est, cōtestante deo signis & portētis & variis virtutibus. sic nō semel Christus Iudæos doctrinæ suæ credere nolentes, relegauit ad opera, vt quum dixit, Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite. Et alibi ait ad apostolos, Alioquin propter opera ipsa credite. Iudæos quoq; incusat, dicens, Si opera in eis non feciſſem quę nemo alius fecit, peccatum non haberēt. Hęc omnia eis etiā dicere potest dominus, qui apostolis non crediderunt & posteris eorū, quicunque miracula sequentia aut aliqua eis fecerunt. Quintuplicia autem signa enumerat hic Christus, quæ fideles sui erant operaturi. Primū, In nomine meo dæmonia eiiciēt. sæpius hoc fecerunt tum apostoli, tum & alij quidam sancti, sicut Paulus malignum spiritū eiecit ex puella in ciuitate Philippis, & aliquanto magis in Ephesō, Neq; temere hoc miraculum primo loco proposuit hic dominus. primum enim oportet virtutem & potētiam diaboli expelli in hoc, vt homo fidē susćipere possit, à diabolo nihil impeditus: quoniam hostis iste malignus, præsentiam Christi in corde hominis sustinere non potest, quod & signatum est, quando clamarunt dęmonia per obsessos, Tu es Christus filius dei. Morem hunc religiosē obseruat ecclesia, dum ante baptismum exorcismis vtitur, quibus expellitur ab homine diabolus, quando presbyter sufflās in faciem paruuli, dicit, Exi immunde sathan ab hac imagine dei, da gloriam deo viuenti & vero, da gloriam Iesu Christo filio eius, & spiritui sancto. ¶ Alterum miraculum quod facturos fideles prædicit dominus, est hoc, Quia linguis loquentur nouis. id sane ipsum omnes fecerūt apostoli primo statim die Pentecostes sicut refert Lucas, quoniam impleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui linguis nouis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. hoc etiam donum spiritus sancti, inter cætera Paulus enumerat. Et ipse quoque variis linguis loquebatur. Præuidit insuper hoc ipsum propheta, dicēs, Dominus

Heb. 2.
Ioan. 10.
Ioan. 14. & 15.
Miracula
Act. 6. & 19.
Act. 2.
1. Cor. 12. & 14.
Esa. 50.

minus dedit mihi linguã eruditam, vt sciam sustẽtare eum, qui lapsus est, verbo. 2 Triplicia adhuc miracula recenset dominus quorum vnum est, quod & serpentes tollent. factumq; hoc est, quo ad literam, in S. Paulo in insula Mitylene, quando vipera manui eius adhærerat, quã ille abiecit in ignẽ, quumq; expectarẽt omnes quando ipse inflatus intumesceret, nihil mali hinc accidit ei, atque inde habitus est pro deo. Ita Philippus draconem abegit. S. Simon & Iudas similiter. Iacobus etiam dracones, quos aduersus eũ immiserat Hermogenes magus, depulit. Sanctus Magnus draconem quoq; ad fauces alpium Iuliarum in montanis profligauit. Insuper cum insula Tiberij, quæ modo Angia maior dicitur, ita scateret animalib⁹ venenosis, vt nemo ibi habitare posset. S. Priminius quando in eum locum secessit, ex vno latere cœnobium fundaturus, ex alia parte vermes & serpentes omnes abierunt. Extantq; eius rei historiæ verissimæ multæ in vitis sanctorũ. Quartũ miraculum, Si mortiferum quid hiberint, non eis nocebit. Hoc secundum literã impletum est in S. Ioãne, Georgio, & alijs quibus ex veneno etiam nil mali euenit. Theophylactus inquit, Sæpe hæc facta sunt, vt in historijs inuenimus, multi enim & venenũ bibentes, per signaculum crucis illęsi conseruati sunt. S. Benedictus quum ei quidam fratres sui maligni venenum infudissent in vitrum, vbi primum fecit ille crucem super id, dissiliit vitrum. Refert & Gregorius in dialogo, archidiaconum quẽdam sancto suo præsuli Sabino præparasse venenum, vt vel sic ei mortuo ipse succederet in episcopatũ. quod quum in spiritu cognouisset Sabinus, dixit, Ego quidem venenum bibo, sed tu non fies episcopus, statimque eo bibente venenum, mortuus est archidiaconus, suo exemplo probans quam verum sit illud. Non est lex æquior vlla,

Act. 28.

Theop.

Lib. 2. cap. 3.

Lib. 3. cap. 5.

Quam necis artifices arte perire sua.

Signum quintum, Manus suas ponẽt super infirmos, & bene habebũt. fecit hoc ad literã Petrus, qui apprehenso claudo manu sua leuauit eũ & sanauit. Sic ille & Thabithã erexit manu sua, eamq; restituit sanctis viduis. Abũdant istiusmodi miraculis Acta apostolorum, & omnes omnium sanctorum historiæ, quomodo illi infirmos curarint nõ solum impositione manuum, sed & vmbræ & vestitum contactu.

Act. 2. 9.

3 Quærit hic Gregorius, Nunquid nam fratres mei, *Gregor.*

quia ista signa non facitis, minime creditis, eo quod ait dominus ea fideles consequutura? Respondet ille, quoniã hæc in exordio ecclesiæ fuerunt. vt enim fides cresceret, miraculis fuit nutrienda. & nos quũ arbusta plantamus, tã diu eis aquam fundimus, quousq; ea in terra iam cõualuisse videa-
1. Cor. 14. mus. at si semel radicé fixerit, irrigatio cessabit. Hinc Paulus ait, Linguas signa esse non fidelibus, sed infidelibus. Hoc idem subtilius adhuc postea explicat Gregorius, & post eũ
Beda. Beda, inquiẽs, Sãcta ecclesia quotidie spiritaliter facit, quod tunc per apostolos corporaliter faciebat. nam sacerdotes eius qui per gratiã exorcismi manũ credentibus imponũt, & habitare malignos spiritus in eorũ mente cõtradicunt. quid aliud faciunt, nisi dæmonia eiiciunt? Et fideles quique qui iam veteris vitę secularia verba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, cõditoris sui laudes & potentium quantum prçualent narrãt, quid aliud faciũt nisi linguis loquuntur nouis? Qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de
Iob 26. alienis cordibus auferunt, serpẽtes tollunt dicente Iob, Spiritu eius ornauit cœlos, & obstetricãte manu eius, eductus est coluber tortuosus. Sic spiritualiter bibunt venenum qui infecta cõsilia suscipiunt, & perfidas exhortationes audiũt, neque tamen eo falso maloque attrahuntur assensu. tunc enim venenum eis non nocet. Quid quod nonnulli sancti viri aliorum hominum in se suscipiũt peccata per compas-
Ambro. sionem, vt sanentur illi? Ita de D. Ambrosio refert Paulinus, Quotiescunque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, vt & illum flere compelleret. Hoc idem in spiritu commemorauit Esaias, Super foramina aspidis delectabitur infans ab vbere, & in cauerna reguli qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt & non occident in vniuerso monte sancto meo, quia repleta est terra scientia domini. Ecce quod vere
Num. 21. solidi & constantes Christiani auelli se nõ sinunt à veritate, quantumuis multa præ oculis habeant exempla mala. Sicut enim serpentes illi nocere non poterant eis, qui oculos suos leuabant ad istum æreum: ita qui animũ suum erigunt ad Christum in cruce pendentem, à serpentibus malorum exemplorum & peccatorum non offenduntur, ideoque &
Act. 10. Petrus audiuit etiam de animalibus immũdis sibi dici, Occide & manduca. Manus autem spiritualiter imponunt su-

per

per infirmos, quotiescunq; vident aliquem primorum suorum ægrotum fieri in operibus bonis. tunc eni meum confortant bonorum operum exemplis, robur addunt etiam corripiendo & exhortãdo tantisper dum sanent eum. Tandem sanctus Gregorius spiritualia hæc opera laudãs, sic ait, *Grego.* Hæc miracula tanto maiora sunt, quanto spiritualia: tanto maiora, sunt quãto per hæc nõ corpora, sed animæ suscitãtur. Nam corporalia illa miracula ostendunt aliquãdo sanctitatem, non faciunt. Hæc vero spiritalia quæ aguntur in *Mat. 7.* mente, virtutem vitæ non ostendunt, sed faciunt. Siquidem ex illis Christi verbis, Multi dicent ad me, domine, in nomine tuo prophetauimus, constat signat corporalia etiam à malis fieri, quanuis & hic dominus proprie de corporalibus agit miraculis, sicut à principio exposuit.

4 Hoc etiã licet hic videre, quomodo Christus nunc re- *Miracu-*
nouet eis illud quod post cœnã promiserit ipsis, dicens, A- *la.*
men amẽ dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio *Ioan. 14.*
& ipse faciet. At hæc prædixerat idem spiritus sanctus per
prophetã, sicut Petr⁹ inducit, In diebus illis effundã de spi- *Ioel 2.*
ritu meo super omnem carnem, & prophetabũt filij vestri *Act. 2.*
& filiæ vestræ. Et inde, Sed & super seruos meos & ancillas
in diebus illis effundam spiritum meũ, & dabo prodigia in
cœlo & in terra. Sed quũ hic & apud Ioannẽ dominus prædicat eos etiã qui crediturí sunt, signa hæc facturos, quæri
solet, an ad hoc fides necessario requiratur formata charita- *Augusti.*
te diuina, quoniam iam ante ex Gregorio, audiuimus etiam *lib. 10. &*
malos miracula operari. Respondetur sane loqui hic domi- *21. ciui.*
num de fide bene formata, & per charitatẽ operante. per eã
enim ijs qui mirabilia operatur, habitat in homine. Et vt *Mat. 7.*
maxime mali etiã faciãt miracula, vt Iudas fecit, & illi quo- *Act. 19.*
que filij de quib⁹ habetur in Actis, tamẽ nõ faciunt per spiritũ inhabitantẽ, sed illũ qui est in ecclesia, ex cui⁹ sanctimonia illi huiusmodi miracula operantur, fidemq́ue in ecclesia
restaurãt aut cõseruant. Extra fidẽ nanq;, authore Augusti- *Augusti.*
no, deus nõ facit miracula. Et ideo nullus vnquã hæreticus
miracula operatus est. atq; vt maxime multũ glorietur Lutherus de Luciferiana superbia, qđ & miracula facere posset, tamẽ nec ipse nec aliquis Lutheranorũ inuẽtus est, qui
vel claudũ, vt ille ait, equũ sanasset. Quod aũt Antichristus
facturus est miracula, & fecerũt iã olim malefici Pharaonis

ea nō vera ſunt miracula, ſed (vt Paulus ait) tantū ſigna &
Exod. 7. prodigia mendacia, impoſturæ ſenſuū. Vide Tomo ſecūdo
2. Theſ. 2. plura. Neq; enī magi Pharaonis, Auguſtino teſte, vera fe-
Auguſt. cerunt miracula, ſed ſolum præſtigia, reſiſtentes ſic veritati
2. Tim. 3. Moyſis, vt Iannes & Mambres. ¶ Quod porro ad ipſa mi-
racula in ſe attinet, dicendum aliquid eſt? & primū. non fie-
ri ea niſi ordinatione diuinæ ſapientiæ, quæ ſic ea diſponit
& ordinat in ædificationē fidei, vel ad arguēdā alicuius ſan-
Mat. 8. ctimoniam, ſiue ob conſolationē fideliū, ſicut Chriſtus ſo-
crum Petri febricitantem aliquādiu curauit, ſicut etiā nunc
multis in ſuis morbis & periculis deus auxiliatur per inter-
ceſsionem ſanctorum ſuorū. Atq; ex hoc fundamento ratio
ſumitur, quare tandem iam nō adeo multa fiant miracula,
quoniā non ſolū ob infidelitatē hoc fieri certū eſt, alias nunc
vel maximè miraculis opus foret, tot vndiq́ue erroribus &
hæreſibus emergentibus, quanuis nōnulla etiam noſtra me-
moria ſint facta, ſicut cōtigit cum M. Georgio Forchemio
Erdifurdiæ, & Magiſtro Ioāne Hupſchenauuer in Vuinſ-
haim, & cū eo qui Sacramētū dehoneſtauit in Aldtorff El-
ſatię, vt interim taceā reliqua. Vorùm hęc neochriſtiani ce-
lant & occultāt vt Iudæi reſurrectionē Chriſti. ſed neque
Chriſtus ſemper & paſsim operatus eſt miracula, ſicut ipſe
Luca 4. dixit in Nazareth, Multi leproſi erant in Iſraël ſub Eliſæo
propheta, & nemo eorum mūdatus eſt niſi Naamā Syrus.
Quando igitur iam hactenus fides eccleſiæ per miracula ſa-
tis eſt confirmata, ſimiliter & ipſa Chriſti diuinitas, & di-
gnitas Mariæ atq; excellens aliorum ſanctorum gloria, am-
plius iam opus non eſt plura fieri miracula, niſi forte ob fi-
duciā Chriſtianorū, qui ſpem ſuā inaduerſis ſuis ad deum
Mar. 16. haberent, vel in aliquo ſancto reponerent. ¶ Poſt hanc
Mat. 28. prædicandi baptizandiq́; commiſsionem, & miraculorum
Act. 1. conſolationem, ſequitur, Dominus quidem Ieſus poſtquā
Ioan. 21. loquutus eſt eis, aſſumptꝰ eſt in cœlū, & ſedet à dextris dei,
vbi non illa tantum verba quæ hic Marcus habet, ſed iſta
etiam quæ Matthæus & Lucas cōmemorant, ponderanda
ſunt, præterea quæ etiā ſine dubio plurima ſcripta nō ſunt.
¶ Quod autē Chriſtus in cœlum aſſumptus eſt, habuit fi-
guras aliquot præmiſſas in Enoch & Elia, qui dominicam
aſcenſionem repræſentarūt, & tamen figura multo inferior
Gregor. eſt veritate. principio enim Elias in cœlum, vt ait Grego-

rius,

rius, aërium ſubleuatus eſt, vt in ſecretam quandã terræ regionem repente duceretur, vbi in magna eius carnis & ſpiritus quiete viueret, quouſq; ad finẽ mundi redeat, & mortis debitum ſoluat. ille enim mortem diſtulit, nõ euaſit. Redemptor autẽ noſter quia quũ diſtulit ſuperauit, eámq; reſurgendo cõſumpſit, & reſurrectionis ſuæ gloriã aſcendendo declarauit. Itẽ Elias curru igneo vectus & aſſumptꝰ eſt, Chriſtus autẽ ꝓpria virtute exaltatus eſt ſuper omnia. Præterea Enoch ante legem, in lege autẽ Elias ſublatus eſt, vſquedum noui teſtamenti & legis euangelicæ lator exaltatus aſcẽderet ſuper omnes cœlos. Et quod habetur in ſymbolo, Sedet ad dexterã patris, intelligendum eſt de æterna Chriſti requie quo ad humanitatẽ in cœlis, ſimúlq; ſignificat æqualitatem regendi cũ deo patre ſecundũ humanitatem. neque enim intelligẽdũ hoc ita eſt, quaſi deus pater à ſiniſtra, & filius ſedeat ad dextrã, ſed hæc ipſa ſeſſio habitationẽ ſignat, & poteſtatẽ quã Chriſtus accepit. ¶ Sequitur: illi autem ꝓfecti, non vtique iam ſtatim, ſed in die diuiſionis apoſtolorũ qui eſt 15. Iulij, quinto enim Maij die Chriſtꝰ aſcendit in cœlũ, & 11. eiuſdẽ miſſus eſt ſpiritus ſanctꝰ in diſcipulos, ac deinde poſt menſes duos & aliquot diuiſi ſunt apoſtoli per orbẽ vniuerſum, prædicarúntq; iuxta mandatũ domini, qui & cooperatus eſt eis, ſicuti prædixerat, quia ſine me nihil poteſtis facere. Et fatetur idẽ propheta, Omnia opera noſtra in nobis operatꝰ es domine. Quo reſpexit & Paulus, quũ ait, Non audeo aliquid loqui eorũ quæ per me nõ efficit Chriſtus eõfirmauit inſuper dominus ſermonem eorum ſequentibus ſignis: & hoc eſt quod aſcenſurus in cœlũ promiſerat eis, quia ſigna eos qui crediderint, hæc ſequentur, & antea poſt cœnã, Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora iis faciet. Voluit etiã ꝓ hoc euãgeliſta tacite incuſare eos, qui nõ crediderũt prædicationi apoſtolorum, quã tamen deus ſignis & miraculis cõfirmauit: iuxta illud Pauli, Quomodo nos effugiemꝰ, ſi tantã neglexerimus ſalutem? quæ quũ initium accepiſſet enarrari per dominũ, ab eis qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante deo ſignis & portẽtis, & variis virtutibꝰ & ſpiritus ſancti diſtributionibus ſecundum ſuam volũtatem. Sic nimirum dominus iratus eſt & ſuccenſuit Iudæis, qui recuſabãt credere ſignis & miraculis, dicens ad Moyſen, Vſquequo detrahet

4. Reg. 1.

Auguſt.

Ioan. 15.

Eſa. 26.

Rom. 15.

Ioan. 14.

Hebr. 2.

Num. 14.

mihi populus iſte? quouſque non credent mihi in omnibus ſignis quæ fecit coram eis? Feriam igitur eos peſtilentia atque conſumam. Pij autem & boni crediderunt vtique ſermoni apoſtolorū vnde & poterant dicere cum Dauide, Mirabilia opera tua domine, & anima mea cognoſcet nimis. Idem & nos facere cōuenit, qui vt maxime miracula illa nō viderimus, credere tamen firmiter debemus, Chriſtum hoc modo vniuerſum mundū perduxiſſe ad fidem euangelicam per immenſa miracula, vt ſic apoſtoli dum nouam prædicarent doctrinā, noua etiā opera facerent. Et quāuis Chriſtus magnū illud miraculū ipſe operatus eſt, quod in ꝓprio corpore aſcendit in cœlū: quod ſi tamē, ait Auguſt. per apoſtolos Chriſti reſurrectionē & aſcenſionē prædicantes miracula facta eſſe nō credunt, hoc vnū nobis grande miraculū ſufficit, quod ea terrarum orbis ſine vllis miraculis credit, & ca. 8. Quiſquis, inquit, adhuc ꝓdigia vt credat inquirit, magnum eſt ipſe prodigiū, qui mundo credente ipſe non credit, At nos collaudemus deum in operibus ſuis, &c.

Lib. 22. de ciuit. dei. cap. 5.

HOMILIA QVINTA, DE HISTORIA ſanctiſſimæ diei aſcenſionis Chriſti domini noſtri.

Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram dei patris omnipotentis.

¶ Articulus fidei & ſymboli apoſtolici, appoſitus (vt antiqui nobis tradiderunt) per Iacobum minorem, fratrem domini, nepotem Mariæ ex Maria Cleophæ.

CHRISTVS Ieſus dominus noſter, per magnum glorioſæ aſcenſionis gaudium, miſeris nobis hominibus cōcedere dignetur diuinam ſuam pacem, gratiam & benedictionem, deinde quicquid ad æternam vitam nobis cōducibile eſt. hoc quicūque cupiunt, ex toto corde dicāt, Amen amen, fiat fiat. ¶ Verba quæ initio propoſuimus, dilectiſſimi, ex ſymbolo ſunt deſumpta, quod Hieronymo & Auguſtino, atteſtantibus, ab ipſis apoſtolis accepimus, ſuper iis patienter nos audite quæſo. Quū iam dominus opus redemptionis cōſummaſſet, reliquū erat vt ille reſurrectionis ſuæ veritatē multis cōfirmaret argumentis, quibus infidelitatem ex cordibus apoſtolorum auferret, dubitationem quoq; credituris in eum omnibus tolleret, quoniā plurimum conducebat id ita fieri tum apoſtolis, tum nobis, tum vniuerſæ eccleſiæ

Actu. 1.

cleſiæ. Vt ergo diſtulerit dominus venire ad locum gloriæ, ipſam tamen gloriam nõ diſtulit. ſiquidem iam beatus erat corpore ſimul & animo vſque in hodiernum diem, quando demum impleuit quod apoſtolis promiſerat poſt cœnam, dicens, Vado parare vobis locum, locum gaudiorum, locum fœlicitatis æternæ. Quum iam patres eduxiſſet dominus de limbo, eóſque ad 40. dies vſque in corporali paradiſo (vt pie credunt doctores) cuſtodiſſet, vbi expectarũt illi aſcenſionem Chriſti domini capitiſque ſui, qui hodie in medio eorum, atque adeo in conſpectu Mariæ virginis, apoſtolorum, multorúmque aliorum diſcipulorum aſſumptus eſt in cœlum, ſicque ianuas eius reſerauit, quæ iam tunc amplius quinque milibus annorum fuerant occluſæ, iuxta verbum ſymboli vnde exorſi ſumus, Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram dei patris, &c. Aue Maria. *Ioan. 14.*

Euangelium Marci 16. vt ſupra.

NE ingratus vobis videar ob prolixitatem fere omnib⁹ odioſam, breuiter ipſam aggrediemur rerum hodie geſtarum narrationem. Primum ergo hodie mane apparuit Chriſtus diſcipulis ſuis in cœnaculo, vbi antea cœnatus fuerat cũ eis, ibi exprobrauit ipſis incredulitatem & duritiam cordis, inſuper manducauit cum eis. fuerunt hic cum vndecim apoſtolis, & Maria mater eius cum aliis mulieribus, & 72. diſcipulis, quibus ille aſcenſionẽ ſuam prænũciauit. & quia locum eis præparaturus eſſet, iuſſit eos manere in Hieruſalem, donec induerentur virtute ex alto, deinde exire præcepit eos in montem Oliueti, vbi coram oculis eorũ eleuatus in cœlum eſſet aſſumendus. Hinc apoſtoli coniunctim cum omnibus per modum proceſſionis egreſſi, per ciuitatem Hieruſalem peruenerunt ad mõtem Oliueti ſupra vallem Ioſaphat. Vbi iterũ apparuit eis dominus circa meridiẽ, ipſoſque amice & humaniter cõpellauit, cõſolans eos & promittens ſpiritũ ſanctum. Ambroſius exiſtimat illum etiam dediſſe eis oſculum pacis, atque ſic cum benedictione eleuatis ſurſum manibus, verſa facie ad ortum ſolis, teſte Damaſceno, paulatimque à terra ſublatũ ſeſe in altum ſuſtuliſſe, præmiſſa ſalutatione, vt Cyprian⁹ putat, huiuſmodi, Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrũ, deum meũ & deum veſtrum. Videntes hoc apoſtoli & alij diſcipuli, clamauerũt *Actu. 1.* *Luc. 24.* *Damaſ.* *Cypria.*

post eum, Domine noster, deus noster, ne derelinquas nos. dominus ergo terra relicta, impressit tamen ei vestigia pedū suorum, quæ etiam nūc virentia mōstrari solent à fratribus.

Paulinus. Et de iis sic scribit Paulinus Epist. 11. ad Seuerum. Mirum quod in basilica ascensionis locus ille ita sacratus diuinis vestigiis dicitur, vt nunquam tegi marmore receperit, semper excussis, solo respuente, quæ manus adornādi studio tentauit apponere. Itaq; in toto basilicæ spatio, solū in sui cespitis specie virens permanet, & impressam diuinorū pedū venerationem, calcati deo puleris, perspicua simul & attigua

Actu. 1. venerantibus arma cōseruat, vt vere dicere possimus, Adorauimus vbi steterunt pedes eius. Quúmq; sic eleuatus esset

Ioan. 1. dominus in sublimem aëra, suscepit eum & circundedit nubes lucida. decuit enim vt authore Ambrosio) Christū non nisi clara & lucida nubes ambiret, non opaca, non obscura, quia tenebræ eum non cōprehenderunt. verum nubes hæc vtiq; apprehendit Christū, quæ & testimoniū ei perhibuit. Et sicut in transfiguratione domini vox in nube audita est,

Matt. 17. Hic est filius meus dilectus, ipsum audite: hinc Ambrosius

Ambros. nubem nō suscepisse Christū, sed patrem suscepisse filium suum in vmbra nubis, vt declararet quod vulnera corporis sui refrigeratione quadā fouere vellet. Quum ergo nubes eum suscepisset, ita vt illū discipuli amplius videre nō possent, & tamen ex dilectione cū admiratione cōiuncta intentis in cœlū oculis astarēt omnes, ecce apparuerūt angeli duo

Actu. 1. albis vestiti, qui & dixerūt ad eos, Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cœlū? hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlū, sic veniet quemadmodū vidistis eum euntem in cœlū. Post hęc rursus regressi sunt apostoli cū Maria & aliis per modū processionis in Hierusalē. Eam processionem ait

Luc. 24. magister in historia scholastica, etiā nunc representari singulis diebus dominicis, quando exire solemus templū sicuti apostolis exierunt extra Hierusalē. hodierna autē processio in ecclesia peculiariter designat illum egressum apostolorū, quando exierūt in Bethania, sicuti & responsorium ad illud cō mode quadrat. 2 Nunc igitur paulatim videamus quā

Ascensio Christi. gloriosa omniq; gaudio plenissima fuerit hæc ascēsio, quoniam nō temere dixit Dauid instinctu spiritus sancti, Ascendit deus in iubilo, & dominus in voce tubæ. psallite deo nostro, psallite: psallite regi nostro, psallite. Ac primū, magnū

fuit

fuit vtique gaudiũ animæ Christi. nam etsi à principio creationis suæ beata extitit, non omnes tamen beatitudinis dotes habuit vsque ad mortem, quando demum tota beata facta est. corpusq; quatuor beatitudinis dotibus donatũ. Et quod ille propria sua virtute non vlla aliena ope, vt Elias, nec alicuius hominis vel cuiuscũq; creaturæ ministerio fretus ascẽderit, testatur Psaltes qui hoc ita fore in spiritu prẽuidit, dicens, Exaltare domine in virtute tua, cantabimus & psallemus virtutes tuas. *Psal. 20.* Et alibi, Eleuata est magnificentia tua domine super cœlos. Fuit igitur hic peculiaris honor & dignitas humanitatis Christi, quod ea tãto spatio à terris in cœlũ tam exiguo tẽporis spatio sit eleuata, vt admiratus merito idipsum Sapiens, dixerit, Ecce iste venit saliens in montibus. *Cant. 2.* Greg. quoq; ait, Vultis ipsos eius saltus agnoscere: de cœlo venit in vterum, de vtero in præsepe, de præsepi venit in crucem, de cruce venit in sepulchrũ, de sepulcro rediit in cœlum. *Grego.* Hoc etiã recolẽs ecclesia, sic canit hodie, Saltum de cœlo dedit in virginalem vterũ, inde in pelagus secuti, &c. *In seq.* Deniq; saltũ dedit hodie maximũ, nubes poloq; cursu præpeti transuolans. Et ideo Bernard. inquit, Solennitas *Bernard.* isti, fratres charissimi, gloriosa est. consummatio enim & *sermo. 2.* adimpletio est reliquarũ festiuitatũ, & fœlix clausula totius itinerarij filij dei. Quatuor nanq; Christi itinera ille cõmemorat. Primũ de cœlo, pœnale: secundum in limbũ, triumphale: tertium in mundũ, honorificum: quartũ rursus in cœlum, quod & fuit omni gaudio plenũ. Sic festiuitas hæc totius vitæ & omniũ actorũ Christi cõclusio est. ideo enim homo factus est, ideo triginta tribus annis laborauit in terris, ideo mortuus est, vt nobis cœli portas aperiret, vt humanitatem exaltaret super omnes choros angelorũ, sicut Dauid vidit in spiritu, Ascẽdit super Cherubin, volauit supra pennas ventorũ. *Psal. 17.* Posset hic oriri quæstio, quomodo tandem hodie portas cœli aperuerit dominus, qui eas tamẽ reseraſſe creditur in cruce die parasceues morte sua, iuxta illud prophetæ, Ero mors tua ô mors. Respondetur, verum quidem *Oseæ 13.* hoc esse quod dominus passione sua & morte emeruit resurrectionem cœli, quam tamen hodie ascendens deniq; cõsumauit ipse & impleuit, non secus atq; vbi quis hereditatem aut bonũ aliud coemerit, habere iam dicitur ius illius, & tamen postea tandem possessor illius constituitur. (notanter

dicunt doctores, Christus in morte aperuit cœlũ meritorie, & in ascensione executiue.) Quod autẽ exaltatio hęc Christo magno fuerit tum honori tum gaudio, testatur etiã Paulus inquiens, Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autẽ crucis. Propter quod & deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua cõfiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Hinc & gaudio magno plenus Dauid ex spiritu sancto, clamauit, Nimis
Psal. 96. eleuatus es domine super oẽs cœlos. Possem & hic referre Mariæ gaudiũ, quod etiã in reliquis septem connumeratur, & habuit illud cõcepitque ex gloriosa hac Christi ascensione. similiter & de gaudio apostolorum, qui si antea gauisi sunt, quod dominũ vidissent post resurrectionem, quanto maiori gaudio perfusi iam sunt, conspicati eũ exaltari super excelsa cœlorũ? Volens etiam superfedeo dicere, quantum inde terroris cõceperint dæmones contristatique sint, dum viderunt humanam naturam eleuari in cœlos, vnde ipsi extrusi deciderant propter peccatũ, in quibus sic impletum est
Esa. 15. illud Esaiæ, Super hoc expediti Moab vlulabunt, anima eius vlulabit sibi. Sed iam ad gaudia patrum digrediamur.

4 Sane magno gaudio fuit hodierna dies, & adhuc est omnibus patribus iam inde ab Adã vsq; ad Christum, è quibus nullus adhuc in cœlũ peruenerat etiam postquã ex limbo fuerãt liberati & adducti in cœlum, quũ antea tanto tem
Psal. 67. pore in limbo fuissent detenti, quod etiã agnouit Dauid, di
Ephe. 4. cens, Ascendit in altum, captiuã duxit captiuitatẽ. Sed quis est qui satis cõtemplari valeat, quãta iubilatione & lætitia, quãto gaudio affecti fuerint patres omnes, Adã, Noe, Abraham, Moyses, Dauid, Ioseph Christi nutritius, ipsęque eius præcursor Ioãnes, & omnes tũ patriarchæ tum ꝓphetæ? Nã cum nos alicuius vnius diem festum & solẽnem cum gaudio celebramus, qui assumptus sit in cœlũ, quanto magis gaudere nos oportet hodierna die, qua tot centena milia simul cũ
Augusti. capite Christo ascenderũt in cœlum? Beatus Augustinus in quadem homilia putat nonnullos sanctos corpore & anima assumptos esse in cœlum, sic vt quorũ corpora sub mortem
Matt. 27. Christi apertis monumentis resurrexerunt deinde cum domino, cum eodem quoque ascenderint in cœlum. Meminit

huius

huius ſententiæ beatus Hieronymus, & ait Dauidem quoque vnum ex eis fuiſſe quamobrem deinde Petrus de eo loquens, dicit, Sepulchrum eius apud nos eſt vſque in hodiernum diem, quaſi nō auderet dicere quod in eo corpus quoque ipſius eſſet. Gaudium hoc alienum non fuit ab iis, qui ex purgatorio ſunt liberati, neque illi tantum, ſed & iſti qui iam inde à die reſurrectionis dominicæ, vſque in hūc diem in purgatorium venerunt, nam & ij amici Chriſti ſunt facti, & dilectionem dei habuerunt, iiſdem de cauſis quas in die paſchæ adduximus. Nunc oremus &c. *Hieron.*

HOMILIA VI.

Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram dei patris omnipotentis. Ex ſymbolo.

GLORIOSA & benedicta anima Chriſti plurimū gauiſa eſt, quod intrare iā deberet in locum gloriæ ſuæ. Multum gaudium habuit & Maria videns ſuam carnem & ſanguinem filiū ſuum dulciſsimum aſcendere in cœlum. Neq; parū inde ſolatij conceperunt apoſtoli & patres ſancti, atq; ij quidem eo magis, quod ipſi etiam cum iubilo, & exultantes aſcenderunt in cœlū vna cum Chriſto, quod ipſum multis iam tot milibus annorū exoptarant & expectarant. Iam vero non minus gaudium fuit & inter angelos, congaudentes cum ſuo capite & domino Ieſu Chriſto. ¶ Illorū enim tantam conſtat fuiſſe lætitiam & exultationem, vt non incō mode poſsit feſtum hoc dici omnium angelorū. Quoniam quum tertia angelorum pars lapſa fuerit in ruinam, ſicut vidit Ioannes. & ait draconem ſecum traxiſſe tertiam partem ſtellarum, vnde & ordines illi atque loci multis annorū milibus deſerti & vacui permanſerant, hodierno die primum cœperunt reſtaurari, quando aſcēdens cum patribus dominus, eos in ruinas implendas ſubſtituit, iuxta illud Dauidicum. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas. Quod ſi autē teſtante in euangelio domino, magnum eſt gaudium angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ineffabile gaudium & inexplicabilis lætitia fuerit hic angelorū ſuper tot milibus hominū cum Chriſto aſcendētium in cœlū? Vtiq; hic angeli qui ſinguli ſingulis illis deputati fuerant in hac vita cuſtodiendis, ſuos exceperunt & ſalutarunt. vnde tanta in cœlis iubilatio & lætitia tanta orta eſt, quāta nulla *Prouer. 12* *Pſal. 109.* *Luc. 15.*

in mundo neq; fuit, neq; futura est vnquã. Quid quod Hie-
Hieron. rony. putat hodie plane euacuatum esse cœlum, descenden-
tibus angelis in occursum Christo? quãuis enim doctores in
vniuersum asserunt geminos esse in cœlo angelos, assistẽtes
alios semper in conspectu dei, alios spiritus administrato-
rios, qui in hunc mũdum pro variis officiis, alij ad priuatos
homines, alij ad gentes, populos & principes transmittun-
tur, sicut de iis plura in festo S. Michaelis dici consueuere.
Acceperunt autem & collegerunt doctores illud angelorũ
Dan. 7. discrimen ex isto Danielis, Mille milia ministrabant ei, &
decies centena milia assistebant ei. quanuis ergo inquam su-
premi angeli semper fere in cœlo manentes, non soleant e-
mitti, hodie tamen omnes occurrerunt domino. quãobrem
Psal. 103. & hodierno die ecclesia hunc Psalmistæ versum decantant,
Qui ponis nubem ascẽsum tuum, & ambulas super pennas
vẽtorum. Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos
flammam vrentem. siue, vt habet Targum, volantem.

2 Vidit & Esaias illud in spiritu iam olim, quomodo an-
geli summa admiratione ducti occurrerint domino. & quã-
Dionys. de cœl. hier. cap. 7. uis illas quæ apud Esaiam sunt, interrogationes Dionysius
putat à supremis angelis esse factas, qui huiusmodi ab infe-
rioribus inquisierint, tanquam ab iis qui in mundo conuer-
sari soleãt, iamque experti erant quid de Christo actum es-
Hieron. set: diuersum tamen sentit Hieronymus, putans inferiores
angelos hoc ipsum interrogasse superiores, tãquam eos qui
illorum quæ in sanctæ trinitatis concilio acta conclusaque
essent, exactiorem haberent notitiam. Quicquid tamẽ illud
est, nobis sufficit illud angelos sese mutuo iisse verbis de
Christi ascensione interrogasse. Equidem tamẽ si alterutri
accedendũ esset, mallẽ subscribere Dionysio: qui, quia Pau-
li discipulus fuit, hæc & huiusmodi plura mysteria discere
facile potuerit. Sed nos ipsum audiamus prophetã, voce an-
Esa. 63. gelica resonantem. Quis est iste qui venit de Edon, tinctis
vestibus, de Bozra, iste formosus in stola sua, gradiẽs in mul
titudine fortitudinis suæ? Hoc illi vtique præ magna dixe-
runt admiratione, quando viderunt Christum dominũ cum
tanta gloria & maiestate ascendere in cœlum. Norãt enim
vtique quomodo Enoch & Elias sublati essent, ministerio
vsi angelico. verum ille propria veniebat fructus virtute, &
suapte fortitudine ad potentia ascendens in cœlum. siqui-
dem

dem vicerat mundum, diabolum debellarat, confregerat limbum, mortem deſtruxerat, vitam reuocarat, paradiſum meruerat, nunćque erat etiam cœlos aperturus, quando tanta patrum multitudine & comitatu aſſumpto cum immenſa gloria properabat ad cœlum, vt merito mirarentur angeli, dicentes, Quis eſt iſte qui venit de Edom? Quibus reſpondet Chriſtus & ait, Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum. Vere ille iuſtitiam noui teſtamenti loquutus eſt, ante quē peccatis ſubditi omnes fuerant. ¶ Hinc amplius interrogant angeli, Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta ſicut calcantium in torculari? Indumētum hoc erat corporis ſui, in quo cicatrices fuerūt vulnerū. admirati ergo hic ſunt angeli diuinæ ſapientiæ conſilium, quod deus mundum vnigeniti ſui morte redimere voluiſſet, Rurſus reſpondet dominus, Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non fuit vir mecum. nullus mecū apoſtolus, diſcipulus nullus mortuus eſt, imo & à me profugerunt omnes, quanuis ad pœnitētiæ regreſſum conſeruabantur, iuxta illud, Ex iis quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Ideo ille paſſus eſt ſolus, vt vni ei gratias ageremus tanquam redēptori noſtro. Atq; in hunc modum angeli omne gaudium & lætitiam venienti domino exhibuerunt. planećque ſicut in hoc mundo temporaliter fieri ſolet, vt nobiles & ſtemmatibus illuſtres regem aduenientem honorificentiſsime excipiāt, ita hic angeli regem ſuum magno cum triumpho comitātes deduxerunt in gloriam cœleſtem. Neque tamen hic ſimpliciores cogitare debent, angelos, dum hic à nobis dicuntur domino ſuo miniſtraſſe, ipſum ducendo adiuuiſſe, quum ille propria virtute aſcenderit, quod iam ſæpe commemorauimus, ſed ita tamen angeli inſeruierunt ei in hoc itinere, honorē exhibendo & reuerentiam. ſiquidem, vt ait Sapiens, In multitudine populi dignitas regis. Id omne præuidit in ſpiritu Dauid, quum dicit, Canite deo, pſalmum dicite nomini eius, facite illi iter qui aſcendit ſuper occidentem, dominus nomē illi. Qui educit vinctos in fortitudine, (ecce patres ex limbo erepts) ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris. dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Currus (qui Hebræo aſcēſus eſt) dei decem milibus multiplex, milia lætantium, dominus in eis, in Sinai, in ſancto

Eſa. 63.

Ioan. 17.

Prou. 14.

Pſal. 67.

(Hebraice legitur angelorum, quanuis id nos in Latino nõ habeamus, propter æquiuocationem dictionis רבבתים tamẽ Targum etiam legit angelorum, duo milia angelorum ducũt illos.) Quibus sane verbis exprimere voluit Dauid multitudinem angelorum Christo in sua ascensione seruientiũ, & deinde ait, Psallite deo, qui ascẽdit super cœlum cœli ad orientem. sunt ibi plures alij versus, qui omnes possent ad longum recenseri, quum multum faciant ad hanc Christi ascensionem. 2 Adhuc vnus supereſt versus, nõ postremus
Psal. 67. in eodem Psalmo, quem iam adduximus, Ascendisti in altũ, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Paulus
Ephe. 1. inquit, Dedisti dona hominibus, vbi ille verba Dauidis exposuit. quoniam post commemoratam multitudinem angelorum, qui cum Christo ascenderunt, multo vtique plures
Gen. 32. quam apparuerint angeli Iacob, qui tamẽ totum exercitum angelorum vidit, plures insuper quam fuerint in monte Sinai, vbi data est lex. & Moyses ait, Dominus de Sina venit,
Deut. 33. apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum multa milia. Infert Dauid, quod etiam dona acceperit Christus, non sane quo ad personam suam, quando ipse iam antea à principio omnes thesauros sapientiæ & scientiæ dei in se habuit reconditos, sed alij boni homines qui superstites erant, vt apostoli, illi nimirum dona acceperunt. quod clarius exprimere volens Apostolus, ait, Dedit dona hominibus. siquidẽ ille post clarificationem suam fidelibus dona largiter distribuit. Hinc ait Ioannes, Spiritus nondum erat datus, quia
Ioan. 7. Christus nondum erat clarificatus, quod demũ in ascẽsione sua factum est. Quilibet hic homo vasa cordis sui solicite præparet, vt & dona quæ Christus post ascensionem suam distribuit, percipere mereatur, ipseq; post Christum ascendere possit, sicut cuiuscunque hominis animus institutus esse debet, vel ad illam quotidianam exhortationem ecclesię. Sursum corda, Quisque etiam roget dominum, vt hanc sibi gratiam donet, quatenus possit tanto mentis ardore Christum sequi, simulque clamare cum sponsa, Trahe me post te, curremus in odore vnguentorum tuorum. Tunc autem nos ad ascẽsionem præparabimus, non sicut homines leues dicunt, Eia cœlos ille iam adiit, non videt nos amplius, opera nostra non considerat, infernum ille subegit, & similia: sed quando nos cũ timore dei præparamus, animosque nostros

ſtros & corda dilectione dei & proximi accendimus: quia tantum homo ad cœlos aſcédit, quantū diligit: & ſicut corpus ratione grauitatis mouetur, ita ſpiritus reſpectu charitatis. Hic eſt quod Elias curru vectus igneo aſſumptus eſt in cœlum, vt inde diſcerent omnes qui aditum ſibi parare volunt in cœlū, currū ſibi prius cōficere igneū dilectionis dei & proximi. Atq; nō diſsimile eſt quod ſpiritus ſanctus miſſus eſt in linguis igneis, quē & nos quotidie ſic inuocamus. Reple tuorū corda fideliū, & tui amoris in eis ignem accende, O vere felicē hominē, quiſquis ſic exadeſcens in charitate, poſt deum velut extra ſe raptus erumpit, ſicut mater ſancti Auguſtini ſuſcepto ſacramento tam diuina & ſublimia recogitabat myſteria, vt exclamaret, Volemus in cœlum. 4. Reg. 2. Act. 2.

4 Extat & in ſymbolo fidei noſtræ articulus, ad hodiernam pertinens feſtiuitatē, alter poſt aſcenſionem, de qua ſatis multa diximus, Sedet ad dexterā dei patris omnipotētis. Chriſtus, vt verus dei filius, in ſinu patris ſui eſt per generationem æternam: & tamen ſimul eſt ad dexteram dei patris: cui æqualis eſt in poteſtate, ideoq; hic per dexteram intelligenda nō eſt manus alicuius corporis dextra, quoniā iſtiuſmodi corporalia membra in diuinitate non ſunt, ſicut Anthropomorphitę, quos recte humaniformios dixeris, deum in humana forma eſſentialiter eſſe putarūt, quæ inſignis fuerit blaſphemia, quoniam deus ſpiritus eſt, ideoq; membra non habet. Et Paulus reiicit eos, vt Aug. ait, qui incorruptibilem gloriam dei cōmutant in ſimilitudinē hominis mortalis. Quiſquis ergo audis dexteram dei cōmemorari, neq; manum dexteram cogita, neq; poſituram ſeu ſitum mēbrorum, ſed immenſam illam poteſtatē recole, quam Chriſtus habet, vt ipſe profitetur. Pater omne iudicium dedit filio. Ideoq; in ſymbolo ſtatim ſequitur, Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Credimus ergo quia Chriſtus aſcendit in cœlū, ſedet ad dexterā, hoc eſt ad æqualem cū deo patre poteſtatē, ex quo habet illud quod iudicaturus eſt viuos & mortuos. Reuelauit hoc idē antea ſpiritus ſanctus per os Dauidis, dicētis, Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis. quaſi dicere vellet, Mecum rogito, eadem vna mecum poteſtate vtitor &c. Eadē eſt & inter homines conſuetudo, vt ſi quē honore velint afficere, conſtituant ad dexterā: & ſi ad optimū quid aliquem vocitent, ad dexteram iubeant ire. Ioan. 4. Rom. 2. Ioan. 5. Symbo. Pſal. 109

Mitto hic quod nonnulli discrimen scripturarum expendunt varijs modis loquentium, quomodo sint quidam in cœlo tantum, alij stent, alij etiã sedeant. & quanuis quo ad corpus nulla hic differẽtia est, siquidem in cœlo stare, sedere & esse possunt pro arbitrio suo. & tamen singulorũ proprietas quædam quæ illa discernit. Omnes enim sancti sunt in cœlo, sed ex ijs præcipue Maria assistit Christo, iuxta il-
Psal. 44. lud Dauidis, Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaura-
Matt. 20. to, circundata varietate. Sedere autem etsi ob æternam requiem omnibus competat sanctis, sicut dominus respondit matri filiorum Zebedæi, Sedere ad dexterã non est meum bate vobis, sed quibus paratum est à patre meo, hoc ergò soli tamen vere tribuitur Christo, siquidem is sedet, ad æ-
Ioan. 3. qualitatem diuinæ potestatis & maiestatis.

¶ Ne autem latius hic quoque euagemur, vela contrahentes, dicamus Christum habuisse gratiã dei in supremo gra-
Ioan. 1. du, quia nõ datus est ei spiritus ad mẽsuram, sed ex ei⁹ plenitudine omnes accepimus. Itaq; quanto plenior gratia fuit præ cunctis hominibus hic in terra, etiam secundum humanitatem, merito ille eo quoq, altius exaltatus est super omnes choros angelorum, & super omnes cœlos, vt ait Paulus.
Ephe. 4. Et vt Dauid cõfitetur, Ascẽdit super cœlos cœli. Sed quod
Psal. 67. sedeat ad dexterã, præclare quidem hoc, & quur ita fit, do-
Ambro. cet Ambrosius, dicens, Non mirũ si filio eadem sessio cum patre exhibetur. est enim enim eiusdem substantiæ & naturæ cum patre. Atq; ideo spiritus sanctus sic ordinauit in symbolo, vt profiteamur sedere filium ad dexteram patris, ne simplex aliquis suspicaretur cum esse patre minorẽ. Nos vero iam humiliter eum imploremus, vt quia dedit ei pater omnem potestatem quæ in cœlo & in terra est, iudicandi
Mat. 28. viuos & mortuos, nobis dignetur esse iudex clemẽs & propicius, nosq; sistat & statuat ad dexteram inter oues, quatenus cum illis vita perfruamur æterna, Amen.

Audiui Kaiserspergium prædicantem sub illo themate, Ascendit Ionathas & armiger eius post eum, primi Regum decimoquarto. Induxit ascensionem Christi, Vado vobis parare locum, Ioannis decimoquarto. Et ascendit pandens iter ante eos, Micheæ secundo.

IN

IN DIE SANCTISSIMO PENTECOSTES, DE FESTO ET SOLENNITATE diei, aque ſpiritus ſancti miſſione.

¶Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, & cœperunt loqui varijs linguis, Actuum ſecundo. Euangelium Ioan. 14.

SI QVIS *diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Qui nõ diligit me, ſermones meos non ſeruat. Et ſermonem quem auditis, nõ eſt meus, ſed eius qui miſit me, patris. Hæc loquutus ſum vobis, apud vos manens. Paraclitus autem ſpiritus ſanctus, quẽ mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis pacem meam do vobis, nõ quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor veſtrũ, neque formidet. Auditis quia ego dixi vobis, Vado & venio ad vos. Si diligeretis me gauderetis vtique, quia vado ad patrem, quia pater maior me eſt. Et nunc dixi vobis priuſquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis: Iam non multa loquar vobiſcum. Venit enim princeps mudi huius, & in me non habet quicquam. Sed vt cognoſcat mundus quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio.*

HOMILIA PRIMA.

PRINCIPIO conſtat Chriſtũ diſcipulis ſuis ſæpius promiſiſſet, miſſurum ſe eis ſpiritũ ſanctũ, quod ille hodierna die impleuit. Finita enim cœna dixit, ad illos, Rogabo patrẽ, & aliũ paraclitum dabit vobis, qui maneat vobiſcum in ęternũ, ſpiritũ veritatis. Et inde, Paraclitus ſpiritus ſanctus qu mittet pater in nomine meo, docebit vos omnia. Rurſus poſtea ait, Quum venerit paraclitus quem ego mittam vobis à patre ſpiritum veritatis, ille teſtimonium perhibebit de me. Et iterum, Si non abiero, paraclitus non veniet. vbi autem aſſumptas fuero, mittam vobis eum: & cũ venerit ſpiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. Refert etiam Lucas Chriſtum iam aſcenſurum in cœlum, pollicitũ eſſe diſcipulis ſe promiſſum ſpiritum patris eis miſſurum, modo illi expectarent Hieroſolymis, dum inducerẽtur virtute ex

Ioan. 14. *Ioan. 15.* *Ioan. 16.* *Lucæ 14.* *Act. 1.* *Act. 2.*

alto. Promiſsiones illas omnes, vt erant maxime conſolatoriæ, ita hodie dominus certiſsime impleuit. Sic enim Lucas ait, Quum implerentur dies pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco. Et factus eſt repente de cœlo ſonus tanquã ſpiritu vehementis, & repleuit domũ totam in qua erãt ſedentes. Et repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto. Hic primũ mihi tẽpus ipſum conſidera, quando impleti iam erant dies Pentecoſtes, quod feſtum iam olim erat Iudæis à deo inſtitutum inter reliqua tria, de quibus ſic præcepit dominus in lege, Tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis. Solennitaté azymorũ cuſtodies, & ſolennitatem primitiuorum operis tui quæcunque ſeminaueris in agro. atq;
Exo. 23. hoc erat feſtum Pentecoſtes. Et ſolẽnitatem quoq; in exitu
Leuit. 23. anni, quãdo congregaueris omnes fruges tuas de agro, quod feſtum erat tabernaculorum, ſub quibus oportebat Iudæos habitare, ſicut patres eorũ fuerunt in deſerto. celebrant hoc decimoquinto die mẽſis ſeptimi. & quodlibet per dies octo peragebant. At nos reliquis omiſsis, tantũ iam de feſto Pentecoſtes diſſeramus, quomodo & quando celebratum fuerit illud à Iudæis. de eo ſic ait lex, Feretis manipulos ſpicarum
Leui. 23. primitias meſsis veſtræ ad ſacerdotem. Qui eleuabit faſciculum corã domino, vt acceptabile ſit pro vobis altera die ſabbati. Et infra, Numerabitis ergo ab altero die ſabbati in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas vſq; ad alterum diem expletionis hebdomadæ, id eſt, hebdomadæ ſeptimæ, hoc eſt, quinquaginta dies, & ſic offeretis ſacrificiũ nouum domino. Et inde dies hic erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus. Ecce quomodo per 50. dies connumerari debeat, non quidem cõputando à paſcha aut ſabbato Iudæorum, ſed ab altero die ſabbati, die ſcilicet
Exod. 12. dominico, vſque ad quinquageſimum, qui rurſus erit dies dominicus. Quod vtiq; non temere à deo ordinatũ ſic eſt, propter futuram illam dominicæ diei ſanctificationem.

¶ Feſti huius cauſam & originem licet in Exodo colligere. Quum enim Iudæi agnum paſchalẽ manducaſſent die 14. menſis primi, ac deinde exirent A Egyptũ, poſthac die tertio tertij menſis deſcendit dominus corã omni populo ſuper montem Sinai, quoniam ſic habet textus, Iã aduenerat tertius dies, & mane inclaruerat, ecce cœperũt audiri toni-
Exo. 19. trua ac micare fulmina. Ibi Moyſes cum domino loquutus

eſt,

eſt,qui eum rurſus ablegauit ad populum,vt Aaronem adduceret ſecum. ſic ergo die quarto menſis tertij deinde data eſt lex in tabulis lapideis. Qui dies ſi colligantur omnes,inuenientur eſſe 50. ſiquidem méſis primus dies habet 29. alter 30.agnum autem paſchalé comederẽt die 14.ad veſperã,& ideo ad finé ſunt adhuc dies 16.(incluſiue numerãdo terminos) iis iunge dies 30.menſis ſecundi,& quatuor tertij,habebisq; diesquinquaginta. Atq; ille numer⁹ quinquagenarius huic rei & propoſito aptiſsimus eſt. numer⁹ enim eſt pœnitẽtiæ,& remiſsionis peccatorũ,& in hoc annus iubileus à deo inſtitutus eſt ad annos 50. iuxta illud verbũ legis.Numerabis tibi ſeptẽ hebdomadas annorum, id eſt,ſepties ſeptẽ quæ ſimul faciũt annos 49. &c. Et ſanctificabis annum quinquageſimũ, & vocabis remiſsionẽ cunctis habitatoribus terræ tuæ.ipſe eſt enĩ iubileus.ac deinceps enumerantur priuilegia & immunitates eius anni. Qui eodem modo in eccleſia quoq; ſeruatus eſt vſq; ad pontificé Sixtũ, qui anno domini 1475.iubileũ tenuit,ſimulq; conſtituit illum porro ſemper ab annis 25.vſq; in 25.rurſus ſeruari debere,eo quod ętas hominis ſimul cũ decreſcente mũdi tempore ſemper abbreuiatur. Atqui ante illũ eodẽ tẽpore obſeruabatur iubilẽ⁹ in eccleſia,vt quondã in veteriteſtamento. 2 Hinc iam ſequitur intellectus diei hui⁹ quinquageſimi,quẽ Pentecoſten dicimus. Quoniã Lucas ait,Quũ completi eſſent dies Pentecoſtes,non vtiq; numerandos eos ab agno paſchali,ſed iuxta præceptũ domini à die dominico proximè ſequuenti.quẽ & Lucas voluit his deſignare,neq; enim hic curamus in quemcunq; diẽ inciderit paſcha Iudęorum, quũ ſupputatio illa inceperit tandẽ proxima die ſabbati,ita vt ſemper dies pẽtecoſtes in diem dominicũ ceciderit. Inſuper aliud quoque conſiderare hic licet fidei noſtræ myſteriũ,quod Chriſt⁹ proximo die dominico poſt paſcha Iudæorũ reſurrexit,eodẽ die quo manipuli nouarum frugum cõſueuerunt offerri. Vt ſic etiam Chriſtus corpus ſuũ nouarum frugum manipulũ,vtiq; primitiæ noſtræ,tanquã verus ſacerdos obtulerit deo patri & ſanctificarit.Sicut ergo diebus 50.poſt comeſtũ agnũ paſchalem,lex Moyſi data eſt in mõte Sinai:ita totidẽ diebus à reſurrectione Chriſti,ſpiritus ſanctus etiã in Sion datus eſt,atq; inde cœperũt apoſtoli prædicare nouam legem euãgelicam, ſicut præui-

Auguſt.

Leui.25.

Act.2.

Leuit.23.

Mich. 4. dit in ſpiritu Michęas, dicens, De Sion exibit lex, & verbum domini de Ieruſalem. quoniã cœnaculum illud in quo congregati fuerunt apoſtoli, in mõte Sion poſitũ erat. Tria itaque hic nobis veniunt conſiderãda. Primũ, quia ſpiritus ſanctus datus eſt in die pentecoſtes, qui ſemper fuit dies dominicus, vnde ſic ille cohoneſtatus eſt nõ tantũ per glorioſam Chriſti reſurrectionẽ, ſed & per ſpiritus ſancti miſſio-
Pſal. 117. nem, vt recte de eo dictũ ſit à Dauide, Hæc eſt dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea. Multa autẽ ſu-
c. ſcire. parag. hunc numerum 76. diſt. per hoc diximus die ſancto paſchæ. Deinde non temere die quinquageſimo à Chriſti reſurrectione datus eſt ſpiritus ſanctus, quia per eũ & peccata remittuntur, & indulgentiã quiſq; conſequitur anni iubilei. numerus ſiquidẽ ille quin-
Ioan. 20. quagenarius, peccatorũ ſignificat indulgentiã, ſicut ſupra
Act. 2. meminimus, quare & dominus die paſchę dixit ad diſcipulos ſuos. Accipite ſpiritum ſanctũ. quorumcunque remiſeritis peccata remiſſa ſunt eis, & quorũ retinueritis, retenta
Pulchra ſunt hæc. erunt eis. Poſtremo, ex ipſis apoſtolorum actis colligitur, ſpiritũ ſanctum datum eſſe circa horã diei tertiã, quo tempore ſobrij ſunt & ieiunij aptioresq; ad gratiã dei ſuſcipiẽdam. hinc nimirũ mos ille inualuit in cœnobiis & eccleſijs cathedralibus atque collegiatis, ſtatim à finitis precibus Tertiarũ, exordiri ſummum miſſæ officiũ, niſi quod quidã ignaui & delicati martyres illud faciũt poſt ſextas decantatas, ne cogantur nonas à prandio tandẽ perſoluere. Adhuc quoque alia hic ſubeſt myſtica ſignificatio. quoniam quum & lex Moſaica horã circiter tertiã data ſit, docuit ſpiritum quoq; ſanctum, qui nouum teſtamẽtum per apoſtolos docuit & tractauit, eadẽ hora mitti. Vtriuſque, & legis nimirum & noui teſtamenti, cuius author ſpiritus ſanctus eſt, memor adhuc eccleſia, de lege quidem canit pſalmum, Le-
Pſal. 118. gem pone mihi domine viã: de ſpiritu autẽ ſancto, prorumpit in hæc verba hymni, Nunc ſancte nobis ſpiritus vnum patri cum filio, &c. Sic nimirũ omnia in eccleſia ſancta ſunt quodam pulcherrimo ordine digeſta & compoſita.

3 Sed iam ſatis multa de tempore miſſi ſpiritus ſancti diximus, reliquum eſt vt & de ipſa in ſe miſsione dicamus. & primo ſtatim quur tantus tonitruũ fragor & ſonitus factus ſit, quur etiã locus ipſe cõmotus, quando miſſus eſt ſpiritus ſanctus. neq; enim in hoc ſonitu tãquam ſpiritus ſeu flatus vehe-

mentis ſpiritus ſanctus datus eſt, ſed in linguis igneis, quur ergo tantus fremitus præceſſit? Principio, vt res hæc etiam reſponderet geſtis veteris legis, in cuius latione ſic factum eſſe narrat Moyſes, Ecce cœperunt audiri tonitrua ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangórque buccinæ vehemẽtius perſtrepebat. Hinc nimirũ decuit vt etiam venti, ſonitus plurimi & magnę cõmotiores fierent in miſſione ſpiritus ſancti. 2 Poſſunt hæc eadem ad ſonitum prędicatiõis apoſtolicę referri, quę per vniuerſum orbem exitura erat, vnde eam forſan hic ſpiritꝰ ſanctus cõfirmare voluit ſua tum gratia tum virtute, vt inde ipſi eſſent apoſtoli fortes & prævalidi inſtar cœlorũ, ad annunciandã gloriam dei. inſuper vſi ſunt illi in prędicatione ſua prędicto tonitru verbi diuini, & fulminibus miraculorũ, quoniam in ſingulis miraculis virtus dei emicat non ſecus atque ex fulgure lumen. Porrò reliqua quę ſuperſunt difficiliora, ſcholis relinquamus, quomodo ſpiritꝰ ſanctus tertia ſit in diuinis perſona, & quomodo ab vtroque procedat, à patre ſcilicet & filio, cuius etiã ſpiratio ab vtroque, nõ generatio alioqua ſit vt filij, ſed proceſſio vel productio. & quur paraclitus ille dicatur ratione gratiæ ſuæ, quæ miſeros ſolatur & afflictos. Tantum de miſſione illius differemus hic primũ in genere, ſequenti homilia quo ad hoc feſtum. Principio ſit hæc concluſio, quod duæ tantum in diuinis perſonæ mittuntur, deus filius & ſpiritꝰ ſanctus, quia de patre nuſquã ſimile legimꝰ in ſcriptura, authore Auguſtino. ſed bene de filio dicitur, quia eũ pater ſanctificauit & miſit in mundũ: & de ſpiritu ſancto, quod eũ mittet pater in nomine filij, & ſimilia multa. Quãuis ergo & pater apparuit in quibuſdam externis figuris, tamen à nullo emiſſus eſt, quum ſit principiũ reliquarum perſonarũ in trinitate, à quo filius & ſpiritus ſanctus procedunt: ideoq́, ille vtrũque hunc mittit in terram, ipſe vero à nemine mittitur. 4 Sciendum eſt, miſſionem harum duarum perſonarũ fieri poſſe duplici modo, viſibili & inuiſibili. de poſteriore iã nobis dicendũ ſumimꝰ, ibiq; dicimus quod quanuis filius dei viſibili ſpecie miſſus, ſemel tamen quotidie adhuc immittitur, ſeq́ue inſinuat piis hominum mentibus, ſimul cum ſpiritu ſancto in ſuis donis diuinis, vt Auguſtinus teſtatur. Quæ ſint autem hæc dona, & quando filius aut ſpiritus ſanctus mittantur diſtinctum, con

Exod. 19.

Aug. 2. de trin. ca. 5 Ioan. 10. & 14.

Miſſio perſonarum.

Libr. 4. de trin. c. 20.

cors doctorum ſententia eſt, quandocunque deus donum aliquod immittit in cor hominis, vnde charitas in deum exardeſcit, ipſeque animus inflāmatur, tunc ſane ſpiritus ſanctus mittitur. Quum autē donum huiuſmodi intellectū hominis tantū illuminat & eleuat ad reuelationē dei rerúmq;
Rom.5. diuinarū, tunc mittitur filius, ſic ait Apoſtolus, Charitas dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritū ſanctum, qui datus eſt nobis. Sequitur inde, quod quum homo aliquis ſupra naturam per inſtinctū dei veritatē diuinam cognoſcit, ibi mittitur ad eum filius dei, ergo apoſtoli hodierno die ſicut viſibiliter acceperunt ſpiritū ſanctum, ita inuiſibiliter Chriſtū, per hoc quod omnis ſapientia eis infuſa eſt, quæcunque ad fidem noſtrā ſpectabat, quoniā omnis, quæ naturā excedit, illuminatio diuina, donum dei eſt, & in eo confertur filius dei. Viciſſim cum deuotio ſeu pius in deū affectus incendi-
Bernar. tur in homine, ibi ſpiritus ſanctus. Hinc Bernar. in lib. de amore dei, corripit eos qui ex eiuſcemodi deuotione ſuperbiunt. Quoties etiā gratia dei in homine augetur, ibi cōfertur ſpiritus ſanctus, quod in euāgelio ſatis liquet, quoniam
Ioan.20. die reſurrectionis ſuæ diſcipulis ſuis domin⁹ dedit ſpiritum ſanctum, & claues cōmiſit eccleſiæ. hodie demū dona prius tradita rurſus cōtulit, ſed auctiora. Porrō in quibus donis cō
1.Cor.12. feratur ſpiritus ſanctus, Paulus edocuit inquiēs, Diuiſiones gratiarū ſunt, idem autē ſpiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autē domin⁹. Et diuiſiōes operationū ſunt, idē vero deus qui operatur omnia in omnib⁹. Vnicuiq; eīm data eſt manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatē: alij quidē per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alij fides in eodem ſpiritu, &c.

¶Vbi obſeruandū adhuc eſt, duplicia hæc eſſe dona: quoniā quædam cōferuntur vt hominē ſanctificent, emendēt, deóque reddant acceptū: & tunc nō ipſum donū tantū, ſed etiā
Lib.15.de trin.ca.19 ſpiritus ſancti perſona cōfertur. vnde Auguſtin⁹ dicit, ſpiritus ſanctus donū eſt, quia eū dat nobis deus. ſic ait Gloſſa
Roma.5. quædā ſuper illud Pauli, charitas dei diffuſa eſt. O quā magna eſt miſericordia domini dei noſtri, qui etiā ſpiritum ſanctū dat nobis, dum donū tribuit quod ei ſimile eſt, quia donum eius ſpiritus ſanctus ipſe eſt. Quiſquis igitur es qui hodie animū tuum ſic inſtituiſti, vt parat⁹ ſis gratiā & charitatē dei ſuſcipere, ecce ſimul eſſentialiter ſuſcipis ipſam perſonam

ſonam ſpiritus ſancti. Atque ideo quũ maior adhuc erat & ardentior hominũ charitas in eccleſia ad ſeruanda dei mãda ta, ſolebant omnes ad hæc feſta confiteri & ſuſcipere ſacramentum, nõ ſecus quam tempore paſchali adhuc eſt in vſu. ¶ Alia dona tribuuntur in vſum, in adiutorium aut quanuis vtilitatem, non autem in ſanctificationem. & hæc quoque ſpiritus quidẽ ſancti dona ſunt, ſed in eis ille perſonaliter non cõfertur: neque ideo qui illa ſuſcipiunt, ſuſcipiunt etiam ſpiritum ſanctũ, vt quum Balaam & Saul prophetarunt, quũ Iudas miracula fecit, quũ Caiphas quod pontifex eſſet illius anni, vere dixit, melius eſſe Chriſtũ mori quam totam gentem perire. Sed nũc omnes profuſis precibus dominum deum deprecemur, vt nobis quoque ſpiritum ſanctum ſuum ſimúlque dona eius conferre dignetur, Amen. *Num.22. 1.Reg.10. Ioan.11.*

HOMILIA SECVNDA.

QVIDEM ſpe bona ducor, multos ex vobis eſſe qui ſpiritum ſanctum inuiſibiliter hodie ſuſceperint in ſuis donis, maximè verò illos, qui ſyncere ſe parauerũt ad hoc mun⁹ per cõtritionem, cõfeſſionẽ & ſatisfactionẽ, ſicut apoſtoli alijq; fideles eum viſibiliter ſuſceperũt: quæ ſane magna eſt fidei noſtræ cõfirmatio, ſicut ibi robur addidit apoſtolis, qui antea metu perculſi etiã à domino ꝓfugerant. ex iis vnus ipſum ter abnegauerat. illi iã interriti neminémq; horrẽtes, nomẽ Chriſti Ieſu cõfeſſi ſunt & prædicauerũt. Hic itaq; iam porro dicamus de viſibili miſſione ſpiritus ſancti, id quod maiori cũ fructu liceat abſoluere, principio gratiã eius imploremus, corde & animo ſimúlq; ore decãtantes, Veni ſancte ſpirit⁹.

1 Primo omnium fundamentũ doctores ponunt huiuſmodi, quod quęcũque viſibilis miſſio filij aut ſpirit⁹ ſancti, ordinatur in miſſionẽ inuiſibiliter. iam multi quidẽ fuerũt homines pij & ſancti in veteri teſtamẽto, qui etiã gratiã ſpiritus ſancti acceperunt: nuſquã autem in ſacris literis inuenias ſpiritũ ſanctũ patribus in aliqua viſibili forma apparuiſſe. Nondũ enim venerat plenitudo & perfectio tẽporis gratiæ, ideoq; non decuit ſpiritũ ſanctũ mitti in imperfecto ſigno, imò & hoc nõ cõueniebat, vt ſpiritus ſanctus ante filiũ viſibilis appareret, iuxta illud euãgelicũ, Spirit⁹ ſanct⁹ nõdum fuerat datus, quia Ieſus nõdũ erat clarificatus. ¶ Quũ autẽ iam venit ſacri plenitudo tẽporis, deúſq; iam filiũ ſuũ *Aug. li.2 de trin.ca. vlt. Miſſio viſibilis. Ioan.7.*

misit, misit simul & spiritum sanctũ in visibili forma, neque fuit hoc rarum in primitiua ecclesia, vt ille supra baptizatos
Act.8.10 visibilis appareret, sicut Actorũ apostolorũ narrat historia. Videns enim hoc Simõ Magus, obtulit apostolis pecuniã, vt & ipse potestaté hanc acquireret, quatenus si cui manus imposuisset, visibili specie appareret super eum spiritꝰ sanctus. Quur autẽ frequenter adeo spiritus sanctus in primitiua ecclesia apparuit visibilis, rationẽ principio hanc referunt, vt per hoc magna illa & ardua fides, quã apostoli prædicabãt, confirmarentur: quod fieri nõ poterat sine magnis miraculis, quę etiam omnibus essent cõspicua. Ad hæc, nihil est ex
Ambros. sententia Ambrosij quod hominis affectũ ad deuotionẽ vsque adeo incitat, vt si cognoscat se à deo diligi, ad erigendos itaq; hominũ animos & cõfirmandam in eis deuotionẽ, missus ipsis diuinitus est spiritꝰ sanctus in visibili specie: quæ cuiusmodi fuerit, non cõsentiũt omnes. sunt enim qui putent fuisse linguas igneas, sicut hodie apparuit super apostolos.
Linguæ igneæ. alij existimant splendorem lucidum extitisse, qui circundederit illos. quique linguas igneas fuisse censent, adducunt
Actu.11. pro sẽ istud Petri, Quũ inciperem loqui, cecidit super eos spiritꝰ sanctus, sicut in nos à principio. Nõnulli volũt hoc fuisse signum spiritus sancti in baptizatis, quod loquuti sint variis linguis, id inde colligunt, quod refert Lucas obstu-
Actu.10. puisse ex circũcisione fideles qui venerãt cum Petro, quia & in nationes gratia spiritus sancti effusa est, audiebant enim illos loquẽtes linguis & magnificãtes deũ. ¶ Quur autẽ huiusmodi visibilis spiritꝰ sancti apparitio amplius in ecclesia nõ sit, nemo suspicetur ideo illum in baptismo aut cõfirmatione nõ esse. Imò æquè iam hic adest ac tẽporibus apostolorum, nisi quia inuisibilis nunc adest, qui tunc ad nascentis ecclesiæ incrementũ visibilis apparuit. Nunc verò quũ ecclesia partim doctrina apostolorũ, partim eorũ miraculis simul & martyrum satis fundata & cõfirmata iam sit, non ita opus est visibili spiritus sancti apparitione: quia & nos, vt
Gregor. ait Gregorius, sicut per nos supra in homilia de ascensione adductus est, quũ arbusta plantamus, tandiu eis aquã fundimus, quousq; ea in terra iam cõualuisse videamꝰ: at si semel radicẽ fixerint, irrigatio cessabit. Quid quod sunt ex patribus, qui affirmãt nouissimis tẽporibꝰ Antichristi fore vt miracula omnino sint desitura, in hoc vt & sanctorũ patientia

cõprobetur,

cõprobetur, & malorũ peruersitas arguatur? Hoc idem satis patet in istis neochristianis, qui quantũ iam calumniarum & omnis generis malorum irrogant sanctis & eorum imaginibus, insuper virgini quoq; matri & venerabili sacramento? Quondam non ita licuisset impune, quando grauiter vlciscebantur sancti violantes se. nunc patienter sustinent, vt indignis modis tractantur, vsque ad tempus suum.

2 Multæ sunt formæ, quibus videri se passus est & videndum præbuit spiritus sanctus, in specie quidé colũbæ apparuit in baptismo Christi: deinde in specie lucidæ nubis, quũ transfiguratus est dominus in mõte Thabor. per modũ spiritus, quãdo inspirauit Christus in discipulos, dicens, Accipite spiritũ sanctũ. postremo in linguis igneis hodierna die. Quæ vt recte intelligãtur, singula penitius nobis sunt examinanda, audiendáq; ea quæ super iis sancti patres censuere. Et principio quod ad colũbæ speciem attinet, cõsentiunt doctores, fuisse illud quiddã vere corporeũ, alias eñ phantasticum quid extitisset. dicit autẽ Gregorius, quod signa fidei nostræ verissima sint. fuit ergo illud corporeũ quid, diuina iussione per ministerium angelorum in aëre cõformatum, vt Augustinus putat. fuit etiam illa species columbæ mota ab angelis, sicut istæ linguæ igneæ. ¶ Porrò etsi ista colũbæ figura res corporea fuerit, vera tamen colũba non fuit, quia ex ouo nõ nata, vt idem ait Augustinus de agone Christiano, cap. 22. animal viuum non extitit, quia alias occisa columba fuisset, de quo tamen nil constat. Solus Albertus, quod quidem iã meminerint, ponit colũbam verã & viuã fuisse, quãuis idem in 1. Senten. dist. 16. asserat firmiter, columbã illam non fuisse verũ animal. Gabriel tamẽ addubitat. sed Augustinus videtur sentire quod fuerit vera nubes & flatus quidam de aliis nõ sic lib. 2. de trini. cap. 6. Ita vero neque linguæ igneæ fuerunt ignis quidẽ ardens: & de colũba proprie dicit Lucas, Iesu baptizato, apertũ est cœlũ, & descendit spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum. sed & Matthæus ait, quod vidit Ioannes spiritũ dei descendentem sicut columbam. similiter & Marcus. De igni sic inquit Lucas, Apparuerũt eis dispartitæ linguæ tanquã ignis. In hunc modum ecclesia canit, In colũbæ specie spiritus sanctus visus est. Ecce ergo quãta sit diuersitas missionis filij à missione spiritus sancti. ille enim in humana specie missus in hunc

Matth. 3. & 17. Ioan. 20. Actu. 1.

In hom. epipha.

Libr. 4. de trin. ca. 21 Columbæ spir. san.

Augusti. Albertus Gabriel. Augusti. Luc. 3. Matth. 3. Mar. 1.

Act. 2. mũdum est ita, vt etiam humanam sibi naturam vniuerit in vnitate diuinæ personæ, nimirum verus homo factus. non sic spiritus sanctus columbæ speciem sibi vniuit, neque factus est columba, vt Christus homo, sed figuram eius tãtum susceptit vt signum. Possem huc rationes adducere ex septẽ cõditionibus seu proprietatibus columbæ, sed supersedeo, quia nimis longum fuerit. (vide post alios Tuitiẽ. qui Matthæi quarto adaptat septem proprietates columbæ, septem operibus Christi, ibidem per Matthæum enarratis.)

Tuitien.

Inuisibilis missio spiritus sancti.

3 Quia principio diximus omnem visibilem missionem spiritus sancti ad inuisibilem ordinari, age hoc ipsum in illis quatuor demonstremus, sed breuiter. Nam in baptismo Christi spiritus sanctus apparuit in specie columbæ, vt per hoc ostenderet plenitudinem gratiæ Christi, quæ deinde in alios redundaret quos ille redemerat: sicut & in lege Moysi primogeniti fuerunt per oblationem columbarum significati, quod iam redempti essent. ¶ Nubes autẽ lucida in transfiguratione Christi hoc sibi voluit, quod sicut nubes virtute cœlesti generatur, & refrigerationem præbet aduersus calorem ac æstum, deinde in rorem aut pluuiã desinit: ita Christus diuina virtute natus cooperante spiritu sancto ex virgine Maria, nullum habuit malæ cõcupiscentiæ æstum, sed salutaris sapientiæ suæ doctrinam diffudit instar aquæ, similiter & rorẽ gratiæ & misericordiæ suæ: iuxta illud Moysi, Cõrescat vt pluuia doctrina mea, & fluat vt ros eloquiũ meum. Insuper multã pluuiam facit spiritus sanctus in piis mentibus hominum, dum fontes lachrymarũ educit, secundum hoc quod ait Psaltes, Flabit spiritus eius, & fluẽt aquę. Beati oculi qui illis aquis spiritus sancti irrigantur. Flatus ille in quo dominus spiritum sanctum dedit apostolis, significat abundantiam sensus simul & vitam gratiæ, quum vtrãq; apostoli per sacramentum pœnitentię & potestatem clauiũ fidelibus deberent infundere. Spirando cognoscitur quod animal viuat, cui si paululum temporis subtrahatur spiritꝰ, emoritur subito. homo etiam si ad dimidium horæ inspirationis & respirationis destituatur beneficio, perdurare & sustinere non potest. Ad eundem modum etiam quam primum animæ spiritus sancti gratia subtrahitur, statim ex pec cato moritur spiritualiter, dicente Psalmista, Auferes spiritum eorum, & deficient in puluerem suum reuertentur.

Lucæ 2.

Nubes.

Deute. 32.

Psal. 147

Flatus.

Psal. 103.

¶ Sed

¶Sed quod ſpiritus ſanctus iam hodie in linguis apparuit igneis, multæ ſunt rationes ex ſacris literis apud multos, nos vnicum argumentum oſtendemus. Quo ad linguas, ſane hoc deſignauit donū linguarū, quod deinceps gratia ſpiritus ſancti adiuti, omnia genera linguarum loqui & intelligere potuerūt. ſtatim enim author Luca, cœperūt loqui variis linguis. deinde per linguas ſignificatur, quod ſpiritus ſanctus apoſtolis etiā ſcientiā dedit neceſſariā vtiq; illis ad ſalutem propriā & aliorum. præuidit hoc ipſum Sapiens in ſpiritu, dicēs. Spiritus domini repleuit orbē terrarum, & hoc quod continet omnia (ſic enim & homo dicitur omnis creatura) ſcientiā habet vocis, hoc eſt, loquendi. Idē quoq; hoc lingua deſignat, quod Chriſtus promiſit apoſtolis, Spiritus ſanctus quē mittit pater in nomine meo, docebit vos omnē veritatem. Effrene ſiquidē membrum eſt lingua, & difficulter regitur, atq; ideo diſciplina ſpiritus ſancti multū indiget. Pulchrum eſt applicare, quia filius in diuinis eſt verbū, ſpiritus ſanctus eſt lingua: & quia per linguā formatur verbū, etiam per ſpiritum ſanctū incarnatus eſt filius ex Maria, ideoq; lingua eſt ſcribæ velociter ſcribentis. nam quod eructat verbū bonum, hoc officium eſt linguæ ſcribentis, hoc eſt, ſpiritus ſancti. extende ad placitū. In ſymbolis omnia plana. ¶Hæc iam cōiungēdo facile eſt videre, quur linguę fuerint igneę, quoniā vt Gregor. ait, Exterius apparuerunt linguæ igneæ, & interius facta ſunt corda flāmātia. In his linguis igneis apparuit ſpiritus ſanctus. omnes enim quos hic implet, ardere facit ſimul & loqui. Nos quoque ſi examinauerimus proprietates ignis, videbimus quidnam hic ignis ſpiritus ſanctꝰ operatus ſit in apoſtolis, & adhuc operetur in nobis, Cerni mus vtiq; quam affabre adornatum ſit cœlum lumine ſolis, lunæ & ſtellarum. Cœlum ſuo lumine vegetat terrā & velut exhilarat, calore omnia viuificat, germina producit, & fertilia cūcta facit. Ad hæc, ignem ex duro ſolemus excutere ſilice cum chalybe, ad arcēdum horrorē & profligāndam tetram noctis caliginē, Ad ignem eſculēta coquuntur, quibus vitam ſuſtentemus. Metalla quoq; duriſſima molleſcūt igni, vt poſſint elaborari. In cultu diuino quōdā iugis ardebat ignis in altari, & holocauſta cōburebantur ad ignē. Pulchrum hoc etiā eſt & ab ethnico poēta vetuſtiſſimo diligenter obſeruatū, Quod qui lumē de alieno lumine accēdit, fa-

Linguæ igneæ. *Act. 2.* *Sapien. 1.* *Ioan. 14.* *Pſal. 44.* *Gregor.* *Ignis.* *Leuit. 6.* *Num. 18.*

Ennius. cit vt nihilominus ipſi luceat, quum illi accenderit. ¶ Spiritualiter hęc operatur ſpiritus ſanctus in piis cordibus, vnde non immerito per ignē deſignatus eſt, quoniā ſupremas vires rationales animarū noſtrarum illuminat, atq; animæ noſtræ inſtar ſtellarū ſunt. Ille externū quoq; conuictū noſtrū in terra pacificat, honeſtum ſtudioſumq; efficit, iuxta illud *1.Ti. 4.* Pauli præceptum, Exéplum eſto fidelium in verbo, in con- *Bernard.* uerſatiōe, in fide, in caſtitate. Et quia (vt ait Bernardus) charitas ſpiritus non poteſt eſſe ocioſa, ideo vbicūq; ille per charitatem habitat in homine, fructū multum affert. Similiter & ignis diuini amoris ex cilice excutitur cordis duri, ſed id forti ferro piæ orationis. nam vt animi ferro & adamante ſint duriores, illos tamē feruor & ignis emollit ſpiritus ſanc- *Act.9.* ti per gratiam & charitatē. Sic nimirū durū cor erat Pauli Chriſtianos perſequentis, multumq; ſitientis ad effundendum ſanguinē Chriſtianorum. Nónne tamē pulchre mitigauit illud gratia dei, vſqueadeo etiā, vt vas fieret electionis? ita enim Gregorius in quadā homilia declarat, & Hie- *De vili.* ronymus de vilico ex Theophylo dicit, Ex ſublimi miſit ignē *Chryſoſto.* in oſſa mea, & erudiuit me. Sicut etiam ignis (vt ait Chryſoſtomus) cōburit ſpinas, ſic ignis gratiæ cōburit ſpinas cōcupiſcentiæ in ſuperbia, auaritia, libidine. Et ſicut flāma ignis *Eze.8.* mouetur ſurſum, ita nos ſpiritus ſanctus erigit in ſpem ſupernorū, quemadmodū eleuauit ſpiritus Ezechielem inter cœlum & terrā. Semper itaq; debet ignis in altari cordis noſtri, & holocauſtū offerre deo, non prauas concupiſcentias *Galat.5.* diabolo, vt impleamus illud Paulinū, Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Et ſic de aliis ſymbolis. Nec quis admiretur ſpiritū ſanctum per ignis ſpeciē deſignari, quoniā ille amor diuinus eſt patris & filij. Amor aūt feruidus ardet, vt rectę etiā ignis hic deſignet æternū amorē dei, *Soph.1.* ſicut & Sophonias dixit, In igne zeli domini deuorabitur omnis terra, hoc eſt, in ſpiritu ſancto, quando prædicatum eſt euangeliū terreni affectus & concupiſcentiæ idolorum perierunt. Extende ſymbola ad conuenientias ſacræ ſcripturę, & habebis quatuor aut quinq; ſermones. ¶ Nouus itaq; ille doctor ſpiritus ſanctus in linguis igneis, apparuit, & apoſtolos docuit omnes linguas, vt omnibus gentibus annuncia re poſſent immenſam dei magnificentiā. atq; ideo quidē in linguis apparuit diſpartitis, quod eo magis decebat, qa deus

per

per peccatū linguas hominū confuderat in ædificatione turris Babel. Quomodo autem variis linguis loquuti sint apostoli, non cōueniunt in eo omnes, existimātibus quibusdam eos ſua natiua lingua & vernaculo eſſe loquutos, puta Hebræa auditores vero omnes ratos ſe ſingulos eos ipſorū lingua loquutos. Quod vt miraculū magnū fuerat, vnicam linguam tot diuerſarū linguarū generibus eſſe intellectā, tamē ait Beda, maius futurū fuiſſe miraculum audientiū quam loquentium, ſi ſinguli audientes pro ſua quiſq; lingua intelle xiſſet quæ apoſtoli vnica lingua Hebræa dixiſſent. ¶ Vnde quum potius cogitandū ſit, ſpiritū ſanctū miraculū hoc tantum in ipſa apoſtolorū perſona fuiſſe operatū, quib⁹ etiam miſſus eſt, ſupra ſingulos viſibilis apparuit, ideo credēdum eſt magis, eū illis omnes linguas infudiſſe, quod admodum decebat veritatis magiſtrū. fuit idem neceſſarium apoſtolis, qui futuri erant omniū populorū præceptores, vt eorūdem linguas non ignorarent. In eius rei argumentū, quia ſeptuaginta duæ perhibētur eſſe in mundo linguæ, totidem ſi elegit Chriſtus diſcipulos, vt author eſt Rabanus. Ad hæc videmus ipſi non tantum Hebraice, ſed Græce eos ſcripſiſſe. Petrus quoq; & Paulus ſine dubio Romæ Romana ſunt lingua loquuti, atq; in Arabia Arabice. Quod ipſa etiam litera in cōtextu ſatis arguit, ſic enim habet, Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis. Ecce, loqui cœperunt. non audire: fuit ergo miraculū hoc non audientium, ſed loquentiū apoſtolorū. vnde & ſequitur, prout ſpiritus ſanctus dabat eloqui illis. Ecce quod ſpiritus ſanct⁹ eis dedit hoc eloquiū variis linguis. Nouūq; hoc adeo erat ſanctificationis ſignū, vt in ore eorū, omnia genera naſcerentur linguarū. Et hæc magnificentia eſt eccleſiæ, qua ſuperat ſynagogā, ea in Iudæa tantū erat, eccleſia nunc per vniuerſum diuiſa eſt orbē, vbi fides prædicatur & euangeliū annunciatur. Sic apoſtoli Babylonicā turrim per multitudinē linguarum non ædificarunt, vt iſti peccatores, qui ab opere ceſſarunt, quū non poſſet eorum turris ad cœlū vſq; extolli. Verùm apoſtoli turrim eccleſiæ vniuerſis linguis exēdificarūt, eius altitudo in cœlū vſq; protenditur, quū caput ipſius ſit Chriſtus. neq; id mirū, quoniā turrim hanc apoſtoli non humano conſilio, ſed inſtinctu ſpiritus ſancti, non ex lateribus luteis, ſed lapidibus viuis & electis conſtruxerunt. Eratque

Gen. 11. *Varie linguæ apoſtolorum.* *Beda.* *Rabanus.* *Pſal. 75.* *Gene. 11.* *1. Pet. 2.*

hoc auditu mirabile homines ex vulgo, simplices & imperitos, quicq; nullis perfectionib⁹ apud exteras nationes alienarum sibi linguarum notitiam comparauerāt, omnibus iis qui aderant, suas natiuas linguas esse loquutos. Miraculum
Act. 1. hoc fuit vtiq; manifestum adeo vt ne tergiuersandi quidem vlla remanserit ibi suspicio, neq; calumniādi occasio. vnde & dicebāt qui audiebāt. Nónne ecce omnes isti qui loquūtur, Galilæi sunt? & quo audiuimus vnusquisq; linguam nostram in qua nati sumus? Parthi & Medi, & Elamitæ, Arabes, aduenæ Romani, &c. Hic nimirum impulsi sunt, vt palam viderent & admirarētur virtutem dei. atq; ideo hodie ad primum sancti Petri sermonē crediderunt tria milia hominum, & baptizati sunt. Iam & vos inuocate propitiū numē, & gratiam spiritus sancti implorate, &c. ¶ Si vis, potes facere sermonem de septē donis spiritus sancti, aut per symbola eas, & dic quomodo ignis extinguatur, & applica de extinctione gratiæ Christi. Aut per oppositum, de ignis cō seruatione. facile habebis quatuor aut quinque sermones.

DIE DOMINICO SANCTISSIMAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS, EVANGELIVM Ioan. 3.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Matthei vltimo. vel, Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi honor & gloria in secula seculorum. ad Roman. 11. Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus sabaoth. Esaiæ 6. Induc vnum ex illis, quodcunque placuerit tibi.

QVAERAT hic principio aliquis, quur tādem hoc festum sanctæ trinitatis in hunc diem dominicum celebrari sit ordinatum, proxime à feriis pentecostes. Respōdebitur illi, quoniā statim post aduētum spiritus sancti cœptum est credi, in baptismo exprimi & vsurpari fides simul atque confessio dei patris, filij & spiritus sancti. Antehac enim profundissima illa sanctæ trinitatis mysteria, quāuis per se immensa & ineffabilia, nunquam ita erant certis tribus nominibus distincta & cognita, tātisper dum committeret dominus, iuberetque discipulos suos baptizare in nomine illarum

larum trium perſonarum. cõueniebat etiã hoc pulchre, vt quum multa haberemus Chriſti feſta, iamq; illud ſpiritus ſancti peregerimus, in quibus ſemper etiã pater glorificatur & magnificatur, iã illud quoq; feſtũ gereretur, quo ſingularum trium perſonarum gloriã cõiunctim proſequeremur & celebramus. ¶ Porro ſi inquiras quur nõ trium perſonarum fides expreſſe cognita fuerit hominibus etiã ante Chriſti natiuitatẽ, audi: fuit hoc ignotum vulgo hominum, quoniã iuuenilis adhuc ætas mundi naſcẽtis capere myſterium hoc tãtum nõ potuiſſet. ſic expectãdum fuit donec inueteraſceret cum tẽpore mundus, iamq; ex multis miraculis cognoſceret deum patrẽ, incarnato dehinc dei filio, potuit illud magnum arcanum trinitatis ſine magno prædicãtium labore hominibus inculcari & perſuaderi. ¶ Neq; adhuc in veteri teſtamẽto trinitas miſericordiã exhibuerat, quã nunc cognoſcimus nos & ſcimus per fidẽ, quod hominem quem creauit deus pater, filius redemit, & ſpiritus ſanctus eundẽ accendit igne charitatis ſuæ, quanuis hæc tria trinitas tota operata eſt, eo quod opera trinitatis (authore Damaſceno) ſunt indiuiſa: attamẽ per huiuſmodi opera, diſtinctio nobis patuit perſonarum. Hæc enim vox patris fuit, Faciamus hominẽ ad imaginẽ & ſimilitudinem noſtrã. filius autẽ humanã naturã, in qua & paſſus eſt, aſſumpſit, ſed ſpecies columbæ ſuper Chriſtum, quãuis non eſſentiam ſpiritus ſancti, tamẽ præſentem eius poteſtatẽ viſibiliter demonſtrauit. Cæterũm quod arduum ſit & difficile trinitatem intelligere. atque ideo à cõmuni hominum captu multum alienum, quiſq; facilè experietur ipſe, qui conatꝰ fuerit intellectu ſuo eius myſteria indagare: ꝙ facere ſane nõ debẽt rudes adhuc & ſimplices, ne incidãt in laqueos diaboli, ſimul funibus errorũ inuoluti, ſicut antiqui hæretici, Arrius, Sabellius, Manichæus, Macedonius & alij. Tibi interim qui hæc magna aſſequi nõ potes, ſatis eſt credere quod tres ſint in diuinis pſonæ, quarum vna alia nõ eſt, & tamẽ eandẽ habent eſſentiã, vnã deitatem, potentiam & ſapientiam æqualem, &c. à ſeculo in ſecula ſeculorum. Hic nõ ſine periculo licebit diu inſiſtere ſingula inueſtigando, vnde recte ait Auguſtinꝰ, Vbi quæritur vnitas trinitatis, nec periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec quicquam fructuoſius inuenitur. quare & prohibuit illud ſpi-

Trinitas olim incognita.

Damaſc.

Gen. 1.

Matt. 3.

Lib. 1. de trin. c. 3.

Eccl. 2. ritus ſanctus per Sapientem, dicétem, Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſcrutator enī maieſtatis opprimetur à gloria. hinc & Sapiēs vetat talia ſcrutari, quum ait, Difficilē æſtimamus quæ in terra ſunt, & quę in proſpectu ſunt inuenimus cū labore: quæ in cœlis ſunt aūt, quis inueſtigabit? Si quis cupidus myſteriorū velit animi ſui cogitatione quantūuis intēta inquirere, quomodo filius dei ab æterno ſolū à patre ſit genitus, vtiq; nō inueniet illud, ſed iubebitur fixo pede eō ſiſtere & conquieſcere, dicendo

Eſaiæ 53. cum propheta, Generationē eiꝰ quis enarrabit? ſicut & ſanctus

Ambro. Ambroſius libere atq; ingenue fatetur, inquiens, Impoſsibile eſt mihi vt intelligam myſteriū diuinæ generationis. Præ omnibus ergo aſſumēda eſt fides eccleſię, ea tenenda eſt, ſicq; via ingrediēs media tutiſsimus ibis. Quod ſi cui donatū eſt à deo aliquid ſublimius inquirere, id quoq; faciat, ſed cū timore & humilitate. 2 Etſi trium perſonarū

Trinitas in veteri teſtamento dočt. trinitas in diuinis populo ante Chriſti incarnationē manſerit incognita, fides tamen hæc in veteri teſtamento nō omnino fuit abſcōdita, & iis qui tūc à deo pręcipue fuerunt illuminati.

Gene. 1. Moyſes nanq; dū ſcripſit illud in dei perſona patris, Faciamus hominē, vtiq; de vnica perſona ſic loquutus non eſt, ſed pluribus: vtiq; nō angelis, quoniā ij deū in creā-

Gene. 18. do adiuuare nō poſſunt quicquā. Sic Abrahā quoq; myſteriū trinitatis cognouit, quādo veniētibus ad ſe angelis, tres quidē ille vidit, ſed vnū adorauit. Intellexit ſine dubio hoc

Danie. 5. ipſum & Daniel, cōſpicatus in pariete ſcripturā ſcribi tribus digitis, quā tamē deꝰ vnꝰ vna manu faciebat, vbi eſſētia in tribus telligitur perſonis. ij ſiquidē digiti illi tres ſunt, de

Eſaiæ 40. quib⁹ Eſaias dixit, Quis appēdit tribus digitis molē terræ.

¶ Aut quis tā impudēs ſiue pertinax erit, vt nō credat Eſaiā

Eſaiæ 6. quoq; illud intellexiſſe, quādo in ſpiritu audiuit Seraphim duos clamātes & cōcinentes, Sanctus, ſanctꝰ, ſanctus dominus deꝰ ſabaoth, plena eſt omnis terra gloria eiꝰ? Quia autē Iudæi audientes illum clamorē apoſtolorū poſt miſsionem ſpiritus ſancti in ſua excęcati ſunt infidelitate, in eius rei ar-

Eſaiæ 6. gumētū addit propheta, Impletā eſſe domū fumo. (domꝰ, id eſt, templū.) fumus viſum impedit, dum moleſtus, & ingratus eſt oculus. ita infidelitas Iudæos impediuit, quominꝰ viderint quod ſanctus eſt pater, ſanctꝰ filius, ſanctus & ſpi-

Eſaiæ 6. ritus ſanctus. Atq; ideo ſtatim ibi ſequitur, Excæca cor populi

puli huius, & aures eius aggraua. hinc in hodiernũ vſq; diẽ
fumus eſt in oculis Iudęorum, dum non credunt trinitatem
perſonarum in vna eſſentia diuina. Nos autẽ qui intra mœ *Apoc. 5.*
nia ſanctæ eccleſiæ detinemur, quibus aperuit librũ agnus
ipſe Chriſtus dominus, hoc eſt, manifeſtauit occulta ſanctæ
trinitatis myſteria, ideo quotidie clamam⁹ in ſacrificio miſ-
ſæ, Sanctus, ſanctus, ſanctus dominus, &c. Quumq; Dauid
ait in pſona Chriſti, In capite libri de me ſcriptũ eſt, quod- *In capite*
nam eſt caput ſiue principium illud, niſi primus liber Moy- *libri.*
ſis de creatione mũdi? ſed vbi Moyſes de eo ſcripſerit, Chri
ſtus ipſe aperit, qui interrogantibus Iudæis quis eſſet, reſpõ
dit, Ego principiũ, qui & loquor vobis. Quo reſponſo do-
cuit ſe principiũ illud eſſe loquẽs eis in primo libro, in quo
de ſe ſcriptũ ſit, iuxta teſtimoniũ Dauidis. ſic autem eſt le-
gere apud Moyſen à capite, In principio creauit de⁹ cœlũ *Gene. 1.*
& terrã. Quod quæſo aliud eſt principium niſi filius dei, in
quo cœlũ & terra creata ſunt? ſane illud etiã Ioãnes teſta- *Ioan. 1.*
tur, dicẽs, Omnia per ipſum facta ſunt. Ita nimirũ deus pa-
ter cœlũ creauit & terrã in principio, hoc eſt, in filio. Stati m
poſtea ſequitur, Spiritus domini ferebatur ſuper aquas. Et *Gene. 1.*
hic tibi tres illas in diuinis perſonas, expreſſas in primo ve-
teris teſtamenti libro, cap. 1. (Vide Petrũ Nigri in diſputa-
tione contra Iudæos, plura argumenta cõquirentem ex pri-
mo capite, ex eo quod dicitur elohim, quod dicitur breſchit
bara, ex nomine ité tetragrãmaton: ſed iſta mitto, quia non
ſunt pro cõmuni populo.) ¶ Poſſent ad longũ iſtiuſmodi
complures loci induci, ex quibus nõnullos velut vno faſce
collectos proponemus. Dauid inquit, Verbo domini cœli
firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorũ. Ecce hic
dominũ patrẽ: verbũ, filiũ: & ſpiritũ, ſpiritũ ſanctũ. per hos
tres cœli creati ſunt, quamobrẽ alio loco in vnico vni⁹ pſal *Pſal. 80.*
mi verſu ter deũ cõmemorat, inquiẽs, Benedicat nos deus
deus noſter, benedicat nos deus, non quod tres dij ſint, ſed
deus vnus in tribus perſonis. Sic etiã cũ dominus cõmittere
Moyſi, quomodo frater eius Aaron benedicere deberet fi- *Num. 6.*
lijs Iſraël, iuſsit vt ſic diceret, Benedicat tibi dominus & cu-
ſtodiat te, oſtẽdat dominus faciẽ ſuã tibi & miſereatur tui.
Conuertat dominus vultũ ſuũ ad te, & det tibi pacem. Hic
quoq; in hac benedictione nomen domini ter exprimitur,
ad demõſtrandã trinitatẽ perſonarũ in diuinis. Huiuſmo-

dilocos plurimos ex veteris testamẽti scriptis colligere posſem, sed nobis Christianis hoc magnopere necessariũ nõ est, quũ habeamus euãgeliũ viuũ, in quo manifeste nobis personæ tres in vna essentia diuina sunt annunciatæ. Vide Galatinũ, si placet, & Porchetũ. 3 Quũ iam non sufficiamus cognoscere quomodo tres personæ sint in vna diuina essentia, adhuc tamẽ imbecillitatis intellectus nostri misertus deus, imaginẽ quãdã nobis dedit, per quã in cognitionẽ dei venire posſimus. Omnes enim creaturæ, vt ait Augustinus, clamant deũ eos fecisse, creatoremq́; illũ suũ profitẽtur. idẽ alibi dicit, Oportet vt creatorẽ per ea quæ facta sunt intellecta cõspiciẽtes trinitatẽ intelligamus. huius enim trinitatis vestigiũ in creaturis apparet. Præcipua diuinitatis vestigia in angelis & hominibus cõspiciuntur, puta creaturis rationalibus in quib⁹ & imago dei exiſtit. Ipſum vero hominem magno cõsilio creauit deus ad imaginẽ & similitudinẽ suã. siquidẽ ipſum tanq̃ dominatorẽ creaturis omnibus in terra præficere volebat, quo ſublimioribus etiã donis eũ illustrauit. Mitto quod in illis etiã verbis trinitas designatur, quando dixit dominus. Faciamus(ecce patrem)hominem, ad imaginẽ(ecce filiũ) & similitudinẽ nostrã (en ſpiritum ſanctũ.) Et quod de⁹ filius ſit imago patris, Paulus testatur, dum eũ vocat inuiſibilẽ imaginẽ dei: & alibi, ſplẽdorẽ gloriæ & figurã ſubſtãtiæ eius. ſed quo pacto homo ad ſimilitudinẽ dei formatus ſit, paulò pòſt explicabimus. Ad ſimilitudinẽ factus eſt, quia ideo creatus eſt, vt diuinã bonitatẽ ſequeretur, quæ eſt nimirũ ſpiritus ſanctus. Eſt autẽ imago dei præcipuè in anima hominis hoc modo, quia ex ſententia Auguſtini ſunt in anima potentiæ tres, memoria, intelligentia, volũtas. aliquando nominat nominibus actuum, aliquãdo potentiarũ. Noli tamen apud Auguſtinum intelligere per memoriã, recordationem rerũ cognitarum, ſed vim atque potentiam intelligendi: & vt eſt ſub actu, dicitur intelligentia, ideoq́; appellatur memoria fœcũda. Ipſe igitur animam tuam conſidera, quæ intellectus tui & voluntatis origo eſt, atque ineo ipſa dei patris imago exiſtit. quid illa parit? primum verbum cordis, notitiã alicuius rei, quæ & ipſa imago eſt filij dei, qui etiam ex vtero paterni intellectus naſcitur. Vnde iam vides cur filius dei verbum patris dicatur, nõ quod ſit verbũ oris quod in aëre profertur, ſed

verbum

Calatinus. *Porchetus.* *Lib. 11. de ciuit. cap. 4.* *Lib. 6. de trini. Roma. 1.* *Col. 3.* *Hebræ. 1.* *Anima imago dei.* *Auguſt.*

verbum est paterni cordis, quod pater ipse ab æterno genuit ex suo intellectu. Vox quidem illius externa Ioannes fuit, sed filius verbū erat: iuxta illud, In principio erat verbum & iterum, Verbū caro factū est. Quum primum ergo anima aliquid cognoscit, statim sequitur amor, dicēte Augustino, Non visa amare possumus, incognita nequaquā, cū nihil diligatur nisi cognitū. Atq; ea spiritus sancti imago est, quia ille à patre & filio, qui verbum est & cognitio, procedit siue spiratur per diuinā voluntatem ab eterno. Sic ergo iam profectā videmus imaginē dei in anima hominis, quoniam substantia animæ designat patrē, memoria & intellectus filium, volūtas autē & amor spiritū sanctū. Sequitur quod quanuis omnes essentiales perfectiones æquè cōmunes, imo & idem sunt tribus illis personis, vni tamē personæ præ alijs attribuuntur, non tanquā propriæ, sed appropriatæ, ratione processionis suæ ex alia persona. Res exemplis est aperienda & cōmonstranda vt clarius intelligatur. Patri potentiā tribuimus, sapientiā filio, & bonitatē spiritui sancto, quanuis singuli tres æquè sint potentes, sapientes & boni. Quæres igitur quare alteri personæ aliquid plus alijs tribuatur. Respondetur, quod etsi sapientia tribus personis est cōmunis, imo & vno omnium trium sapientia est, quia tamē filius dicēdo à patre procedit, verbū eius est, à quo & gignitur ex suo ipsius intellectu, ideo sapientia ei appropriatur, quanuis omnes tres æqualiter sint sapiētes. Ita bonitas cum sit personis tribus æqualis, spiritui tamē sancto approprietate tribuitur, eo quod ille amor est & procedens spiratur, (eius enim processio, spiratio est) à patre & filio per voluntatē. (quia voluntas est principiū quo) Iā vero ea natura amoris & voluntatis est, quod nihil nisi sub ratione boni desiderāt, cū hoc sit bonum quod omnia appetūt, & ratio boni sit ratio appetibilis. 1. Et hic. ideo quodcūq; vel amori vel voluntati vel bonitati tribuitur, id omne appropriatur spiritui sancto. Et ob hāc causam eidē tribui solet remissio peccatorū, vnde Christus apostolis suis daturus potestatē remittēdi peccata, priu⁹ dedit eis spiritū sanctū. Sic patri potētia tribuitur, quoniā & illi⁹ imago anima est, nō minus quā potēs est verbū producere & voluntatem, atq; eodē modo pater initiū est totius trinitatis. ¶ Nō hic me clā est, quod cōmuniter dici solet, quia inter homi-

Ioan. 1.

Lib. 14. de trini.

Appropriata personarum.

Ioan. 20.

nes plerunq; patres vetuli ſunt & viribus non ita validis, ne hoc idē de deo patre cogitetur, potentiam ei tribuimus. Et quia filij in iuuentute pleruq; ſtolidi & imprudentes ſunt, quod filio dei nō cōpetit, proprie ipſum ſapientē vocamus: deinde quū illud quod ab homine ſpiratur, vt plurimū furioſum ſit (iuxta illud Eſaiæ, Quieſcite ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt) ne hoc videatur etiā in deū cadere, dicere ſolemus bonitatē ſpiritus ſancti. Verū prior illa ratio firmiori innititur fundamēto in ijs & pluribus etiā alijs intelligēdis. 4 Iámne videtis quam impudēter Iudæi inſimulent nos de multitudine deorū, quū tamē cōfiteamur vnā eſſentiā diuinā, ita quod tres illæ perſonæ ſint de' vnus & verus? ita enim in lege ſcriptū eſt, Audi Iſraël dominus deus tuus, deus vnus eſt. Et qđ ait deus per os Dauid, Iſraël ſi me audieris, nō erit in te deus recens, neq; adorabis deum alienū, Ego enim ſum dominus deus tuus, hoc vtiq; etiā nos firmiter credimus & cōfitemur, ita tamē, vt ſimul cū vnitate eſſentiæ ſtet trinitas perſonarū, ſicut ſuperius ex vtriuſq; teſtamēti ſcriptis cōfirmauim⁹, ipſeq; Moyſes toties declarauit, vt recte dixerit etiā dominus Iudæis, Si Moyſi crederetis, crederetis forſitan & mihi. de me enim ille ſcripſit, locis iā ſupra allegatis. Verū cæci Iudæi, videre nil potuerunt præ fumo malitię ſuę, multoq; propēſiores fuerūt ad violandas ſcripturas quā ſane intelligendas, eosq; erroris incuſauit dominus, quod nec ſcripturas ſcirēt neq; virtutem dei.

Eſaiæ 2. *Deut. 6.* *Pſal. 80.* *Ioan. 5.*

Sabelli. Turpiſsime etiā aberrarunt hic hæretici, qui ex patre, filio & ſpiritu ſancto, vnā voluerunt facere perſonā. Aliquanto

Arrius. inſuper magis inſaniuit Arrius, dū negauit filiū verum eſſe deū, ſed purā dixit eſſe creaturā, quod quidā neochriſtiani noſtro hoc deplorato ſeculo conati quoq; ſunt aſſerere. Sed proh deū immortalem, quanta hæc blaſphemia eſt, Chriſto Ieſu ſaluatori noſtro ſuā velle eripere diuinitatem, bonum longe eminentiſsimum? Atq; multū laborauit, plurimumq; ſolicita eſt circa hāc hæreſim eccleſia. Impegit hic etiā magna erroris naui per æquora vectus Macedonius, duas tantum cōcedēs in diuinis perſonas, deū patrē & filiū. nanque ſpiritum ſanctū concedebat non deū, ſed purā eſſe creaturā. Iſtos & iſtiuſmodi errores omnes nos decet explodere, atq; cū eccleſia firmiter credere, tres eſſe perſonas quidē, ſed tamen eſſentialiter deum vnū myſteriū autem hoc magnū re-

Mat. vlt.

uelauit

uelauit nobis Christus, dum apostolis suis tradidit baptizandi formulã. ibi nimirum viuentis dei verũ nomen ostendit, quod in frõtib⁹ suis oportet gerere seruos dei in hoc ab angelis signatos, &c. Nomẽ illud sanctissimũ dei patris, dei filij & dei spirit⁹ sancti. iam in speculo tantũ & ænigmate cognoscimus. Vtinam autẽ nobis deus ille gratiã suam concedat, vt ipsum videre possimus facie ad faciem sicuti est in æterna gloria, quam elargiri nobis dignetur ipsa summa & indiuidua trinitas, in secula seculorum benedicta, Amen. 1. Cor. 15.

IN SOLENNI FESTIVITATE VENERABILIS ET SACROSANCTI CORPORIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI,

Euangelium Ioannis 6.

IN illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis & turbis Iudæorum, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut me misit viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis qui de cœlo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

HOMILIA PRIMA.

QVVM iam domin⁹ populũ se sequentem septem panibus hordeaceis pauisset, amplius adhuc spiritualẽ doctrinæ suæ salutaris panẽ contulit. sed quãdo isti manna ei obiiciebãt, quod patres eorum in deserto manducassent, cœpit erudire eos de cœlesti pane diuinæ visionis, quæ beatos pascit in illa magna & æterna cœna. deinde docet seipsum quoq; panẽ illum esse secundũ diuinitatẽ. Mox panẽ alium apponit eis, corpus nẽpe suum, vt sic etiã quo ad humanitatem, panis esse nosceretur. Hoc Iudæi capere non poterant, ignari nimirũ dominũ panem illũ sub sacramentalis forma daturũ. hinc istud eorum murmur enatum est, quãdo dixerunt, Quomodo potest ille nobis carnem suam dare ad manducandũ? putabant enim se corpus eius comedere debere vt aliã carnẽ, quæ venit in macello à lanio. Quibus contra dominus ostendit panis huius manducationẽ plane necessariã esse, & hinc sequũtur verba Luc. 14.

Ioan. 6. euangelij huius, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Quibus ille verbis nouorũ pariter & veterũ refutat errorem Capharnaitarũ. Sicut enim aduersus hunc Christi sermonem cõsurrexerunt Capharnaitæ, ipsiq; iam tandem discipuli domini cum ipsis offendi cœperũt, dicentes, durus est hic sermo, & quis potest audire eum? sane crudus nimis videbatur illis cibus hic, nec poterant manducare eum: ita post illos surrexerunt adhuc noui Capharnaitæ, vt Berengarius quidã diaconus Andegauẽsis in Gallia, & post eum Vuickleph in Anglia, nostróque hoc seculo prohdolor Carolstadius, Zuinglius, OEcolãpadius, Bucerus, Capito, & huiusmodi alij falsi prędicatores multi in Germania, nolunt etiã cum Christo vniuersaq; ecclesia carné Christi vere esse cibum retrocedunt autem cum Capharnaitis, non amplius iam ambulãtes cũ Christo, sed dicũt, Durus est hic sermo. Quomodo potest ille nobis carnẽ suam dare ad mãducandũ? Tam impudẽter blasphemi isti homines loquũtur de corpore Christi, quasi iã ex media Tartaria venirẽt, obliti omnino omnipotentię diuinę, immemores etiã miraculorum Christi, conantur omnia fidei nostræ mysteria diminuere, simúlq; attringere sub humani intellectus capacitatem. Nõ formidant hoc sibi sumere, vt annitãtur nos in ecclesia sancta priuare maximo illo thesauro & preciosissimo solatio, quod habem⁹ sanctissimi corporis Christi & sanguinis eiusdem, pro quo offerunt nobis crudum neque benedictum panem pistoriũ. Atque hic quidẽ labor & conatus est diaboli, in quo adeo elaborat vt omnẽ deuotionem eximat Christianis, non ignarus vtiq; quantũ patsatur incõmodum ex sacramẽto corporis Christi, quod pias hominũ mẽtes ita eleuat in deũ, ita omni deuotione perfundit, ita in dilectione dei succendit & inflammat, dum recolũt immẽsam dilectionem Christi, qui etiam corpus & sanguinẽ proprium in suis memoriã atque adeo pignus amoris relinquere veritus non est: Quod enim vel saxeum pectus nõ mitigetur, deiq; misericordiam nõ admiretur, dum recogitat hoc illud esse corpus verum, de Maria virgine natum, in mundo conuersatum, quódque super mare ambulauit, quod pro nobis sanguinem fudauit: corpus inquã illud, quod pro redẽptione vniuersi generis humani captũ, ligatum, cõsputum, flagellatum, spinis coronatum, crucifixum denique & mortuũ est?

Caphar. veteres & noui.

Ipsum

Ipſum hoc corpus in quo Chriſtꝰ reſurrexit, cœlóſq; aſcendit. & in eodē reuerſus iudicabit viuos & mortuos, daturus iis qui erunt à dextera vitā æternam, ſiniſtros condemnaturus. Quis obſecro non etiā adamantinum animum ſuum excitet, hæc meditando, ad deum in charitate ſimul & timore? quis nō ſtupeat ad hoc tam admirandum ſignum charitatis? Quando autem impius iſte Capharnaitarū error apud multos iam increbuit, diſſerendū nobis & dicendum aliquid eſt cōtra eum, ne vel catholici in eundem impingant, ſeducti à fide eccleſiæ antiqua & indubitata, vel qui ſemel in illā ſunt prolapſi, de reſurgendo & reſipiſcendo aliquādo cogitent. Et principio quidem ante omnia Chriſti verbis credere debemus in euangelio, quū ſit ipſe via, veritas & vita. ſic autē ait, Caro mea vere eſt cibus. Ecce quis nō malit fidem habere Chriſto profitenti carnē ſuam vere eſſe cibum, quam noſtris iſtis Capharnaitis, ſomniantibus illam nō vere, ſed typice tantū & figuratiue eſſe cibū. aiunt enim iſti corpus domini non vere eſſe in ſacramēto, ſed panem figuram ſolummodo & ſignum corporis Chriſti exiſtere. cum quibus, vide obſecro, quomodo cōueniat illud quod Chriſtus ait, Caro mea vere eſt cibus. ſiquidē ea cibi operatio, eſt vegetatio vitæ. vita autem veriſſima eſt, quæ ad ſummā vitam quā proxime accedit, quæ vita gratiæ eſt & gloriæ. Itaq; caro Chriſti vere eſt cibus, eo quod hominem & nutrit & commouet ad illam ſupernam vitam gratiæ & gloriæ: quoniā nihil immundū eſt in cibo corporis Chriſti. Simili modo de ſanguine dicit, Quia ſanguis meus vere eſt potus. Vere potus ſanctiſſimus, in quo nihil impurū, ſicut in aliis poculentis. Verùm de hoc poculo propheta inquit, Faciet dominus omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, cōuiuium vindemię, cōuiuium pinguiū medullatorū, vindemię defecatæ. Mirūq; adeo fieri ſolet, quod ea ſunt homines iſti temeritate, vt audeāt tā clara verba Chriſti lacerare & pſcindere pro ſuo lubitu, aduerſus eccleſiā totā omniūq; ſanctorum patrū ſcripta audeāt. Chryſoſtomus ait, Vt eos in prædictis cōfirmet, hoc ſubdit dominus, ne obſcure loquutū in parabolis arbitrarentur: ideo vere prędicat illud fieri oportere, vt manducetur corpus Chriſti. Præclare etiam Theophylactus, oportet, inquit, nos quū audiuerimus, Niſi ederitis carnē filij hominis, nō habebitis vitā, in ſumptionibus

Ioan. 16.

Caro Chriſti vere in ſacramento.

Eſa. 25.

Chryſoſt.

Theophy.

diuinorum mysteriorum indubitatè retinere fidem, & non quærere quo pacto. nam animalis homo, hoc est, qui sequitur cogitationes humanas & animales non est capax eorum quæ sunt super naturam & spiritualium: atque ita & spirituale esum carnis dominicæ nō intelligit, cuius qui nō sunt participes, nō erunt participes vitæ æternæ. eo quod nō susceperunt Iesum, qui est vita æterna, quoniam non susceperit Christum Iesum, qui est vita æterna. Possem in hoc multas inducere authoritates doctorum, sed breuitatis studio prætermitto, eásque sub finem cōmodius introducā. ¶ Et quod verum corpus Christi vere, præsentialiter & realiter, quod aiunt, sit in venerabili sacramēto altaris, probatur ex eo quod dominus ait ante hoc euangelium, Panis quem ego dabo vobis, caro mea est, quam dabo pro mundi vita. Et hic quoque dominus promittit se panem apostolis suis daturum, qui sit ipsa sua caro, neque tamen de pane illo loquitur, quo paulò antè tot hominū milia pauerat. Si igitur omnem vndiq; circunspiciamus scripturam, & consideremus, vbinam præstiterit dominus quod hic promisit, nihil vtique inueniemus nisi ipsam cœnam, qua dedit eis panem, eúmque omnipotenti sua benedictione transmutauit in carnem propriam. ¶ Et ne ambigeres de carne quā tandē intelligeret ille, adiecit, Quam ego dabo pro mūdi vita. (ita enim in Græco bis ponitur, dabo.) Cōstat autē quod caro illa quam dedit ipse pro mundi vita in ara crucis, vera eius caro est, quā ex virgine matre susceperit, & non sicut falsò crediderunt Manichæi, quod corpus phantasticum habuerit, non vere carneum.

Manich.

¶ Contextus hic tantum apud me valet, cōcludit & ligat, vt sit vel hoc fundamentum tantum sufficiens, si aliud nihil extaret, ad captiuandum intellectum meū, & in seruitutem redigendum ad obsequium fidei. neque id ego sic vel solus, vel primus intelligo. olim ante nos Beda sic sensit, quod hūc panem tunc dominus dedit, quando mysterium corporis & sanguinis sui discipulis tradidit, & quando seipsum obtulit deo patri in ara crucis. Eadem quoque sententia Theophylacti est, qui in illo etiā loco sic ait, Manifeste nobis hoc loco de mystica cōmunione corporis sui dicit. Et infra, Attende quod panis qui à nobis in mysteriis manducatur, non est tantum figuratio quædā carnis domini, sed ipsa caro domini. Non enim dixit, Panis quem ego dabo, figura est carnis,

2. Cor. 10.

Beda.

sed

ſed caro mea eſt. Transformatur nanque arcanis verbis panis ille per myſticam benedictionem & acceſſionem ſancti ſpiritus, in carnem domini. Nō poſſum mihi tēperare quin plura Græci huius epiſcopi ſuper hac re verba recenſeam. Ne quem cōturbet, inquit ille, quod credendus ſit panis caro. etenim & in carne ambulante domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille qui māducabatur, in corpus eius mutabatur, & ſimilis fiebat ſanctæ carnis eius, & in augmentum & ſuſtentationem cōferebat iuxta humanum morem. Igitur & nunc panis in carnē domini mutatur. ¶ Dices, Atqui carnem non videmus, ſed panem. Reſpōdeo, quia illud noſtra gratia ſit, ne forte cū faſtidio abhorreret quiſpiam, quia ſi carnem præ oculis cerneremus, nō multum alicereamur ad cōmunionem ſacramenti. cōdolens ergo imbecillitati noſtrę dominus, fecit per omnipotentiam ſuam, vt ſanctus panis noſtro offeretur conſpectui eo modo, quo alias manducare ſolemus, & in fidei meritum. 3 Quis porrò inficias eat, Chriſtianum multo plus credere oportere verbis Chriſti, quā quibuſcūque aliis mendacibus & vanis ſpiritibus? Conſtat itaque & in confeſſo eſt apud omnes, quod in huius ſacramenti inſtitutione accepit dominus panē, fregit & dixit, Hoc eſt corpus meū. ſimiliter & calicem poſtquam cœnauit, dicens, Hic eſt calix ſanguinis mei, &c. Hoc ita vnanimiter ſcripſerūt tres euangeliſtæ, Matthæus, Mar- *Matt.17.*
cus, & Lucas, atque iis tribus accedit quartus teſtis Paulus, *Mar.14.*
qui idem cōmemorat. At quomodo tandem fieri poſſet, vt *Luc.22.*
ſi hæc fuiſſet Chriſti ſententia, quæ nūc neochriſtianorum *1.Cor.11.*
impietas eſt, vt hic nō corpus ipſum, ſed figura eius ſimul & ſanguinis exiſtat, vt nullus ex illis vel verbo vnico eius faciat mentionem? Imò omnes in re tam ardua cōſentientes, ſcribunt dominū dixiſſe, Hoc eſt corpus meum. Et adſunt qui Capharnaitis iſtis credant, dicentibus nō eſſe hic corpus domini. O errorem impiū, ô temeritatē inſignem, tam prę-cipitanter & cōfidenter aliquid affirmare aduerſus totā eccleſiam, quæ mille quingentis iam hactenus annis illud conſtantiſſime obſeruauit. ¶ Docuit idem Cyrillus eodē mo- *Cyrillus.*
do, quo nos hic fecimus properādo textum ſic enim ait, No li dubitare an hoc verū ſit, cum manifeſte dicat, hoc eſt corpus meū: ſed eo magis verba ſaluatoris tui in fide ſuſcipias, quoniā veritas eſt & nō mentitur. Suffragātur huic ſenten-

Lib. 4. c. 4 & 5. tiæ omnes alij etiam vetuſtiſſimi. ita Ambroſ. in lib. de Sacramentis, quem etiã Auguſt. vidit & laudauit, inquit, Antequã cõſecretur panis eſt: vbi autẽ acceſſerit cõſecratio, de pane fit caro Chriſti. Conſecratio autẽ quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? domini Ieſu, in quo facta ſunt omnia. iuſſit enim dominus, & omnis creatura generata eſt. Vides ergo quam operatorius ſit ſermo Chriſti? Si enim tanta eſt vis in ſermone domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erant, quãto magis operatorius eſt vt ſint quæ erant, & in aliud cõ mutentur? Etſi verbũ dei in aliis rebus operatur, quomodo nõ in cœleſtibus operabitur ſacramentis? Non diuerſum eſt quod habet Chryſoſtomus homil. 83. ſuper Matthæũ, & homilia 60. & in homilia de ꝓditione Iudæ, quũ ait, Nũc ille præſto eſt Chriſtus, qui illam ornauit menſam, ipſe quoque cõſecrat eam. nõ enim homo eſt, qui propoſita cõſecratione menſæ domini, corpus Chriſti facit & ſanguinẽ, ſed ille qui crucifixus eſt pro nobis Chriſtus. Sacerdotis ore verba proferuntur, ſed dei virtute cõſecrantur & gratia. Hoc eſt, ait, corpus meum, hoc verbo propoſita conſecrantur. Eiuſdem quoq; ſententiæ eſt. Auguſt. ad Iulianũ comitem, & Ioan. 6. Pſalm. 33. & in lib. de ſerm. domini in mõte, Sicut operatione ſpiritꝰ ſancti vera caro creatur ſine virili ſemine, ſic per eundem cõſecratur ſubſtantia vini & panis in carnẽ & ſanguinem Chriſti. Supereſt nobis adhuc Cyprianus, qui & ipſe audiendus eſt, quumq; multis in locis probet verũ Chriſti corpus eſſe in ſacramento, tamen ſuper allegato textu in ſermone de cœna domini aperte inquit, Panis iſte quẽ dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro: & ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & diuinitas latebat: ita ſacramento viſibili ineffabiliter ſe diuina infudit eſſentia, vt eſſet religioni circa ſacramenta deuotio, & ad veritatẽ cuius corpus ſacramenta ſunt, ſyncerior pateret acceſſus vſq; ad participationem ſpiritus. ¶ Satis itaque nobis tres illæ authoritates ſcripturæ quo ad literam, vt ſunt ſcripturæ à ſpiritu ſancto, expoſitæ à ſanctis patribus, & receptæ: ab vniuerſali eccleſia probant perſuadẽtque nobis, vt firmiter credamus Chriſtum verũ corpus ſuum apoſtolis in cœna dediſſe ſub ſpecie panis, ſicut etiam nunc transformatio illa fieri ſolet in ſacrificio miſſæ, cui ſane maiores noſtri, qui fœliciter hac

Chryſoſt.

Auguſti. Cypria.

In proœmio de doctri. Chriſti.

vita

vita sunt perfuncti, & plurimum sanctimoniæ detulerunt, & sancte religioseque sunt venerati. Hinc inter Germanos dici cœptum, quãdo sub eleuationem corporis Christi pulsus fieri solet, pulsari ad transmutationem. Aut quænã hæc alia transsubstantiatio (liceat hic interim cum scholis sic dicere) est, nisi quod per consecrationem sacerdotis, deinde per virtutẽ & efficaciam summi sacerdotis Christi substãtia panis & vini mutatur in corpus & sanguinem Christi? Atque hæc illa mutatio est, qua locum habet illud Christi verbum, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Deprecemini dominum deum, &c.

HOMILIA II.

QVANDO principio huius euangelij dñs carnẽ suã vere cibũ esse prædicat, occasiõe inde accepta, consulto me facturũ existimaui, si aduersus nouorum Capharnaitarum errores & blasphemias docerem veritatem corporis Christi in sacramento altaris, quod & superiori homilia feci. non enim facile committendum est, vt error iste paulatim irrepat in ecclesiam, quæ nos longe preciosissimo thesauro, sum mo; solatio huius salutiferi & venerabilis sacramẽti nititur priuare. Quanuis etiam apertissima illa verba Christi, cuique Christiano satisfacere debeant ad confirmandam fidei circa hoc sacramentum veritatem, tamen ex superabundanti visum est plura adhuc testimonia colligere & afferre pro hoc venerabili sacramẽto. Primũ itaq; occurrit mihi locus Pauli, qui sic ait, probet seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Quibus verbis commonefacere voluit Corinthios suos Paulus, quoniam cibus hic non sit eiusmodi, quo quotidie vescimur ad necessitatem corporis & sustentationem: sed quod talis sit ille, quo quisquis vescitur indigne, is iudicium sibi mãducat, sicut paulò antè hæc verba etiã ait, Quicunque manducauerit panem hũc, & biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini. Quasi diceret, nemo iocum & lusum reputet cibum illum, quia corpus Christi est, cuius reus efficitur, quisquis ipsum mãducat indigne. Atqui inter neochristianos oportet aliquẽ multo vesci pane pistorio, in hoc vt reꝰ corporis Christi efficiatur.

1. Cor. 11.

1. Cor. 11.

Reus corporis domini.

¶Sed video nasutulos quosdam euasionem hic parare sibi & dicere, quum panis ille pistorius quo ipsi vtūtur, signum hic corporis Christi, quicunque eo vescatur indignus hunc quoq; dehonestare significatum illud, puta corpus Christi. Nihil proderit autē eis quod sic elabi conātur. ipsiq; indesinēter imagines Christi, Mariæ, & sanctorum omniū violant, confringunt, destruunt, cœna & luto coinquinant, plane q; cōburunt, omnino iam ex propria ipsorum confessione & iudicio, in Christum, Mariam & sanctos dei redundabit contumelia, quam inferunt imaginibus eorum. Atque hinc iam vident quantum blasphemarint hactenus deū, Mariam & sanctos, dum more Iudęorum & Turcarum, imagines sanctorū vndiq; destruxerunt in tēplis, & omnibus triuiis ac cōpitis, tam insigni temeritate, vt nihil supra, sed de iis alias plura. ¶Nunc vt ad verba Pauli reuertar, non dicit ille quidem absolute peccare eos qui indigne sumunt sacra-
Leuit.22. mentum corporis Christi, quomodo Moyses dicit in veteri testamento, Omnis homo qui accesserit ad ea quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit corā domino. Sed magnum quoddā peccatum ostendit eos facturos, eo q; rei erunt corporis & sanguinis domini. Ita idē probat nos iam grauius peccare iis qui offenderunt in lege: quū ait, Quāto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium dei cōculcauerit, & sanguinē testamenti polluerit duxerit? Hoc autē recentes faciunt Capharnaitę, qui venerabile sacramētum profundunt, cōculcant & profanāt, quo ad literā, imo
Chrysosto. quod fertur, est q; extrema blasphemia, sagitis petētes trāsfodiūt. Hoc ita intellexit etiam Chrysostomus, maxime de sanguine loquēs. Hic sanguis floridā nobis reddidit regiam imaginem, hic decus indelebile, hic animæ generositatē tabescere non permittit, hic mysticus sanguis dæmones quidem expellit, ad nos autē angelos vocat & angelorum domi nū. Infra, Hic est salus animarum nostrarū. Rursus infra, Sicut est magnum & admirabile si cū puritate accesseris, ad salutem accessisti: si vero cum mala conscientia, ad pœnā & vltionem, Quicunque enim immundo corde corpus Christi percipiunt, non alio puniuntur supplicio, quam quo isti qui dominum clauis confodierunt, crucię affixerunt. Ait ergo ille in sermone domini, ne quis sit in mensa domini Iu-
Augusti. das. In eadem sententia est & Augustinus, qui in lib. de ver-

bis

bis domini in monte, in hæc verba ait, Dominus vocat ministros ſuos, vt eis cibum præparet ſeipſum. quis autem auderet dominum ſuũ manducare? ſane & cũ manducatur, nihil ei deficit, & tamen multa reſtaurat. Neque mãducando corpus dominicum in partes ſecamus. norunt enim fideles quomodo manducent illud. per partes quidẽ ſumitur in ſacramento, & tamen totus in cœlo permanet, totus in corde tuo. Atq; huiuſmodi ſacramẽta dicuntur, quod in eis aliud cernitur, aliud intelligitur: & quod videtur, corporeã habet ſpeciem, quod autẽ intelligitur, fructum habet ſpiritualẽ.

2 Probatur etiam articulus ille fidei noſtræ, quod ipſum Chriſti corpus vere & eſſentialiter ſit in ſacramẽto altaris, ex apertiſsimis Pauli verbis, quæ ſic habent, Calix benedictionis cui benedicim⁹, nõne cõmunicatio ſanguinis Chriſti eſt, & panis quẽ frangimus, nõnne participatio corporis domini eſt? quoniã vnus panis & vnum corpus multi ſum⁹, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Ecce hic Paulus, qui in tertium vſq; cœlum raptus eſt, nos docet qualis, imo quid ſit ille panis altaris, cuius participatio communicatio vtiq; non panis piſtorij, ſed corporis Chriſti eſt. Et quid vltra deſideramus? ecce aperta habemus Pauli verba, docentis cõmunicationem illam eſſe corporis & ſanguinis Chriſti, non piſtorij panis. Obſeruã dum etiam eſt quod dicit, Vnus panis & vnum corpus multi ſumus (ſpiritualiter nimirum, quomodo & eccleſia vnũ corpus Chriſti eſt) omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Conſtat autem omnes nos Chriſtianos non de pane cõmunicare piſtorio, quum non ſit aliquis panis in cœlo & in terra, quẽ Chriſtiani nos omnes ſuſcipimus, niſi hic panis viuus Chriſtus Ieſus. Nemo igitur Chriſtianus dubitare debet, verum Chriſti corpus realiter eſſe in ſacramento altaris, cuius contrarium etiam in tribus catholicis cõciliis damnatũ eſt, Turonis, Vercellis, & Romæ ſub põtifice Nicolao. Inſuper & author huius erroris Berengarius hoc reuocauit, vt teſtantur Canones. Nec quenquam mouere debẽt temeraria eorum ſomnia, quæ comminiſcuntur aduerſus locos præallegatos, dum eos etiam dilaniant miſere atque lacerant, ſicuti per nos in diſputatione Badẽſi apud Heluetios fortiter, cõſtanter, & ita vt refragari nemo queat, eſt defenſum. ipſeq; alias ſæpe obtuli me ad ignem vſque, cõtra aduerſarios no-

1. Cor. 10.

De conſe. diſt. c. Ego Berenga.

ſtros veritatem fidei catholicæ tueri diſputando.

3 Nunc ad obiecta eorum diluenda progrediamur, quibus illi conãtur ſimplices exvulgo homines illaqueare. Verùm hic nõ ita immorabimur, ſed breuiter expediemus. Primo obtrudũt nobis illud domini verbum, Caro nõ prodeſt quicquã. quid ergo, inquiũt eſt quod caro ſumatur in ſacramento? *Ioan. 6.* Reſpõdeo, Inepte intelligunt hoc illi de carne Chriſti. quis enim vnquam tã deſperati animi eſſet Chriſtianus, vt diceret carnem Chriſti nihil prodeſſe, quæ ſibi cibus eſt? *Ioan. 6.* vtiq; prodeſt. Quod ſi carnẽ ille ſuam dedit pro mũdi vita, *Luc. 22.* vt ipſe ait, vtiq; multum prodeſt. In cœna ſic dixit Chriſtus ad diſcipulos, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. An non ſit hoc corpus vtiliſimum digniſimumq́ue, in quo Chriſtus paſſus & mortuus, mundum redemit vniuerſum, in quo reſurrexit, ad cœlos aſcendit, vbi iam illud omnes ſancti ſummi votis cupiunt aſpicere? Eat nunc quiſquis volet, & dicat carnẽ illam ſanctiſimam nihil prodeſſe. Prẽterea ſi corpus Chriſti nihil prodeſſet, etiam ſanguis eius nil *Matt. 26.* prodeſſet, de quo Chriſtꝰ ait, Hic eſt ſanguis meus noui te- *Roma. 3.* ſtaméti, qui pro multis effundetur in remiſsionẽ peccatorũ. *Act. 20.* Itẽ Paulus dicit, quod deus poſuerit eum propitiatorẽ per *1. Ioan. 2.* fidem in ſanguine ipſius. Idẽ in Actis ait, Chriſtum acquiſi- *1. Pet. 2.* uiſſe eccleſiã in ſanguine ſuo. Et Ioánes teſtatur ſanguinem Chriſti mundare nos ab omni peccato. Huiuſmodi teſtimo- *Heb. 10.* niis de corpore & ſanguine Chriſti tota vndiq; abũdat ſcriptura, nam & de eo Petrus ſic inquit, quod peccata noſtra ille portauit in corpore ſuo. Et rurſus Paulus dicit, In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel. Quum itaque nemo Chriſtianus cui ſana ſit ratio, dicere poſsit aliquo modo, Caro Chriſti non prodeſt quicquam, oportet vtique alium hic ſubeſſe intellectum verborum Chriſti, ita vt non loquatur ille de ſua carne. In eius rei argumentum, quando paulò antè de carne ſua loquens, Caro, inquit, mea vere eſt cibus, nunc nõ item dicit, Caro mea non prodeſt quicquam, ſed ſimpliciter, quia caro non prodeſt quicquam, non caro illa ſua, ſed carnalis iſte intellectus, quem Capharnaitæ habebant. hic nihil prode- *Auguſti.* rat, quoniam illi, vt Auguſtinus ait, carnẽ ſic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quo ſpiritus vegetatur. Spiritus ergo eſt qui viuificat,

qui

qui facit, vt captiuato intellectu noſtro, credamus carnem Chriſti per modum ſacramẽti ſub aliena ſpecie panis ſumi debere. Quod ſi pertinaciter nos vrgeat Capharnaita aliquis, importune volens carnẽ hic ad Chriſti corpus referri debere: tamẽ hoc ſuſtinere nõ poterit, quod caro Chriſti ſacramẽtaliter ſumpta, nihil proſit. ſatis enĩ hoc eſt in propoſito, carnẽ ſine ſpiritu manducatã. obeſſe magis quam prodeſſe, ſicut in die cœnæ dominicæ ſatis copioſe diximus.

2 Obiciũt, Si verum Chriſti corpus eſſet in ſacramento, tres articuli fidei noſtræ corruerent. Primus, quod aſcendit ad cœlos: deinde, ſedet ad dexterã dei patris: poſtremo, Inde venturus es iudicare. Inferunt ergo, Si in cœlo eſt Chriſtus, vtiq; in ſacramẽto non eſt. Qui vẽturus tandem eſt ad iudiciũ nouiſſimũ, non præuenit tẽpus illud vt veniat etiã in ſacramẽtum. Item, ſi aſsidet patri in cœlis, quomodo ſimul eſt in ſacramento? Reſpõdetur, quod Capharnaitæ iſti homines miſerrimi, neq; dei conſiderant omnipotentiã, nec Gabrielis verba attendunt, quod non ſit impoſsibile apud deũ omne verbũ. Naturaliter non poſſunt corpora duo eſſe in vno loco, & tamen Chriſtus ex virgine natus eſt clauſtris inuiolatis, clauſo reſurrexit ſepulchro, & occluſis foribus ingreſſus eſt ad diſcipulos, quæ omnia naturæ aduerſantur. Quur nõ poſsit deus facere, vt etiã vnũ corpus ſit in multis locis? Atqui etiã anima, ait Aug. in vno quoq; corpore, & in vno toto tota eſt, & in qualibet parte eius tota eſt: eadẽ ſi forte quieſcat in ſiniſtra, mouetur tamen in dextra: ideoq; patiente vno mẽbro, ſimul patiuntur & omnia alia. Aut quomodo idẽ ſol in tot miliũ hominũ oculis eſt? quomodo vox vna ſæpe à multis hominum milibus exauditur? Imaginẽ rei alicui? vides in vno ſpeculo vnã, illud ſi in decem fruſta confringas, adhuc in ſingulis apparebit imago: quæ quũ omnia à natura fiant, quis dubitet poſſe deũ efficere vt idẽ corpus ſit in diuerſis locis? Nõ debent homines ſummo rerum omniũ opifici poteſtatem ſuam velle imminuere. quis enim enarare ſufficit potentias domini? Humiliter itaq; potius confiteãtur cum Sapiente, quod magna & admirabilis ſit potẽtia domini. Quod aũt putãt Chriſtũ eo ꝙ ſedeat ad dexterã patris, nõ poſſe eſſe in ſacramẽto, abſurdũ eſt. Nũquid enĩ ille quũ appareret Paulo circa Damaſcũ, dereliquit dexterã dei patris. Apparuit idẽ Ioãni apo-

Parte 1.

Luc. 1.

Mat. 28.

Lib. 6. de hiſt. c. 6.

1. Cor. 12.

Pſal. 103.

Eccl. 3. 43.

Act. 9.

1. Cor. 15. ſtolo iamiam morituro, vocans eum ad cõmune cum fratribus ſuis conuiuium. Apparuit & Petro, quãdo dixit ad eũ,
Egeſipp. Vado Romã iterũ crucifigi, ſicut refert Egeſippꝰ, qui autho
Hieron. re Hieronymo, vicinus fuit tẽporibus apoſtolorũ. Affuit ille ſpectator certaminis, quod ſanctus Antonius gerebat cũ diabolo, neq; tamen cœlũ dereliquit. Et quod vnum corpus poſsit eſſe in pluribus locis, partim Tomo primo probauimus die cœnæ domini, exẽplo Ambroſij, Eliſei, & ſpiritus Moyſi. Ita credimus quoq; vẽturum eum in magna maieſtate terribilẽ & magnificum die nouiſsimo, ſed interim nulla negat ſcriptura ipſum ſacrãmẽtaliter venire in terrã, vel etiã in cõſueta ſua forma, ad aliã tamẽ operationẽ ad iudicium.

Ioan. 6. 3 Imitatur nouelli Capharnaitæ veteres, dum murmurãdo eorum inſiſtunt veſtigiis, dicentes, quomodo poteſt hic carnem ſuam nobis dare ad mãducãdum? Quomodo poteſt illud magnum Chriſti corpus ſub tantilla hoſtia contineri? Vtiq; portando illi ſacerdos nõ ſufficeret, aut vbi manus & pedes eius ſunt? Huiuſmodi Iudaicas blaſphemias plurimas inducunt, vt ſit illud iã plenum miſeria, eo deuẽtum eſſe no ſtris tẽporibus, vt cogamur tantã Chriſti contumeliã audire inter Chriſtianos. At nos paucis reſpõdeamus, Totum vtiq; Chriſti corpus eſt ſub ſacramento. ſed non modo quãtitatiuo, ſed ſicut anima tota eſt in qualibet parte, ita quoq; corpus Chriſti totũ eſt ſub ſacrãmẽto, & ſub qualibet eius parte totum. Quãdo autẽ quærit neochriſtianus, quomodo hoc
Cyrillus. fieri poſsit, reſpondet Cyrillus, Nunquã in ſublimibus rebus illud quomodo, aut cogitemus, aut proferamus: Iudaicũ enim hoc verbum eſt, & extremi ſupplicij cauſa. Et inde, Quomodo ſummis cruciatibus digni nõ erunt, qui rerũ omnium opificẽ deum ita contẽnunt? quomodo in operibꝰ ſuis dicere audeant, quẽ totius ſapientiæ largitorẽ non ignorãt, quẽ omnia poſſe ſcriptura nos docuit? ſi vero Iudææ quomodo, etiam nunc clamas, hãc tuam imperitiam ego quoq;
Ioan. 6. ſequutus, libenter quomodo ex AEgypto exiuiſti rogabo.
Exod. 12. Infra, Quomodo in ſerpentẽ Moſaïca virga fuit conuerſa?
Exod. 7. quomodo lepra manus affecta, vno momẽto tẽporis in pri-
Nume. 12. ſtinum ſtatum reſtituta iterũ fuit? Et inde, Quomodo in na
Exod. 7. turam ſanguinis aquæ trãſierunt? quomodo per lignũ amaritudo aquarum in dulcedinẽ recidit? quomodo patres tui
& 14.
Exod. 15. per media maria, vt per aridã effugerunt: quomodo è lapi-

de

de aquarũ fontes fluebãt? quomodo ſtetit Iordanis? quomodo ſolo clamore inexpugnabilis Iericho cecidit? huiuſmodi in ſcripturis multa ſunt, quorũ ratione reddere non poſſumus niſi omnipotentiam diuinam. 3 Obiiciunt rurſus Capharnaitæ, quod Chriſtus dixit, Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autẽ nõ ſemper habebitis: ergo nõ ſemper illum nobiſcũ habemus in ſacramẽto. Zuinglius in hoc adduxit etiã verba Chriſti apud Ioannẽ, Iterum relinquo mundũ, & vado ad patrẽ. Et inde, Iam nõ ero in mũdo, & ij in mundo ſunt, ſcilicet apoſtoli, quũ ergo aſcenderit in cœlum, nõ eſt dicendũ eũ eſſe in ſacramẽto. Reſpõdetur, Tribus illis ſcripturæ locis loquutum eſſe dominum de corporali præſentia, ſicut hic in terris cõuerſatꝰ eſt, humana preſſus neceſsitate. ſic nimirũ iam amplius dominũ apud nos nõ habemus, qualis erat quũ perfunderetur vnguẽto à Maria Magdalena, ſed nõ ideo abnegauit nobis dominꝰ corporalem ſuam præſentiã occulto quodã modo, & myſterialiter ſub ſacramẽto. Hic etiam clare patet, quomodo Zuinglius ſacras literas fortiter laceret, quoniã quum Chriſtus ait, Iã non ſum in mundo, peruertit Zuinglius & ponit, Porro nõ ero in mundo, vt ſic errori ſuo fucũ addat quantumuis hæc omnia nihil efficiant. 4 Adducũt inſuper illa Chriſti verba ex Matthæo & Marco, Si quis dixerit vobis, ecce hic aut illic eſt Chriſtus, nolite credere: ergo credendũ nõ eſt quũ dicitur, Chriſtum hic aut illic eſſe in ſacramento. Reſpondeo, Chriſtum hic non loqui de corpore ſuo, ſed per Chriſtum intelligi regnum Chriſti, regnum fidei. vnde hoc loco præmonet ille ſuos de ſectis, quas orituras prædicit nouiſsimis tẽporibus, vbi clamaturi ſint Lutherani, Zuingliani, Catabaptiſtæ, ſinguli iſti pro ſua ſecta, ſecũ eſſe Chriſtũ: ſed ijs credendum nõ eſt, neq; deficiendũ à catholica eccleſia ad ſectas perditionis. Id adeo ex præcedentibus verbis ſatis expendi poteſt, quoniã ante hæc verba prædixit Matthæus emerſuros aliquãdo pſeudo prophetas malosq; Chriſtianos, qui etiã ſigna magna & prodigia ſint exhibituri ita vt in errorem deducantur, ſi fieri poſſet, etiã electi. Neque diuerſum habet Marcus ibidẽ. Quũ itaq; hoc noſtro ſeculo tot ſectæ & hæreſes (prohdolor) oriãtur, & pro ſe quiſque multum glorietur ſecum, imo ſuum totũ eſſe Chriſtũ, noſtrum eſt, iuxta doctrinam Chriſti, non decedere & exire ad

Ioſu. 3. 6.

Mat. 26.

Ioan. 16. & 17.

Math. 24 Mar. 13.

Mat.24. eos. præmonuit enim nos Christus, ita dicens, Videte quia ego prædixi vobis. Ex omnibus illis cuique catholico satis patet, quomodo Capharnaitæ illi citra omne scripturarum fundamentum sese erigant aduersus Christum, euãgelium & ecclesiam totam. neq; interim deterreri debẽt catholici à venerabili sacramento, vnde tantũ fructus, vtilitatis & consolationis suscipere licet per totum huius vitæ decursum, memores huius quod Ambrosius ait, Iam mensæ cœlestis honore sucipior, epulis meis non pluuia inundatur, nõ terræ partus laborat, non arborum fructus: potui meo nõ flumina quærenda, non fontes, Christus mihi cibus, Cristus mihi potus est: caro dei mihi cibus, & dei sanguis est potus. Quisquis enim sic diligit & honorat glorioſum omniq́ue veneratione dignissimum hoc sacramẽtum, is vtique in hoc tempore gratiam dei impetrabit. & post hanc vitam, vitam sempiternam, quam omnibus nobis concedat optimus maximus deus & dominus noster, Amen.

HOMILIA TERTIA.

CARO mea, dixit dominꝰ ad Iudæos, vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui mãducat meã carnẽ, in me manet, & ego in eo. Quisquis ergo secũ habere desiderat salutis vitæq́ue datorẽ, saluatorem animæ, is carnẽ Christi mãducet, & sic Christꝰ in eo manebit, ipseq́; in Christo, & tũc implebitur
2.Cor. 6. illud Pauli, Tẽplũ dei sanctũ est, quod estis vos. Hæc ergo mutua mãsio est per incarnationẽ fidei, deuotiõis & charitatis. siquidẽ vbi hæc ita spiritualiter fiunt in anima, tũc illa corporalis mãducatio cõfirmatur, & hinc sacramentũ illud charitatis & cõmunionis dicitur. quicunq; aũt nõ manent in Christo, nec Christus in ipsis, nõ mãducant cibũ hunc cũ fructu, sed perditione. Sed vt dominus præcedẽtia verba de mãducatione corporis sui cõfirmaret, probat illud non sine ratiõe. dicit enĩ, Sicut misit me viuẽs pater, & ego viuo propter patrẽ, & qui mãducat me, & ipse viuet ꝓpter me. Vide hic quomodo ille sit cibus, quo pacto vitã largiatur æternã, quia à patre missus est per incarnationẽ, qui & vitã ei largitus est. Vult ergo dicere, Viuo ego in humana natura cuiꝰ vitæ ratio est missio paterna, ita quoq; quod viuitis vos in
Lib.3. de trin. causa est, quia participes estis mei, meq́; adeo perfruimini. Pulchrũ est quod dicit Hilarius, & dignum quod hic recẽseatur,

ſcatur, De veritate, inquit ille, carnis & ſanguinis nō relictus eſt ambigendi locus, Nunc enim vt ipſius domini profeſsione & fide noſtra vere caro eſt, & vere ſanguis eſt. Et hęc accepta atque hauſta id efficiūt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtꝰ in nobis ſit. Et infra, hæc ergo vitę noſtræ cauſa eſt, quod in nobis manēte per carnē Chriſtū habemus, victuri per eū ea cōditiōe, quia viuit ille per patrē. Inducit inſuper probationē adhuc fortiorē, Hic eſt panis qui de cœlo deſcēdit. Quicunque credit panē hunc deſcendiſſe de cœlo, facile credet eundem quoq; dare vitā. deſcendit de cœlo panis viuus, vt qui antea fuerat panis angelorū, nūc etiā eſſet panis hominū. Quęras, quomodo hic panis deſcendat de cœlo. ſi enim corpus Chriſti panis ille eſt, caro aūt eius ex virgine ſumpta eſt, quomodo deſcendit de cœlo? niſi forte ſic res habeat, vt Valētinus dixit hæreticꝰ, quod Chriſtꝰ cœleſte ſecum corpus cœlitus attulerit, neq; aliquā verā carnem aſſumpſerit ex Maria, quod vt falſum & erroneū eſt, ita iā olim ab eccleſia cōdemnatum, ergo adhuc manet in dubio, quod quęſitū eſt ſuper illo verbo domini, Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit. 2 Reſpōdent hic doctores, quod quāuis Chriſtus ſecundū diuinitatē vere eſt cibus, ſicuti & trinitas tota, quamobrē ſuperius dixerat, Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Atq; ſic exponendo nihil habet difficultatis. Attamen quia hic cœpit de pane loqui ſuæ carnis, de ea etiā ſunt intelligenda hęc verba, neq; declinandum ad errorem Valentini. ſed quum duæ naturæ in vna perſona Chriſto ſint vnitæ, eſt hic cōmunicatio idiomatum vtriuſque naturæ. Id vt intelligas, audi aliquanto plura, Chriſtus habet diuinā naturam ſimul & humanā, paſſus & mortuus eſt ſecundum humanam naturam, quod etiam diuinitati communicatur in idiomate loquendi. ſic dicimus etiā, deus paſſus, deus mortuus eſt, quæ vera nō ſunt ſecundum ſuam naturam, ſed ſecundum humanam. ita hic quanuis Chriſtus quo ad humanam naturam non deſcendit de cœlo, quia autem in eo etiam diuina natura eſt, ſecundum quam venit de cœlo, ex communicatione idiomatum prouenit quod hic dicit, Panē hunc de cœlo deſcēdiſſe. Et ſic ait Theophylactus, Non deum nudum mādducamus. tangi enim nequit & incorporeus eſt, neque oculis nec manibus apprehendi valet. Et iterum, Nudi hominis caro nihil prodeſt, ſed quia

Valentinus.

Theop. Ioan. 6.

deus vniuit sibi carnem secundum ineffabilem cõtẽperationem, viuifica est & caro, non quod in naturã transierit dei. Absit, sed sic caro domini viuifica est vt caro dei. ¶ Atque hinc porro discrimẽ aperit dominus panis sui & mãna cœlestis, quod manducauerũt patres in deserto, dicituq; cœleste, non quod ex cœlo beatorũ, sed hoc aërio sit profectũ. & hoc vitã nemini contulit æternã: manducauerũt enim ex illo qui etiã dãnati sunt corpore & anima: iuxta illud Psalmi, Adhuc escæ eorũ erant in ore ipsorum, & ira dei ascẽdit super eos, & occidit pingues eorũ. corpore quoq; mortui sunt, dicẽte domino, Nõ videbunt terrã de qua iurauí patribus eorum. Plane diuersum est de pane Christi, quem qui manducat, viuit in æternum, quandiu pané gratiæ secũ seruat. O igitur hominẽ felicẽ vereq; beatũ, quisquis sic digne manducat corpus Christi, & perseuerat in gratia semel susceptа, sane ille viuet in æternum, quia beati qui ad cœnam agni vocati sunt. Atq; hęc de euãgelio hodierno dicta sufficiant. ¶ Dissẽrẽdum hic esset, & quidẽ copiosius de magnificentia & dignitate huius festi. Et tamen quicunque credit, sicuti superius multis scripturæ testimonijs cõprobauimus, esse hic verũ Christi corpus, facilime cognoscit, quãtũ honoris & reuerẽtiæ debeat deo suo, cõditori quoq; & eidẽ redẽptori, regi glorię, saluatori suo. quãuis enim festum hoc debeat legitimo tẽpore celebrari in die cœnę dominicæ, qua Christus cõmesto iã & consummato agno paschali, hoc venerabile instituit sacramẽtum: quia autẽ tunc occupata est ecclesia in meditatione passionis Christi, trãstulit illud in hũc diem. Et tamẽ vt sit aliqua huius rei etiã tẽpore illo cõmemoratio, solent adhuc catholici in die cœnæ domini communicare, quod ipsum magis etiam tunc fit, vt fideles attẽtius passionem Christi meditentur & mortẽ, sicut ipse in huius sacramẽti institutione dominus cõmisit, inquiens, Hoc facite in meã commemorationẽ. Atqui hodie illud in seipso cõsideratur, secundum omnes salutis & consolationis fructus, quos ex hoc susc ipimus sacramento. Ideoq; hic veneramur dominũ, simulq; obnoxius deprecamur, vt cõcedat nobis gratiã suam, qua freti, sacramẽtum illud ante finem vitę nostræ digne susc ipere mereamur. Et in hoc quoq; omni honore, cultu & veneratione prosequimur hodie illud venerandũ corporis Christi sacramẽtum, quod

Psal. 77.

Apo. 19.

Luc. 22.

quod tamen quotidie deo patri offerimus in ſacrificio miſſę pro viuis & defunctis, pro omnibus afflictionibus & neceſſitatibus noſtris. Sacramentū inquam, quod annuatim vt minimum ſemel ſuſcipimus ad agendū gratias Chriſto pro paſſione ſua & morte. ſacramentū quod deſideramus ante obitum noſtrum ſuſcipere tanquā viaticum, cuius fortitudine poſſimus ambulare vſq; in vitam æternā ſicut Elias in pane ſubcineritio vſq; ad montē dei Oreb. Chriſtianus ergo non 3. *Reg.* 1. eſt, quicūque ſacramentū Chriſti nō veneratur, qui nō omnem ei reuerentiam exhibet. Quid multa? quum ipſe ſit hic Chriſtus caro ſua, ſuusq; ſanguis, anima ſua ſimul & diuinitas, quiſquis hic ſe nō humiliat, ne guttulam quidem Chriſtiani ſanguinis in ſe habet. Quod autem adorandum etiam ſit hoc ſacramentū, ad longum proſequuti ſumus in homilia *Tomo* 1. quadā quadrageſimę ſuper illo Dauidico, Exaltate dominū *Pſal.* 98. deum noſtrū, & adorate ſcabellū pedum eius, quoniam ſanctum eſt. ſicut etiā B. Auguſtinus textū hunc inducit. Neq; temere eſt quod Paulus iubeat Chriſtianum quēlibet ſuum *Rom.* 13. omnibus dare: cui honorem, honorem: cui tributum, tributum, &c. Quur ergo nolet deo redemptoriq; ſuo reuerentiam exhibere debitam? Certum eſt in iis locis vbi diabolus homines excæcauit, nullum ſacramento deferri honorē. Et ibi tamen nemini ſubdito impune liceat magiſtratibus & ſuperioribus commeritam dignámque reuerentiam nō exhibuiſſe. O vitium miſerabile, ô perturbatū rerum ordinem, vt qui curioſe honorem ab hominibus requirunt, nihil cogitent de gloria reuerēter deo impendenda. 4 Dicerent ex neochriſtianis aliqui ſacramentum hoc non eſſe adorandum, quod ſoli deo conueniat adoratio, quum interim caro Chriſti pura ſit creatura, Moyſes quoque præceperit domi- *Deut.* 6. num deū adorandum, & illi ſoli eſſe ſeruiendū, Reſpondetur, etſi humanitas Chriſti per ſe pura eſt creatura, quare & ſola illa adoranda non eſt, ſumma tamen illa eſt reuerentia digniſſima, quæ puræ alicui creaturæ in terra exhiberi poteſt. Ad hæc inſeparabilis eſt humanitas Chriſti. æternúmq; manet vnita diuinitati, ita vt Chriſtus in æternū deus & homo verus permaneat, dicente Damaſceno, & confeſſis id- *Damaſ.* ipſum etiā neochriſtianis, Quod deus ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit. Honor ergo ille magnus eſt, quo diuinitas glorificatur, & humanitas illi vnitur. Vis exemplū huic rei

consimile? Ecce idem est timor, quo & ferrum candens & ignem formidas attingere. quum autē humanitas magis sit vnita diuinitati quā ignis ferro, sicut hac similitudine etiam
Theoph. Theophy. vtitur, adoranda vtique est diuinitas, simul & humanitas Christi, sicque Christus totus, quāuis omnis & vniuersa adorandi ratio ex diuinitate prouenit. Hinc sequitur, bene fieri dum precessiones & supplicationes cum sacramento peragūtur. quia enim hic dominus deúsq; noster est, merito illi summum honorem debemus. Iudæi Christū venientem Hierosolymam turmatim exceperunt, quādo adhuc ab eis crucifigēdus erat. Et nos Christiani in hac parte Iudæos non superabimus, vt supplicationibus honoremus Christū triumphatorem, sedentē iam à dexterā patris? Quoties vsu venit, vt hoc honoris genere dignemur, principes, reges & imperatores: quur nō idem faceremus Christo regum omnium regi & domino dominantiū, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra? Rident & subsannant hic nasuti
Apo.19. *Matt.24.* neochristiani simplicitatem ecclesiæ in supplicationibus ce-
2.Reg.6. lebrandis, imitantes in hoc Michol filiā Saul, quę & ipsa regem Dauid deridebat, quod cithara & saltationibus laudaret dominū in supplicatione coram arca. dixit autem ad eam Dauid, Viuit dominus, quia ludam ante dominū qui elegit me potius quam patrem tuum, & quam omnem domū eius. Sic iam potest ecclesia dicere neochristianis, quoniā ipsam iam elegit dominus præ omnibus sectis & hæresibus. Atqui in veteri testamēto pij homines multum gaudiorum & exultationis, plurimum reuerentiæ habuerunt in cultu diuino, sicut Machabæi in dedicatione templi. Et vos igitur dilectissimi, circa hoc admirandū corporis Christi sacramentum exhibere vos tanquā veros Christianos filios lucis, memores quomodo Dauid in spiritu præuidit & dixit, Misericors & miserator dominus escā dedit timentib⁹se, memo-
Psal.110. riam fecit suorū mirabiliū. Clamate ad dominū cū Sapiēte,
Sap.12. Quam suauis est dñe spiritus tuus, qui vt dulcedinē tuam in filios demonstrares, pane suauissimo de cœlo præstito, esurientes replēs bonis, fastidiosos diuites dimittens inanes. sic canit ecclesia. Panis angelorū fit panis hominū. Panis hic cœlestis finē facit, & dat figuris veteris testamēti. O rem admirabilem, quod pauper, humilis & seruus vescitur domino.
Psal.77. Videamus quomodo de nobis dixerit Dauid, Panē de cœlo

præstitisti

præstitisti eis, panem angelorũ manducauit homo. Angelorum esca nutriuisti populũ tuum. Meditemur nos Christianos à Christo cõgregatos nõ in sanguine hircorum, sed calicis huius cõmunione. Vos itaque compello, qui solide adhuc integris maiorum vestrorum insistis vestigiis. Tantum illud sacramentum veneremur omnes cernui, & antiquum documentum nouo cedat ritui, præstet fides supplementum sensuum defectui. Clamemus cum ecclesia, O salutaris hostia, quæ cœli pandis ostium, bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium. Clamemus ad Christum, Domine Iesu Christe, qui & ipse huius magni conuiuij cõsors es, simúlq; es conuiuium ipsum summum, summéque venerandum illud corporis & sanguinis tui sacramẽtũ, in quo dator tu veniisti vt donum, concede vt ita te hic perfruamur in terra, quatenus te adiuuante, ad gloriam quoque tuam peruenire possimus. Id adeo tu præstare dignare dulcissime & mitissime domine Iesu Christe, Amen. *Exod.16 Psal.15.*

DE NATIVITATE IOANNIS BAPTISTAE EVANGELIVM, Lucæ primo.

IN illo tempore, Impletum est tempus Elizabeth pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit dominus misericordiã suam cum illa, & congratulabãtur ei. Et factum est in die octauo, venerũt circuncidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius, dixit, Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerũt ad illam, Quia nemo est in cognatione tua quũ vocetur hoc nomine. Innuebant autẽ patri eius, quem vellet vocari eũ. Et postulans pugillarem scripsit, dicens, Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. Apertũ est autẽ ilico os eius, & lingua eius loquebatur, benedicens deũ. Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc, & posuerunt omnes qui audierunt in corde suo, dicentes, Quis putas puer iste erit? Etenim manus domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius repletus est spiritu sancto, & prophetauit dicens, Benedictus dominus deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. *Hiere.1. Actu.11.*

HOMILIA PRIMA.

BANCTVS Lucas iam ante huius euangelij cõtextum enarrauerat ipsam Ioannis cõceptionẽ, & quomodo angelus apparuisset Mariæ, quæ dehinc visitauit Elizabeth, manens apud eam tribus mensibus. Interea temporis impletũ est Elizabeth tempus pariendi, mense scilicet nono. De hoc tempore extat apud Chrysostomũ homilia pulcherrimã, qua rem hãc funditus excussit. sed quia longum fuerit nimis, forsitan etiam molestum percensere singula, visum est ex illa rosas tantum quasdam decerpere præ cæteris elegantiores, quarum aspectu, imo intellectu immensam sitis delectationem & vtilitatem consequuturi. Primum itaque se nobis offert rosa hæc candens & albicans, quod fundamentũ ille ponit ex Zacharia qui dicit, Ieiuniũ quarti, septimi & tricesimi immensam fore lætitiam & exultationẽ domui Iuda, & in solennitates præclaras. (Nota quod Chrysostomus non meminit quinti, quia nõ deseruiebat suo instituto.) Putat autem Chrysostomus Iudæos nunquã obseruasse ieiunium illud, sed prophetiam hanc nobis Christianis esse cõscriptam. quomodo ergo numerandũ ieiunium quarti dicit ille menses hos esse. est autẽ Martius mensis primus, sicut dominꝰ dicit ad Moysen, Mensis iste, scilicet Martius, vobis principium, primus erit in mensibus anni. Et bene quidẽ, inquit Chrysostomꝰ, propheta pro altitudine spiritus sancti initium ieiuniorum nõ posuit, vt quum de ieiuniorũ initio quæremus, simul & virtutẽ ipsorũ inueniremus. Sequitur tertio quod quatuor sint menses, ex quibus gaudia & festiuitates præclaræ fiant in Iuda, Martius quartus Iunius Septimus Septẽber, & December ille ex nomine decimus. 4 Sunt autẽ illi ipsi menses quatuor, insignes festiuitatibus cõceptionis & natiuitatis Christi pariter atque Ioannis. hic enim conceptus est die vicesimoquinto Septembris. natus verò vicesimoquarto Iunij, qui nouem sunt menses, sicut & Gabriel dixit mensem illum sextum esse, quando adhuc mansit Maria apud Elizabeth tribus mensibus. At Christus qui conceptus est die vicesimoquinto Martij, quo eodem die etiam mortuus est post annos vitæ suæ trigintaquatuor, natus est vicesimoquinto Decembris, vbi etiam nouem menses intersunt.

Chryſoſt.

Zacha.8.

Exod.12.

Chryſoſt.

Luc.1.

5 Pulchrum cognitu est, quod iisdẽ quatuor diebus tunc fuerunt

fuerunt capitales illæ & ſupremæ quatuor totius anni mutationes. duo tum ſolſtitia tum æquinoctia: quum in æquinoctio autumnali conceptus eſt Ioannes, longiſsimo autem æſtatis die in ſolſtitio natus eſt. (tunc enim æquinoctiũ vernale fuit fixum, tempore Tiberij imperatoris, anno eius no no ad octauum Kalendas Octobris. Ecce quantum iam variauit, vt Paulus epiſcopus Foriſẽ pronienſis bene ſuppu tauit, ob minuta abundantia in anno biſſextili quum non ſu peret integra dies, nos etiam iſta cribrauimus in diorthoſi noſtra.) Dies hic apud Græcos lãpadis nomẽ habuit, quod tunc ſol altiſsimus appareat inſtar lampadis refulgens. Inter Germanos quoq; à verſione ſolis appellationẽ traxit, quoniam tunc ſol aduerſus à nobis deſcendat. Contra, Chriſtus conceptus in æquinoctio verno. natus autem eſt in ſolſtitio hyberno, quando iam breuiſsima dies erat, & ſol in imo Capricorni decurrebat. (ita enim tunc figebatur ſolſtitium, vt Alexander quoque Hegius commonſtrat.)

Solſtitium æſtiuale
24. Iunij
Natus Ioannes.

Aequinoctium vernale
25. Martij
Conceptus Chriſtus.

NOTA

Conceptus Ioannes
25. Septembris
Aequinoctium autumnale

Solſtitium hyemale
25. Decembris
Natus CHRISTVS.

7 Omnia itaque hæc ſpirituali non carent explanatione, quur hæc ita ſint à ſpiritu ſancto ordinata. quod enim Ioannes ex vetula & ſterili natus eſt, ad ſynagogam pertinet Iudæorum, cui iam tunc ſuus iminebat terminus, dicente Chriſto, Lex & prophetæ vſque ad Ioannẽ. ideoq; & pater eius *Matth. 11.*

veteris legis ſacerdos, in annunciatione eius mutus factus eſt, nec potuit loqui. Incepit tunc tempore cõceptionis ſuæ dies breuior facta, plus habere de tempore nocturno quam
Luc. 1. diurno, natúſq; deinde eſt illo longiſſimo die rurſus ad crementũ declinãte: vnde & dixit diſcipulis ſuis, illum oportet creſcere, me autẽ minui. quod vtique non in perſona Ioan-
Ioan. 3. nis accipiendũ eſt, ſed ſignificatione, quoniam ille ſynagogam repreſentabat. Qui ſuper iis plura cupit legere, requirat Chryſoſtomum homilia 27. Viciſſim Chriſtus cõceptus eſt, quando dies cœpit accreſcere, natúſque eſt breuiſſima die, quum ſol ipſe ad nos remeare cœperat: ipſe enim ſol ille eſt iuſtitiæ, qui exortus eſt nobis: ſol legis euangelicæ, qui tunc oriebatur & creſcere debebat, vt vniuerſum illuſtraret
Serm. 4. mundum. ideo etiam Chriſtus non vt Ioannes ex vetula natus eſt, quod etiam attendens Ambroſius, ait, Quod quidem factum myſteriũ continere aliquod arbitror, vt Ioannes qui veteris teſtamenti figuram gerebat, ſenis mulierculæ frigido ſanguine naſceretur: dominus autem qui cœleſtis regni euangelium prædicaret, feruentis iuuenculæ flore degrederetur. ſed iam textum ipſum aggrediamur.

2 Elizabeth impletũ eſt tempus pariendi. Quoad literam apertum eſt hoc. ſiquidem menſis nunc nouus agebatur, imminebat igitur iã parturigo. ſed & iuxta ſcripturæ cõſuetudinem impletum iam tẽpus erat, quoniã quicquid ordinauerat deus fieri prius, id omne cõſummatum iam erat, præceſſerat iam annunciatio angelica, conceptio quoq; ex duobus coniugibus iam ſenio grauatis ſupra naturam, &
Theoph. ſanctificatio Ioannis in vtero matris, viſitatio Mariæ, quę iam penetribus menſibus remanſerat apud Elizabeth. vbi autẽ appropinquauit partus, abſceſſit: nam nouem ferme menſes præterierant à conceptione Ioannis. viſitatio autem illa iam operata fuerat & exultationem Ioãnis, & gaudium vetulæ matris, & prophetiam eiuſdem, ſicut audietis in feſto viſitationis eiuſdem. Omnia iam hæc fuerant impleta, & Maria domum profecta, impletũ ergo eſt etiam tempus Elizabeth vt pareret. Obſeruarũt etiam illud hic doctores, Ambro. ſuper Lucam, Theoph. & Beda, quod quia ſanctorũ editio lætitiam habet plurimorũ, cõmunéq; hoc eſt bonũ, ideo moris nõ ſit in literis ſacris ſimiliter de malorũ natiuitate loqui, quod impletũ ſit tempus eorum, ſed in bonis tantũ. vnde &

Lucas

Lucas de Christo ait, Impleti sunt dies Mariæ vt pareret. *Luc. 2.*
sic & Abraham mortuus est plenus dierum, & hic venit ple *Gene. 25.*
nitudo tẽporis. (Contra illam regulam, quod plenitudo sit *Calat. 4.*
iustitiæ & perfectionis, posses obiicere, quia nondũ implete sunt iniquitates Amorræorum, Gen. 15. Et Esaias dixit, *Esa. 1.*
Manus vestræ plenæ sunt sanguine: sed respondetur quod illa plenitudo non est ipsius iniquitatis, vbi est vacuitas & inanitio, sed est ipsius iustitiæ iudicis vel sententiæ, iuxta illud Psalmi, Iustitia plena est dextera tua.) ¶ Vicini audien- *Psal. 47.*
tes hoc gauisi sunt gaudio magno. hoc enĩ habet editio san- *Ambro.*
ctorum, vt gaudiũ & lætitiã secum afferat, quum sit bonum quoddam cõmune, quod multis prouenit in bonũ. Cognouerunt etiam misericordiã dei. siquidem Elizabeth naturaliter iam filium habere & parere non potuisset: ex benignitate autem diuina fuit, quod vetula iam peperit. Impetraue *Chrysosto.*
rãt autẽ hoc orationibus â deo, quod ex verbis Gabrielis facile intelligitur, quũ ait, Noli timere Zacharia, exaudita est *Ambro.*
oratio tua. Vnde intelligimus, inquit Ambr. quod Ioãnem Zachariæ iustitia magis orando genuerit, quã Elizabeth senectus procurando susceperit. Hic intelligimus, ait ille, q̃ Ioannẽ obsecratio creauerit, nõ voluptas. Itaq; mulieres steriles quæ prolem cupiũt habere, sedulo inuocare debẽt sanctum Ioannem, Zachariam & Elizabeth. ¶ Neq; immerito gauisi sunt vicini, quoniã contemptæ admodũ erãt & abiectæ in veteri testamento steriles, dicente domino. Non erit *Deu. 7.*
apud te sterilis vtriusq; sexus, maledictaq; omnis erat apud Iudæos, si aliqua populũ non augeret domini: vnde & An- *1. Reg. 1.*
na adeo tristata est mater Samuelis, quod non haberet filiũ. *Gene. 30.*
Sic Sara, Sic Rachel, vxor Manue mater Samsonis. & confes *Iudic. 3.*
sa est idẽ Elizabeth, dicẽs, Sic fecit mihi dominus in diebus quibus respexit auferre opprobriũ inter homines, In huius- *Luc. 1.*
modi opprobria diu fuit Anna, priusquam admirãdo quodam modo pareret Mariam matrem filij dei.

3 Et factum est, die octauo venerunt circuncidere puerũ, vtique ad implendam legem quę dicit, Masculus cuius prę- *Gen. 17.*
putij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit, ideoq; & dominus dixit per prophetam, Non adiiciat vltra vt per- *Esa. 52.*
transeat per te incircuncisus & immundus. Operabatur autem circunciſio in veteri lege remissionẽ peccati originalis,

Beda. ſicut nunc baptiſmus, vt teſtatur Beda. Atqui Ioannes in vtero matris ſanctificatus erat, quemadmodum deinceps clarius dicetur, ergo in hunc vſum non indigebat Ioannes circunciſione tanquã medicamento. ſed tantũ in hoc, vt ſe conformaret legi. plura de circũciſione require ſupra in die circũciſionis dñi. Ex hoc tamen textu colligitur, circunciſionẽ olim non fieri ſolitam eſſe in templo, ſed in priuatis ędibus, quo veniebat vocatus ſacerdos miniſter circunciſionis, conueniebant & cognati atque vicini, vt iam ad baptiſmum.

¶ Vocabant autem puerum nomine patris ſui, qui mos nõ eſt nouus, liberos parẽtum nomine vocari, maxime primogenitos: in quibuſdam inſuper caſibus oportebat hoc ita fie-

Deut. 25. ri, ſicuti legimus, Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſq; liberis mortuus fuerit, vxor defuncti nõ nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemẽ fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Iſraël. ¶ Sequitur, Et reſpondẽs mater, eius dixit, Nequaquã, ſed vocabitur Ioan-

Ambro. nes, Matri, inquit Ambroſ. nomen hoc à ſancto ſpiritu inſuſum, quod ab angelo ante Zachariæ fuerat prænunciatum. & quidẽ ille mut⁹ intimare nomẽ filij nequiuit vxori. Addit Theophylactus, fortaſis Ioannes ſibiipſi indidit nomẽ, matriq; ſuæ cõmunicauit donum propheticũ. Sunt qui putent Elizabeth illud didiciſſe ex ſpiritu ſancto, tunc quãdo Maria ipſam ſalutauit, ſicut Lucas refert impletã eã eſſe ſpiritu ſancto. Amici autem quibus non ita cognita erat volũtas dei cum puero hoc, recuſabant nomen illud tanquã alienum ſuſcipere, dicebãtq;, Quia nemo eſt in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Vnde colligitur quod licet filij nõ appellabantur nomine patris, patrui tamẽ nomen ſuſcipiebant. nemo autẽ erat in cognatione Ioannis qui tale nomen haberet, quia nemo in ea natus fuerat, qui dignus extitiſſet hoc nomine, à gratia dei deducto. חן etenim gratiam ſignificat, & חנן, eum qui gratiã dei habet, ſed nemo ita omnia gratiæ ſigna habebat, vt hic Ioannes: magnum ergo erat myſterium in hoc nomine Ioannis, quod etiam ab angelo prædi-

Luc. 1. ctum erat: Vocabis nomẽ eius Ioannes. Vterq; parens nomẽ hoc confirmauit, vnde & admiratus eſt populus vniuerſus, quum nec pater neq; alius in hac cognatione quiſquam vocaretur hoc nomine. quod vtique nõ temere ab euangeliſta additum

additum est, vt intelligatur nomen non generis esse, sed vatis: dixit hoc idem ante Bedam, & Ambrosius. Quare magna parentibus debet esse cura in nominũ impositione, quũ hic etiam diuinitus huic puero inditum sit nomen, ab angelo deinde nunciatum Zachariæ, à spiritu sancto autẽ inspiratum Elizabeth, quæ quomodo poterat domni ignorare prænunciũ, quũ iam prophetauerat Christum? Hinc parentibus incũbendum est in bene auspicati nominis impositionem, quando etiã vulgo fertur, Nomen malũ mortis augurium est. Vide supra in die circũcisionis domini de nomine Iesu. ¶ Postremò, adhuc duo sunt hic consideranda: alterũ, quod circuncisio præcesit nominis impositionem, cuius rei causam hanc reddit Theophylactus, quia prius suscipiendũ sit diuinum signaculum, & tunc humanum nomen. Vel etiã circuncisio significat rerum carnalium abiectionem, iuxta illud Pauli de Abrahã, Signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei quæ est in præputio. Siquidẽ in hũc sensum circũcisio in veteri testamento etiã spiritualiter præcepta fuit, sicut Moyses testatur, dicens, Circuncidite præputium cordis vestri, & ceruicem vestrã ne induretis amplius, & similia multa extant in lege. Nunc ramen in nouo testamento palam est. in Latina sãctẽ ecclesia, paruulis nomina ante baptismũ imponi, eo q̃ illũ præcedũt exorcismus & catechismus, in quibus ille benedicitur, & præmunitur aduersus diabolí insultus, simulq; eruditur in fide: quorũ omniũ quomodo capaces sint paruuli, satis diximus in die ascẽsionis domini. ¶ Alterũ, quod hic animaduertẽdum venit, est hoc, Quur tandem puer hic non debebat nomẽ habere patris, honestissimũ vtiq;. Zacharias enim dicitur memorãs dominum, vel puer domini. Quid igitur est quod parentes noluerunt eũ appellari hoc nomine, quũ tamen ante eũ multi fuerint clarissimi viri? sicut Zacharias filius Ioiadæ, & ille alter filius Barachiæ, qui ea fuerunt sanctimonia præditi, vt vtrunq; illum vno nomine obiecerit dominus Iudæis, quũ corriperet eos, eo q̃ omnis sanguis innoscens reposceretur ex ipsorũ manibus, ab Abel iusto vsq; ad Zachariam, sicuti super ea re multa diximus in feriis S. Stephani. Respondetur, quod decuisset vtique veteris & antiqui sacerdotis nomen remanisse puero Ioãni, si simul lex vetus manisset, vetus sacerdotiũ & populus ille antiquus. Quia autẽ cõstitu-

Beda. *Ambros.* *Theoph.* *Rom.* 4. *Luc.* 10. *Tom.* 4. *de cathechismo.* *Hieron.* 2. *Par.* 24. *Esa.* 8. *Mat.* 23.

tus erat Ioannes, velut vtriusque testamenti limes & termi-
nus, ita vt in eo cessarent iam porro lex & prophetæ simul
atque sacerdotium, non decebat ipsum seruare nomen pa-
Matt. 11. ternum. Præscius hinc angelus eius rei, nomen quoq; simul
cum natiuitate Ioannis annunciauit, nomen inquam nouæ
Heb. 7. gratiæ, populo nouo, nouoq; sacerdotio conuenientissimũ.
trãslato enim (vt Paulus inquit) sacerdotio, necesse est vt &
legis translatio fiat. Hæc etiam causa est, quur Ioanes quã-
uis sacerdotis filius, in officio tamen sacerdotali non succes-
serit patri, quoniam impleri oportebat prophetiam Esaiæ,
Esa. 43. Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce
ego facio noua, & nunc orientur. Ex rationibus ergo addu-
ctis, puer hic nomẽ patris non susceptit, sed nomẽ illud pre-
Ioan. 3. clarum, gratiosum & festiuũ Ioannes, eo quod & ipse ami-
cus erat spõsi. quãobrem tantã etiam apud Christũ laudem
emeruit ob gratiam sibi datam, &c. Oremus ad dominum.

HOMILIA II.

ELIZABETH ecce peperit filium, quem circun-
cisum iam secundum legem vocarũt nomine pa-
tris sui. resistente autem matre, & vt vocaretur
Ioannes contẽdente, adhuc reclamarunt vicini,
eo quod nõ esset in cognatione qui tali vocaretur nomine.
Ambro. tandem ergo ad patrem ventum est, cui etiam annuãtes in-
terrogarunt ipsum de imponendo nomine, quanuis angelus
ei de affatu tantũ eripiendo dixerat in hæc verba, Ecce eris
tacens, & non poteris loqui vsq; in diem quo hæc fiant, pro
eo q̃ non credidisti verbis meis. quæ implebũtur in tempo
re suo, ex hoc tamẽ contextu colligitur, Zachariã & mutum
fuisse & surdum, quoniam cum eo loqui non poterant, sed
Ambros. innuebãt illi quem vellet vocari filium. Vnde & Ambros.
ait, Incredulitas ei affatum eripuerat & auditũ. Quo signo
autem fiat vsi innuendo, neq; expressit euãgelista, nec scire
magnopere est necessariũ. Vicini forsitã putabant hoc mo-
do futurum, vt ille nomen suum filio imponi cuperet. itaq;
vt magis ipsi Elizabeth aduersaretur in sustinendo Zacha-
riæ nomine, patrem ipsum innuendo interrogarũt. Verùm
ille postulatis & acceptis pugilaribus, scripsit, Ioannes est
Beda. nomẽ eius. quasi hoc vellet significare, vt Beda testatur, Nõ
ei nos nomen imponimus, qui tam à deo nomen accepit. no
men ille iam suum habes, quod & nos ita cognouimus, non

autem

autem elegimus. sic Ambrosius ait, Nomen hic nouum non imponitur, sed astruitur. Iam ante præsto aderat nomē paruuli, ab æterno ei diuinitus haustum, ita vt nihil vltra hic fecerint illi. Atq; hoc est quod ppheta dicit de nomine Ioānis, De ventre matris meæ vocauit me dominus, & abvtero ipso recordatus est nominis mei. Præuiderat hoc etiā Ieremias de Ioanne, dicens, Priusquā te formarē in vtero, noui te: & antequam de vulua exires, sanctificaui te, & prophetā in gentibus dedi te. Quid multa? istud ipsum Ioannis nomē ei nō ab hominibus, sed à deo datum est, vt à gratia diceretur, qui digito suo totius mundi gratiam erat ostensurus, dicendo, Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. ¶ Super eo itaque quod scripsit Zacharias, admirati sunt omnes ipsum sēvxori conformasse in nomine pueri. neque hic fuit admirationis finis. alia admirandi causa sequuta est non paulo maior, dum à scripto statim apertū est os Zacharię, & lingua eius, loquutusq; is insuper est, & benedixit dominum. Nouem mensibus iam mutus ille fuerat & surdus, qui tamē nato Ioanne rursus loqui cœpit. vbi Beda sic dicit, quia vox clamantis in deserto est nata, merito est lingua parentis soluta. neque enim decebat illum parentem à laude silere, qui gaudebat natum iam esse præconem: quia labia quæ infidelitas ligarat, iam rursus soluerat fides. Videte igitur, ait Ambrosius, sancti Baptistæ meritum, vocem patri reddidit, sacerdoti eloquium reparauit: os quod Angelus alligauerat, Ioannes absoluit: quod Gabriel obstruxerat, paruulus reuelauit, quāquam & ipse sit angelus. Videte igitur obsecro sancti huius nominis virtutē, cuius expressio etiam muto vocem populo restituit sacerdotē. siquidem quū ille antea mutus, esset, fructu omni & ipso etiā sacerdotali officio destitutus, vbi primum Ioannes nactus est suū nomē, Zacharias fit pater, propheta, pontifex. Possent hic ad longū rationes tractari, cur alicui os claudatur, & quomodo referatur, sed volens supersedeo. Credamus (inquit Ambrosius) & nos vt loquamur, scribamus spiritu mysteria, scribamus prænūcium Christi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Etenim qui loquitur Ioannem, prophetizat Christū.

2 Sequitur, Et factus est timor super omnes vicinos eorū & super montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc. O quam vere dictum est à Dauide, Magna opera domini,

Ambro.
Esa. 49.
Iere. 1.
Ioan. 1.
Beda.
Ambro.
Ambro. super Lucam.
Psal. 110.

Beda. exquisita in omnes voluntates eius. Ecce vnũ Zachariæ si-
lentium, non ipsi tantũ, quum datur ad pœnam incredulitatis & signum credendi, proficit: sed & cum aufertur, omnes vicinos eius miraculo ac timore stupefacit, simlúq; per hoc nati iam pueri sanctimonia inclarescit, vt etiam huiusmodi principiis Christus venturus paulatim innotescat. sic enim voluit ille præcursoris sui honorem præcedentibus
Theop. signis in admirationem adducere. & hinc Theophylactus ait omnia hæc facta esse singulari quadã ordinatiõe diuina, vt qui propheta de Christo futurus, multaq́ue prædicturus erat, paulatim in fidem & admirationem perueniret, vnde cognoscerent alij omnes, partim quantus ipse esset, partim quanto maior futurus ille siet, cui testimonium ipse perhibebat. Potest timor iste eo referri, quod audientes isti Zachariam infidelitatis suæ tantũ habuisse pœnam, metu cor-
Iob 4. repti sint ipsi, ne forte non credentes, similem inciderent pœnã, vt hinc diceret cum Iob, Pauor tenuit me & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt. ¶ Et posuerũt oẽs qui audierunt in corde suo, dicentes, Quis putas puer iste erit? miraculũ enim quod præcesserat, certũ erat argumentũ magnarũ rerum adhuc futurarũ. Omnes homines hoc modo debẽt miracula dei percipere corde, nec vnquam eorum obliui-
Prou. 24. sci, sed potius dicere cũ Sapiente, Hoc quum vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam. Vnde autem admirati fuerint illi, ex eorũ interrogatione facile colligitur, quãdo inter se mutuo quæsierunt, quis tandé futuris esset puer iste. Huic interrogationi quid sit respõsum, hoc loco expressum non est, & tamen ex euangelio alibi sa-
Lucæ 1. tis patet, quando respondens Gabriel, ait, Hic magnus erit coram domino, vinum & sicerá non bibet, sed spiritu sancto implebitur adhuc ex vtero matris suæ, & multos ex filijs Israël conuertet ad dominũ deum ipsorũ. Sed & pater
Luc. 1. ipse respondisse videtur ad hoc, quũ ait, Tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem domini parare vias eius, ad dandã scientiã salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum. Insuper Ioannes ipse si quæratur qualis futurus sit puer, sicuti deinceps à Iudæis interrogatus est quisnã esset. respõderet hic idem quod illis, Ego vox
Mat. 1. clamantis in deserto, parate viam domini. Imo & Christus
Malac. 3. huic interrogationi respondens, ait, Hinc est de quo scriptum

ptum eſt, Ecce ego mitto angelum meum ante faciē tuam. Amen dico vobis, Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioāne Baptiſta. Ipſi quoq; teſtantur idipſum, dicentes, quia manus domini cum eo. Vtique enim manum domini ſentiebant in miraculis, ſicut & magi Pharaonis, quum viderent cyniphes venientes atque irruētes in ſe. inſuper tamen manus domini eſt etiā in pœna, vt Iob ait, Manus domini tetigit me. Et adhuc penes illos quibus gratiam & miracula oſtendit, ſicut Ezechiel inquit manū domini factam eſſe ſuper ſe. & Eſdras confirmatum eſſe ſe teſtatur à manu domini dei ſui. Hinc liquet cui ſit accepta referenda gloria, quando omnis honor, qui circa Ioannē contigit, vergebat in gloriam dei, cuius etiam manu hæc omnia fiebant. *Tomo 1.* *Exod. 8.* *Iob 19.* *Eze. 11.* *1. Eſd. 7.*

3 Impletus inſuper etiam Zacharias eſt ſpiritu ſancto, & prophetauit. vbi pulchre Ambroſius ſic ait, Vide quā bonus deus & facilis indulgere peccatis. non ſolum ablata reſtituit, ſed etiam nō ſperata cōcedit. ille dudum mutus prophetat. Nemo itaq; deſperet, diffidat nemo, quia nouit deo mutare ſentētiā, ſi tu noueris mutare delictum. Si nimirum Zacharias propheta factus, gratiā ſpiritus ſancti accepit in dono prophetico, quam ille vtique habuit per ſanctū illud nomen filij ſui Ioannis, qui ex gratia dei nomen ſuſcepit. Multa Zachariā cōmouere eiusq; animum eleuare poſſunt. neque enim parum ei roboris acceſsit ex angelica annunciatione, ex viſitatione & cōuerſatione Mariæ, ex lętitia & gaudio geſtientium amicorum, ex prophetia vxoris. Tot quum ille haberet argumenta, quibus operationem ſpiritus ſancti cognoſcebat, quis non credat plurimum etiam ſibi acceſsiſſe pietatis, ex qua & ipſe idoneus fieret ad ſuſcipiendum ſpiritum ſanctum? quem ille in omnium plenitudine quoque perſenſit, dum tā ſublimia de Chriſto eiuſq; præcurſore prędixit, multoq; altiora quā vxor eius, quæ paucis verbis prophetarat, ille autem prolixo cantico ſiue hymno magna perſcrutatus eſt arcana. Vſqueadeo nūquam voluit ſpiritus ſanctus mulieres multa loqui aut prędicare, ſiue docere, quamobrem & Paulus præcepit eas totum in ſilētio docere cū humilitate, & alibi plane ſilere eas iubet in eccleſia, quū eis loqui non permittatur, ſed ſi quid diſcere volunt, interrogent domi maritos ſuos, ſicut habet hic Gloſſa. Ideoque Elizabeth & paucula & paucis audiē- *Super Lucam.* *2. Ti. 2.* *Gloſ.*

tibus loquuta est: Zacharias autem multis & coram omni vicinia prophetauit, dicēs, Benedictus dominus deus Israël, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. vbi ait Beda, Quanta superni muneris est largitas, si promptaad accipiendum nostræ fidei sit pietas? Ecce hic Zacharias benedicit dominū deū Israël, non quod ipsum benedicat, quoniā sine vlla contradictione quod minus est, à meliore benedicitur. Tantum ergo benedictionem diuinam confitetur hic Zacharias, simulque pronunciat eam & laudat coram omni populo, sicut angelus Raphael vtrunque docuit Tobiam, Benedicite deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suā. Ita in omnibus laudandus est deus, vbique eius prædicanda misericordia, illi semper gratiæ sunt agendæ: iuxta illud Sapientis, Glorificantes dominum quantumcunque potueritis, superualebit adhuc. Zacharias porro tantæ suæ & tam subitę laudis in deum aperit causam, & ait, Quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. de hac re ille prophetico more loquitur, quasi iam factum dicens, quod proxime faciendum cognouerat. Ita enim loquūtur prophetæ de futuris, ac si iam præteriissent, vt ait Augustinus, tantum ob certitudinem infallibilem.

Beda. *Hebr. 7.* *To. 12.* *Eccl. 43.* *Beda.* *Augusti.*

4 Cantico illo Zachariæ quotidie vtitur ecclesia in precibus matutinis, quoniam canticum euangelicum est, ad quod etiam Christianos decenter conuenit assurgere, & capita sua aperire non secus atque ad canticum Mariæ & Simeonis. Sunt autem qui hoc Zachariæ canticum in matutinis eo vsurpari putant, quod quia hic dicitur erectum nobis à domino esse cornu salutis, idipsum in resurrectione dominica factum hic iam recolatur, deinceps quoque Zacharias ad filiū sic exclamat, Tu puer propheta altissimi vocaberis. sic autem Ioannes præcesserit Christum, vt aurora solem. Atqui Christus sol ille extitit, vt hic quoque dicitur oriens ex alto. Et hinc putant canticum hoc in laudibus matutinarum decantari solere, quanuis enim canticum virginis matris ante hoc est confectum, tamen hoc prius vsurpat ecclesia ex ratione prædicta. Multa super hoc cantico dici possent, si ad longum declarare vellemus, sed quia primi duo versus tantum in hoc euangelio leguntur, ideo & nos reliquis supersedebimus.

Rationale diuinorum & Aliacen. super Benedictus.

¶ Benedictus

¶Benedictus, inquit Zacharias, dominus deus Israël, quia visitauit & fecit repemptionem plebis suæ. Visitatio hæc per ipsam Christi incarnationem facta est, aut saltem in ea primũ incepit: atque ea visitatio salutaris vtique fuit, de qua dictum videri possit illud Iob, Visitatio tua custodiuit spiritum meum. de hac Christus ipse loquutus est, dicens venisse se vt quæreret ouem, quæ perierat domus Israël. Venit ergo ille vt pastor, venit vt medicus visitare & mederi iis quæ perierant, sicut promiserat per prophetam, Visitabo oues meas, sicut pastor visitat gregem suum. Et de medio testatur ipse, quum ait valentibus opus non esse medico, sed malè habentibus. Ita nimirum nos omnemque populum suum visitauit dominus, vt recte dixerit Augustinus, Venit magnus medicus, quia passim iacebat magnus numerus infirmorum, atque ideo seipsum Samaritanũ appellauit, & in hoc pro remediis instituit sacramenta aduersus peccata & omnes defectus hominum. (vide passim quæ prælati præfantur in visitatione monasteriorum, quæ possunt huc aptari. Vide etiam Humbertum in collationibus. Nam quæ solent dicere de causis visitandis, de forma visitationis, de effectu & vtilitate visitationis, omnia huc quadrant, & loci sacræ scripturæ abunde suppetunt.) Visitauit igitur nos Christus sua incarnatione, deinde tota vita & prædicatione omniqúe conuersatione sua, & sic redemptionem fecit passione sua & morte, dicente Petro, Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed precioso sanguine tanquam agni immaculati & incontaminati Christi. At hæc illa redemptio est quam fecit dominus in terra, de qua & Dauid ait, Redemptionem misit populo suo, mandauit in æternum testamentum suum. Vere fecit ille redemptionem plebis suæ, quæ iam plus quinque millibus annorum oppignorata fuerat dæmoni ex peccato Adæ. hanc redemptionem fecit dominus noster Iesus Christus. dum sanguine suo peccata resoluit, limbum confregit, cœlos reserauit, sanctaque sacramenta instituit, operibus bonis & exercitiis sanctis plebem suam imbuit, vt sic in hoc tempore gratiam, & post hanc vitam gloriam consequeremur æternam, Amen.

Iob.10. *Mat.16.* *Eze.24.* *Mat.9.* *Auguſt.* *1.Pet.1.* *Pſal.119.*

HOMILIA TERTIA DE IMMENSA *eius laude & commendatione.*

¶ Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Matth. 11.

DICTVRVM nonnihil de sanctimonia, de prærogatiuis & immensa dignitate sanctissimi Ioānis Baptistę & præcursoris domini, me mea deterret imperfectio, dehortatur indignitas & insufficientia, maxime vero ipse thesaurus & excellentia maximi amici dei S. Ioānis, cuius tot sunt præconia, vt inde primum ordiar, non videam facile: & vt incepero maxime, finē tamen quem faciam & inueniam nō habeo. ita multa affatim suppetunt, quæ in sanctissimi viri laudē dicenda essent omnia. Et tamen inter hæc perculsum me solatur immensa sancti sui nominis dignitas, quod quū parenti muto non vocem tantū restituerit, sed etiā nato illo donum contulerit prophetiæ. neq; mirum, siquidem vox est clamantis in deserto, quo tandē piaculo nos in eius laude tacebimus, & non potius sperabimus, quod & ipse os nostrum disertum & facundum facturus sit, qui patri suo os reserauit? Etsi nō omnem eius sanctimoniā, quæq; illā consequuta sunt priuilegia, pro dignitate recensere poterimus, tamen pro diligentia nostra sedulo conabimur videre, quid nos spiritus sanctus in sacris literis docuerit, quidq; deinceps sanctorū patrū, qui nihil inexcussum reliquerunt, diligētia eruerit, idque in laudē & honorē sanctissimi deóque dilectissimi baptistæ Ioannis, cuius gloria subinde vestris est inculcanda mentibus. Tantū hic principio vna me-
Col. 2. cum inuocate dominū deum, vt ille dignetur nobis aperire ostium sermonis ad annuncianda mysteria Christi. salutare virginem matrem, obnixe toto pectore dicentes, Aue gratia plena, &c. ¶ De magna S. Ioannis Baptistæ dignitate, de
Lucæ 1. summis eius prerogatiuis nonnihil apud vos dilectissimi in Christo fratres dicere parenti, occurrit primo, quod ille ab angelo diuinitus misso ante natiuitatem suam annunciatus est, quod sane euidēs sanctitatis immēsæ argumentū agnoscitur. Factum est, inquit Lucas, quū sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante deum, secundū consuetudinem sacerdotij, sorte exiit vt incēsum poneret, ingressus

ſus in templū domini, & omnis populi multitudo erat orās foris hora incenſi. Apparuit autē illi angelus domini ſtans à dextris altaris incenſi, & ait ad illum, Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua, & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium. Quomodo itaque nō poſſet ille maximus eſſe, quem naſciturum angelus de cœlis annunciauit? ſiquidem in veteri teſtamento hoc de duobus tantum legitur, de Iſaac nempe qui annunciatus eſt Abraham & Saræ: deinde de Samſon, qui primū matri, dehinc & patri eſt denūciatus. *Gene.16.* In nouo quoque teſtamento de nemine hoc legimus, niſi de *Iudic.13.* Chriſto & Ioanne, quāuis etiā extra ſcripturas hiſtoria annūciatus Annæ, quę facta eſt ei ſuper natiuitatæ Mariæ, omnibus Chriſtianis pie eſt credenda, iuxta regulā B. Bernardi. Quicquid aliis ſanctis etiā pauciſſimis eſt cōceſſum, hoc Mariæ nō eſt denegatum, (ſi nō ſit contra cōditionē ſexus) Alterum priuilegiū Ioanni cōceſſum, hoc eſt, quod & ipſe ſingulariter à prophetis per ſpiritum ſanctū eſt prædictus, quamobrem & ipſum ſingularis cuiuſdā ſanctimoniæ fuiſſe neceſſe eſt. ita enim dominus dicit per Malachiā prophetam. Ecce ego mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meā. Dictum autem hoc eſſe de Ioanne, teſtatur *Matt.11.* Chriſtus ipſe, quī ait coram omni populo, Hic eſt de quo ſcriptū eſt, Ecce ego mitto angelū meum ante faciē meam, qui præparabit viam tuam ante te. Vbi notandum eſt, quod hæc verba prophetæ, à Chriſto inducuntur, nō ſecus atque ſi ea deus pater loquatur ad filium. Huiuſmodi prophetia non reperitur vſquā in ſacris literis vſurpata de aliqua priuata perſona, niſi ob eximiam bonitatē & excellentiam, vel etiam malignitatem, niſi de Chriſto, Maria, Ioanne, & in malis de perſona Iudę & antichriſti. 3 Hoc quoque non exiguum præbet in Ioanne ſanctitatis argumentum, quod ante angelus vocauit nomē eius, quam naſceretur, quoniam ſic angelus dixit ad Zachariam, Vocabis nomen eius Ioan- *Lucæ 1.* nes, vt non ſit iam pro vili & abiecto reputandū nomen illud, quod angelus cælitus detulit. Profectò enim ſi diligentius euoluamus ſacras literas, inueniemus vtique nunquam factum eſſe, vt alicui ante natiuitatē ſuam nomen imponetur, niſi iis qui inſignes extiterint in promouenda aut impedienda ſalute populi. ſic in nouo teſtamento duos tantū habemus, Chriſtum & Ioannem, in veteri quatuor, quorum *Luc.1.*

primus fuit Ismaël. eius enim nomen annunciatũ est Agar, quum iam eum cõcepisset, & hic persequutus est Isaac cum posteritate sua. Alter cuius nomen antequam nasceretur sic prænunciatum, fuit Agag, quem Balaã in prophetia sua nominauit aliquot centenis annis priusquã sit natus. sic enim de eo dixit, Tolletur ppter Agag rex eius, & auferetur regnum illius. Id autẽ contigit & obuenit regi Saul, cui ablatum regnũ, datum est Dauidi, eo quòd ille pepercerat regi Agag, quẽ dominus præceperat occidendũ. Tertius, Cyrus est rex Persarum, cuius nomen longo tempore antea prænunciauit & reuelauit dominus per prophetam, quẽ & ipse nasceretur, quoniam sic ille ait, Hæc dicit dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, & dorsa regũ vertam. Dictum hoc est ante captiuitatem Babylonicam, quã deinde sequutus Cyrus, Iudæos ab ea liberauit, figuram in hoc gerens Christi, qui vniuersum genus humanum eripuit ex captiuitate & potestate tenebrarum diaboli. Quartus porrò Iosias est, cuius nomen reuelabatur per virum dei, qui quũ venisset in Bethel, dixit ad Ieroboam, Ecce filius Iuda nascetur domui Iuda, Iosias nomine. Nam & hic Iosias typum gessit Christi, dũ studuit sedulo cultum diuinũ promouere. Et ad eundem modũ nomen etiã sancti Ioannis ante natiuitatem suam est prænunciatum. 4 Sed sint hæc parua, maiora igitur afferamus. Nam & in ipso vtero matris sanctificatus est sanctus Ioannes, vt sine peccato originali natus sit, quanuis in eo fuerat cõceptus. Testatur illud de eo Hieremias, dicens, Priusquã te formarem in vtero, noui te: & antequã exires de vulua, sanctificauit te. Accedit eo & testimonium Gabrielis, quando ait ad Zachariam, quia spiritu sancto implebitur adhuc ex vtero matris suæ. Ecce quod & in ipso matris vtero plenus fuerit Ioannes spiritu sancto, qui vtique apud eum non est, in peccatis iacet, iuxta illud Sapientis, In maleuolã animam nõ intrabit spiritus sapientiæ, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Paucis quoque gratia hæc sanctificationis in vtero matris contigit, nisi quod de Maria & Ioanne certum hoc est. Hinc alia sequitur prærogatiua Ioannis, quod vnius eius celebrari solet natiuitas, nec alterius vel apostoli vel prophetæ, quoniã ij sunt in peccato originali prognati. Trium autẽ dies natales cõmemorantur in ecclesia, Christi, Mariæ

Gene.16. *Num.24.* *1.Reg.15.* *Esa.45.* *3.Reg.13.* *Hiere.1.* *Luc.1.* *Sap.1.*

Mariæ & Ioannis, ſicut Auguſtinus in hodierna homilia re- *Auguſt.*
cenſet, quanuis ſunt ex doctoribus, qui putant pie credendū
eſſe, quod etiam plures ſancti ſint in vtero matris ſanctifica-
ti, vt Hieremias & alij quidam. ſed Auguſtino in libro de
præſcientia dei ad Dardanum cap. 18. aliter ſentit. de S. Ia-
cobo idē perhibet Egeſippus, & de Ioſeph credit Gerſon. *Gerſon.*

6 Hæc quoq; ex multis magna Ioannis laus eſt, quod ille
in vtero matris & ꝓpheta fuit, & vſum habuit rationis, &
ſcientiā ſpiritꝰ ſancti. propheta enim fuit, nō eo quidē quod
in vtero matris ſit loquutus, ſed quia cōmotione ſua effecit
adhuc in vtero matris, vt Elizabeth inde agnouerit Chriſtū *Luc. 1.*
in Mariæ virginis vtero, quæ & ideo ad ipſam dixit, Ecce
poſtq̄ facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exulta-
uit cū gaudio infans in vtero meo. Suo itaq; geſtu ſiue cōta-
ctu ꝓphetauit ille, quoniā diſcrimē nō eſt aliquod, ſiue ver
bis ſiue operibus quis ꝓphetiam declaret, ſicut & dominus
præcepit Hieremiæ, dicēs, Fac tibi vincula & catenas, & po *Hiere. 27*
nes eas in collo tuo. Ita & regi Sedechię dictū eſt ab eodem,
Subiicite colla veſtra ſub iuga regis Babylonis, & ſeruite ei,
& viuetis. Inde Sedechias fecit ſibi cornua ferrea, & ait, *3. Reg. 22.*
His vētilabis Syriā donec deleas eam. Volūt inſuper docto-
res, quod Ioānes matrē ſuam ꝓphetiſſam fecerit, ita vt quā-
do Maria cognatā illam ſuā viſitauit Elizabeth, tunc Chri-
ſtus ſanctificarit Ioannē in vtero, ipſumq̄; mūdarit à pecca-
to originali, qui deinceps ſimul cum matre impletus ſit ſpi-
ritu ſancto, quoniā ſic ait Origenes, Non eſt dubium quin
quæ tunc repleta eſt ſpiritu ſancto, propter filium ſit reple- *Hom. 7. ſu*
ta. neque enim mater primum ſpiritum ſanctum meruit, *per Luc.*
ſed cum Ioannes adhuc clauſus in vtero ſpiritum ſanctum
accepiſſet, tunc & illa poſt ſanctificationem filij repleta eſt
ſpiritu ſancto. Atque hoc eſt quod eccleſia in hymno canit,

Hinc parens nati meritis vterque abdita pandit.

¶ Quod autem habuerit ille tunc etiam vſum rationis, com
munis doctorū ſententia eſt, eum in Ioanne fuiſſe ante æta-
tem, ita quod ille inde Chriſto agnito exultarit in vtero ma
tris, factúmque id eſt ex nouo hoc ſpirituali gaudio, vt te-
ſtatur Gerſon, & ſubſcribit in hymno Paulus Diaconus: *Gerſon Paulus Diaco-*

Ventris abſtruſo poſitus cubili,
Senſeras regem thalamo manentem.

Vbi de Chriſto loquitur qui erat in Maria ſicut in thalamo, *nus.*

Psal. 18. iuxta illud Dauidis, Tanquã ſponſus procedens de thalamõ ſuo. ita canit eccleſia in quadam antiphona viſitationis Mariæ, Acceleratur ratio in puero nondum nato, inſtinctu ſacris pneumatis diuinitus ſibi dato, nouit præſentem dominum in virgine clàm latentem, adorauit cum iubilo ad ſeruulum venientẽ. An porrò vſus ille rationis deſinceps manſerit in Ioãne, dubitant doctores, plerique negant, eo q̃ fuerit illa ſuperabundans quædam illuminatio quæ nõ diu du-

2. *Cor.* 12. rarit, ſicut & illa Pauli in raptu, quãdo per tranſitum vidit eſſentiam dei, vt cõmuniter ſentiunt doctores. 7 Neque verò ſanctificatus ille tantum eſt à ſpiritu ſancto, ſed & ab eodem edoctus eſt & eruditus, quod in hodierna homilia

Bernar. Bernar. aſſerit, dicens, Ioannẽ docuit nõ prædicatio, ſed in-

Ioan. 5. ſpiratio ideoq̃ nõ immerito de eo loquutus eſt dominꝰ in hunc modum, Ipſe eſt lucerna ardens & lucens. Vere ardens & multum accenſa, ſuper quẽ ita cœleſtis flamma irruit, ſiquidem ab illa hora quãdo ignis iſte deſcendit de cœlo, & per os Gabrielis deuenerat in aurem virginis, atq; inde rur-

Luc. 8. ſus per aurem Elizabeth in puerũ Ioannem, ibi nimirũ ſpiritus ſanctus electũ ſuum vas impleuit, dominoq̃ Ieſu lucernam parauit. Fuit ergo etiam tum Ioãnes lucerna lucens, ſed ſub modio adhuc. & id quidem tantiſper, dum poneretur ſuper candelabrum, quoniã eo tempore ſuum tantum illuminare poterat modiũ, matrem ſcilicet ſuam, cui magnũ diuinæ bonitatis reuelabat arcanum, noua & inſolita lætabundæ exultationis cõmotione. Nã eo ipſo quod Elizabeth Mariam domini matrẽ appellat, rationẽ reddit infantulum illum in vtero ſuo exultaſſe ad ipſius ſalutationem. De hac re tamen plura alias dicemus. Oremus dominum, &c.

HOMILIA QVARTA.

¶ Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Matth. 11.

VSQVEADEO & tam excellenter diuina maieſtas ſanctum Ioannem præclaris donis illuſtrauit, vt vix ſermone conſequi queamus nos miſeri mortales, qui huiuſmodi donorum imperiti, eaſufficienter cognoſcere non poſſumus. Et tamen vt hic quoque deo miniſterium exhibeamus, debitúmq; ſancto Ioanni honorem deferamus, nonnulla adhuc de hac re veſtra ſimul apud deum interceſſione freti, differere viſum eſt, eo quo in

ſuperiori

ſuperiori homilia cœpimus modo, & quia illa fere omnia priuilegia, quæ natiuitatem eius præceſſerunt, proſequuti ſumus, porrò ad reliqua progrediamur. ¶Vbi principio iam ſe offert illud, quod & pro octauo priuilegio cõnumerabimus, quoniã ſanctus Ioannes magnæ fuit ſaluti ſuo parenti, qui quum antea mutus fuerit, ad deſignandum quod tunc vetus ſacerdotium obmutеſcere & ceſſare deberet, nũc rurſus loqui cœpit: neque tantum loqui, ſed & prophetare, ſicuti ſuperius circa euangelij cõtextum oſtendimus. Quoniam ille vt antea matrem prophetiſſam, ita nunc parentem prophetam eſſe fecit, ſimúlque matrẽ gaudio magno repleuit, vt non immerito cognatæ ipſius ad eam dicere potuerint, Benedictus dominus qui nõ eſt paſſus, vt deficeret ſucceſſor familiæ tuæ, & vocaretur nomen eius in Iſraël, & habeas qui cõſoletur animam tuam. ſic factus eſt Ioannes admiratio omnibus hominibus in circuitu, qui obſeruantes hæc in cordibus ſuis, dicebant inter ſe. Quis putas erit puer iſte? ¶Sed vt iam ad titulos & prærogatiuas ſancti Ioãnis reuertamur, magnũ & hoc eſt ſancti viri elegium, quod ille propheta fuit dicente ad eũ Zacharia patre ſuo. Et tu puer, ppheta altiſſimi vocaberis. quod autẽ interrogantibus ſe Iudæis an propheta eſſet, negauit ille ſe eum eſſe, rationẽ alibi reddidimus. ſiquidem aperta ſunt illa Chriſti verba, quibus pluſquam prophetã eum eſſe teſtatur, Quid exiſtis videre? prophetam? etiam dico vobis & pluſquã prophetam, cuius cauſam Hieronymus affert, In eo, inquiẽs, Ioãnes cæteris prophetis maior eſt, quod quem illi prædicauerũt eſſe venturum, hic veniſſe digito monſtrauit, dicens, Ecce agnus dei qui tollit peccata mundi. 9 Poſſet quoque hic ſingularis priuilegij loco aſſignari, quod Chriſtũ digitũ demonſtrauit, demonſtrandóque teſtimoniũ ei perhibuit, vt ſic ex propheta factus ſit apoſtolus. Refert hiſtoria quod imperante Iuliano, Gentiles ſuſtinere nõ valentes miracula quę circa monumentum Ioannis fiebant in Sebaſte, diruiſſe illud, oſſaq; eius diſperſa & rurſus collecta cõbuſſiſſe: digitũ autẽ iſtud quo ille Chriſtũ demõſtrauerat, cõflagrare nõ potuiſſe, quem deinde à S. Thecla in montana tranſportatũ, aiunt adhuc cõſeruari in eccleſia Maurianenſi, certúmq; eſt vnico tantũ digito Ioannem demõſtraſſe Chriſtum, non duobus, quod nõnulli pingunt pictores, qui licere ſibi omnia putãt.

Ruth 4.

Luc. 1.

Tom. 1.

Hiero. ſuper Matt.

Schola.

10 Hinc datur intelligi, quod etsi omnes prophetę sint à deo missi (ideo enim quibusdā falsis prophetis exprobrat q̄ vltro sumentes sibi prophetandi munus, currerent etiā non missi) attamen propterea quod Ioānes excellētior illis fuit, recte de eo dicit euāgelista, Fuit homo missus à deo, cui nomen erat Ioannes. singulariter ergo missus est Ioannes præ aliis prophetis, qui ante missi sunt quā Christ⁹ veniret. vnde & responsum de eo reportare non potuerunt. Hic autē ita missus est, vt ipse quoq; viuens viuentibus viuentē annū ciarit Christū. neq; id tantū, sed & insuper mortuus in limbo Christum venisse reuelauit, quamuis & peculiari quodammodo missus sit in sua natiuitate, vt supra diximus.

Hier. 14. 23. *Ioan.* 1.

11 Plus esse Ioannē quam prophetam Christus ipse exponit, dū angelum eū esse affirmat. Quod quis non credat esse maximū, vt homo dicatur angelus? Et hoc tamen probat dominus per Malachiā, quum ait, Hic est de quo scriptum est, Ecce ego mitto angelū meum ante faciem tuā. Angelū eum vocat, qui officium angeli erat impleturus ante Christū, & est vtiq; officium angeli longe tum superius tū eminentius, quam prophetæ. Quamobrem Hieronymus ait, Vt meritorium Ioannis auxesim faceret, de Malachia testimonium infert, in quo etiā angelus prædicatur. Angelum autē hic dici putemus Ioannem, nō naturę societate, sed officij dignitate. siquidem officiū est angelorum, non tantū futura prædicere, sed etiam ad peculiares quosdam mitti homines, per quos aliquid effectum reddatur, quorum etiā pectora illorum instinctu præparentur. sic missus est angelus ad Abraham, ad Iacob, Moysen, Iosue, Tobiā, Zachariam, Mariam & alios. Atq; ex hoc etiam munere Ioannem fuisse plusquā prophetā, satis colligit B. Augustinus. li. 2. contra Petilianū. ca. 37. etiā affert rationē, quur ille plus sit quā propheta. proximus enim ille fuit ante Christū propheta, qui Messiā prædixit præ omnibus quotquot ante eum fecerunt, quoniam omnes iusti & prophetę superiorū tēporū videre cupiebāt, quomodo impleretur quod illi reuelāte sibi spiritu sancto videbāt futurū, de quibus etiā ideo dixit dominus, Multi iusti & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & nō viderunt: & audire quæ vos auditis, & non audierunt. Atque ideo ille plusquam propheta dicitur, quoniā priorib⁹ iustis tantū licuit prænunciare Christū, huic vero datū est simul

Super Matth. *Mat.* 11. *Mala.* 3. *Augusti.* *Mat.* 13.

&

& annunciare abſenté & videre preſenté, ita vt huic manifeſtum clare fuerit, quod illi cupiuerunt tantũ. Vnde Amb. ait, Oſtẽſum cognouit & baptizauit, baptizatum adorauit, & venientem prædicauit atque cognouit. Satis itaq; multas aſsignauimus rationes, quare Ioannes pluſquã propheta dicatur. & tamen lubet adhuc illã adiũgere, quod iſte non per ſe tantũ prophetauit, ſed & per matré, quam ille prophetiſſam fecit. Atq; hãc fere cauſam refert Aug. in mirabilibus ſacræ ſcripturæ lib. 3. c. 1. vbi de Ioanne loquens ſic ait, Qui conceptus adhuc in matris vtero manens, priuſquam naſceretur, cum Mariæ matris domini introitum in domum, vbi fuerat, ſenſit ſpirituali famine per os matris, de naſcituro ex ea Chriſto prophetauit. Vbi mirari quis poſſet circa verba illa Aug. ideoq; ipſe ea ex libro Numerorum cõfirmat, vbi ſcriptũ eſt, quomodo ſpiritus Moyſi in viros ſeptuaginta duos diſtributus ſit, qui deinde ſimul cum eo ſuſtẽtarint onus populi. Quod ſi itaq; ſpiritus ille Moyſi per tot viros loquutus eſt, quomodo non & huius pueri ſpiritus, quando adhuc in vtero matris detinebatur, loqui potuerit? Per ipſam matré? Et hic vniuerſam prophetiã Elizabeth, Aug. Ioanni refert acceptã. Vt auté hoc priuilegiũ finiamus, quo dictum eſt Ioanné pluſquam prophetã fuiſſe, pulchre inquit Chryſoſt. Quur maior prophetis Ioannes? quoniã propinquior erat Chriſto vẽturo. Mittã, ait, angelũ meũ ante faciẽ tuam, qui auté ante faciẽ eſt, is proximus eſt. Et ſicut maximi quiq; proceres regibus aſsiſtunt proximi: ita Ioãnes prophetarum omniũ digniſsimus, Chriſto etiã proximus fuit.

Luper Lu.

Auguſti.

Numc. 11.

3 Ad hæc fuit ille Chriſti præcurſor, quod in prophetia ſua pater eius cognouit, dicens, Præibis ante faciem domini parare vias eius. In multis præcurſor Chriſti fuit Ioannes, quia ante eũ cõceptus, natus, prædicare inſuper cœpit, prior ante eum baptizauit, diſcipulos collegit, ante ipſum mortuo deſcendit in limbum. In omnibus illis præcurſor Chriſti factus eſt. & de conceptione ac natiuitate ſatis patet ex ſuperioribus & teſtimonio Lucæ. Quo ad prædicationem, nihilo certius eſt, ille enim pœnitentiam cœpit ante eum prædicare, primúſque regnum annunciauit cœlorum, vt ait Hieron. ſuper Matt. quo etiã munere ſolus ante dominum quia præcurſor eius erat, cohoneſtatus eſt. Siquidem per quinq; milia annorum auditũ ab origine mundi nunquam eſt hoc

Luc. 1.

Hieron.

Matth. 3.

Matth. 4.

Act.2. vſq; ad Ioannē, qui primus exurgens, in deſerto clamauit, Pœnitentiá agite, appropinquabit enim regnum cœlorum, exorſus hoc modo prædicationem ſuam à pœnitentia, ſicut & poſt eũ Chriſtus, & poſt vtrunq; Petrus in die Penteco-
Auguſti. ſtes. Quod etiã attendens Auguſt. ait conueniente diſpenſatione factũ eſſe, vt Ioannes qui poſtea victu & veſtitu & loco hominibus exẽpla pœnitentiæ præberet, & pœnitentiam prædicans, ex cõceptionis tempore pœnitẽtię modum ſibi ab angelo impoſitum, donec ille naſceretur, ſuſtineret. Deinde ſimiliter in baptiſmo pręcurſor eius fuit, ſiquidem ad ipſum exibat omnis Iudæa, & baptizabantur ab illo. At-
Tom. 4. de baptiſmo Ioan. i Act. 19. qui baptiſmus ille Ioannis ſacramẽtum non fuit, quãobrem Paulus quum veniſſet Epheſum, inueniſſetq; ibi diſcipulos nonnullos baptizatos in baptiſmo Ioãnis, rebaptizauit illos in nomine Ieſu. Et ideo baptiſmus Ioãnis nõ contulit remiſſionẽ peecatorũ, niſi forte in ſpe. Verùm in baptiſmo Chriſti vere remittebãtur peccata, ſicut & in illo confertur ſpiritus ſanctus, nõ autẽ in baptiſmo Ioannis. Quanto itaq; ſanctior & ſuperior eſt baptiſmus eccleſiæ, baptiſmo ipſe Chriſti, quam baptiſmus Ioannis, vt recte dixerit in ſermone de
Ambro. gratia baptiſmi Ambro. Et ſi vterq; baptiſmus domini ſit, eum tamẽ quo nos baptizamur, acceptiorẽ puta, quã etiam illum quo baptizatus eſt Chriſtus: quoniã hic tãtum erat in aqua, baptiſmus ſcilicet Ioãnis, noſter autẽ baptiſmus Chriſti eſt. Sic ergo Ioannes homines paulatim aſſuefecit baptiſmo, vt inde paratiores eſſent magisq; idonei ad ſuſcipiendũ baptiſmum Chriſti, vnde recte præcurſor eius dicitur etiã in baptiſmo. Qua de re Auguſt. inter alia verba multa quæ
Aug. li. 5 contra Donati. c. 9. habet de vtriuſque baptiſmatis diſcrimine, ſic ait, Accepit hoc Ioannes certæ diſpenſationis gratia, nõ diu manſurum, ſed quantum ſatis eſſet ad parandam viam domino, cuius eũ eſſe præcurſorem oportebat. Et hoc diſcrimẽ ſimul & prę-
Mat. 3. curſoris officium Ioannes ipſe non celauit, quando corã Iudæis profeſſus eſt baptizare ſe quidem in aqua, venturũ tamen fortiorem poſt ſe, cuius ipſe non ſit dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius, qui baptizaturus ſit in ſpiritu ſancto & igne. Præterea Ioãnes CHRISTI præcurſor fuit
Homi. 4. ſuper Lu. Gregor. in morte, quia ante mortuus eſt, vt ad inferna deſcendens, inquit Origenes, illius aduentũ patribus prędicaret. Neque multum diuerſum eſt quod Gregorius homil. 6. ait in hæc

verba,

verba, An ipſe veniat requirit, non quia ipſum eſſe mundi redẽptorẽ dubitat, ſed quærit vt ſciat, ſi is qui per ſeipſum in mundum venerat, per ſe etiã ad clauſtra inferni deſcendat. Quem enim præcurrens mundo nunciauerat, hunc mo riendo & ad inferos deſcendẽdo præcurrebat. Pulchre huc quadrat quod hic ait Origenes, Non illo tantũ tẽpore præparatæ ſunt viæ & directæ ſemitæ, ſed vſq; hodie aduẽtum domini ſaluatoris ſpiritus Ioanni virtuſq; præcedit, præparans domino plebem perfectã, & in cõtritionibus cordium vias planas facit, ſimulq; dirigit veſtigia domino in plebem perfectam. Vere enim nõ illo tantũ tẽpore paratę ſunt vię, ſed & in hodiernum vſque diem virtus & ſpiritus Ioannis, Chriſti præcedunt aduentum. O myſterium hoc dei noſtri magnum, quando etiam angeli præcurrunt dominũ, quãdo angeli quotidie deſcendunt & aſcendunt in ſalutem hominis in Chriſto Ieſu, cui laus ſit & honor in ſecula, Amen.

Super Lu. Luc. 1.3.

Baptiſta, Euangeliſta, Chryſoſtomus.

Eſt vox, eſt volucer, eſt aureus ore Ioannes,
Hos mihi patronos poſco, repoſco, lego.

HOMILIA V. IN FERIIS
D. Ioannis Baptiſtæ.

Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Matth. 11.

¶Proſequuti ſumus aliquot priuilegia ſancti Ioannis Baptiſtæ, vbi ſatis iam ſentio, quantum ingreſſi ſimus mare. ſiquidem neq; portus adhuc aliquis nec finis apparet, ita immenſa ſuſcepit ille à domino deo gratiarum munera. Hic itaque primum occurrit rurſus in nomine eius quod ſit ipſe baptiſta Chriſti, quæ ſane res maximo ei eſt honori, vnde & appellationem ſumpſit, & recte de eo canit eccleſia.

Non fuit vaſti ſpatium per orbis
Sanctior quiſquam genitus Ioanne,
Qui nefas ſecli merunt lauantem
Tingere limphis.

QVOMODO autem Chriſtum baptizarit Ioãnes, ab euangeliſtis omnibus deſcriptum eſt. ſic enim ait Matthæus, Venit Ieſus à Galilæa in Iordanẽ ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Ioannes autẽ

Matt. 3. prohibebat eũ, dicens, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? reſpondens autẽ Ieſus, dixit ei, Sine modo. ſic enim decet nos implere omnẽ iuſtitiam. Vide hic Ioãnis humilitatem, qui indignum ſe reputat vt baptizet Chriſtũ, ſed cupit ab eo baptizari. Et intelligit hoc B. Hierony. ita, quod dominus promiſerit ei baptiſmũ, ſed nõ ad hoc tempus. vnde & dixit, Sine modo. quaſi diceret, Intermitte modo baptiſmum tuũ, & baptiza me aqua, ego vicißim baptizabo te in ſanguine meo. Idipſum latius extendens Tuitiẽſis, ſic ait. Vbi factũ eſt hoc eidẽ Ioanni quod dixit, Ego à te debeo baptizari? oportet nanq; verum & ſtatera rationis eſſe ponderatum, quod tali tantóq; filio hominis dixit propheta veritatis, homo tãti meriti, angelus tã magni præconij. vbi ergo factum eſt ei? illic nimirũ vbi peccata mundi tulit idẽ agnus dei quem digito monſtrauit. vbi hoc? profecto vbi agnus ip ſe immolatus eſt, & noſtros ſanguine ſuo ſacrauit poſtes, quando mare rubrũ ex latere ſuo diffudit ſanguinẽ & aquã, tunc contigit Ioanni quod hic optauit, vt baptizaretur à Chriſto, neq; id Ioanni tantũ, ſed iuſtis & electis omnibus, qui expectarunt eũ iam inde ab origine mundi. Deinde obſeruandum hic venit, quod Ioannes dominũ agnouit Chriſtum & Meſsiã verũ eſſe, quod ex ipſius verbis facile colligitur, quando ait, Ego à te debeo baptizari. Idẽ paulò apertius intelliges ex Ioannis euangelio, qui baptiſmum Chriſti deſcribens, ſic ait Ioannẽ dixiſſe, Ego neſciebã eum, ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quẽ videris ſpiritũ deſcendentẽ & manentem ſuper eũ, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Ecce quod Ioannes Chriſtũ non cognouerat, quo ad externũ corporis habitũ. ſiquidem ille paruulus adhuc fuerat deſertũ ingreſſus. Verũ per gratiã ſpiritus ſancti, & in virtute luminis prophetici (eius enim donũ in ipſo adhuc vtero matris acceperat) Chriſtũ cognouit. Alias abſurdum fuerat Ioannem in matris adhuc vtero detentum, agnouiſſe Chriſtum, nunćq; adultum, prædicatorẽ, baptiſtam, ipſum amplius non noſſe. Nemo etiam ſuſpicetur ex illis verbis euangeliſtæ, quod adhuc Ioannes non cognouerit Chriſtum, donec ſpiritum ſanctũ videret ſuper eum in ſpecie columbæ. ſicut enim argute hic proponit Auguſtinus, Ioannes tandem poſt Chriſti baptiſmum vidit ſpiritum ſanctum ſuper eũ, Matthæo, Marco & Luca teſtãtibus, quoniam

Vide Tomo 4.

Ioan. 1.

Super Io. Matth. 3.

quoniã ſic ait Matthæus, Baptizatus Ieſus, cõſeſtim aſcẽdit de aqua. Et ecce aperti ſunt ei cœli, & vidit ſpiritũ dei deſcẽdentẽ ſicut columbã, & veniẽtẽ ſuper ipſum. Atqui ante baptiſmũ Chriſti dixit ad eum Ioannes, Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me? Quibus verbis none palã profeſſus eſt ſe cognoſcere Chriſtũ? Sequitur ergo ſuperiorẽ illum intellectum verũ eſſe, quod Ioãnes cognouerit Chriſtum non conſuetudine humana, ſed prophetica reuelatione: quoniam Chriſtus adhuc paruulus fugit in AEgyptũ, & Ioannes admodũ tenera ætate ſeceſſit in deſertum, authore Origene homil. 10. ſuper Lucam. 2 Accedit ijs magna quoq; hæc Ioãnis prærogatiua, quod ipſe diuinitus ad hoc munus ordinatus eſt, vt in mundum mitteretur, teſtimoniũ Chriſto perhibiturus. Quod & euãgeliſta deſignat, quum ait, Fuit homo miſſus à deo, cui nomen erat Ioannes. hic venit in teſtimonium, vt teſtimoniũ perhiberet de lumine, vt omnes crederẽt per illũ. Recẽſetq; ille deinceps teſtimoniũ Ioãnis de Chriſto ad longũ. Et fatetur idẽ Chriſtus quũ dicit ad Iudæos, Miſiſtis ad Ioannẽ, & ille teſtimoniũ perhibuit veritati. Hic nimirum lucerna ardẽs erat & lucens atq; teſtis nõ exiguę authoritatis apud Iudæos, cõſcios quoq; & adhuc memores admirandæ eius natiuitatis, & quomodo pater eius antea mutus, loqui rurſus cœpiſſet. norãt illi ſanctimoniam & rigorẽ vitæ ſuæ, audierant eũ cœpiſſe iã prędicare, baptizare, diſcipulos colligere. hinc fidẽ tãtam in eũ habebant, vt ſuſpicarẽtur nonnulli ipſum eſſe Meſsiam. & ideo honeſta ad eum legatione miſſa, inquirebant nũ Chriſtus, aut Elias, aut propheta eſſet, vſqueadeo ſtupendam vitam gerebat Ioannes, vt ait Origenes, planẽque ſegregatum à communi reliquorum hominum vita. Omnia enim ſuperiora miracula ideo cum eo operatus eſt dominus, vt ipſum magnificaret coram Iudæis, & ij facilius deinde fidem haberẽt teſtimonio ipſius. hinc etiam gratiam ei conferebat tam angelicam vitam agendi. ¶ Quod autem tantæ exiſtimationis fuerit Ioannes, etiam Iudæorũ nobis ſuffragantur teſtimonia. ita enim Ioſephus de Ioãne, Quibuſdam, inquit, Iudæorum videbatur ideo periiſſe exercitum, quod in eum ſatis iuſte indignatio diuina commota ſit pro vindicta Ioãnis qui vocabatur Baptiſta. Hinc enim quum Herodes occidit, virũ valde bonũ, qui præcipiebat Iudæis

Origen.

Ioan. 1.

Ioan. 5.

Origen.

Lib. 18. cap. 10.

virtuti operam dare & iustitiam colere. in deū seruare pietatem, & per baptismum in vnum coire, tum etiam baptismum acceptabilem fore, si non solum ad abluenda peccata sumatur, verum etiam ad castimoniam corporis, atque ad animę iustitiam purificationemq́ue seruetur, omniumq́ue pariter virtutum velut signaculum & custodia quædam fidelis habetur. Quæ quum præcepta huiusmodi ab eo docerentur, atque ad audiendum turba plurima cōcurreret, veritus Herodes ne forte doctrinæ eius persuasione populi à suo regno discederent, videbat enim quod præceptis eius ac monitis parata esset plebs in omnib⁹ obedire, melius credidit priusquā noui aliquid fieret, prꝫuenire hominem nece, quam postmodum turbatis rebus seram pœnitudinem gerere. Ex sola hac suspicione Herodis, vinctus in castellum Marcherunta adducitur Ioannes, ibiq́ue obtruncatur. Verba hæc libuit inducere, non quod animus sit multa huius Iudęi authoritate probare, satis enim euangelia eius arguunt sanctitatem, deinde veram ostendunt causam cur sit occisus, eamq́; longe aliā quā hic habeat Iosephus, sed quia in militia & bello fuit ille tunc tēporis simul & in obsidione Hierosolymitana, vt ex eo quoque cognoscere liceat, quantę existimationis & dignitatis habitus sit sanctus Ioannes inter Iudæos. 3 Neque modica illa etiā Ioannis commodatio est, quod Elias vocatur ab ipso domino, dicēte ad populum, Si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est. Nemo tamen hoc intelligat secundum sententiam philosophorum & quorūdam hæreticorū, qui putarūt animas de corporibus in corpora transmigrare. id prꝫmonens Hieronymus quoq; ait, Elias dicitur Ioānes, non secundū stultos philosophos & quosdā hæreticos qui metempsychosin introducūt, sed quod iuxta illud testimoniū euāgelij venerit in spiritu & virtute. Elię. neq; enim anima Elię erat in Ioāne, sicut hoc ipsemet abnegauit Iudæis, quādo miserunt ad eum, vti & nos alibi exposuimus. Hieronymus quoq; alio in loco sic habet, Ioannes secundū mysterium quod in Malachia scriptum est, appellatur Elias, nō quod vna anima sit in Ioanne & Elia, sicut hæretici opinantur, sed quia eandē habuerunt gratiam spiritus sancti. Cinctus fuit zona pellicea, vixit in deserto vt Elias, persequutionem sustinuit ab Herodiade, sicut Elias à peruersa Iezabel. Atq; sicut Elias

Matt.11.

Hiero.

Tomo 1. ad Algasiam.

3 Re. 19.

ventu

venturus est præcursor Christi in secundo aduentu, ita Ioānes dominum in carne venientē, non tantū in deserto. sed in ipso adhuc vtero matris salutauit, seque illius præcursorem gratulabunda corporis sui exultatione declarauit. ¶ Eandē hæresim refutat & Origenes(hæresim vocant transcorporationis, quam transanimationem dixit voce Græca Hieronymus)quod Ioannes nō habuerit animā Eliæ, sed propter spiritum & virtutē dictus sit Elias. neque hoc sacris literis refragatur, spiritum qui antea fuit in Elia, post hac venisse in Ioannem, quia spiritus prophetarū prophetis subditus est, vt ait Paulus, & id ita esse testatur historia Regū, quando Elias dixit ad Eliseū, Postula quod vis vt faciam tibi, antequam tollar à te. dixitq; Eliseus, Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus. qui respndit, Rem difficilē postulasti. Attamen si videris me quando tollar à te, erit tibi quod petisti: si autē nō videris, nō erit. Ecce quomodo Eliseus spiritū recepit Eliæ, & quanto magis multiplicem illū habuit Ioannes? quum ergo Eliseus percuteret Iordanē, & aquæ diuisæ transitum ei permitterent, viderentq; hoc filij prophetarum Iericho, dixerūt spiritū Eliæ requiescere super Eliseum. Dicas eo modo potuisse etiā Eliseum dici Eiam, cuius spiritum habuit. respondeo nō sequi hoc, quoniā vt maxime Eliseus spiritum habuerit Eliæ, virtutem tamē Eliænon habuit. de virtute Elię sic ait Sapiēs, Surrexit Elias propheta quasi ignis, & verbū ipsius quasi facula ardebat: de Ioāne etiā sic dicit Christus, quia hic est lucerna ardēs & lucēs. Equidē crediderim virtutē Elię virtutē esse testimonij, quod ille præ alijs potēs est perhibere domino. Eandem quoq; virtutem habuit Ioannes, sicuti supra probatum est. De Elia legimus, cum simul cum Moyse transfigurato domino apparuisse in monte Thabor, atque cum eo esse loquutos vt gloriæ suæ testes. Et sic Elias quoque ante diem nouissimum veniet tanquam Christi testis, sicut præuidit Malachias in spiritu dominū dicere, Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, priusquā veniat dies domini magnus & terribilis. Neq; deest eius rei nobis etiā in nouo testamento authoritas. sic enim ait Ioannes, Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducētis sexaginta. Et quum finierint testimonium, sequitur ibidem, Bestia occidet eos, & corpora eorum iacebunt in plateis, &c. sicut

Homilia 13. super Matth.

4. Reg. 2.

Eccl. 48.

Ioan. 5.

Mat. 14.

Mala. 4.

Apo. 11.

alibi ad Iongum enarrauimus. Neq; discedit ab hac sententia Chrysostomus, volens Ioānem ratione officij Eliā dici, quoniā vterq; præcursor sit Christi, vterq; zelū domini habuerit. Quod autē non fuerit ille Elias in persona, sed spiritualiter tantum, colligit Chrysostomus ex verbis Christi, quū ait, Si vultis scire, quasi dicat si mente attenta vtriusque gesta & animo facili & non contentioso cōsiderare voluerit is, videbitis vtiq; quā sint ambo pares. 4 Est adhuc alia Ioānis prerogatiua, quod sanctā adeo & rigidam vitā vixit. tenera adhuc in ætate desertū ingressus, cibum aliū non habuit nisi mel sylueſtre, herbas & locustas. vestitus est pelle cameli, & zona pellicea cinctus. Sanctꝰ erat, hoc est, deo secundum legem deditus, quia primogenitus & quidē sacerdotis, deinde etiam Nazarenus, quia illi angelus vinū prohibuit & sicerā. Infans autē adhuc existens quomodo sit pastus, in scripturis expressum non est, quāuis hoc pie sit credendum, vt ait Origenes, quod preparatus sit iam inde ab vtero matris, vt mirabiliter natꝰ, mirabiliꝰ nutriretur. Tātum hoc habet Lucas, Puer crescebat & cōfortabatur spiritu, & erat in desertis vsq; in diē ostensionis ad Israël: quinuis Beda putat Ioānem annis viginti cōmoratum esse in deserto. atqui ille anno trigesimo egressus est desertū, quod ex Matthæi tertio colligitur, sequetur ergo, ipsum anno ætatis decimo intrasse desertum. Aiunt euangelium Nazareorum habere, quod occisis innocentibus per Herodem, fugerit Elizabeth cum Ioanne infantulo in desertum, ipsumq; ibi in petra absconditisse, sed mitto. Ecclesia de eo ita canit,

Chryſo.

Chryſo.

Nu. 3. 6.

Super Lucam. Luce 1. Beda.

Antra deserti teneris sub annis
Ciuium turmas fugiens petisti,
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses.

(Hoc est, pecato veniali, quia verbum ociosum ex genere est peccatum veniale.) Multa hic de asperrima sancti viri vita, quæ omnium cœnobiorum superat rigorem, dici possent, sed pro omnibus illis satisfacit nobis Christus ipse, qui olim corā omni populo, nunc vero per euangeliū suum coram vniuerso mūdo testimonium ei perhibet constantiæ suæ, quia immobilis fuerit, & nō agitatus hinc inde instar arundinis. Vide Gregoriū homilia nona super Exechielem. Vt tandem finem faciam, obruor enim magnitu-

Mat. 11.

Gregor.

dine

dine præconiorum D. Ioannis, nec video quis sit tandē futurus dicendi finis, si omnia prosequi intendam. Laudauit insuper eum Christus, quod mollibus non sit indutus vestimentis, imo nullis affectus voluptatibus. alias non desertum amassēt & carcerem, sed amplas & magnificas ædes. Tam sanctam deoq; placentem vitam hic vixit, vt omnes homines confessi sint eum etiam inuiti, amicum esse dei, qui gratiam susceperit. Orate iam dominum deum.

HOMILIA SEXTA, IN DIE *sancti Ioannis Baptistæ.*

¶ Inter natos mulierum non surrexit, &c. Matth. 11.

DEVM immortalem, quanto vberior est diuina misericordia, quam omnium hominum intellectus assequi possit? Quanto etiā amplior est sancti Ioannis dignitas, quam omnes omniū hominū linguę possint eloqui? Ecce quot hactenus prærogatiuas S. Ioannis recēsuimus, quas tamen pro dignitate nequiuimus explicare. Quantum adhuc priuilegiorum supereſt? plura nanq; dicenda essent super eo, quur ipse se, & ante eum propheta illum vocarit vocem clamantis in deserto, super quibus tu Gregoriū consule in homilia, & ea quæ diximus nos dominica quarta Aduētus. Hoc quoq; explicandum adhuc restaret. quomodo Ioannes suo ipsius testimonio lux non sit, & tamen lucerna ardens & lucēs existat, vt Christus ait, de qua re vide Bernardum in sermone huius diei. potest enim & Ioannes lux dici, sed huiusmodi quæ sit accensa à Christo, nō secus atque apostoli à Christo appellati sunt lux mundi. Quod pulchre explicat Auguſt. super Ioan. tracta. 14. & in li. de gratia noui testamenti ad Honoratum ca. 3. Ad hæc, ratione non caret quur Ioannem Iob dixerit luciferum, quum ait, Nunquid producis luciferum in tempore suo? Causam illam vide in Bernardo, homilia secunda omniū sanctorum. præterea quantū dici posset de officio prædicandi in Ioanne, de præparatione viæ, vnde ille sagittę electæ & acutæ appellationem meruit apud prophetam? fuit ille spiritualis Moyses, sicut pulchre Tuitiēsis super Ioānem declarat. At quomodo taceri posset istud, quod iam inde à Ioannis tempore regnū cœlorū vim passum est, cum tamen ille primus

Ioan. 1. *Esa. 40.* *Grego.* *Ioan. 1. 5.* *Mat. 5.* *Iob. 38.* *Hieron.* *Esa. 48.* *Psal. 119.* *Tuitiēsis.*

regnum prædicarit cœlorum? Hæc omnia apud Hieronymum
Mat. 11. super Matthæum. Quid autē sibi voluerint tam horridus cibus, tam incultus vestitus Ioannis in deserto? quando quidē prophetæ non verbis tātum, sed & operibus plu-
Chryso. rima prænunciant. Legere est apud Chrysostomū homilia 10. super Matthæum. Quā diu baptizarit ille quidque prædicarit: & quomodo maior sit euangelista, quia agnum domini demonstrauit, reperies apud eundē super caput 1. Ioānis. His accedit quur crescente Christo, diminutus sit Ioānes, qui tamen de virtute in virtutē proficiens, ex infantulo tenello factus est eremita, ex eremita prædicator, ex prædicatore baptista Christi, ex baptista euāgelista, & ex euangelista martyr. quid ergo est quod minui eum oportuit? scilicet in significatione, quia vetus testamētum designarat. qua
Ambro. de re iustū habet Ambrosi⁹ sermonē. 12. in die natali Christi. Hæc & huiusmodi alia multa per longū recenseri possent, nisi aliquando nobis receptui esset canendū. Vnum tamen ex multis se mihi offert refellendū, quod Ioāni obiicere quis posset: quur ita ille tandē miraculū nullū fecerit. sicut & Iudæi ad Christū dixerunt. Respondetur, Nō eo factū id est, quasi non tātæ sanctitatis fuerit ille, vt suffeciſſet miraculis operādis, quoniā miracula maiora nō sunt vtique maioris sanctimoniæ causa, quando possunt ea per malos
Auguſt. etiam, sicut pulchre docet Augustinus in lib. 83. q. 79. Quur autem Ioan. miraculum nullū fecerit, in causa est, quod illius munus & officiū erat homines ad Christū dirigere, non seipsum, eo quod Christus notus nondū erat. Aliter se res habuit deinde in apostolis, quū iam Christus per doctrinā suā innotuisset, ideoq; etiā illi miraculis suis referebāt se tantū ad Christū, & nō super seipsos. Sic quoq; Christū oportuit crescere, Ioānem minui in operatione miraculorū, quomodo etiam minor fuit Ioānes multis in regno dei. Neq; ideo
Chryso. magnificiendum est, quod Ioannes miraculum nullū fecerit. Maius enim est, vt ait Chrysostomus totam ipsius vitam admirationi & miraculo omnibus fuisse insignis suæ natiuitatis, in virtutibus vitę, quæ hominem longe superarunt. Sed nos iam duo tantum S. Ioan. priuilegia edisseramus.

2 An non hæc ipsius prærogatiua magna est, quod eum dominus vtriusq; testamenti limitē & terminum ponit? sic
Mat. 11. enim ait, Lex & prophetæ vsque ad Ioannem. Et alibi, Lex

& pro-

& prophetæ vſque ad Ioan. ex eo regnum dei euangeliza- *Luc. 16.*
tur. Hoc nõ ita intelligendum eſt, quaſi poſt Ioannem exclu *Hiero. ſu-*
dat prophetas, quoniã in Actibus apoſtolorum legimus & *per Matt.*
Agabum prophetaſſe, & 4. virgines filias Philippi, inſuper *Actu. 11.*
& Ioan. euangeliſta, & Paulus alijq́ue multi prophetarunt. *& 21.*
ſed eos hic dominus intelligit prophetas, qui de ſuo aduen-
tu prophetarint, i) nimirũ vna cum lege deſierunt in Ioan.
qui quamprimũ digito dominum mõſtrauit, ibi ſtatim & no
uæ legis ſacramenta pullulare, & lex vetus emori cœpit, tan
tiſper dũ ſepulta & mortua tota iaceret, quãdo poſt Chriſti
aſcenſionem & apoſtolorũ prædicationẽ illa tandẽ non ſo-
lum mortua, ſed & mortifera eſſe cœpit. ſicut Paulus ait, Si
circuncidimini, Chriſtꝰ vobis nil proderit. Cõcordat quod *Galat. 5.*
habet Augu. lib. 3. de mirabi. ſacræ ſcripturæ. quum ait, Cõ- *Auguſti.*
gruens hoc ſignũ euenerat, vbi qui dum regnũ cœlorũ præ-
dicare deberet naſciturus cõciperetur, antiquæ legis & ꝓ-
phetarũ prædicator, ſacerdos ſilentio dãnaretur, quoniã lex
& ꝓphetæ vſq; ad Ioan. ex eo autẽ regnũ dei euãgelizatur.
Chryſoſt. etiã ſic ait, Nemo vobis vlterius expectandus eſt, *Chryſoſt.*
cum inde aperte pateat quia ego ſum, quia ꝓphetę iam ceſſa
rũt. nõ enim ceſſaſſent ꝓphetæ, niſi ego veniſſem. Theoph. *Theoph.*
rationem hanc reddit, quoniã lex nunquã promiſit regnum
cœlorũ, ſed Ioan. primus fuit qui annunciauit regnũ cœlo-
rum, certũ igitur erat, aliam iam imminere legẽ: quia mino-
ra implentur, dũ maiora ſuperueniũt, vt inquit Ambroſius. *Ambroſ.*
¶ Et diligenter quidẽ ſunt hæc Ambroſ. verba obſeruãda,
intellectum enim aperiunt, quomodo lex Moſaïca ceſſarit,
non quod amplius non ſit, ſed ita vt rei vmbra deficit, vbi
res vera ſuperuenit. ſic nimirum vetus lex Moyſi ceſſauit,
quando veritas quę per Chriſtum facta eſt, venit. & hoc eſt
quod dominus profeſſus eſt non veniſſe ſe ſoluere legem,
ſed implere. neque enim inutilis facta eſt lex, dum in melio-
ri eſt impleta, dum figuræ veritas ſucceſſit, ſed hæc alias.

3 Suprema autem & maxima hæc Ioannis laus eſt, quam
Chriſtus qui omnia nouit ab æterno, ei dedit, inquiens, In-
ter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne. Mitto hic
quod quidam volunt dominum hic noluiſſe Ioannem face-
re omnibus ſuperiorem, ſed tantum illi neminem prætuliſ-
ſe. neque enim dicit Ioannem maximũ eſſe, ſed tantũ quod
nemo ſit eo maior, quæ ſane Hieronymi ſententia eſt ſuper *Hieron.*

Matthæum qui sic ait, Non per hoc cæteris prophetis & patriarchis cunctisque hominibus Ioānem prætulit, sed Ioanni cæteros exæquauit. Non enim statim sequitur, vt si alij maiores eo non sunt, ille maior aliorum sit. Videtur in hanc *Auguſt.* sententiam declinare velle etiã Auguſt. in q. no. & vet. teſt. q. 26. quum dicit, Veniet, inquit Lucas, in spiritu & virtute Eliæ. parem ergo Eliæ Ioannem ostendit: & dominus dicit, Nemo maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista. Non dixit, omnibus maior est, hoc est, æqualem habet, maiorem non habet. Sunt qui ideo Ioānem inferiorem *Matt.* 11. cæteris conantur efficere, quoniam Christus dixerit, Minimum in regno cœlorum, maiorem eo esse. Quanuis ergo secundũ rigorem verborũ hæc ita procederent, magnum tamen hic testimoniũ Ioanni est exhibitum. neminem Ioanne factum esse sanctiorem: neque non locum ibi suum habet communis doctorum sententia, illum inter omnes sanctos dei post Christum & Mariam esse sanctissimũ. Sic Gerson testatur dominum matrem suam Mariam assumptam, super omnes angelorũ choros collocasse, huícque proximum fecisse Ioannem Baptistam, quem in choro angelorum Seraphin in locũ Luciferi subrogarit. Et quanuis ex ipso verborum nudo cõtextu, iuxta sententiam Hieronymi & Augustini aliud nõ colligatur, nisi Ioannem aliis sanctis superiorem nõ extitisse: attamen ex aliis circunstantiis cõiici potest, eum sanctissimũ ex omnibus esse. paulò enim ante laudauerat eum à constantia, cõmendauerat præ omnibus prophetis, angelum etiam ex prophetico vocauerat oracuio. Vnde quid te quæso sequeretur aliud, nisi vt qui prophetis eminentior est, quia angelus omnibus etiam sit hominibus supe- *Chryſoſt.* rior? Pulchre expendit hæc Chrysostomus, & ait, Non suf- *Com.* 38. fecit testimonium Malachiæ ad ostendendam ipsius excellentiam, sed sententiã quoque suam attulit, Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierũ maior Ioanne Baptista, id est, nõ peperit mulier vnquam Ioanne maiorem. Ma- *Theophy.* nifestum quoque est quod Theophylactus ait, Extulit eum *Ambroſ.* super omnes alios. Sed apertius aliquanto dicit Ambrosius, *ſerm.* 65. Præcellit cunctis, eminet vniuersis, antecedit prophetas, supergreditur patriarchas, & quisquis de muliere, inferior est Ioanne. Ac deinde dicet forte aliquis, Si inter natos mulierum maior est Ioannes, nunquid etiam maior est saluatore?

tore? abſit. Ioannes enim natus mulieris, Chriſtus autē virginis natus, vnde & dominus creditur eſſe prophetarum. Quid quod in alio loco Auguſti. ipſe in hac eſt ſententia, vt dicat, Si inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne, tunc non eſt maior inter homines, nō eſt maior ſub deo, excepta Maria, cui nulla creatura comparari poterit? Præterea idem ille ſuper euangelium Ioannis tracta. 13. plus, inquit, erat Ioannes omnibus hominibus & angelis: nam angelum inuenimus prohibuiſſe ne homo ille ad pedes caderet. Sequitur ergo & relinquitur, S. Ioannem inter nātos mulierum fuiſſe ſanctiſſimum, nam Maria ſanctior quidem extitit, ſed inter natos, & Chriſtus ſanctior illo fuit, verum non mulieris, ſed virginis filius. ¶ Quod autem ait dominus, Qui minimus eſt in regno cœlorum, dicit Hieronymus verū id quidē eſſe, quod quilibet ſanctus qui adhuc apud deum eſt, maior ſit eo qui in hac adhuc detinetur militia. aliud enim eſt coronam poſſidere victoriæ, quā adhuc in certamine huius vitæ pugnare. Neque hinc aliquid decedit ſanctimoniæ Ioannis, qui vbi primum certamen egreſſus eſt, ſtatim coronam accepit victoriæ. Auguſtinus lib. 2. contra aduerſarium legis & prophetarum, intelligit hoc de Chriſto, qui etiam cōtemptus à Iudæis, & pro minimo habitus, maior tamen fuit Ioāne. Addunt alij aliam adhuc expoſitionem, Minimus in regno cœlorū, hoc eſt, miniſter eccleſiæ, officio ſuperior eſt Ioanne. Miniſter enim eccleſiæ dum ſacramenta adminiſtrat, baptiſmū, pœnitentiam, euchariſtiam, &c. ſimul quoque gratiam dei confert vt miniſter Chriſti, quod tāmen Ioannes non fecit, qui vt fuerit ſanctus, officium tamen in eccleſia nullum habuit, vnde nec baptiſmo ſuo gratiam contulit, neque miraculum operatus eſt vllum, ſed dixit. Me oportet minui, illum creſcere. *Ad Felicianum. Auguſt.*

4 Cæterùm nunc quoque de morte ſua nonnihil dicamus, de qua videre potes Chryſoſtomū in proprio ſermone de decollatione Ioannis Tom. 5. Nam quum ille Herodem corriperet de adulterio, quod Herodiadē duxiſſet fratris ſui vxorem. (ſiquidem Areta rex Arabiæ videns Herodem potentiorē eſſe Philippo, filiam ſuam ei ablatam, dedit Herodi) non potens autem hoc perferre Herodes, Ioannem conjecit in carcerem, in caſtello quodam, quod vocabant. Machærunta. poſt decollationē tamen ipſius diſcipuli *Chryſoſt. Matt. 14. Marc. 6.*

eius corpus ſublatum ſepelierunt in Sebaſte ciuitate, quæ antea dicta erat Samaria, vrbs regia in Iſraël, inter Iudæam & Galilæam poſita. Ciuitas ea ab Herode renouata, in Auguſti gratiam dicta eſt Græce Sebaſte, Latine Auguſta, vt
Euſebius author eſt Euſebius in nominibus locorum ex Actis apo-
Hieron. ſtolorum, & de locis Hebraicis, atque Hieronymus ſuper Abdiam. Caput tamen eius deinde tranſlatum eſt Hieroſo-
Scho. hi. lymam, qua de re vide Scholaſticam hiſtori. in euang. c. 73.
Hieron. quæ Hieronymus ſequitur, quod Ioannes ſepultus ſit inter Eliſeū & Abdiam. Sed hic recenſenda mihi ſunt verba Hieronymi, in epitaphio Paulæ ſic dicentis, Inde diuertens, vidit duodecim patriarcharum ſepulchra & Sebaſten. 1. Samariam, quæ in honorem Auguſti ab Herode Græco ſermone Auguſta eſt nominata. Ibi ſiti ſunt Eliſeus & Abdias pphetæ, & quo maior inter natos mulierū non fuit, Ioannes baptiſta. vbi multis intremuit conſternata mirabilibus. nanque cernebat variis dæmones rugire cruciatibus, & ante ſepulchra ſanctorū vlulare homines more luporū, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentū, mugire taurorum. Miſerabatur omniū, & per ſingulos effuſis lachrymis Chriſti precabatur clementiam. Et ſicut erat inualida, aſcendit pedibus montem, in cuius duabus ſpeluncis, perſequutionis & famis tēpore, Abdias propheta centū prophetas aluit pane & aqua. Ecce quomodo Paula vidit torqueri dæmones iuxta ſepulchrū Ioannis. Quomodo autem impetus ſit in eius ſepulchrum factus imperante Iuliano, iam ſupra commemorauimus. Vide tu & hiſtoriam Eccleſiaſt. lib.
Euſebius vndecimo. cap. 28. & Tripar. lib. 6. cap. decimoquinto. Vbi monachi oſſa S. Ioannis attulerunt Philippo epiſcopo Hieroſolymitano, qui ea deinceps per Iulianum diaconum miſit patriarchæ Alexandrino ea deinde ſucceſſor ipſius Theophilus, conſtituit & poſuit in templo Serapis, vbi tamen illud prius conſecraſſet in honorē dei ſanctique Ioannis. quo tēpore Theodoſius imperator præcepit omnia templa idolorum aboleri. Inde putant nonnulli cōſuetudinem ortam, in iis feriis ſancti Ioannis ſuccedi vndique ignes, quod idololatræ oſſa illius concremarint. Præterea refertur, ſanctum Ioannem quibuſdā monachis orandi cauſa Hieroſolymam profectis, apparuiſſe temporibus Martiani imperatoris, eiſque caput ſuum reuelaſſe, ac deinde illud rurſus amiſſum,

donec

donec iterum manifestarit sanctus Ioannes cuidam pio & religioso abbati Marcello, in quadam spelunca Phœniciæ, quod & deinceps Cõstantinopolim est translatum. Id quomodo contigerit, Sozomenus commemorat in hunc modum, Valens imperator pro eo misit in Ciliciam, secundum alios in Phœniciam. quúmque impositum esset currui, & allatum vsque Pantichium, currus vltra promoueri non potuit. Præcepit ergo imperator, vt daretur ibi custodiendum in quodam vico Cosilai. Deinceps quum rogasset imperator Theodosius virginem illam, quæ caput sanctum custodiebat, vt ei traderet, consensit illa, sed rata sic facturũ esse, vt tempore Valentis factum fuerat, vt caput immobile loco amoueri non posset. Verum aliter euenit. Imperator enim ipse purpura sua circundedit illud, secúmq; detulit miliaribus septem ante Constantinopolim, vbi ædem sacram extruxit in honorem dei, & ad commemorationem S. Ioannis Baptistæ. Sunt tamen hodie qui dicant ossa S. Ioãnis Genuæ esse, caput vero à rege Pipino in Galliã ad Pictauium esse deportatum. Superest, vt aliquantulum inueheremur aduersus ineptos lusus, vanaque & turpia gaudia, quæ tam sancto die exerceri solent, quæ iam olim prohibuit vir sanctus, & doctor eximius Augusti. in lib. de rectitudine catholicæ conuersationis. Turpe est hodie impudicas saltationes, cantilenas impuras, & nescio quæ non ludibria exhibere, quum potius debeamus recolere quam miraculose S. Ioannes annunciatus, natúsque, in ipso adhuc matris vtero agnouit Christum: factúsque propheta, sanctificatus insuper & impletus spiritu sancto, in circunctsione sua parenti restituit loquelam, paruulus adhuc fugit in desertum, cibo continens, vestitu seuerus, sedulus in oratione, & diuinarum rerum contemplatione altissimus. Vnde cœpit deinceps baptizare, prædicaréque, vbi dignus habitus est qui Christum & baptizaret, & digito demõstraret agnum tollentem peccata mundi. idem etiam testimonium perhibuit Christo, Iudæorum vitam emendauit, propter veritatẽ captus atque ad extremum occisus est: sicque vnus ille emeruit aureolam siue coronam virginum, doctorum & martyrum, simúlque coronam fœlicitatis æternæ. Quam nobis etiam largiri dignare domine Iesu Christe per magnã amici tui Ioannis interceſſionem, Amen.

Hist. trip. lib. 9. ca. 43.

Augusti.

Mar. 9. Luc. 9. IN illo tempore, Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens, Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt, Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex prophetis. Dicit illis Iesus, Vos autem quem me esse dicitis? Respondens autem Simon Petrus, dixit, Tu es Christus filius *Ioan. 6.* dei viui. Respondens autem Iesus, dixit ei, Beatus es Simon bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Tunc præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent quia *Ioan. 20.* ipse esset Iesus Christus. Exinde cœpit Iesus ostendere discipu- *Mar. 8.* lis suis, quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & scribis & principibus sacerdotum, & occidi, & *Luc. 9.* tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens, Absit à te domine, non erit tibi hoc. Qui conuersus, dixit Petro, Vade post me Sathana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ dei sunt, sed ea quæ hominum.

HOMILIA PRIMA.

PRIMO iure euangelium hoc in ecclesia legitur hoc die principis apostolorum Petri, cuius magnificam hic cõfessionem de Christo percenset Matthæus & vicissim repromissionẽ Christi. Vtinam hęc omnia per gratiã dei sic mihi liceat tractare, vt quã plurimũ fructus inde ad vos perueniat. Venit Iesus in par- *Beda.* tes Cæsareæ Philippi. Philippus, inquit Beda, tetrarcha erat Itureæ & Trachonitidis regionis. hic statuens ciuitatem in loco, vbi Iordanis ad radices oritur Libani montis, & est terminus Iudææ contra septentrionem, appellauit eam Cæsaream Philippi, in memoriã videlicet nominis sui, paritérque honorẽ Tyberij Cęsaris, in hac ciuitate tradũt historiæ

Romanos

Romanos reges ſolitos fuiſſe tributa abvniuerſo regno percipere, ibi etiã deſcripto ſub Auguſto orbe terrarũ, tributũ ſoluebatur. Neq; male cõuenit, quod ait Hiero. ſitam eam eſſe ad radices montis Libani. ſiquidẽ hoc ita decuit, vt vbi deſcripto orbe numeratus eſt cenſus, ibidẽ etiam dominus orbis rex regum, cẽſum ſiue tributum fidei exigeret à capite animarum. Inſuper inquit Hieronymus, tempore ſuo ciuitatem hãc dictam Daneas, ſuntq; ibi riuuli duo, alteri nomen eſt Ior, alteri Dan: qui quum confluunt, nomẽ ex duobus vnũ conſtituunt. flumen ſcilicet Iordanis. Ibi interrogauit dominus diſcipulos ſuos, dicens, Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Pulchre interrogat, vt ait Hieronymus quem dicunt homines? quia qui de filio hominis loquũtur, homines ſunt, qui vero diuinitatẽ eius intelligunt, nõ homines, ſed dij appellãtur. Quærit inſuper Chryſoſtomus, quur non ſtatim de ſua, ſed de multorũ prius ſententia ipſos interrogauit? vt opinione aliorũ expoſita, rurſus interrogati, Vos autẽ quẽ me eſſe dicitis, ad ipſo interrogandi modo nõ abiecta atq; humilia, vt multi, ſed ſublimiora ac diuiniora reſpõderent. Qua etiam de cauſa non ilico ab ipſa prædicationis initio hæc quæſiuit, ſed quando multa coram eis miracula operatus iam fuit, quum ſublimiora dogmata iam de ſua diuinitate percepiſſent. Præterea inquit Theop. Non interrogat, quem me dicũt Phariſæi, ſed homines, de ſimplici multitudine dicens, quæ nec inuidia excæcata, neque malitia & odio exacerbata erat in Chriſtum ſicut phariſæi. Nos tamẽ hinc diſcere debemus, vt obſeruemus quid etiam de nobis loquantur homines. Inuenias nonnullos homines adeo temerarios ſuiq́ue negligentes, vt nihil faciant quid de ſe dicatur. inique ſane & impudenter, vt in homilia quadam probat Origenes, & ſubſcribit Sapiẽs, Melius eſt, inquiens, nomen bonum ſuper diuitias multas. Lux oculorum lætificat animam, & fama bona impinguat oſſa. Certum eſt, actum eſſe de eo, quiſquis ita perfricuit frontẽ, vt nihil curet quid de eo dicatur, ſiue agatur. Vnde ſolicite adeo præcepit Sapiẽs, Curam habe de bono nomine. hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri precioſi & magni. Neq; temere etiam Paulus eos qui ſint bonæ famæ, iubet eſſe recipiendos. Non hic volo magnifacere aliquẽ debere, ſi quando à malis peruerſisq; hominibus mali quippiam de ſe dici

Luc. 2. *Hieron.* *Hieron.* *Chryſoſto.* *Theoph.* *Pro. 12. 15* *Eccl. 41.* *Philip. 4.*

audiat. siquidem etiam Christus pharisæorum calumnias nihili fecit, quorum vestigiis insistentes nunc neochristiani, nihil prius habent, quã omnes bonos cuiuscunq; ordinis eludere, calumniari, scriptis & imaginibus subsannare. In huiusmodi pessimis contumeliis dicere debent catholici cũ Christo, Sinite eos, cæci enim sunt & duces cæcorũ. Alias tamen in vniuersum curæ & cordi esse cuiq; debet, vt nomen bonum habeat, iuxta illud Sapientis, In omnibus operibꝰ tuis *Eccl. 23.* præcellens esto, ne dederis maculam in gloriã tuam. Et hoc est quod interrogauit dominus discipulos suos dicens, Quẽ dicunt homines esse filium hominis? Prẽcipue tamẽ hoc inculcandum est iuuentuti, vt fame studeat, boniq; nominis curam gerat. Elaborare in hoc debent etiam ministri ecclesiæ, vt sic sint bonus odor coram deo & hominibus.

2 Responderunt discipuli, Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij vero Ieremiam, aut vnum ex prophetis, Sic nimirũ Christo respõderunt discipuli ad interrogationem quam ille fecerat, nõ ignarus vtiq; quẽ nihil latere potest, vt ipsi ad eum discipuli dixerũt, Ideo autẽ quæsiuit, vt remunerandi occasione haberet eos, qui fideveram profiterentur, simulq; vt populus à scribis seductus, ex errore iam liberaretur. Et inquirunt iam hic doctores diligenter de singulis, quur ita vulgꝰ hominũ huiusmodi opiniones de Christo conceperit, sicut ex Theophylacto, Origene & aliis col- *Hieron.* ligere licet. Verùm hic nobis licet Hieronymũ imitari, qui sic ait, Miror quosdam interpretes causas errorum inquirere singulorũ, & disputationem longissimam texere, quare *Marc. 6.* dominum nostrum Iesum Christum, alij Ioannem putauerint, alij Eliam, alij Ieremiam, alij vnũ ex prophetis, quum sic poterãt errare in Elia & Ieremia, quomodo Herodes in Ioanne, dicẽs, Quem ego decollaui Ioannẽ, ipse surrexit à mortuis, & operatur virtutes. ¶ Audita iam sententia plebis nõ contẽtus dominus, quod præcipuum erat inquirit illud, cuius gratia primũ eos cœperat interrogare, & ait, Vos autẽ quem me esse dicitis? Vos, inquit, quo segregare eos voluit ab hominibus, quorũ opinionem iam proposuerant. Vos ergo, ait, designans filios eos esse dei per adoptionẽ gratiæ diuinæ, quasi diceret, Vos iam vulgi sententiam retulistis, quũ autem vos superiores sitis aliis hominibus, quia filij dei, quẽ me esse creditis? Vos qui plura de me audistis, miracula plu

ra

ra vidistis, meque iubente ipsi signa feciſtis, age quæ vestra de me sententia est? Et respondit Petrus, prosilit ecce ille ex omnibus vnus tanquam feruētior: quoniam antea cum vulgi de se sententiā quæsiuisset dominus, simul omnes responderunt apostoli: atqui hic iam quando quid ipsi sentiāt interrogantur, solus respondet Petrus, vertex (vt ait Chrysostomus) totius consortij os apostolorum aliorum omnium. idem & Hieronymus testatur, dicens, Solus ex persona omnium apostolorum Petrus cōfitetur, dicens, Tu es Christus filius dei viui, non deorū mortuorum Martis & Iouis, quos stulta coluit gentilitas. Breuis illa quidē, sed grauis est cōfessio, multoq; succi plenior in corde, quam in ore & verbis. siquidem si verba spectes, similia de Nathanaele leges, qui & ipse Christum prædicauit esse filium dei regē Israēl. Sic Martha quoq; dixit ad dominum, Tu es Christus filius dei, qui in hunc modū venisti. Neq; tamen interim Nathanael, neq; Martha illum credidit esse naturalē filium dei: ideoq; neutri tantum præmium confessionis dedit Christus, vt hic Petro: quoniā satis aperte testatur ibi historia, Marthā multa esse locutam, sed parum credidisse: quod etiā hinc patet, quia iubente domino lapidē à monumento Lazari amoueri, quasi incredula illa prohibuit id fieri, quoniā iam ille fœteret quatriduanus. Hoc ista vtique ex pusillanimitate fidei loquuta est, sicut & Chrysostomus testatur homi. 62. super Ioannis vndecimum. ¶ Origenes dicit Petrū hoc vno verbo omnes falsas Iudæorū persuasiones deiecisse, quoniam si ille vere in natura filius dei est, non poterat esse vel Elias, vel Ieremias, vel quisquam alius prophetarum. Imo in hūc vsq; diem, Ioannes Iudæos increpat de duobus erroribus, quoniam nō credunt Iesum esse Messiam, neq; Messiam filium dei essentialiter & naturaliter esse. Quod vtrunque infringit hic Petrus, dicens, Tu es Christus filius dei viui.

Theoph. *Chrysost.* *Hieron.* *Ioā. 1. 11.* *Chryso.* *Origen.*

3 Super hac tam glorioſa Petri confeſsione reſpondit dominus, & ait, Beatus es Simon bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui eſt in cœlis. Non magnam hic vim facio, neque multum laboro in hac dictione Bar Iona, quādo etiam B. Hieronymus alioquin linguarum peritiſsimus hoc in ſuſpenſo reliquit. Sunt enim qui putāt bar Iona idem eſſe, & vnicum nomen, alij pro duobus nominibus appellatiuis intelligunt, ſenſumque huiuſmodi eſt

Hieron.

ciunt, Simon filij columbæ, quia Bar filium, & Iona columbam ſonat. neq; hoc Hieronymo diſplicet. Adhuc quidam putant prius eſſe nomẽ appellatiuum, alterũ vero propriũ patris. & hi ſenſum hunc faciunt, Simon fili Iona ſiue Ioannis, quoniam ſic ad eum alibi dixit, Simon Ioãnis, diligis me plus iis? Atq; ſic Chryſoſtomus & Theophylactus intelligunt. nos omiſſo illo, textũ totius explicemus, audituri quãta tum laude tum remuneratione Chriſtus encomiaſten cõfeſſoremq; ſuum cohoneſtarit. Interrogauerat enim Chriſtus eum de filio hominis, & hic reſpõdet de filio dei. quãto enim magis Chriſtus ſeipſum humiliat, tãto amplius nos diuinitatem eius confiteri debemus. Sic autẽ ait dominus, Beatus es Simon Bar Iona. Beatitudiné hãc nec Nathanaëli, neque Marthæ, nec iis qui poſt illã magnam tempeſtatẽ dixerunt ad eum, Vere, filius dei es. Petrum autẽ beatum prædicauit ob integritatem ſuæ cõfeſſionis, quam nõ ita ſimplicẽ fuiſſe, vel inde teſtatur ipſe, quod eam à ſeipſo nõ habueris, ſed pater ecœleſtis reuelauerit illi, Quis enim certi⁹ aliquid de filio niſi pater ipſe prædicaret? Ideoq; pater nõ humanũ aliquid, ſed ipſam dei veritatẽ hic eſt cõfeſſus, dum de filio hominis, de carne interrogati domino & ſanguine, viciſsim iam Petrus cœleſtẽ de Chriſto ſententiã adducit, vbi quod caro & ſanguis reuelare nõ potuit, vt ait Hiero. ſpiritus ſancti gratia reuelatũ eſt. Chryſoſto. ſic ait, Quia patrẽ meum prædicaſti, ego etiam illum nomino qui te genuit. ac ſi diceret, Quẽadmodum tu Ionæ filius es, ſic ego patris mei filius ſum, eiuſdẽ videlicet ſubſtantiæ cũ patre, ſicut confeſſus es: quoniã oculos mentis tuæ ſupra naturã eleuaſti ad patrem meum qui quia te illuminauit, factum eſt vt nõ humana iudicaris opinione: ſicut & Paulus non acquieuit carni & ſanguini. Eſt enim hoc in ſcripturis peculiare, per carnẽ, carnalem & terrenum ſignificari intellectum, ſecũdum naturam lapſam, nõ inſtitutam. Sic Paulus alibi inquit, Qui ſecũdum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt. prudẽtia nanq; carnis mors eſt: prudentia vero ſpiritus, vita & pax, ſed ſapientia carnis inimica eſt deo. Et rurſus alio in loco, Animalis homo non eſt capax eorũ quæ ſunt ſpiritus dei, quia nihil boni oritur ex natura deſtituta. Vnde & Sapiens admiratur, ſi quid ſit nequi⁹ quã quod caro cõminiſcitur & ſanguis. quæ etiam cauſa eſt quur Ioannes de filiis dei dicit, quod nec ex ſanguini

Ioan. 1. 21 *Chryſoſto.* *Matt. 14.* *Chryſoſto.* *Hiero.* *Chryſoſto.* *Galat. 1.* *Rom. 8.* *1. Cor. 2.* *Eccl. 17.* *Ioan. 1.*

ſanguinibus, neq; ex volũtate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex deo nati ſunt. In cuius rei figurã deus Abraham eduxit ex ædibus, iubens eũ intueri ſtellas cœli. Ita nimirũ foras educi oportet animũ hominis ex intellectu carnali, vt poſsit intueri ſtellas. Quod quum nõ faciant nouitij iſti Capharnaitæ ex carne ſua impie blaſphemant ſacramentum.

4 Dixit igitur Chriſtus, beatum eſſe Petrũ propter confeſsionem ſuam, docuit eum non habere illud ex intellectu & captu humano: ſiquidem à carne & ſanguine ſibi reuelatum non ſit. Vbi cogitare quis poſſet, vnde tandem ille cõfeſsionẽ hanc hauſiſſet didiciſſetq;. Huic cogitationi obuiãs dominus, dixit, Pater meus qui eſt in cœlis reuelauit tibi, ille tibi theſaurum diuini luminis in quo cognoſceres talia, communicauit. Omne enim datũ optimũ, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendẽs à patre luminum. Et ſic ambulare debent fideles, nõ ſecundum carnalẽ intellectum mundi, ſed iuxta lumen fidei, ſicut præcepit Paulus, vt filij lucis ambulate, quorũ internus aſpectus imaginis diuinæ renouatus eſt ſecundum cognitionem eius qui fecit eos. Et ego dico tibi, Tu es Petrus. quaſi dicturus eſſet, Chriſtum me eſſe perhibuiſti filium dei viui. Et ego dico tibi non ſermone caſſo, & nullum habente opus, ſed dico tibi, quia meum dixiſſe feciſſe eſt, Tu es Petrus. Petrus antea dicebatur Simon, vt vndiq; teſtatur ſcriptura, etiam in hoc euangelio, quãdo dixit dominus, Beatus eſt Simõ bar Iona. Mutato autẽ iam nomine, aliud indidit dominus, ſicut & promiſerat, Tu, inquiens, vocaberis Cephas, quod idẽ eſt quod Petrus. Ibi Gloſſa dicit, quia quando eũ corporaliter aſpexit, interius ſimul cognouit cõſtãtiorem eũ alijs eſſe. Quod autẽ illic promiſit ei dominus, idem hic præſtitit quando dixit, Tu es Petrus. quaſi diceret, Iã antea prædixi tibi, quia vocaberis Cephas, nunc itaque tempus eſt, vt id fiat ob eximiam confeſsionem tuam. Tu enim es Petrus, quia fortis & cõſtans, immobilis vt petra. Quũ itaq; principi apoſtolorũ nomen ſuũ mutarit dominus, mirari nemo debet, quur etiã nunc in eccleſia ſucceſſoribus Petri ſummis põtificibus electis ſoleant nomina mutari. Quãuis ſunt qui huic mutationi cauſam & occaſionẽ dediſſe putãt pontificẽ, Sergiũ, qui quia turpe nomẽ habuerat à roſtro ſuillo, ideo ſibi voluit immutari. Verùm de hac re nullius hiſtorici certa ſuppetit

Iaco. 1.

Ephe. 5.

Hieron.

Ioan. 1.

Gloſſa.

ſententia, quando etiã Platina ipſe fabuloſum hoc reputat. Hoc tamẽ memini me aliquoties audire Romæ à magnis viris, qui hoc Adriani factum in ſiniſtrã partem rapiebant & interpretabantur, quod nomẽ ſuum retinuerit. vnde collegerunt eũ non diu recturum, quod & factum eſt: nam anno proximo à coronatione ſua, quum ſeptimanis quenq; & ſex diebus ægrotaſſet, mortuus eſt in die exaltationis S. Crucis. Quicquid igitur hoc eſt, conſtat vtiq; mutationẽ illam nominis Petri, magnam & eximiã gratiam ſignificaſſe: ſicut & in veteri teſtamento non temere mutatum eſt nomẽ Abrahæ, qui antea dicebatur Abram: & Saræ, quæ prius Sarai dicta erat: Iſraël etiam, cui priam nomen fuerat Iacob. Vnde regulam huiuſmodi proponit Beda, non ſine peculiari myſterio fieri, quotieſcunq; alicui à deo nomẽ ſiue imponitur ſiue mutatur. Quia ſic habet Gloſſa quædam ſuper Danielem, Quoſcunq; in poteſtatẽ ſuã captiuos redigit diabolus, iis quoq; nomine mutat. ſicut enim Pharao Ioſeph mutauerat nomẽ, ita nolebat adoleſcentes illos Danielẽ, Ananiam, Azariã & Miſaelẽ Iudaica ſua ſeruare nomina in terra ſuæ captiuitatis. Si quando autem deus alicui nomẽ immutat, fit hoc in bonum, ſicut Abrahæ, Saræ & filiis Zebedęi, qui antea dicebantur Boanerges, filij tonitrui. Ita nonnunquã eorum nomina mutari ſolẽt, qui cœnobia ingrediũtur. Ex omnibus iis ſequitur. mutationẽ illã nominis Petri eximiã quãdam gratiã ſignificaſſe, ſiue iſta tandẽ mutatio in hoc euãgelio, ſiue antea ſit facta. Sunt enim qui putãt nomẽ hoc Petri promiſſum ei fuiſſe in prima ſua vocatione, impoſitúmq; ei eſſe tantũ, quãdo ipſos fecit apoſtolos, vt ait Marcus, Impoſuit Simoni nomẽ Petrus: hic vero aiũt dñm oſtẽdiſſe illi nominis huius rationẽ, quur vocatus ſit Petrus, à petra nimirũ ſuper quã ædificatur eccleſia ſuã. Qua de re in ſequẽti homilia plura dicemus, hæc iá ſufficiãt. Oremus deũ, &c.

Adrianꝰ ſextus. *Gen. 17. & 23.* *Dan. 1.* *Gen. 42.* *Mar. 6.* *Ioan. 1.* *Mar. 6.*

Nota quod Auguſtinus vbique contendit Petro nomen impoſitum Ioannis 1. Vide eum libro quarto de conſecr. Euangel. cap. 3. & tracta. 7. ſuper Io.

HOMILIA II.

RAE omnibus aliis apoſtolis Petrus dominum confeſſus eſt, dicens, eum eſſe Chriſtum filiũ dei viui. Quamobrem & dominus eum remunerare volẽs, ait, Beatus es Simon Bar Iona, quia caro

&

& ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui eſt in cœlis. Et ego dico tibi, Tu es Petr⁹. Hactenus progreſsi ſumus in homilia ſuperiori, quantũ diuina benignitate conceſſum fuit. nunc ſequitur, Et ſuper hãc petram ædificabo eccleſiã meam. Verbum hoc Auguſtinus duplici ſenſu exponit: altero quod petra ſit ipſe Chriſtus, ſicut & fatetur apoſtolus, quia petra erat Chriſtus, & nemo poteſt fundamentũ aliud ponere, præter id quod poſitũ eſt quod eſt Chriſtus Ieſus. Vult ergo Auguſtinus petram hanc, ſuper quam ædificata ſit eccleſia, Chriſtum eſſe, petram hanc quã Petrus hic confeſſus eſt, & vnde nomen traxit. Sententia hæc per ſe vera eſt. nemo enim Chriſtianus Chriſtum negat præcipuam eſſe petram, fundamentum ſolidiſsimum. ſed tamen neochriſtiani intellectum hunc ſolum recipere nituntur, tantum vt aduerſentur Petro, habeantq́; vnde cõtendant, nec Petrum eſſe petram, nec ſuper Petrum ædificatã eſſe eccleſiam: ſicq́; Petrus ille qui iam retro ſeculis cũ Chriſto regnauit in cœlis, & ab vniuera eccleſia princeps apoſtolorum habitus eſt, cogitur cõmunem cum papa habere cauſam. nã cum iſti vt alij hæretici omnes poteſtatẽ papæ ſuſtinere nequeant, vt facilius hãc imminuant, nõ verẽtur etiã S. Petrum adoriri. Alia ergo cõmunis quoq; ea ſententia eſt omnium, tam veterum quã recentium doctorũ, ipſorumq́; conciliorũ, ſenſum Chriſti hunc fuiſſe, Tu es Petrus, & ſuper hãc petram ædificabo eccleſiam meam, ita quod voluerit ille eccleſiam ſuã ædificare ſuper Petrum tãquã verticẽ & caput apoſtolorum. Atq; ita rectè intelligi, ex ipſa ſermonis conſequentia patet. nam & ante & poſt hæc verba dominus de Petro ſemper loquitur, dicẽs, Tu es Petrus, tibi dabo claues. vnde coniicitur, etiã in medio hic Petrũ intellexiſſe, quẽ in extremis ſignificaſſe ipſa perſonę circũſtãtia teſtatur. Quid quod magna hæc fuerit ineptia, hoc modo cõfundere & perturbare ſenſum ſcripturæ, vt cum paulò antè dominus loquutus ſit ad Petrum, ſubito deinde alio conuertat ſermonem? ſicut in ſimili caſu Lutherus ipſe Caroliſtadiũ ſugillat cum hac vocula τῆτο nam dum ille verba cõſecrationis hoc modo diſcindere conatur, non vult ei permittere Lutherus, quod tamen hic ipſe facit. Ad hæc, repugnat ipſi etiã rationi ſermonis huius. nam in hoc doctores omnes conueniunt, quod quum Petrus præclare adeo dominum confeſſus

Auguſt.
1. Co. 10.
1. Cor. 3.

fuerat, volens illud Christus ei rependere, beatũ prędicauit eum, Petrũ vocauit, claues regni cœlorũ ei cõmisit. Quod si igitur verba hæc (Super hanc petrã ædificabo ecclesiam meam) ad Petrũ dicta nõ essent, alienũ quidã fuisset, neq; in præmium Petro cessisset, imo & causæ atq; rationi huius dicti cõsentaneũ non fuisset, quod quis imputabit altissimæ sapientiæ dei filio? Præterea nõ inualide potest hoc idẽ intelligi ex eo quod in futuro dicit dominꝰ, A Edificabo, quod ad Christũ referri nõ potest. siquidẽ is iam ædificabat. Si ergo seipsum intellexisset, dixisset vtiq;, Et super hanc petrã ædificabo ecclesiam meã. sed quia de futuro prædixit, Petrum intellexit, cui etiã dixit, Tibi dabo claues. Et sic sentẽtia talis fuit quã hic habuit Christus, Iã ego ipse hic adsum, vera & solida petra. iam ipse ędifico ecclesiam meã. Quum autẽ transiero ab hoc mundo ad patrẽ, tu mihi succedes vicarius & petra loco meo: tunc quoq; super te ædificabo ecclesiam meam, super potestatem magistratus tui, quam tibi tuisq; posteris & successoribus sum daturus. 2 Et ne quis admiretur, quomodo fieri posit vt & Petrus petra existat, scitote eodem modo ipsum esse petrã quo fundamẽtum est: quanuis ergo totius ecclesię tantũ vnum sit fundamentum pręter quod nemo potest aliud ponere, nisi illud quod po-
2. Cor. 5. situm est, Christus Iesus, attamen Ioannes inter reliqua vi-
disse se perhibet ciuitatẽ nouam Ierusalem, descendentẽ de cœlo, à deo paratam. ibi sequitur, Et murus ciuitatis habens
Apo. 21. fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim, nomina duodecim apostolorum agni. Ecce quãuis Christus vnicum est fundamentum ecclesiæ, Ioãnes tamen fundamenta duodecim ponit. 12. apostolos. sunt ergo adhuc alia plura fundamenta à Christo, capite vtique & præcipuo fundamento, illa autem ministerialia tantum sunt & substituta. (eloquere inquantum presius & clarius poteris, Vnum est fundamentum principale & primarium, plura autem sunt fundamenta secũdaria & minus principalia ab ipso primo fundamento instituta. Deduc si placuerit, quod Dauid in plurimo numero inquit, Fundamenta eius in mõtibus sanctis.
Psal. 86. non prosequor, nam plura semper omitto quam hic adnotem, tãta subinde occurrũt, sed modus adhibendus est rei.) Atque ideo cõmemorauit dominus in lapidibus fundamẽti descriptum esse nomẽ apostolorum & agni. quasi diceret,

ret, quod apostoli pro fundamentis sunt descripti, idipsum quoq; à se non habent, sed agno. Ecclesia quidē super fidem apostolorum fundata est, sed ita, vt vlterius eorū fundamētum sit Christus, à quo sic alij vocātur, vt eorū vnus primus ille à petra nomen cepit. ideoq; notanter additum est agni, quoniā illi tota innititur ecclesiastica structura. atque hæc etiā est sententia Bedæ, qui dicit vnū esse & idem, portam atq; fundamentum. Et inde, Fundaméta, inquit, quum pluraliter dicūtur, doctores vel virtutes ecclesiæ: quū vero singulariter, ipsum significare dominū, qui est fundamentum fundamentorum. ¶ Hic satis patere cuiq; potest, quomodo Petrus sit petra, nō aliter nempe quam est fundamentum. Et sicut Paulus fundamentum vnum facit Christum, quo non obstāte simul adhuc multa sunt fundamenta, imo apostoli omnes & ipsi quoq; prophetæ: iuxta illud Pauli, Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorū & domestici dei, superædificati super fundamentū apostolorū & prophetarum, ipso summo angulari lapide Iesu Christo, in quo omnis ædificatio cōstructa, crescit in templū sanctum in domino. Vnde sequitur etiā prophetas esse fundamenta, quibus superædificatur structura fidei nostrę. Apostoli autem qui prophetis sunt excellentiores, adhuc fundamenta alia sunt illorum fundamētorū. Et insuper Christus fundamentorū omnium est fundamentum, cui alia omnia innituntur in passione. s. & morte ipsius, atque hoc negare nemo potest supremū esse fundamētum. Hinc iam quis nō intelligat, quod Christus promisit sese ædificaturū ecclesiā super petrā, Petrus ipsum, quā uis ipse interim præcipuū sit fundamentū? Id paucis etiam Hieronymus innuit, quū ait, Sicut ipse apostolis lumen donauit, vt lumen mundi appellarentur, cęteraq; ex domino sortiti sunt vocabula: ita & Simoni Petro, qui credebat in petram Christū, Petri largitus est nomen, ac secundū metaphoram petræ recte dicitur ei, A Edificabo ecclesiā meā super te, Aut quonā modo expressius & apertius poterat dicere aliquid Hieronymus pro ecclesia aduersus Lutherum? sed nos super hac re peculiarem homiliā facturi sumus. 3 Addit dominus, Et portæ inferorum non pręualebunt aduersus eam. Sicut duplices sunt inferorum portæ ita duobus modis possunt hæc verba intelligi, quoniam & quodlibet peccatū dici potest in-

Beda.

Ephe. 2.

Tuitiēsis.

Hieron.

ferni porta. Sic Dauid inquit, Qui me exaltat de portis
Theop. mortis. vbi ait Theophylactus, Quales portæ ó Dauid? duæ
Hieron. ſcilicet cædis & adulterij. Eiuſdē ſententiæ eſt & Hieronymus, dicēs. Ego portas inferi reor vitiatatq; peccata. per hęc enim illecti homines ducūtur ad tartarū. quoties enī homo peccatū perpetrat, ipſe ſibi ingreſſum & ruinā parat ad in-
Origē. feros. Neq; diſſentit hic Origenes quū ait, Vnumquodque peccatum per quod deſcēditur ad inferos, porta eſt inferorum, & viciſim virtutes portæ ſunt iuſtitiæ. ¶ Etſi igitur omnia in vniuerſum peccata, inferorū portæ cenſeantur eſſe, duæ tamē portæ ſingulariter hic à ſanctis patribus intelligūtur: quoniā portæ infernales, ſunt & ipſe perſequutiones tyrānorum aduerſus fideles, cuiuſmodi fuerunt in primitiua eccleſia. & hæ merito portæ dicūtur inferorū, quod multos coërcuerunt à fide, plurimos etiā coēgerunt eādem
Chryſo. abnegare. Ita Chryſoſtomus ait, Nō turbari te cōuenit quū audieris, quia tradar, crucifigar: ſi portæ inferi nō præualebunt aduerſus eccleſiā, multominus aduerſum me præualebunt. Et Theophylactꝰ inquit, Portæ inferi tēporales ſunt
Theop. perſequutiones, qui ad inferos mittere conantur Chriſtianos. Adhuc alius ſupereſt intellectus, & is quoq; communior, per inferorum portas, hæreticorū intelligi doctrinas. Vere enim portæ iſtę horribiles ſunt, quibus tot animæ demerguntur & pereunt, ſub fuco tamen & ſpecie boni. At-
Hieron. que ea hic eſt ſententia Hieronymi, dicētis, Vel certe hęreticorum doctrinæ portæ ſunt inferni, quibus decepti homines, detrudūtur ad tartarū. Nemo itaq; putet de morte dici, quaſi apoſtoli cōditioni mortis ſubiecti nō fuerint, quo-
Theop. rū martyria videat coruſcare. Inſuper conſentit & Theophylactus, dicens, Hæretici quoq; portæ ſunt ad infernum
Cyrillus. ducentes. Super omnes eſt hic Cyrillus luculentus, qui ait, Secundū hanc domini promiſſionē eccleſia apoſtolica Petri ab omni ſeductione hæreticaque circunuētione manet immaculata ſuper omnes præpoſitos & epiſcopos, & ſuper omnes primates eccleſiarū & populorū, in ſuis pontificibus in fide pleniſſima & authoritate Petri. Et quū aliæ eccleſię, quorūdam errore ſint verecundatæ, ſtabilita inquaſſabiliter ipſa ſola regnat, ſilentiū imponens & omnium obturans ora hæreticorū. Cōſolentur hinc ſe Chriſtiani & catholici omnes, quoniā portæ inferorū non præualebunt aduerſus eccleſiam

cleſiam catholicam Petri, quũ interim pleræq; aliæ magnos paſſæ ſint intellectus, aliæ per præceps ſint collapſæ. Achaia cui præfectus fuit Andreas, Epheſus vbi Ioãnes erat, Corinthus vbi docuit Paulus, Alexãdria cui præſedit Marcus, Ieruſalem vbi Iacobus fuit epiſcopus, & ſic aliæ plurímæ eccleſiæ per hæreticos corruerũt. ſola Petri eccleſia Romana conſiſtit fortis aduerſus omnium hæreticorum impetus. Vt ergo iam criſtas erigant Lutherani, Zuingliani, Sacramentarij, Iconoclaſtæ, Catabaptiſtæ, & neſcio qui ſpiritiui, nihil tamen te moueant, quia nõ præualebunt aduerſus eccleſiam Chriſti. Tot tam olim enatæ ſunt hæreſes, quibus multi etiam pontifices, imperatores, reges & principes fuerunt intricati, ſed illis omnibus eccleſia Petri ſuperior, victrix ſemper & triũphatrix fuit. Vide Ebionitas, Arrianos, Macedonianos, Neſtorianos, Euticianos, & alios totos aceruos hæreticorum. omnes illi corruerũt, proſtratíque iacent ſub veritate Chriſtiana, quam tenuit, imo ſuſtinuit in hunc vſque diẽ catholica Petri eccleſia noſtra Romana. Nemo itaque dubitet hic, ſed ſuam quiſque fiduciam in deum reponat, vt illi interim inflati tumeant, etiamſi rumpantur, multúmque aduerſus nos moliantur propter peccata noſtra. omnes enim peribunt, & radicitus euellentur, adiuuante ſpiritu ſancto per ſcripturas ſacras. O vtinam hoc malum diutius graſſari & lõgius ſerpere nõ ſinas domine Ieſu Chriſte.

4 Nondum promiſſi finis, inſuper addit dominus, Tibi dabo claues regni cœlorum. Claues hic vocat dominus iudiciariam poteſtatem iudicandi peccata ad remiſſionem vel retentionem. Sicut enim in veteri teſtamento penes ſacerdotes erat poteſtas diſcernẽdi mundũ ab immundo in corpore, ita ſacerdotes nouæ legis iudicium habent ſibi cõtraditum inter peccatum & non peccatum, atque in iis qui ſint ſoluendi, quíque ligandi. de iſtis clauibus plura alibi diximus Tomo ſecundo. Quod autem ad hunc locum attinet, conſtat vtique dominũ Petro promiſiſſe claues, quæ appellationem hanc ſumpſerunt ab operatione, quoniã in virtute ſpiritus ſancti remiſſionem operãtur peccatorũ ſicut hic deinceps ipſe explicat, quid per claues intelligatur. ſed claues regni cœlorum appellat à fine, quoniam deus eas in hoc dedit eccleſiæ, vt homines per gratiã & donationẽ ſpiritus ſancti acquirant vitam æternam. Claues illas præcipue ipſe *Leuit. 14.*

Christus habet, in cuius persona Ioānes, inquit, Ego habeo
Apoc.3. claues vitæ & mortis. Verū ministeriū eorum cōmisit eccle-
siæ in sacerdotib⁹. Oritur hoc loco quęstio, Quomodo hic
dominus soli Petro promittat claues, quum tamen eas dein-
Matt.18. ceps omnibus promiserit apostolis. Sic enim ait, Amen dico
vobis, Quicquid ligaueritis super terrā, erit ligatū & in cœ
lis: quicquid solueritis super terram, erit solutū & in cœlis.
Quur ergo singulatim hic eas promittit Petro? Respondet
Gregor. Grego. dicens quia Petrus accepit potestatē clauium in sua
plenitudine super tota ecclesia, aliis autē apostolis data est
hæc potestas in partem solicitudinis. Concordat & Vigilius
Bernard. Papa ca. Qui se scit, 2. q. 6. Et sanctus Bernardus de consīde.
ad Eugeniū. Ideo, inquit, promisit Petro, & tribuit ei post
resurrectionem quū fuerant in piscatione, & tertio dixit ad
eum, Petre, pasce oues meas. Hic eum constituit pastorem
totius ecclesiæ, & ostendit se esse deū, quod talē haberet po
testatem, quā hominibus impartiebatur ad remittēda pec-
Chrysost. cata. Pulchrū etiam est quod habet hic Chrysost. Solus deus
cōcedere potest peccatorū remissionem, & vt futura eccle-
sia tot tantisq; fluctibus impetu irrūpentibus immobilis ma
neat, cuius pastor & caput piscator homo & ignobilis, ter-
rarū orbe reluctāte adamātis naturā firmitate superet. Ecce
quomodo Chrysostom⁹ in ea est sententia, vt affirmet quod
hic illi magistratus ecclesiæ, summáq; potestas sit ꝓmissa, ac
Ioan.21. deinde cōcessa dataq; à Christo post resurrectionē. Omnia
hæc quæ tamē solius sunt dei, ꝓmittit dñs se Petro daturū.
¶ Sicut autē illas omnibus promisit apostolis ad absoluendi
munus, ita eadē eis dedit eo quo ipse resurrexit die quando
cōgregatis vndecim apparuit, & insufflando dixit, Accipite
Ioan.20. spiritum sanctū. Quorūcunque remiseritis peccata, remissa
erunt: & quorūcunq; retinueritis, retenta erūt. hoc ad pote-
statem, cuiusmodi tradita est Petro, nihil pertinet. itaq; eam
huic vni ꝓmisit, & ideo argumentū illud erat præcipue cu-
iusdā dignitatis, quā vicario suo daturus erat. Magnū quip-
pe hoc est, quod deus homini gratiā tantam contulit, vt ad-
huc in terris viuenti claues traderet regni cœlorum. & ideo
de sancto Petro canit ecclesia, Tu es pastor ouium, princeps
apostolorum, tibi traditæ sunt claues regni cœlorum. Vos
igitur dilectissimi hodie dominum Iesum in suis apostolis
veneremini, ac præcipue Petrum inuocate, vt interces sor

esse

esse vobis velit apud dominũ, dicentes, O bone pastor Petre, clemens accipe vota precantum, & peccati vincula resolue tibi potestate tradita, qua cunctis cœlũ verbo claudis & aperis. Exaudi & tu nos domine Iesu Christe clamãtes ad te, gratiam tu nobis & gloriam largire sempiternã, Amen.

HOMILIA TERTIA.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, *Matth. 16.*

MAGNA & immensa est hæc dignitas S. Petri, argumentũ quoque sanctitatis eius euidens, quod dominus coram omnibus apostolis ipsum peculiariter beatum prædicauit, testimoniũ ei dedit, quod â deo patre sit illuminatus, nouum Petri nomẽ ei denuo imposuit, aut si illud ante habuit, certe iam cõfirmauit, deinde promisit ei quod super ipsum ædificatur⁹ sit ecclesiam suam, aduersus quã ipsæ etiã portæ inferorũ nihil sint præualituræ, pollicitus est insuper illi claues regni cœlorũ. Hęc ita de S. Petro inconcusse tota credidit ecclesia, atque illa Christi verba sic intellexit, vsque ad ista nostra periculosa tempora, quibus inter cæteros errores hunc quoque diabolus susciauit de destituendo Petro ad offensam dei & sanctorum. Vt autẽ animus in hac re vester cõfirmetur ad perseuerandũ in fide, locos & authoritates aliquot hic inducemus, facientes ad euãgelij huius expositionẽ, ipsiusq; sancti apostoli honorem defendendũ, & fidem nostram asserendã, neque hic longius immorabimur, sed paucis absoluemus, quia alias illud tribus libris egimus, quos & Leoni x. dedicauimus. ¶ Quod autẽ Christus ecclesiã suam super ipsum etiã Petrũ ædificarit, iuxta sensum superiori homilia traditum, sensit idẽ iam olim S. Cyprian⁹ doctor & martyr, qui in epistola ad Pupianum lib. 4. sic ait, Quando Christus ad duodecim dixit, Nũquid & vos vultis abire, respõdit ei Petrus, dicens, Domine, ad quem ibimus? verbum vitæ æternæ habes, & nos credim⁹ & cognouimus, quoniã tu es filius dei viui. loquitur illic Petrus, super quem ædificãda fuerat ecclesia, docens quia etsi cõtumax ac superba obaudire nolentium multitudo discedat, ecclesia tamẽ Christianorum non recedit. Pulchrum est & quod ait Hierony. libr. 1. contra Iouinianum, Super Petrum fundatur ecclesia, licet idipsum in alio loco super apostolos fiat, & cũcti claues cœlorũ *Cypria.* *Hiero.*

accipiant, & ex æquo fortitudo ecclesiæ super eos solidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio. Quid poterat ille dixisse clarius, quo affirmaret ecclesiã super Petrum esse fundatam, imo & super omnes apostolos, quorũ tamen vnum asserit supremum & caput aliorum? In alio quoque libro
Lib. 1. contra Pelagianos, sic ait, Petrus princeps fuit apostolorũ, super quem ecclesia domini stabili mole fundata est, quæ nec impetu fluminis, nec vlla tentatione cõcutitur. Ita scripsit etiam ille ad Damasum papam, quum esset in Asia: Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ cathedræ Petri cõsocior, super illam petram fundatam ecclesiam suam. Videte quid sciuerit Hieronymus. Audẽt ne temere quicquã in cõtrariũ mutire & iactare neochristianus?
Orige. homil. 8. super Ioan. intellexit hoc eodẽ sensu ante Hieronymũ Origenes tempore martyrũ. ait enim, Vide quantã habet potestatẽ petra, super quam ædificatur ecclesia, vt etiã iudicia eius maneant firma, quasi deo iudicante per illam. loquitur ibi de sancto Petro, quem & plus aliis apostolis accepisse confirmat.
Augus. ¶ Quanuis aduersarij pro se citant Augustinũ lib. 1. retractationũ cap. 21. quomodo Christus sit petra, cui superædificetur ecclesia, quod vt nõ negamus, ita verò hinc nõ sequi cõtendimus, quod nõ & Petrus sit petra, & super ipsum sit ecclesia ædificata, quãdo illud in toto etiam nusquam inuenient Augustino, quoniã eodem loco vbi Christũ petram vocat, alterius quoque cõmeminit sententiæ, quod & Petrus sit petra, interímque sententiã neutram reiicit, imò lectoris arbitrio liberũ relinquit alterutram eligendi quæ vi-
Augusti. deatur ꝓbabilior. Ipse etiam Augustinus in multis locis affirmat, Petrum esse petrã cui superstructa sit ecclesia. id vt credas, en eius verba tibi in libro cõtra epistolã Donati, vbi illud aperte affirmat, tandémq; dicit, Sensus hic etiã cantatur ore multorũ in verbis beatissimi Ambrosij, vbi de gallo
Ambros. ait, Hoc ipsa petra canente ecclesia culpã diluit, fletũ Petri insinuat, qui antequã gallus cantaret, ter dominum negauit.
¶ Ne autẽ quis putaret hoc ibi elapsum esse Augustino, inuenias idem in multis locis apud eum, qui hoc sæpius apud præceptorẽ suum legerat Ambrosium. is enim in hodiernæ diei homil. sic ait, Pro soliditate deuotionis ecclesiarũ petra dicitur, sicut ait dominus, Tu es Petrus & super hãc petram

ædificabo

ædificabo ecclesiam meam. Petra nãq; dicitur, quod primus in nationibus fundamenta fidei posuerit, & tãquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemq; cõtineat. sed tu desideras ex ipso forsitan Augustino audire, alterius ne fuerit sentẽtiæ alicubi quã in libro præmemorato? ecce ipsum tibi Augustinum in homilia de sancto Petro sic dicentem, Audisti frequenter ipsum Petrum à domino petram nuncupatã, sicut ait, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Si ergo petrus petra est, sũper quam ædificatur ecclesia, recte pedes prius sanat, vt sicut in ecclesia fidei fundamẽtum continet, ita & in homine membrorum fundaméta confirmet. Refert hoc Aug. ad illud, quod Petrus claudũ sanauit in tẽplo. Et ne aliquod nobis dubium sit reliquũ de Petro principe apostolorũ, audiamus eundem in alio loco super Ioannem tracta. 124. vbi sic ait, Hoc agit (orando pro remissione peccatorum) ecclesia in spe beata, in hac vita ærumnosa, cuius ecclesiæ Petrus apostolus propter apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personã. Quod enim ad ipsum proprie pertinet, natura vnus erat homo, gratia vnus Christianus abundantiori gratia vnus idemq; primus apostolus. sed quando ei fuit dictum, Tibi dabo claues regni cœlorum, &c. vniuersam significabat ecclesiam, primatũ tenebat apostolorũ omnium, quomodo nunc episcopus quilibet personã gerit suæ ecclesiæ, princeps suæ ditionis, imperator totius imperij. *Augusti.* *Act. 2.* *Augusti.*

3 Quod apostolorum omnium supremus fuerit Petrus, iam superiori homilia testem quoq; adduximus Chrysostomum, qui eodem modo hoc intellexit euangelium, vnde & Petrum os apostolorum & verticem ibi vocauit consortij apostolici, adiecitq; eum à Christo constitutum esse caput & pastorem ecclesiæ, Fuisse quoque hãc Chrysostomi perpetuam sententiam, ex iis colligere possumus, quæ super Ioannem homil. 87. scripsit in hunc modum, Quid quod aliis omissis, dũtaxat Petrum affatur? Os erat apostolorũ & princeps, atque propterea Paulus eũ præter alios visurus ascendit, simul vt ei ostenderet iam sibi fiduciã habendã. tãquam enim negationis obliuisceretur, fratrum ei curam cõmittit, neque negationis meminit, neque exprobrat. tantũ dicit, Si amas me fratrum curam suscipias, & quam in omnibus dilectionem ostendisti, & qua delector, nũc ostende. & animam *Chryso.* *Chrysosto.* *Calat. 1.*

quam pro me posituram dixisti, hãc pro ouibus meis trade. Et inde ter interrogat, & semper idẽ præcepit, vt demõstret quanti ouium suarũ curam faciat, & quod hoc sit maximũ, quia hic magna cõtulit Christus Petro, vniuersi terrarũ orbis curam cõmisit, passionẽ ei suã prædixit, &c. Aperte iam hinc datur intelligi, quid Chrysost. aliiq; patres de S. Petro senserint. Et iam tandẽ post tot exacta fœliciter secula, infœlices homines isti neochristiani, Petrũ à suo nituntur detrudere põtificatu? Porrò ne ab hoc euangelio recedã, quoniã alias in immẽsum crescerẽt hæc testimonia, quæ affatim prosequuti sumus tribus libris nostris, iam ante septennium in Gallia, & nũc recens in Germania impressis, quib⁹ nemo adhuc Lutheranus respõdit, nec cũ veritate respondere vnquam poterit, vnũ atque alterũ locum adhuc afferamus circa hoc euãgeliũ. Vbi occurrit Hilarius, qui super illud Matthæi, Tu es Petrus, sic ait, O in nuncupatione noui hominis fœlix ecclesiæ fundamentũ, dignáq; ædificatione illius petra, quę infernas leges & tartari portas & omnia mortis claustra dissolueret. O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus tradũtur, cuius terrestre iudicium præiudicata authoritas, sit in cœlo, vt quæ in terris aut ligata sint aut soluta, statuti eiusdẽ conditionẽ obtineãt in cœlo. Leo quoq; Magnus sermone tertio de anniuersario suæ põtificię assumptionis, Ego inquit, dico tibi, hoc est, sicut pater meus tibi manifestauit diuinitatẽ meam, ita & ego tibi notã facio excellentiã tuam, quia tu es Petrus, id est, cũ ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis qui facio vtraq; vnũ, ego funda mẽtũ præter quod nemo potest aliud ponere, tamẽ tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt, ppria, sint tibi mecũ participatione cõmunia. Simile quiddã dicit ille in homilia hodierna. Accedit iis & sentẽtia S. Gregorij, qui de sancto Petro sic scribit ad Imperatorem Mauriciũ, Cunctis scientibus euangeliũ liquet, quod voce dominica, sancto & omniũ apostolorũ principi Petro apostolo totius ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur, Petre, amas me? Ipsi dicitur, Ecce Sathanas expetiuit, Ipsi dicitur Tu es petrus. Ecce claues regni cœlestis accepit, potestas ei ligãdi & soluendi tribuitur, cura ei totius ecclesiæ & principatus cõmittitur. Renarrat hæc Gratian⁹ dist. 11. præceptis, vbi loquitur de authoritate Romanæ ecclesiæ, Cuius

Hilarius.

Leo.

Ephe. 2.

1. Cor. 3.

Gregor. in regist. lib. 4. epist. 39

authoritatis

authoritatis ſanctionē omnes teneant ſacerdotes, qui nolue rint ab apoſtolicę petræ, ſuper quam Chriſtus vniuerſalem fundauit eccleſiā, ſoliditate conuelli. Ecce quod & eccleſia ſuper fundamentū apoſtolicum eſt fundata, neq; tamen il, lud aliud à Petro eſſe poteſt. Quid multa? ſic doctores ſanc ti omnes, ſic omnia quæ vnquā fuerunt cōcilia, tenuerunt, crediderunt, ſcripſerunt. Vt iam neminem mouere debeant neochriſtianorū vana ſomnia & impij errores, quib⁹ inuol uere conantur etiā ſimpliciores, & eos ſeducendo decipere.

4 Reliquum iam eſt, vt oſtendamus per vniuerſam ſacrā ſcripturam totumq; ipſius decurſum, ſanctū Petrum ſibi ve lut proprię poteſtatis huius aſſumpſiſſe officiū, ac ſedulo v- ſurpaſſe ſuper vniuerſam eccleſiā, ſiquidē in euangelio tan quam futurus eccleſiæ paſtor, pro aliis etiam apoſtolis ſolus hic reſpōdit. Et principio quidē quum dominus dixiſſet ad apoſtolos, An etiā ipſi abituri eſſent, vnus hic pro omnibus reſpōdit, Domine, quo ibimus? verba vitæ æternę habes. Et hic quærente ex eis Chriſto quēnam ipſum eſſe crederent, prodit ille & ait, Tu es Chriſtus filius dei viui. Prēterea cū admoneret eos dominus, vt eſſent parati in aduentu filij ho minis, etiā iſte ſolus ſubiecit, Domine, ad nos dicis hanc pa- rabolam, an ad omnes? Ad hæc, quādo prædicabat dominus diuites difficulter ſaluari, iterum ille pro ſe & fratribus ſuis interrogauit eū, Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſu- mus te, quid ergo erit nobis? Accedit iis qđ impleta vtraq; nauicula piſcib⁹, procidit Petrus ad pedes domini, dicēs, Exi à me domine, quia homo peccator ſum, Etiam diſcipulis o- mnibus in mari periclitantibus, quum veniret dominus ad eos ſuper mare ambulās, & iuberet eos fiduciam habere, re- ſpondit Petrus, Domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas. Trāsfigurato inſuper domino in mōte Thabor, quā- uis aderant etiam Ioannes & Iacobus, ſolus tamen Petrus, loquutus eſt pro omnibus, & dixit, Domine, bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula. Quum dominus di- ſcipulos doceret remittenda eſſe peccata proximorum, etiā tunc prodiit Petrus, tanquam futurus eccleſiæ paſtor & re- ctor, vt ait Chryſoſ. inquiens, Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Deinceps, quū per acta cœ- na diceret dominus diſcipulis, Quo ego vado, non poteſtis venire modo, ſolus eum interrogauit Petrus, Domine, quo

Ioan. 6.

Matt. 16.

Mat. 19. Lucæ 5.

Matt. 14.

Mat. 17.

Chryſoſto.

Mat. 18.

vadis? Vnus hic detractauit lotionem pedum, inquiés, Non
Ioan. 13. lauabis mihi pedes in æternũ. Super hęc quum eduxisset ille
discipulos suos post cœnã, prædixissetq; eis quomodo scan-
dalum in eo essent passuri omnes, magno animo progressus
Marc. 14. Petrus dixit, Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego non
Luc. 22. scandalizabor, Domine, paratus sum & in carcerem & mor
tem ire. O animum generosum & cõfidẽtem, sed ô vicissim
Ioan. 21. carnem fragilẽ. Sũt huiusmodi in scripturis permulta, qui-
bus hic supersedebimus. ¶ Ab ipsa quoq; domini resurre-
ctione porro videmus Petrum primo summoq; suo per v-
niuersam ecclesiam magistratu vsum fortiter esse, dum ille
vt pastor bonus magnam gerebat curam Ioannis, de quo &
Act. 1. dominum interrogabat, Hic autẽ quid? hoc est, quod genus
mortis & supplicij imminet illi? Deinde post ascensionẽ do
mini officij sui administrationẽ suscipiés, surrexit in medio
fratrum, & sacrarum literarũ testimonio probauit aliũ iam
Act. 2. esse eligendum in locum Iudæ. Quanuis ibi erat Maria ma
ter Christi, aderant & alij apostoli, præ illis tamẽ omnibus
Ac. 3. 4. 5 rem hanc velut sibi propriam aggressus est Petrus. Insuper
cum in die pẽtecostes accepto spiritu sancto apostoli deri-
derentur & pro ebriis haberentur, surgens Petrus cum vn-
decim, excusauit eos, palam prædicauit Christũ Iudæis, an-
nũciauit quid ipsis sit facto opus, & ad tria milia hominum
conuertit. Claudũ quoq; præsente Ioanne sanauit, & admi
rante populo, Christum prædicauit & pœnitentiã. Inde cũ
vterq; iudicio simul fisteretur, solus tamẽ Petrus causam e-
git, Christumq; coram eis libere confessus est. Quum Ana
nias & Sapphira mentirentur spiritui sancto, solus Petrus
eos iudicio mortis cõdẽnauit, eo q̃ iniquus agri preciũ ostẽ
Act. 8. derant. Simon Magus quũ præsumeret potestatẽ huiusmo-
di pecuniis sibi cõparare, vt impositione manuum spiritum
sanctum conferret, Petrus dixit ad eum, Pecunia tua tecum
sit in perditionẽ. Atque quum apostoli primum illud cele-
Act. 15. brarent conciliũ Hierosolymis ad extirpandam sectã Chri
stianorum Antiochiæ concitatam de legalibus Moysi præ-
ceptis obseruandis, Petrus rem hanc in concilio proposuit
Ad An. tanquam supremus, fuitq;, vt ait Hieronymus, S. Petrus au
thor sententiæ de legalibus cessandis. Hinc etiã refert Dio-
nysius ad Timotheum scribens, dixisse Paulum ad Petrum
Romæ, quum ab eo duceretur ad subeundum martyrium,

Pax

Pax tecum fundamentū eccleſiæ paſtor ouium & agnorum Chriſti. Hunc & vos hodie colite diligentius, ſi modo gaudere ipſius ad deum cupitis interceſsione, qua vobis hic gratiam, & in futuro gloriam impetret ſempiternam, Amen.

HOMILIA IIII. EIVSDEM DIEI, SED *de ſancto Petro apoſtolorum principe tantum.*

SVMMVS apoſtolorum princeps Petrus, & vicarius Chriſti, natus ex Bethſaida Galilęę fuit nomine Simō, officio piſcator. frater eius Andreas, qui & diſcipulus fuit Ioannis Baptiſtæ, ſicut & ipſe Petrus. audiens autem teſtimoniū Ioannis de Chriſto, quē demonſtrans agnū dei prædicabat, atq; ſequutus inde dominū, inuenit Petrum & dixit ad eum ſe inueniſſe Meſsiam Chriſtum & ſic ipſum quoq; duxit ad Chriſtum. qui viſo eo, ſtatim dixit ad illū, Tu es Simon bar Iona, tu vocaberis Cephas. atq; tunc primū ille agnouit dominum. Deinde cum piſcaretur in ſtagno vna cū fratre, dixit dominus ad eos, Venite poſt me, faciā vos piſcatores hominum. ſtatimq; relictis retibus, ſequuti ſunt dominum. Lucas refert dominū cōmiſiſſe Petro vt laxaret retia, qui reſpōdens dixit ad eū, Præceptor, per totam noctē laborantes nihil cepimus, in verbo autē tuo laxabo rete. Et quum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinē copioſam, impleueruntq; in rupto reti, duas nauiculas. procidit autē Petrus ad genua Ieſu, dicēs, Exi à me domine, quia homo peccator ſum. Alias quoq; ingreſſus eſt dominus in domū ſuā, quūq; ſocrus eius infirmaretur grauiter ex febre, rogauerunt eum pro illa, qui & ſanauit eam, vnde ſurrexit ipſa, & miniſtrauit eis. Quum diſcipuli noctu periclitarētur in mari, & dominus ad eos veniebat ſuper aquam, dicēs, Habete fiduciam ego ſum, nolite timere, reſpondit Petrus, & ait, Domine, ſi tu es iube ad te me venire ſuper aquas. cui reſpondens dominus, dixit, Veni. & deſcendens Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquam. Videſ vero ventum validum, timuit. & quum cœpiſſet mergi, clamauit, dicens, Domine, ſaluū me fac. Et continuo ille extendens manum, apprehendit eum.

Ioan. 1.

Ioan. 1.

Mar. 1.

Luc. 5.

Mat. 8. Luc. 4.

Matt. 14.

¶ Inſuper, quando diſcipulos omnes interrogauit dominus quid de ſe ſentirent, prodiit Petrus & dixit, Tu es Chriſtus filius dei viui. ſtatimq; promiſit ei dominus, quōd ſuper ipſum ædificaturus eſſet eccleſiam ſuam, & daturus ei claues

Matt. 10.

regni cœlorum. paulò pòst quum prædixisset dominus apostolis passionem suã, singulari dilectione affectus Petrus, assumens eum. cœpit increpare illum, dicens, Absit à te domine, non erit tibi hoc. Et quum transfiguraret se dominus in monte Thabor, præ omnibus aliis apostolis dixit Petrus ad dominum, Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic
Matt.17. tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnũ. Neque multo post quando petebatur ex domino didrachma, iussit ille solum Petrum abire ad mare, & immittere hamũ. eumq; piscem qui primus ascendisset, tollere: & aperto ore
Mat.18. eius, statherem exemptũ exponere pro ipsis ambobus. ¶ Vnde etiã Petrus præ aliis dominum interrogauit, quoties remittere deberet proximo suo aduersum se peccanti, & audiuit sibi dici, Septuagies septies. Idem quoq; solus ex omnib⁹ di-
Matt. 19. xit ad dominũ. Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo inde erit nobis? Lauare paréte domino pe-
Ioan. 13. des discipulorũ, reuerentiæ causa solus Petrus recusans, nolebat illud admittere, tandem tamẽ cõsensit. Immẽsum fuæ in dominum dilectionis argumentũ fuit & hoc, quod vnũ il le defendere dominũ etiã gladio conatus est quũ caperetur
Matt.26. à Iudæis. neq; id tantũ, sed & eundẽ iam captũ sedulo sequutus est ad pontifices cum Ioanne, vbi quanuis humana fragilitate victus negarit eum, tamen amaro fletu statim pœnitẽ-
Mar. 14. tiam egit, cuius rei testes ei sunt euangelistæ. doctores quoque affirmant ipsum per omnem vitam ad cantũ galli amare fleuisse, memorem suæ negationis. In eum vsum strophiolũ quoque semper gestasse fertur ad detergendas lachrymas.
¶ Cæterùm post ipsam Christi resurrectionem audita &
Ioan.20. comperta illa ex mulieribus, Petrus solus cum Ioane festinauit ad monumentum. Quid quod inde etiam insignis dilectio Petri in dominũ facile animaduertitur, quando prædixit inter cœnandum discipulis, assidere qui se traditurus
Ioan. 13. esset quod tunc solus Petrus vtiq; vindictæ cupidus innuit Ioanni, vt is interrogaret Christũ quisnã iste esset, eo animo sane, vt pœnas de ipso sumens, anteuerteret proditionem?
¶ Sunt hæc quidem magna, sed omnibus iis maius est, quod
Chrysost. ad extremũ vni Petro præ omnibus aliis apostolis, quorum nonnulli tunc aderant, Christus vniuersam iurisdictionẽ &
Ioan.21. potestatem commisit super oues suas, regendi eas & pascendi, vbi ter ab illo interrogatus an ipsum diligeret, semper respondit

reſpondit, Tu ſcis domine, quia amo te. & ibi eum papam ſummumq; eccleſiæ pontificem ordinauit dominus. Atque hæc omnia affatim ſcripta ſuppeditant euangeliſtarum, qui poſt Chriſtū nullius perſonæ plus meminerint quam Petri.

¶ Accedūt iis etiam teſtimonia Lucæ in actis apoſtolorum, vbi principio legitur, quod poſt Chriſti aſcenſionē ſummū ille ſibi ſumpſerit officiū in eligendo Matthia, deinde diſcipulos excuſauit in die pentecoſtes, & tria milia hominū baptizauit, claudum ſanauit, rurſusq; hominū milia quinq; baptizauit. Ananiam & Sapphirā de mendacio puniuit, AEneam paralyticum curauit, ſuiq; corporis vmbra ægris ſanitatem reſtituit. Ter captus eſt, primum cum Ioanne, quādo claudum ſanauerat, & tamē ſine offenſa liberatus eſt, deinde cū reliquis apoſtolis. & tūc angelus reſeratis noctu foribus eum dimiſit: quumq; denuo prædicaret in tēplo, virgis cæſos abire dimiſerunt qui concilio præerant Iudæi. Poſtremò quando Herodes occiderat Iacobum, vidēs placere hoc Iudæis, apprehenſum etiā Petrum, qui tunc ex Aſia venerat Hieroſolymā ad feſta paſchalia, coniecit in vincula, vt trāſacta feſtiuitate ipſum quoque capitali ſupplicio penderet. Quumq; producturus eū eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiēs inter duos milites, vinctis catenis duabus, & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebāt carcerem. Et ecce angelus domini aſtitit, & percuſſo latere Petri, excitauit eū, dicens, Surge velociter. Et ciderūt catenæ de manibus eius, ſicq; eduxit eum per ambas cuſtodias vſq; ad portā ferream quæ ducit ad ciuitatem, eaq; vltro aperta eſt eis. ¶ Petrus primū abhorrebat gentiles, ſed diuinitus inde admonitus eſt ne id faceret. vidit enim vas quoddam velut linteū magnum ſubmitti de cœlo in terram, in quo erāt omnia quadrupedia & ſerpentia terræ & volatilia cœli. audiuitq; vocem dicētem ſibi, Petre, occide & manduca. Ait autem Petrus, Abſit domine, quia nunquam manducaui omne commune & immū dum. Interim tamen hac viſione edoctus eſt de non excludē dis Gentilibus ab eccleſia fidelium quandocunq; venirent. Et inde baptizauit ille Cornelium hominem Gentilem, ſicque poſtea factum hoc coram Iudæis excuſauit, purgans ſe cur Gentilibus coniungeretur, ſicut idipſum in concilio propoſuit, docens non diſcernere deum inter Iudæos & Gentes, ſed fide purificare corda eorū, quod verbum Petri

Act. 1. *Act. 2.* *Act. 3.* *Act. 59.* *Act. 4.* *Act. 5.* *Act. 12.* *Act. 10.*

Act.15. corroborauit ipſe Iacobus, vt Acta apoſtolorum teſtantur. 3 Super hæc ſummam ſemper laudé obtinuit Petrus apud omnes doctores. Poſt diuiſionem apoſtolorum pro ſua portione cõtigerunt ei, Põtus, Galatia, Bithynia, Aſia, Cappadocia cũ adiacétibus prouincijs, vt Euſebius & Hieronymus commemorant, & teſtatur titulus epiſtolæ ſuæ, vbi ſcribit diſperſis, nempe Iudæis ex patria ſua expulſis, iamq; inter Gentiles habitantibus. Atq; ibi quinquennium totũ prædicauit, ita vt Antiochiæ ſibi cathedra erigeretur, vbi ſeptennium cõmoratus eſt, ſicut in feſto cathedræ illius diximus. ¶ Scribit & de eo S. Clemens papa & martyr, in Recognitionibus ſuis in hunc fere modũ, quod ipſe & frater eius Andreas ab infantia orti fuerint, in ſumma paupertate educati, cõpulſi ſic ex ipſa rerum inopia ad laborem ſubeũdum. Cibus Petro fuit panis cũ oliua, & raro coniunctis caulibus. Habitus, tunica cũ pallio. Prædixit antea deſtructionem templi Hieroſolymitani quã fieret. Sæpius cũ Simone Mago pulchre diſputauit, ipſumq; primũ ab Antiochia per famam Cornelij, deinde etiã ex Iudæa compulit, qui inde Romã profugit. Inter cętera refert Clemẽs Petrum orare ſemper ſolitũ ante fuiſſe, quã cum Simone cœperit diſputare, cuius diſcipulos aliquot cõuertit ad Chriſtum, multos infirmos & ipſum quoq; ſanauit, matrẽ etiam eius Matthiam, hoſpitem pauperculam, paralyticã curauit, & aliã Matronam quæ dicebatur Dorcas, mortuã reſuſcitauit. Irenæus qui & ipſe vicinus admodũ fuit apoſtolorum temporibus, miris modis magnisq; laudibus extollit Petri prædicationẽ atque doctrinam. ¶ Tertulianus ait Chriſtũ Simoni dediſſe nomen Petri à ſeipſo, quod & ille ſit petra ob virentẽ fidei vigorẽ. Vult etiam quod Petrus in ſpiritu Moyſen cognouerit & Eliã in ipſa domini transfiguratione. Atq; in hoc pleriq; omnes cõueniunt, quod quanuis Petrus frequentius Antiochiæ fuerit, tamen aſſidue hinc inde cõmigrarit, vt teſtatur Clemens, vnde nõ raro etiã Hieroſolymã potuit venire, vbi eũ viſitauit Paulus, qui ſeipſum poſt annos xiiii. aſcẽdiſſe Hieroſolymã, Petrumq; vidiſſe, in epiſtola ad Galatas commemorat. Quod autẽ vulgo claudicaſſe creditur, nullũ extat ſufficiens teſtimonium, ſiquidem hoc certũ, factum eum eſſe ſenẽ, ſed non omnino decrepitum, quãuis Hieronymus refert, & pro ſe Clemen-

Euſebius. Hiero. 1.Pet. 1.

Libr.7. Recog.

Libro 1.

Libr.10.

Libro 2.

Libro.3. & .5.

Act.9.

Tertul. lib. 4. contra Marcionem.

Clemens.

Galat.1. & 3.

Super 1. ad Gala.

tem

tem adducit in periodis, teſtantem, caluum fuiſſe Petrum. ¶ Quũ itaq; Petrus iam quinq; annis prædicaſſet in regionibus Cappadociæ, Bithyniæ, &c. & rurſus ſeptem alijs pontifex ſediſſet Antiochiæ, ſingulari ordinatione & inſtinctu dei profectus eſt Romam, vt teſtatur ſanctus Marcellus. Et rationem aſsignat Euſebius huiuſmodi, quod quũ iam Simon Magus ex Iudea depulſus eſſet per Petrum, deinde etiam ex Antiochia, profugit Romã: ibiq; diabolo adiuuãte tã rara & admirãda exhibuit ſpectacula, vt in admiratione ſui conuerteret imperatorem & Romanos omnes, à quibus iam cœperat magni fieri, erecta in hoc ſibi ſtatua ſupra Tiberim cum titulo huiuſmodi, Simoni deo ſancto, vt author eſt Iuſtinus. Vt autem inſignis hominis iſtius impia deregeretur malignitas, diuina ordinatione princeps apoſtolorum Petrus Romam deſtinatus eſt, qui ibidem pugnaret contra vniuerſalem generis humani perditionem, primusq; hic ille fuit, qui clauibus euãgelij ſui Romanis ianuam aperuit regni cœlorũ. Hieronymus aſſerit illũ veniſſe Romam anno ſecũdo imperij Claudij ibiq; cathedrã occupaſſe ſacerdotalẽ annis vigintiquinq; vſq; ad annum Neronis decimũ quartum qui imperij ſui vltimus extitit. Sed quomodo ille cũ Simone Mago decertarit, etiã Ambroſius cõmemorat. ſiquidẽ Simon ſimulabat iamq; parabat ſe ad euolandũ ex Tarpeio monte in altũ. Et quũ iam magna hominũ multitudo expectaret ſpectaculũ iſtud, & attẽtis oculis aſpiceret, ne ad finem ſuũ. illud perueniret, cœpit orare Paulus, ipſeq; Petrus poſitis genubus precatus eſt dominũ, & ſic ambo impetrauerũt apud deũ, vt dæmonia quæ Magum ſuũ per aëra vehebant, ipſum cadere ſinerent. delapſus ergo oſſa cõminuit in petra iuſto dei iudicio, vt qui in cœlum volitare præſumpſerat, amplius ire nõ poſſet in terra, ſed infelix homo infeliciſsimũ ſuum tam triſti ſpectaculo exhalaret ſpiritum. ¶ Multa alia contigerũt inter apoſtolos & hunc Magũ, quibus omnibus ſuperſedebimus. At vnum tacere præ cæteris illuſtrius grãdis fuerit religio eo maxime, quod ad Germanos ſpectare videtur. Quũ Petrus adhuc Romæ fidẽ Chriſti prædicaret, miſit inter alia diſcipulos tres in Germaniã, ad prædicandũ euangeliũ & annunciandũ Chriſtum, fueruntq; illi, Eucharius, vnus è numero ſeptuagintaduorũ diſcipulorũ Chriſti, qui deinde primus

Libro 2.

Iuſtinus.

De vi. il.

Ser. 67.

Anno do. 58.

episcopus Treuirẽsis effectus est. cumq; eo Valerius & Maternus. Vbi vero peruenissent in Elsatiã, ibiq; prędicarent, mortuus est Maternus in ciuitate quæ dicitur El. statim reuersus ad Petrũ Eucharius, cõquestus hoc est illi, simul petens vt resuscitaret eũ à mortuis, ad cõfirmandã fidem hominum eius regionis. Ibi Petr⁹ baculũ illi suũ exhibuit, quẽ iste quadragesimo die à Materni morte reuersus, super corpus ei⁹ posuit, & statim reuixit, factus postea tertius episcopus Treuirensis. ¶ Interea tẽporis dũ Petrus Romæ cõmoratus est, rogarũt fideles Christiani Marcũ discipulũ Petri, vt eis euangeliũ quod Petrus prædicabat, describeret, quod & fecit. Id simul atq; legit Petrus, cõfirmauit, legendumq; obtulit ecclesię. Et hoc illud est, quo in hunc vsq; diẽ vtitur ecclesia, vt scribit Eusebius ex Clemente in 6. libro dispositionum. Est in eadẽ sententia & Hieronymus, dicẽs Marcum velut interpretẽ esse Petri, Marciq; euangeliũ esse Petri, sicuti, aiunt quidã euãgelium Lucæ esse Pauli, sed de ijs plura de apostolatu. Tu interim consule Hieronymum in proloquio euangeliorum de viris illustribus. ¶ Tẽporibus Petri venit Romam Iudæus quidã eruditus Philo. is multo Petri cõsuetudine vsus, per eũ etiam in magnã peruenit familiaritatẽ sancti Marci in Alexãdria, eũq; ibi Petrus ordinauit episcopũ, qui deinceps multas Christianorũ laudes & virtutes prędicauit, eorũq; habitationes cœnobia nominauit. ¶ Sed vt aliquando tam prolixæ narrationi finis imponatur, quum iam virtus euãgelij Romæ erumperet, & diabolus confusus esset in Simone Mago, furore succensus est Nero tyrãnus aduersus apostolos. vbi quãuis fratres cupiebant Petrũ secedere, tamen ille diu frustra renitens, tandem precibus illorum superatus, volebat Romam egredi, vbi in ipso itinere apparuit illi Christus, cui dixit Petrus, Domine, quo vadis? Is respondens, ait, Vado Romam iterum crucifigi. Verbũ hoc domini Petrus sane intellexit, non ignarus Christum amplius non moriturum, vt Paulus ait. sensit ergo hoc dixisse dominum de ipsa persona Petri, qui sic reuersus est ad fratres, vt hodie quoque locus ille dici soleat, Domine quo vadis? vbi vestigia Christi impressa lapidi cernũtur. Statim Nero Petrum captum sub Capitolio vinxit in Tarpeto monte, iam vero sub ara cœli, nunc enim ibi templum est, Tandem eum agrippa supplicio crucis adiudicauit.

Libro 3. hist. eccl. cap. 14.

Hieron. in sermonibus de apostol.

Egesipp. li. 3. ca. 2.

Vide late Linum licet apocryphum.

Roma. 8.

dicauit. is quum ſuper Tiberim tranſuectus eſſet in Vaticanum, vbi nunc & ſancti Petri templum & palatium eſt pontificis, petiit vt deorſum verſo capite, ſurſum autē erectis pedibus crucifigeretur, indignū ratus eſſe ſe, qui caput haberet in altum erectū in cruce, ſicut magiſter ſuus Chriſtus pepēderat. Eſt eius rei author ſatis magnus beatus Hieronymus. Teſtatur idipſum & Euſebius, allegans pro ſe duos vetuſtiſsimos ſcriptores Caium & Dionyſiū epiſcopum Corinthium. *De vi. il.*

¶ Occurrit hic quidam, quod Romæ audiſſe me memini à viro erudito tempore Leonis papæ. is aiebat admirandam hanc eſſe diſpoſitionē dei, vt eodem in loco quo Ianus (qui à Gentilibus habitus eſt is, quem Iudæi Noe vocitāt, iſque pro capite anni obſeruaretur etiam nunc, à cuius nomine Ianuarius ſit dictus, & idem biceps pingi ſolitus) eſt ſepultus Romæ in ipſo Vaticano, cui hinc nomen contigit, vt Ianiculum appellarint, ibi etiam Petrus cui tanquam capiti principatus à Chriſto oblatus eſt apoſtolorum & totius eccleſiæ, quique Romanum imperium cœperat vindicare à diluuio gentilis idololatriæ, crucifigeretur & ſepeliretur. Cæterum enati ſunt iſtis periculoſiſsimis temporibus plurimi, qui pleraque noua citra vllius rationis fundamentum introducunt, proprio freti conatu, contempto concordi totius eccleſiæ omniumq; patrū conſenſu. Inter illos innouauit Iacobus Stapulenſis hiſtoriam ſupplicij duorum illorum principū apoſtolorum omnium, contendens eos non vno die paſſos eſſe, ſed Paulum eodem quidem die, verū toto interim anno poſt Petri paſſionem elapſo, neque tamen fundamentum opinionis ſuæ aliquod affert, vnde veriſimilem eam redderet. Ad hæc Linus papa, cuius authoritati innititur ille, quāuis ſcripta eius non admodum recipiantur, quibus vtriuſq; huius apoſtoli paſsionem deſcripſit, tale nihil habet, quod pro ſe adducere poſſet. Quanto igitur ſatius & cōſultius eſt, à veteri & antiqua fide eccleſię non recedere, quę habet ambos illos vno die eodemque anno paſſos fuiſſe? Vnde & Ambroſius ait, Nō ſine cauſa factum putemus, quod vna die vno in loco vnius tyrāni tolerauere ſententiā. Vno die paſsi ſunt, vt ad Chriſtū pariter peruenirēt vno in loco, ne alteri Roma deeſſet ſub vno pſequutore, vt equalis crudelitas vtrūq; conſtringeret. Dies ergo pro merito, loc⁹ pro gloria, perſequu-

Stapulē. error.

Inſer. 67. 2. q. 7. Beati.

tor decretus est pro virtute. Et in quo tandē loco martyriū pertulerūt? in vrbe Roma, quæ principatū & caput obtinet nationū, scilicet vt vbi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis: vbi Gētiliū principes habitabāt, illic ecclesiarū principes morerentur. Et quū dominus orientis regionem propria illustrauerat passione, occidētis plagā, ne quid minus esset, vice sui apostolorū sanguine illustrare dignat⁹ est. Atq; licet illius passio nobis sufficiat ad salutē, tamen etiā horum martyriū nobis contulit ad exēplū. Hæc

Ambro. Libro 2. cap. 25. Ambrosius. ¶ Quod autē vna die sint passi, testatur, etiam Eusebius Cæsariensis, adducens pro se Dionysium qui idē asserat. is inquit, ille Corinthiorū episcopus quum in vrbe positus esset, & de scripturis disputaret, hoc dicit, Sed & vos habentes cōmonitionē à Petro & paulo, plantationem Romanæ & Corinthiorū ecclesiæ coniunxistis, Ambo etenim simul aduentātes & in nostra Corinthiorum ecclesia docuerunt, & per omnem Italiā, atq; in hac vrbe simul docentes, etiā martyrio pariter vno eodemq; tēpore coronati

Hieron. sunt. ¶ Subscribit eidem sententiæ Hieronymus, qui in vita S. Pauli ait cum eodem die anni decimiquarti Neronis, quo Petrus Romæ passus est, etiā pro Christo fuisse capite

Libro 5. capa. Libro 3. epi. 10. plexum, sepultumque in via Hostiēsi, anno à Christo passo 37. Accedit eo & consensus Egesippi, dicentis ambos illos vno tēpore simul passos sub Nerone, alterū tamen cruce, gladio alterum occisum. Gregorius ad Imperatricē Cōstantiam scribens, plurima refert & maxima miracula, quæ contigerint circa sepulturā horum apostolorum, quāq; mirabiliter exhorruerint & deterriti sint, qui illā violare conati sint. Inter cætera cōmemorat, quomodo eo tempore quo passi sunt apostoli, venerint Christiani ab oriente, abducturi corpora apostolorum: quæ quū duo miliaria ab vrbe detulissent, ad locum quem vocant Catacumbas, deposuerunt illa, deinde vbi promouere loco conabantur, à conatu deterriti sunt in mēso fulminū impetu tonitruūq; incredibili horrore: quibus ita dispersi sunt, vt illud deinceps tentare nemo sit ausus. Romani autē egressi, corpora apostolorū sublata rursus retulerūt Romā, in eū locū vbi nunc quiescunt. Narrat ibidē plura de catena sancti Pauli. Inuenio alibi factū hoc esse sub papa Cornelio, quādo Constātinus catholicus Imperator extruxit templū sancti Petri & Pauli,

Pauli, in quo Sylueſter papa collocauit corpora apoſtolorum, capſta autem eorum in æde diui Ioannis, vbi eadem adhuc religioſe magno populi concurſu ſimul & applauſu monſtrantur. Miſericordia, &c.

DE SANCTO PAVLO APOSTOLO *& doctore Gentium, homilia peculiaris.*

TANTVM gratiarũ atque donorũ cõtulit deus in ſanctum Paulum, vt nõ poſſit humana lingua exprimi. Dum igitur tenuitatẽ imbecillitatémque meam cõſidero, nõ audeo hoc mihi ſumere, quod abhorruit eloquẽtiſſimus idémque ſanctiſſimus pater Ioannes Chryſoſtomus, cui nomen hoc ab aurea cõtigit eloquẽtia. is licet octo homiliis laudes Pauli tractauerit, ſubinde tamen fatetur ſe inferiorẽ ſuſceptoq; negotio imparem. Proinde mihi à referendis ſanctiſſimis apoſtolis laudibus tẽperare malo, quã turpiter ab ipſa materia quæ ſe affatũ ingeret, victũ deſinere interimq; conſultius videtur hiſtoriã per decurſum enarrare, cum appendice cõcluſionis præmittere annexa. Principio autem præmittere illud volo, quod ſicut de ſancto Frãciſco vulgo fertur, eũ vulnera Chriſti in ſuo corpore portaſſe, ita idẽ ante eum fecit noſter ſanctꝰ Paulus, vnde & ſtigmata Chriſti in corpore ſuo portare palã ſe fatetur. ¶ Paulꝰ, qui ante baptiſmum dictus eſt Saulus, extra duodecim illorũ numerũ, ipſe quoq; apoſtolus, natione Iudæus fuit, de tribu Beniamin, ex vico Iudææ qui dicebatur Giſcalis. Eo à Romanis occupato, parẽtes eius Tharſum cõmigrarũt Ciliciæ oppidũ, cuius incolę eodẽ cum Romanis ciuibus iure vtebãtur: quo gauiſus & ipſe eſt, ꝓuocans Cæſarẽ. Quũq; præfectus virgis eũ cædere vellet, iure ſuo vſurus, exprobrauit illi, num liceret ei virum Romanũ, nõ audita cauſa, flagellare. Putãt etiã doctores ipſum ideo gladio occiſum tanquã ciuem Romanũ, non vero crucifixũ ſicut Petrum. Parentes ſui eum in tenera adhuc ætate miſerunt Hieroſolymam in lege erudiendum (vt teſtatur Hieronymus) ſub Gamaliele, cuius etiã Lucas cõmeminit, & Paulus ipſe coram Iudæis dixit educatum ſe eſſe in ea ciuitate ad pedes Gamalielis, inſtitutúmque ſecundum veritatem paternæ legis. Paſſo autẽ Chriſto, diuiſiſq; apoſtolis, & iam prædicantibus euangelium, electis inſuper diaconis ſeptem, è quorũ numero eodem anno Iudæi lapi-

Chryſoſt.

Galat. 9.

Actu. 13.

Hierony.

Act. 5. 22

darunt Stephanum die tertio Augusti, in cuius mortem
Act.7.8. etiam Paulus consenserat, custodiens vestimentā testium, qui Stephanum lapidibus obruebant, ab eo tempore cœpit Saulus persequi Christianos, vinctos illos viros & mulieres custodiens. Interea comperit etiam Christianos esse Da-
Actu.9. masci. acceptis itaque literis à pontifice & Senatu Hierosolymis, si quos inueniret Damasci Christianos, vt eos sibi liceret vinctos adducere Hierosolymā. Appropinquans itaque Damasco circa meridiem, vidit circunfulgentem se radium de cœlo, vnde attonitus cōcidit in terram, audiens vocem huiusmodi, Saule Saule, quid me persequeris? Interrogauit autem, Domine, quis es tu? Qui respondit, Ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Vocem hanc qui cum eo erant viri, audierunt quidē, sed neminem viderunt. Et Saulus dixit ad
Actu.22. eum, Domine, quid me vis facere? Is iussit eū surgere. Damascúmque ingredi, vbi auditurus esset quid eum oporteat facere. Surrexit igitur ille, neque quicquam vidit, sed manibus comitum ductus in Damascum, triduum totum cōmoratus ibi, nec vidit, neque comedit, neque aliquid bibit. Apparuit autem dominus Ananiæ in Damasco, misitque eum ad Paulum, qui obstupuit primū, deinde dixit, Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Hierusalem, & hic habet potestatem alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum. Cui respondit dominus, Vade quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & filiis Israël. Venit ergo Ananias in domū, & imposita manu sua super Paulū, dixit, Saule frater, dominus Iesus misit me, qui apparuit tibi in via, vt vi-
Calat.1. deas & implearis spiritu sancto. Eadémq; hora ceciderūt ab oculis eius tanquā squamæ: & visu recepto, baptizatus est. Quā multis penéq; innumeris populis & vrbibus prædicarit Paulus, quantū terrarum mariúmq; sit emensus, immensum ppe fuerit dicere, nos sub cōpendiū referemus. Prima
2.Cor.12. illius pfectio post baptismū, fuit in Arabiam, vbi quū prædicasset, reuersus Damascū, in synagogis adeo valide prędicauit Christū, vt illi necem minarentur Iudęi. fratres autem dimiserunt eum per sportam extra muros. Foramen illud aiunt, infideles sępe conatos obstruere rursus, sed mane sem per inuentum est apertum vt antea. Sicque post triennium

conuer

conuersionis suæ, quæ facta erat die vicesimoquinto Ianuarij, quũ ante in Augusto adiuuissẽt lapidationem Stephani, ascendit ille Hierosolymã, viditque ibi Petrum & Iacobũ, prædicauit etiam Christũ, vnde rursus cõmoti Iudæi, quærebant eum occidere: quúmq; in templo orarer, apparuit ei Christus, iussitq; ipsum festinanter exire Hierosolymas, eo ꝙ testimoniũ ipsius de se accepturi nõ sint. Deinde quãdo Paulus disputabat cũ Gentibus & Græcis, ipsi quoq; conabantur eum occidere. Et quũ iam quindecim diebus fuisset Hierosolymis, securo comitatu fideles eum deduxerunt in Cæsaream, hinc miserũt eum in patriam suam Tharsum Ciliciæ. Videns autẽ Barnabas numerũ fidelium augeri in Antiochia, venit & ipse Tharsum quæsitũ Paulum. quẽ quum inuenisset, adduxit Antiochiam, vbi annum totum permansit, tantúmq; hominũ ad fidem Christi peruenit, vt ibi primum Christiani à Christo cœperint dici. Exorta insuper fame & ingraues cente annona, Antiocheni adiuuerũt fideles qui erant in Hierusalem, per manus Pauli & Barnabæ.

Galat. 1.

Actu. 22.

Actu. 9.

Actu. 11.

Actu. 12.

2 Reuersis iam porro Paulo & Barnaba à Hierusalem ad Antiochiam, quũ iam Christiani ieiunassent, cultuique diuino incũberent, dixit spiritus sanctus, Segregate mihi Paulum & Barnabã in opus ad quod susceperi eos. Atq; ibi orarũt & ieiunauerunt, impositísq; manibus, abire permiserũt. Vbi plerique doctores existimãt Paulũ cum Barnaba dignitatem apostolatus suscepisse. hic quoq; immutatũ ei nomẽ, vt pro Saulo Paulus diceretur, authore Beda, quãuis Hieronymus credit istud Pauli nomẽ à Paulo profecto Cypri cõtigisse. Quum vero profectꝰ est Paulus ab Antiochia cum Barnaba, venerunt Seleuciã vrbẽ mari proximã. vnde soluentes, transnauigarũt in insulam Cyprum, per eam vndique, pfecti sunt vsq; in Paphos. ibi Paulus prędicauit prędfecto Paulo Sergio, magúmque Barieu diuina potentia cæcũ fecit. Et credidit in eum Paulus prędfectus insulæ. Paulus autẽ rursus per mare nauigauit inde in Pamphiliã, in ciuitatẽ Pergen. inde iterum in aliam ciuitatem peruenit, quę etiam dicta est Antiochia in Pisidiæ. vbi quum in sabbato prolixe prædicasset Iudæis, magnum consequutus hominum accursum, hic quoque profectum euãgelij perferre nõ valentes Iudæi, concitati sunt aduersus eum. Verum ille à suo instituto nõ cessans, cœpit Gẽtibus prædicare per vniuersam

Actu. 13.

Sup. Act. de vi. illust.

Actu. 13.

prouinciam. Quod vt impedirent Iudęi, persuaserũt ex matronis aliquot præcipuas mouere seditionem aduersus Paulum & Barnabam, ipsosque ex prouincia illa abegerũt. Qui ambo profecti Iconium in Lycaonia, magnam sibi hominũ
Actu.14. multitudinem cõiunxerunt, ita vt sectæ concitarentur in ciuitate. vnde orta seditione, Gentiles simul & Iudęi volebãt lapidare eos, sed ij alio cõfugerunt, saluti suæ & euangelicæ prædicationi cõsulturi. venerúntq; in eiusdẽ prouinciæ ciuitates alias duas, quæ dicebantur Lystra & Derbe. ibi Paulus in Lystris claudum natum sanauit, quod videntes homines, crediderunt eos esse duos deos. Barnabam inde Iouem, at Paulum appellarũt Mercurium ob eloquentiã suam. Videntes hoc apostoli, scinderunt vestimenta sua, dicentes se quoque mortales esse homines. Sequuti autẽ eos fuerãt aliquot Iudęi ex Antiochia & Iconio, qui mota seditiõe aduersus Paulũ, impetebant eum lapidibus, insuper illũ pro mortuo detraxerunt ex ciuitate. Reuersus Paulus ad seipsum, animo recepto, simul in ciuitatem intrauit, alteróq; mane fugit in Derben, prędicauit ibi, & plurimos cõuertit ad Chri
Actu.15. stũ. Ambo hinc rursus ꝓfecti per Lystras, Iconiũ & Antiochiam, simul cõfirmarunt animos Christianorũ, ordinarunt eis presbyteros. Et iterũ à Pisidia venerũt in Pergem Pamphyliæ, hinc in Attaliam. quæ vrbs quũ esset mari cõtiguã, portúmq; haberet, soluentes inde transfretarunt, peruenerúntq; in magnam ciuitatẽ Antiochiam. vbi cõmemorantes illi omnia quæ acciderant eis, & quã multi per eos ad fidem essent cõuersi, fidelibus enarrauerunt, quúmq; diutius paulò ibi cõmorarẽtur, orta est inter fideles dissensio, opinantibus aliis legem Mosaïcam simul cum euãgelio esse tenendã, aliis diuersum sentientibus. Ideoq; Paulũ & Barnabã alióſque cum eis miserũt Hierosolymam ad apostolos & seniores, ibíque primũ conciliũ sanctum congregatum est. Hinc docemur, in omnibus sectis & hæresibus quæ in fide nascuntur, cõcilium cogi debere, in quo causæ decidãtur, quanuis nunc nihil aut parum loci remanſit conciliis apud neochristianos, qui tantũ temeritate sua & ꝓpria pręsumptione pro suo lubito res huc illuc transponere nitũtur, vnde tot hæreses tam breui tempore per vniuersam pene Germaniã sunt
Calat.1. exortæ. ¶ Sic ergo quatuordecim annis à conuersione sua,
Actu.15. venit cum Barnaba & Tito Hierosolymam ad cõcilium, in

quo

quo concluſum eſt, legē Moyſi amplius ſeruari nō debere. Petrus etiam & Ioannes cum Iacobo duos illos conſtituerunt apoſtolos Gentium, ſicut ipſi apoſtoli erant Iudæorū.

3 Conciliū illud Hieroſolymitanū ſanctum, remiſit Paulum & Barnabam cum literis ad Antiochiam, cōiunctis vna Barſaba & Sila, qui literas illas corā omni populo prælegerunt & quū diutius ibi manerent, dixit Paulus ad Barnabam poſt aliquot dies. Reuertētes viſitemus fratres per vniuerſas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum domini, quomodo ſe habeant. Barnabas autē volebat ſecum aſſumere & Ioannē, qui cognominabatur Marcus. Eum nolebat habere comitem Paulus, quoniā diſceſſiſſet ab eis de Pamphylia reuerſus Hieroſolymā. facta eſt ergo diſſenſio inter eos, ita vt diſcederent ab inuicē. Et Barnabas quidē aſſumpto Marco, nauigauit Cyprū, Paulus vero electo Sila, profectus eſt per Syriam & Ciliciam, cōfirmans eccleſias, præcipiens etiā cuſtodire præcepta apoſtolorū & ſeniorum, quāuis iam neochriſtiani omnes tum eccleſiaſticas tum ſuperiorū quorūlibet præceptiones, tanquā humanas traditiones contemnant.

¶ Paulus per Ciliciā peruenit in Derben & Lyſtrā, aſſumptum Timotheū propter Iudæos circūcidit, qui erant in illis locis. ſciebāt enim omnes patrē eius fuiſſe Gentilē, Quū autē tranſiret ciuitates, tradebat eis cuſtodire dogmata quæ decreta erant ab apoſtolis in Hieruſalē. Et eccleſiæ quidem præterquā quod cōfirmabantur fide, etiā abundabāt numero quotidie. Trāſeuntes inde Phrygiā & Galatiæ regionē, vetiti ſunt à ſpiritu ſancto loqui verbū dei in Aſia minori. Quū veniſſent porro in Myſiam, tentabāt ire in Bithyniā. neque tamē permiſit eos id facere ſpiritus Ieſu, ſed percurſa Myſia, deſcenderunt Troadem, qui etiam portus maris erat: ibi viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt, qua mouebatur abire in Macedoniā. ſoluens itaq; inde, venit in inſulam Samothracē, & ſequenti die Neapolin, & inde Philippos, quæ eſt caput Macedoniæ & colonia Romanorū. Ibi manſerunt aliquot diebus cōſiſtentes, & die ſabbatorum egreſſus Paulus ciuitatem, prædicauit mulieribus iuxta flumen, conuertitq; Lydiam purpurariā, quæ baptizata eſt cum domo ſua. liberauit inſuper puellam quandam habētem ſpiritum pythonem, ex qua quia diuinando quæſtū magnum habuerant domini eius, apprehendentes Paulū & Silam, perduxerunt

Actu. 16.

in forum ad principes, ipsosque pro Iudæis accusarunt, qui Romanæ consuetudini aduersarétur. Hinc illi scissis vestibus & tunicis suis, iusserunt eos virgi cædi, miseruntque in carcerem, & pedes eorum strinxerunt ligno. Media autē nocte Paulus & Silas adorantes laudabant deum, & audiebant eos qui in custodia erant. subito vero terræmotus factus est magnus, ita vt motis fundamentis carceris, aperta etiam sint omnia ostia vincula, quoq; soluta. Expergefactus custos carceris, videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio volebat se interficere, ratus fugisse vinctos. Clamauit autē Paulus ne quid sibi mali faceret, quoniam vniuersi adhuc adessent. Sic eum prædicatione sua conuertit, cumque omni familia baptizauit. Quum vero dies factus esset, miserunt magistratus lictores ad Paulum & Silam vt dimitterēt eos. sed Paulus conquestus est se hominē Romanum indēnatum cæsum, in carcerem missum, inde nolebat occulte secedere. Venientes ergo magistratus, deprecati sunt eos, & educentes, rogabant vt egrederentur de vrbe. Exeuntes illi de carcere, introierunt ad Lydiam, visisq; fratribus, profecti, inde, venerunt Amphipolim & Apolloniam vsq; in Thessalonicā. vbi Iudæi quū haberent synagogā, in ea Paulus tribus sabbatis multos cōuertit Iudæos & matronas nobiles. Vnde cō moti Iudæi, quosdam excitarunt, per quos mota seditione, quę fierunt illos in domo Iasonis. sed quum nō inuenissent, ipsum tamen Iasonem & fratres nonnullos ad magistratus perduxerunt, eósq; vt seditiosos & factionum authores aduersus Cæsarem accusarunt. Verùm ad excusationem sufficientem absolutus est Iason, & fratres noctu Paulum & Silam miserūt Berrhœam. vbi etiam Paulus in synagoga prędicauit, multósque ad fidem cōuertit. Audientes hoc Iudæi qui erant Thessalonicæ, venerunt & ipsi Berrhœam, concitaueruntque ibi seditionem, quam vt effugeret saltem Paulus, manentes ibidē Silas & Timotheus cum aliis fratribus, solum Paulum miserunt vsque ad mare. quod ille transfretans, venit Athenas, expectans ibi Timotheum & Silam.

Act. 17.

¶ Athenis autem prædicauit ille in synagogis & foro, annuncians Christū. Quare & productus ad magistratus. tanquam seminiuerbius accusatus est. Verum ille contra narrauit inuenisse se aram ignoto deo dicatā, cuius occasione fortius prędicauit eis Christum & resurrectionem mortuorū.

Vbi

Vbi credidit in CHRISTVM Dionysiꝰ Areopagita, & mulier quædam Damaris nomine, cũ pleriſq; aliis. ¶ Inde profectus eſt in Corinthum Achaiæ, diuertitq; apud Aquilam Iudæum, quia eiuſdé erat artis, puta ſcenofactoriæ. vbi venerũt ad eum ex Macedonia Silas & Timotheus. Corinthi autẽ omni ſabbato ingreſſus ſynagogam, quumq; libere daret teſtimonium Chriſto, multi crediderunt in eum, & ipſe etiam ſynagogæ princeps Criſpus. apparuitq; noctu dominus Paulo, iubẽs eum liberrime loqui, quoniam multus per ipſum populus eſſet in hac ciuitate conuertendus. & ſic mã ſit tibi Paulus annum vnũ & mẽſes ſex. Quare cõmoti aduerſus Paulum Iudæi, duxerunt eum captiuum ad præfectũ prouincię Gallionem, qui tamẽ eos à ſe abegit nolens ipſorum contentiones & cõtrouerſias de lege vel audire vel cõponere. ¶ Ex Corintho commigrauit Paulus in Cẽchreas, rurſúſque ibidẽ, ſedens ſuper mare, tranſnauigauit in Epheſum, vbi quanuis rogarent eum fratres obnixe vt maneret, tamen profectus eſt, relinquẽs comites ſuos ibi. peruenítq; ad Galatas, & confirmatis iis qui erant in Phrygia fratribꝰ, feſtinauit vt veniret Hieroſolymam ad feſta pentecoſtes. *Act.16.* *Act.19.*

4 Inde rurſus Hieruſalem regreſſus per Antiochiã, rediit ad Galatas, hinc in Phrygiam eiuſq; ciuitatem Laodiceã, vnde ad Timotheum Epheſi cõmorantem priorem ſcripſit epiſtolam. Quumq; totam peragraſſet Aſiæ minoris partẽ ſuperiorem, rediit Epheſum, & ibi prædicauit biennium totum. magna inſuper operatus eſt miracula, adeo vt per eius ſudaria & ſemicincta ſanarentur infirmi, libríq; magici cõburerentur precio quinq; miliũ denariorum. Perſuaſum eſt multis, eum hic feris proiectũ, quod de ſeipſo ſcriptum nõ reliquit. Et inde prioré ille miſit epiſtolã ad Corinthios per Timotheum, quod non ex ſolo epiſtolæ argumento, verum etiam ex ipſius ſine colligi poteſt. Vnde fit vt minus recipiã quod quidam putãt eam miſſam ex Philippis. ¶ Quum autem Demetrius auri faber alios ſuæ artis omnes cõmouiſſet aduerſus Paulum factus eſt impetus magnus, in quo nõnulli comites Pauli capti ſunt. ſed quũ ſedaſſet ſcriba turbas, ſeceſſit Paulus & trãsfretauit in Macedoniam. eáque regione peragrata, venit in Græciam & Myſiã vſq; ad Nicopolim, vbi conſtituerat ſe hybernaturum, ſicut ipſe ad Titum ſcripſit. Verum quum manſiſſet ibi tribus menſibus, intellexit *Act.20.* *1.Cor. 15.* *Argumentum epiſt.* *Tit.3.*

Iudęos, sibi insidiari, vnde visum est ei denuo proficisci per Macedoniã. Atq; ibi epistolam scripsit ad Romanos ex Corintho, & venit vsque Philippos, inde misit aliquos suorum discipulorum trans mare in Troadem, tandemq; post festũ paschæ, sequutus est ipse à Philippis, & inde alterã misit epistolã Corinthiis, atq; diebus quinq; peruenit in Troadẽ ubi sit ibi dieb' septẽ. Resuscitauit ibi adolescentẽ, nomine Eutichum, qui dormiẽs de tertio cœnaculo deciderat. Sũt qui velint eum alterã ad Corinth. epistolã scripsisse ex Troade per Titum, sicut argumẽtum testatur epistolę. ¶ A Troade porro pedestri itinere venit in Assõn, vbi comites eũ nauigio expectabãt, inde profecti sunt in Mitylenẽ Lesbi, sequẽti die cõtra Chiũ, deinde in Samũ, iterumq; sequẽti die Miletum, qui portus maris est in Caria. Festinabat autẽ si possibile sibi esset, vt diẽ pẽtecostẽ faceres Hierosolymis, ideoq; à Mileto mittẽs Ephesum, vocauit maiores natu ecclesiæ, quos in fide confirmauit, eisq; prædixit se Hierosolymis captum iri, atq; ideo amplius ab eis nõ videndũ. Vnde magnus fletus factus est omniũ, dolẽtium sũper iis quæ dixerat, & tamen deducebant eum ad nauim. ¶ A Mileto præuenerunt Coum, sequẽti die Rhodium, & inde Pataram, portũ maris in Lycia. Inuenta ibi nauj, transfretarunt relicta Cypro ad sinistram, in Syriã, appleruntq; ad Tyrũ. vbi septem dieb' mansẽrunt: fratres etiã dixerunt Paulo in spiritu, ne abiret Hierosolymam. peractis tamen diebus septẽ, fideles qui ibi erant, omnes deduxerunt eũ ad nauim: soluẽtesq; inde, peruenerunt in Ptolemaida, & salutatis ibi fratribus, mãserunt de vna apud illos. Alia die profecti venerũt Cęsareã, vbi ingressus est Paulus domũ Philippi, qui ex septẽ diaconis vn' erat, habebatq; quatuor filias virgines prophetantes. & quũ moraretur per dies aliquot, superuenit Agabus, prædicens Paulo quia Hierosolymis capiendus esset. Vnde cupiebant eũ retinere fratres, sed tamẽ frustra, quoniam ille mori pro domino cupiebat. Venit ergo post hęc Hierosolymam, statimq; sequenti die venit cum comitibus suis ad Iacobũ apostolum, qui eum persuasit, vt cum quatuor aliis qui etiã votum fecerant, postero die purificatus raserit caput. Vbi notandũ est, quod in Paulo legitur, quomodo Antiochiæ corripuerit Petrum. Verùm in qua profectione factum sit, dubium est, eo quod Aug. & Beda etiam hic ambigunt, quanuis

Argumentum epist.

Act. 21.

Calat. 2.

In epist. ad Hier.

uis magis placere eis videtur factum id esse ante concilium Hierosolymitanũ, sicut in secunda peregrinatione meminimus, Hieron. tamẽ putat illud factũ esse post concilium. factũ autẽ est in Antiochia Syriæ, licet alij velint factũ in Antiochia Pisidiæ. eã enim vniuersam regionẽ, Bithyniæ, Cappadocię, Asię & Calatię obtinuerat Petrus, sed valeãt hęc.

5 Quinta Pauli peregrinatio sic habeat, Impletis iã septẽ diebus purgationis, cum adhuc esset in templo vidissentq́; eum qui ex Asia erant Iudæi, cõcitauerunt omnẽ populum qui captum eum extraxit è tẽplo, volens eũ occidere. Quod vbi cõperit tribunus cohortis, ortum esse tumultum, assum pśit milites secum & cẽturiones, accesitq́ue ad turbã: quæ vbi primum aspexit illum, desiit percutere Paulum. Verùm ille iussit eũ alligari catenis duab⁹, & duci in castra. Quũq́ue veniſſet Paulus ad gradus, rogauit vt sibi liceret per eum loqui ad populum. quo cõcesso, cœpit ille loqui lingua Hebræa. quã audiẽtes homines, magis præstiterunt silentium. Ibi narrauit Paulus Iudæum esse se ex Tharso Cilicię, dixit etiã quid sibi cõtigerat eunti ad Damascum, vt supra auditum est, Vbi intercepto tãdẽ eius sermone, cupiebãt ipsum tolli & occidi. Lysias autẽ ductum eum in castra, flagellis cę di permisit. Et quum astrinxissent eum loris, astãti sibi Centurioni dixit, Si hominẽ Romanum & indẽnatum licet vobis flagellare? quo audito, discessẽrũt ab illo qui eum torturi erãt. sed postera die producẽs Paulum, statuit eum in medio sacerdotum Vbi quum inciperet narrare Paul⁹ quomodo bona cõsciẽtia ambulasset coram deo, princeps sacerdotum Ananias præcepit astãtibus sibi percutere os eius. Tunc Paulus dixit ad eum, Percutiet te deus paries dealbate. Et tu sedẽs iudicas me secundum legẽ, & cõtra legẽ iubes me percuti? Qui astabant vero, dixerunt, Summum sacerdotẽ dei male dicis? Dixit autẽ Paul⁹, Nesciebã fratres quia princeps est sacerdotum. Sciẽs insuper Paulus, quia vna pars esset Saducæorum, & altera pharisæorum, exclamauit in concilio, Viri fratres, ego pharisæ⁹ sum, de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. cp cum dixisset, facta est dissensio inter phariseos & Sadduceos. quę vbi iam increbresceret, timens tribunus ne Paulus discerperetur ab ipsis, misit eum in castra. Sequenti nocte assistens ei dominus, ait, Constans esto, sicut enim testificatus es de me in Ierusalẽ, sic te oportet &

Act. 22.

Act. 23.

Romæ teſtificari, Facta die conuenerunt plus quam quadraginta viri, qui deuouerunt ſe neq; mã ducaturos, neq; bibituros, donec occideret Paulum, retulerunt q; hoc idẽ ad ſenatum Iudæorum, eo cõſilio, vt quãdo vocaret eum tribunus ad ſenatum, ipſi irruẽtes impetu interficerẽt illum. Verũm vbi reſciuit hoc Paulus per filium ſuæ ſororis, denunciauit, hoc idẽ tribuno, qui ſtatim noctu iuſsit milites ducẽtos, equites ſeptuaginta, & lancearios ducentos præparare ſe & iumenta, quibus imponẽtes Paulũ, ſaluum perducerẽt ad Felicem præſidẽ, qui erat in Cæſarea. Venerunt ergo illuc per Antipatrida. Et Felix iuſsit eũ cuſtodiri in prætorio Herodis. ¶ Poſt quinq; autẽ dies deſcẽdit princeps ſacerdotũ Ananias, cum ſenioribus quibuſdam & Tertullo oratore, qui Paulum tanquã ſeditioſum accuſarunt. Vbi viciſsim purgãs ille ſe, dixit nõ plus eſſe niſi dies duodecim ex quo deſcẽderit in Ieruſalẽ adorare, quo tẽpore nec factionẽ nec perturbationẽ mouerit vllam, nec cum aliquo diſputarit. Felix cauſam hanc diſtulit ad aduẽtum Lyſiæ. Interim tamẽ ille vxorem habuit Iudæam, nomine Druſillam. Sæpius etiã veniebat ad Paulum, loquens cum eo, ſicq; liberum dimittebat in vrbe annis duob⁹, modo vt accerſitus veniret. Expleto hinc biennio, accepit ſucceſſorẽ Felix Porcium Feſtum: volensq; adhuc gratiam præſtare Iudæis, reliquit Paulum vinctũ. Feſtus hic cum veniſſet in prouinciam, inſtantibus & vrgentibus Iudæis, produxit Paulum in iudicium, quẽ grauiter accuſabant Iudæi: ſed Paulo adeunte, illi probare nõ poterãt. Cupiebant tamẽ Paulum ſibi adduci Hieroſolymã, de quo interrogatus à Feſto Paulus, reſpõdit, Ad tribunal Cæſaris ſto, vbi me oportet iudicari, Cæſarem appello. Tunc Feſtus cum cõcilio locutus, reſpõdit, Cæſarem appellaſti? ad Cęſarem ibis. Et quum Agrippa rex veniſſet ad Feſtum, rurſus adductus Paulus grauiter adeo loquutus eſt, vt inclamaret Feſtus, Inſanis paule, multe te literæ ad inſaniã conuertũt. Et Paul⁹, Nõ inſanio, inquit, ſed veritatis & ſobrietatis verba eloquor. ſcit enim de iis rex, ad quẽ & cõſtanter loquor. Cui rex Agrippa: dixit, In modico ſuades me Chriſtianũ fieri. Rurſus Agrippa ait ad Feſtũ, Dimittit poterat homo hic, ſi nõ appellaſſet Cęſarẽ. ¶ Ad extremũ miſit Feſtus Paulũ Centurioni Iulio cõmiſſum ad Cæſarẽ, veneruntq; Sidonẽ vbi humanæ tractãs Iulius Paulũ, permiſit ad amicos ire, & curam

Act. 24.

Act. 25.

Act. 26.

Act. 27.

curã ſui agere. inde ſubnauigarũt Cyprũ, pelagus quoque Ciliciæ & Phãphiliæ nauigãtes, venerũt Lyſtrã Lyciæ portum. (legitur Græce Myrã, vbi ſanctꝰ Nicolaꝰ fuit epiſcopus) Hic trãſpoſuit eos Iulius in nauim Alexandrinã, qua quũ multis diebus tarde nauigarẽt, adnauigauerunt Cretæ, quæ nũc Candia dicitur, iuxta Salomonẽ inde nauigãtes ad latus, peruenerũt in locũ qui vocatur Boniportus, cui iuxta erat Thalaſſa, quæ Græce dicitur Laſea. Multo autẽ tẽpore quũ non eſſet tuta nauigatio, diſſuaſit Paulus. Verũ Centurio maluit nautę quã Paulo credere. Et plurimi ſtatuerunt conſilium nauigare inde, ſi quo modo poſſent deuenientes Phœnicẽ hyemare. Aſpiráte autẽ auſtro, æſtimãtes propoſitũ ſe tenere, quũ ſuſtuliſſent Aſſon, legebãt Cretã. Vbi arrepta naui à vẽto typhonico, dataq; flatibus, deuenerunt in inſulã Candiã, Græce Claudã, quã putant doctores Ptolomæũ dixiſſe Claudos. Quúmque magna eſſet in mari tẽpeſtas, coacti ſunt multa eiicere è naui, multisq; diebus nec ſolem eis licuit. nec ſtellas videre. vbi tandẽ omni ſpe ſalutis amiſſa, ſurgens Paulꝰ, dixit, Oportebat quidẽ ô viri audito me, nõ tollere à Creta. Sed & nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe. amiſsio enĩ nullius animæ erit ex vobis, prẽterquã nauis. aſtitit enim mihi angelus dei, cuiꝰ ſum ego, & cui deſeruio, hac nocte, dicẽs, Ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſsiſtere, & ecce donauit tibi deus omnes qui nauigãt tecũ. Quũ vero iã quartadecima nox ſuperuenit, nauigantibus illis in Adria, ſubmittẽtes nautæ bolidẽ, inuenerunt paſſus viginti: & poſt puſillũ inde ſeparati, inuenerũt quindecim. Timentes aũt ne in aſpera loca inciderent, de puppi mittẽtes ancoras quatuor, meditabantur iam nautæ clam fugam. Vbi Paulꝰ dixit Iulio, Niſi ij in naui mãſerint, vos ſalui eſſe nõ poteſtis. Tunc abſciderũt milites funes ſcaphæ, & paſsi ſunt eã excidere, ne in ea aufugerẽt nautę. Quum vero lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes ſumere cibũ. ſiquidẽ ne capillus quidẽ de capitibꝰ eorũ periturus eſſet. Benedixit ille panẽ & fregit. Vbi ſunt qui putẽt Paulũ eũ cõſecraſſe, & ſacramentũ ipſis dediſſe, erãtq; in naui homines 276. Hinc alleuiãtes nauẽ, iactarunt triticũ in mare. ¶ Quũquo dies factus eſſet, ſinum quendam conſiderabant in quẽ cupiebant eiicere nauem. & leuato artemone ſecundum auræ flatum, tendebant ad littus. Et quum incidiſſent in locum

dithalaſſum, impegerunt nauẽ, ita vt prora fixa, puppis ſolueretur à vi maris. Militum quoq; conſiliũ fuit vt cuſtodias occiderent. Centurio autẽ volens ſeruare Paulũ, prohibuit fieri, iuſſitq; eos qui poſſent natare, emittere ſe primos & euadere, & ad terrã exire: qui cæteros in tabulis ferebant,
Act. 22. quoſdã ſuper ea quæ de naui erãt. Et ſic factũ eſt, vt omnes euaderẽt ad terrã. Cognouerũt hic inſulã eam Meliten vocari, quæ nũc Malta dicitur, eſtq; imperatoris noſtri Caroli tanquã regis Siciliæ. Cæterũ quum hic Paulus ſarmentorũ aliquã multitudinẽ congregatã iniecíſſet in ignem, viperaà calore quũ proceſsiſſet, inuaſit manũ eius. Vt vero viderunt Barbari pendentẽ beſtiam de manu eius, ad inuicẽ dicebãt, Vtiq; homicida eſt hic, qui quũ euaſerit è mari, vltio nõ ſinit eũ viuere. Et ille quidẽ excutiens beſtiã in ignem, nihil mali paſſus eſt, quãuis illi exiſtimabant eum in tumorẽ conuertendũ, & ſubito caſurũ & mori. ſed videtes nihil ei mali accidere, dicebant eũ eſſe deũ. Princeps inſulæ eius Publius, per triduũ eos cõtinuit, cuius patrẽ cõtigit febribus & dyſenteria vexatũ iacere, & Paulus ſanauit eũ. Quo diuulgato, omnes illius inſulæ ægrotos detulerunt ad Paulũ, & ſanauit illos. Poſt menſes tres nauigarum in naui Alexandrina quæ in portu hyemauerat, veneruntq; Syracuſas, & ibi manſerunt triduo. Inde circunlegẽtes, ex Sicilia in Italiã deuenerunt Rhegiũ, ſecundo die Puteolos, vbi dies ſeptem manſerãt cũ fratribus. Et ſic tandẽ venerũt Romã. inde quũ audiſſent fratres, occurrerunt eis vſq; ad Appij forũ. Romę autem permiſſum eſt Paulo manere cũ cuſtodiẽte ſe milite. Prędicauit ita bienniũ totum Chriſti fidẽ in ſua conuerſãtione, nemine prohibente, cum fiducia magna. ¶ Et hactenus quidẽ de S. Paulo ex Actis apoſtolorum quæ deſcripta ſunt à Luca. nã ipſe bona parte itineris, & peregrinationis huius comes extitit Pauli. Ideoq; licet in principio libri de omnibus in vniuerſum ſcribere cœperit apoſtolis, tamen à capite 16. vſque ad finem, de geſtis & laboribus Pauli tantũ ſcripſit. Nemo vtiq; ſicut principio diximus, ſatis explicare poteſt huius ſancti apoſtoli laudes. Veruntamen breuẽ earum catalogũ libet hic contexere cum omni humilitate, ne-
Hieron. que plus quã à ſanctis patribus deinde obſeruatũ eſt. Hieronymus eriã ipſe hiſtoriã proſequitur ex Actis apoſtolorũ, quod & nos fecim⁹, tũ breuiter tũ diligenter. hinc procedit

cedit in reliqua narratione vitæ ſuæ, & vult Paulũ ſecundo Neronis anno eſſe deductum Romã, qui idẽ fuerit annus à paſsione & morte Chriſti viceſimus quintus. Atq; hic quidem ille vt vinctus, bienniũ totũ prædicauit Chriſtũ, & diſputauit cõtra Iudæos. Nõ quod ſtatim exacto deinde illo biẽnio ſit occiſus, ſed quia adhuc à Nerone dimiſſus, prædicauit ad occidentẽ. Et tandẽ cum petro captus eſt iterum ſub Nerone, & vltimo ſupplicio adiudicatus. Colligit hoc Hierony. ex eo loco vbi ad Timotheũ ſcribit Paulus, in prima mea defenſione nemo affuit, reliquũ eſt ergo eũ bis accuſatum eſſe. Deinde ait, Dominus mihi aſtitit & confortauit me, vt per me prædicatio impleretur. Vnde facile colligitur eũ rurſus prædicaſſe poſt prima vincula, quibus erat Romæ vinctus, denuoq́ue dimiſſus. Et quia adhuc inde ſequitur, Liberatus ſum de ore leonis, neq; alius hic leo quam tyrãnus Nero intelligitur, reſtat vt ex ſentẽtia Hieronymi duodecimo deniq; anno poſt hæc prima vincula rurſus ſit Romã ductus & occiſus. Hęc etiã Euſebij ſentẽtia eſt Paulum vinctũ, eſſe deductũ Romã, & cum eo Lucã atq; Ariſtarchum, manſiſſéq; ibi annos duos: deinde abſolutũ, rurſus prędicaſſe: poſt hęc Romam reuerſum eſſe, & occiſum. Confirmat ille hæc eodẽ fundamento quo Hieronymus. Cõcludit tandem in hæc verba, Dicta ſunt iſta à nobis, vt oſtenderemus, quia nõ eo tempore quo Pauli actus in vrbe Roma cõcluſit Lucas, martyrio perfunctus eſt Paulus. Potuit enim fieri vt in initiis leuior adhuc eſſet Nero, & defenſionẽ Pauli pro noſtro dogmate nõ aſpernenter acciperet: proceſſu vero tẽporis cũ cæteris malis aucta ſit etiã eius in apoſtolos ſæuitiæ rabies. ¶ Vt vero hæc aliquãdo finiamus, cõcors fere doctorũ ſententia eſt, Paulũ primũ à Nerone fuiſſe dimiſſum, eoq́; tunc tẽpore volunt ipſum nonnulli profectũ eſſe in Hiſpaniã, quod in animo dudum habuerit illud: iuxta quod ſcripſit ad Romanos, Cupiditatem habeo veniendi ad vos, quũ in Hiſpaniã proficiſci cœpero, ſpero quod præteriens videã vos. Alij putant Paulum retroceſsiſſe rurſus in Græciam & Aſiam. confirmant hæc ex poſteriore epiſtola, quã ex vltimis vinculis è Roma ſcripſit ad Timotheũ, vbi ait, Ego iam delibor, & tẽpus reſolutionis meæ inſtat. Præſciuit illud vtiq; Paulus ex ſpiritu ſancto, prope iam imminere martyriũ ſuum. ait enim, Bonum

Libro 2. cap. 22.

2. Ti. 4.

Rom. 15.

2. Ti. 4.

certamen certaui, cursum consummaui. Ad hæc sequitur statim, Penulam quam reliqui Troade apud Carpũ, veniens asser tecum & libros, maxime autem membranas. Quod si non paulò antè ibi fuisset Paulus, quorsum spectasset post duodecim denique annos hæc repetere? Quicquid tamẽ id est, dubium etiá à nobis relinquitur, quãdo de eo certi nihil cõstat, nisi quod habẽt doctores, & ijs quoq; singuli duas tantum sententias recensent.

¶ In martyrio autem Pauli conueniunt omnes, dicentes eum vltimo Neronis anno Romæ esse decollatum, eodem die quo crucifixus est Petrus, anno vero 37. post Chri-
Hieron. sti passionẽ, vt Hieronymus & alij testantur. Quum itaq; secundario Romã peruenit Paulus, magnam in aula Imperatoris contraxit consuetudinem, cum primis Senecæ, quanuis ille duobus annis ante Paulum à tyranno fit occi-
Eusebius. sus, vt vult Hieronymus: vel vt, Eusebius, tribus: licet epistolæ illæ non sint ab ecclesia approbatæ. Conueniunt & in hoc plerique doctores, Neronem commotũ esse aduersus Petrum & Paulum, quod Magum euosare parantem, dæmoniis tradiderant necandum, quum ad ipsorum
Super Timo. orationem cœlitus esset delapsus. Chrysostomus & Athanasius aliam afferunt rationem iracundiæ huius Nerones aduersus Paulum, quod ille pocillatorem suum conuerterat ad Christum, vnde & præceperat Christianos omnes ignibus concremari, quod tamen præceptum, instante senatu Romano, mitigauit. Multa de S. Paulo mirandaque seguntur, quorum bonam partem offendes in Lino, cuius tamen epistola non vnde quaque fidem mereretur, & in epistola Dionysij ad Timotheum. Non prosequor quid ille cũ militibus fecerit, & cũ Plantillæ peplo, quo facies ipsius est velata. In summa, sic tandem decollatus est, vt caput eius ter inclamarit Iesum, tres etiam fecerit saltus, ad quos tres fontes scaturierunt, qui adhuc monstrari solent, diciturque locus ille, ad tres fontes, & est ibi cœnobium ordinis B. Bernardi. Ait Augustinus etiam plus lactis emanasse ex corpore Pauli quam sanguinis. Ferunt & Paulum post mortem apparuisse Neroni, cum multis alijs, quæ merito admirentur Christiani omnes. Hunc vos in Christo dilectissimi gentium doctorem & apostolum

lum, vas electionis, magnum Christianismi lumen, colite & venerimini sedulo, deumque in ipso perpetuo collaudate. Oremus dominum, &c.

IN DIE SANCTO VISITATIONIS MARIAE EVANGELIVM, Lucæ primo.

IN ILLO tẽpore, *Exurgens Maria in diebus illis, abiit in montana cũ festinatione, in ciuitatẽ Iuda, & intrauit in domũ Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Et factũ est, vt audiuit salutationẽ Mariæ Elizabeth, exultauit infãs in vtero eius. Et repleta est spiritu sancto Elizabeth, & exclamauit voce magna, & dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea in te quæ dicta sunt tibi à domino. Et ait Maria, Magnificat anima mea dominum. Et exultauit spiritus meus in deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes implenit bonis, & diuites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.* Iudic. 5.

HOMILIA PRIMA.

DIXI die hodierna commemoret ecclesia visitationem Mariæ, quando cognatam suam visitauit, tamen id hodie factum non est, sed non longe post angelicam salutationem, quum iam Maria cõcepisset Christũ, In illis enim diebus exurgẽs Ma-

ria, visitauit cognatã suã Elizabeth, de qua dixerat ei angelus quod iam vetula concepisset. Quia autem eo tempore occupata est ecclesia in meditatione passionis Christi, ipsiq; filij ecclesiæ tunc se parant ad confessionẽ & eucharistiæ sacramentum, ideo festum illud translatũ est in hunc diem. sed nos ante euangelij textũ expediamus, quã de diei huius
Luce 1. festiuitate dicere incipiamus. Exurgens, inquit Lucas, Maria in diebus illis, abiit in mõtana cũ festinatione. Vbi audi-
Ambro. uit Maria, ait Ambrosius, surrexit, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuncio, nec quasi dubitans de exẽplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festi-
Theop. na pro gaudio, in montana perrexit: quãuis Theophylactus putat eã prudentẽ adeo fuisse, vt experiri cuperet quid de cognata ageretur: iuxta verbũ angeli. Quicquid hic pro se singuli dicãt, nobis hoc loco duo sunt credenda. Alterum, quia visitatio hęc tũ instinctu spiritus sancti, tũ ordinatione facta sit diuina, vt nouus ille miles Iesu, futurusq; ipsius
Luce 2. præcursor & baptista, Ioannes, in vtero matris impleretur spiritu sancto: iuxta illud quod angelus promiserat Zachariæ. Alterũ est, quod nihil minus quã dubia fuerit Maria de Elizabeth circa ea quæ dixerat angelus. Nã & Elizabeth inde ait ad Mariã, Beata es quæ credidisti. Ita Maria festinauit in montana. siquidẽ Ierusalẽ in mõtibus sita est, vbi Za-
Physici. charias habitabat. Quur autẽ festinarit Maria, quum tamen eiusmodi acceleratio mulieribus à recenti cõceptu prohiberi soleat, ne dum ille nimirum mouẽtur, tenellus adhuc fœtus quoq; loco suo dimoueatur: sicut & à sex mẽsib⁹ expletis, inhibetur eis impetuosa & violẽta cõmotio vel saltando vel laborando, ne fœtus ille iã ingraueſcens decidat cõcussius, vnde & illi mors & matri periculum graue immineat: respõdetur: Quia in se Maria fœtum diuinũ habuit: & ideo quũ virtute sustentabatur diuina, nõ erat quod metueret periculum. aliæ autẽ prægnãtes mulieres nõ ideo audeant, simile quid tentare, ne motu violento recens cõceptum fœtum enecent, deumq; sic grauiter offendãt. Mariti quoq; parcant tunc vxoribus, neq; eas duris laboribus molestent. sed etsi sponte subire velint, nõ sinant. Quod ergo festinauit Maria, aiunt doctores factũ id esse primũ ex ipsius disciplina, quoniã verebatur diu inter homines pala cõmorari.
Ambro. Sic enim ait Ambrosi⁹, Discite virgines nõ circũcursare per alienas

alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miſcere ſermones, vt ait Sapiens, Currens non habebis offendiculum. Turpe eſt tum virgines tum mulieres, quoſlibet in plateis cõpellare homines, & aliquandiu confabulari. Vulgare eſt, gallinam plurimũ gracillantem, ſtatim depoſituram ouum, aut iamiam depoſuiſſe. Deinde feſtinauit etiam eo, quod ad iter hoc impulſu agebatur ſpiritus ſancti, cuius gratia (vt inquit Ambroſius) neſcit tarda molimina. *Prouer. 4*

¶ Ad hæc vrgebat Mariam charitas quoque, vt ſtatim cognatæ ſuæ inſeruiret: iuxta illud Sapientis, Feſtina tempus, & memẽto finis. quaſi diceret, Si recordatus fueris finis, magis accelerabis. Simili enim de cauſa exhortatus eſt Ieremias Iudæos & proficiſcerentur Hieruſalem, clamans, Venite, nolite ſtare, recordamini procul domini, & Hieruſalé aſcẽdat ſuper cor veſtrum. Ieſus, inquit Origenes, qui in Mariæ vtero erat, feſtinabat adhuc in ventre matris Ioannẽ poſitũ ſanctificare. 2 Feſtinauit Maria in montana in ciuitatem Iuda, hoc eſt, Hieruſalem. Vbi dicat aliquis eam ciuitatem fuiſſe Beniamin. Ita enim liber Ioſue teſtatur, Hæc eſt poſſeſſio filiorum Beniamin, vbi ſtatim in enumeratione Heleph & Iebus ponitur Hieruſalé. Quomodo ergo hic vocari poteſt ciuitas Iudæ? Reſpõdetur, ſane datam eſſe Hieroſolymam in diuiſione terræ filiis Beniamin. Verum illi nõ poterant expugnare Gentiles, ſicut ſcriptum eſt, Iebuſæum habitatorem Hieruſalem nõ deleuerunt filij Beniamin, habitauitq; Iebuſæus cũ filiis Bẽiamin in Hieruſalẽ vſq; in præſentem diẽ. Auguſtinus tamen putat ciuitatẽ Iebus, inde dictam Hieruſalé, non tantũ fuiſſe filiorũ Beniamin, ſed & tribus Iuda, eo quod Iudas primum eam ſuperarit & cõcremarit, ſicut in principio hiſtorię Iudicũ legitur, ideoq; & tribꝰ illæ duæ ſub vno permãſerunt rege, quando decem aliæ deficiebant. Quum autẽ Dauid deuicta ciuitate Hieruſalem, Iebuſæos occidiſſet, montémq; Sion occupaſſet, ſibi in eo extruens arcem, ciuitatem ipſam vocauit à nomine ſuo, totámque attribuit tribui Iuda, & in circuitu ædificauit eam. *Eccl. 36.* *Ierem. 51.* *Origen.* *Ioſu. 18.* *Iudic. 1.* *Auguſt.* *Iudic. 1.* *3. Reg. 22.* *2. Reg. 5.*

¶ Recte itaque dixit hic euãgeliſta Mariam feſtinaſſe in ciuitatem Iuda, Hieruſalé intelligens. Venit igitur illuc Maria, & quidẽ comitãte eam Ioſeph, ſicut ex multis & grauibus cauſis colligunt doctores, licet mentionem euangeliſta nõ faciat pro ratione tamen adduci ſolet quod quia illa ante *1. Par. 11.*

salutationem angelicam fuit desponsata Ioseph, ipsaque eam assumpsit pro coniuge, verisimile est factū id quoq; esse ante
Luc.1. hanc visitationē. Nam si Maria tandē post illos tres menses & aliquot dies tandem veniſſet ad Ioseph, factum non esset hoc citra magnam offensam & suspicionē Marię, quod tam
Matth.1. cito deinde ad Ioseph assumpta peperisset. Credendū itaq; firmiter est, Ioseph accepisse Mariam pro vxore, antequam vterus illi intumesceret, exposcente idipsum vtriusque honore & dignitate. Quod si ergo Ioseph secū duxit Mariā, iam partui proximā & quotidie pariturā, quādo volebat tributum soluere in Bethleem, sub rigida hyeme, vbi nec amicum aliquē neque diuersorium habebat: quanto magis
Ex arg. Origenes. virginem illam recens iam sibi desponsatam, longū adeo iter non permisit solam ingredi, sed ipse eam comitatus est, eo maxime quod tunc imminebat Pascha, quo tempore alias oportebat omnes viros ad festum ascendere in Hierusalem?

¶ Equidem hoc plane persuasum habeo, vt credam, etiamsi nulla super eo mihi sit scriptura, quando in cōtrarium nemo potest aliquod scripturę afferre testimonium, quod Ioseph Mariam acceperit vxorē, post illos tres menses iam reuersam ab Elizabeth. Malo igitur recipere quod rationi magis consentaneum, virgini matri suoque filio Iesu honestius est, quam impias & impudentes neochristianorū nænias. Neque vero hic quum ait euangelista, ingressam esse Mariam in domum Zachariæ, suspicari aliquis debet eam non prius intrasse templum: quando iam cum ea dominus erat, & in eam superuenerat spiritus sanctus, ipsaque filium dei in corpore suo portabat. Et hic omnium primum
Malac.1. impletum est propheticum illud, Statim veniet in templum sanctum suum dominator quem vos quæritis, licet visibiliter impletum sit hoc tandem in die purificationis Mariæ.

3 Intrauit Maria in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Nemo hoc in Maria fastui aut superbiæ tribuat. quanuis enim in nostris regionibus vrbanitatis sit, vt minor à superiore salutationem expecter, apud Iudæos tamen humilitatis erat, vt minor salutaret maiorem. Iuxta illum morem Maria hic quanuis quo ad gratiam dei hominum omnium dignissima, non tamen dedignata est cognatam salu-
Ambros. tare. Hinc ait Ambrosius, Didicistis virgines pudorem Mariæ, dicite humilitatem. Venit propinqua ad proximam, iu-

nior

nior ad seniorem. nec solum venit, sed etiã prior salutauit. decet enim vt quãto castior virgo, tanto humilior sit. Nouerat deferre senioribus honorem. Non narrat hic euãgelista, quod etiã Zachariam salutarit Maria, quod quidẽ eo factum putãt, quia ille mutus adhuc erat & surdus. neque decet hoc virgines, multo nutu fractisq; gestibus leuitatem arguere. Ego hanc credo subesse causam, quod euãgelista sibi sumpserit ac descripserit visitationem Mariæ ad Elizabeth. quo testari voluit, impleta esse verba angeli de Ioanne, quod is in vtero matris impletus sit spiritu sancto, & mater deinde per illum. Atque ideo, quia ad illud nihil cõducebat salutatio Zachariæ, omissa illa, solam hanc salutationẽ Elizabeth descripsit euangelista. Quis enim dubitet tribus illis totis mẽsibus plurima cõtigisse, quæ nõ scripserit Lucas? Et factum est quũ audiuit salutationem hanc Elizabeth, exultauit præ gaudio infans in vtero matris, Vide, inquit Ambrosius, distinctionẽ singulorũque verborũ proprietatẽ. Vocem prior audiuit Elizabeth, sed Ioannes prior gratiam sensit. Istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur. Merito igitur Ioannes plus quã propheta est. alij enim prædixerunt futura, postquã nati sunt: ille autẽ quum esset adhuc in vtero matris, gratiam talem assequutus est. Ideóque credendũ est, vocem Mariæ, vocem fuisse verbi, quod in ipsius vtero caro factũ fuerat. Diximus super ea re nonnihil in die S. Ioannis Baptistæ, vbi require quomodo exultauit Ioannes.

Ambros. *Matth. 11.* *Theophy.*

4 Elizabeth impleta est spiritu sancto. vbi ait Ambrosius, Duplici miraculo prophetant matres spiritu paruulorum. Non prius mater repleta quam filius, sed quum filius repletus esset spiritu sancto, repleuit & matrem. Est etiã hoc annotandũ discrimen, quod Lucas ait & Elizabeth impletam spiritu sancto, de Maria non idem, sed quia exaltarit spiritus eius in deo salutari suo. Cuius ratio hæc est, quia Elizabeth postquã concepit filium, tandẽ impleta est spiritu sancto: quanuis hæc quoque immensum dictu quam lętabunda fuerit impletio, vt lætitia spiritꝰ diffusa sit per ipsum cor. & animum ac corpus Elizabeth, quũ ait Lucas voce magna inclamasse matri dei benedictionem, gloriã & beatitudinem. ¶ Benedictionem quidem, quũ ait, Benedicta tu in mulieribus, quanuis ipsa ibi nõ affuerat, nec quisquam ei dixerat, sed spiritꝰ tamen sanctus ei reuelauerat, sicut & angelꝰ eam

Ambros. *Luc. 1.*

salutarat. Qua de re multa à nobis sunt dicta in die Annunciationis Mariæ, ideóque hic breuiores erimus. Et benedi-
Theophy. ctus fructus ventris tui. Non sat erat Elizabeth testari benedictionem matris, quoniam multis matribus pius infœlices cõtigerunt filij, vt Rebeccæ Esau, sed insuper & fructus Mariæ fuit benedictus. Estque hoc adeo de Maria proprie verum. quum enim reliqui filij suorum sint parentum fructus, Christus Mariæ tantũ fructus est, eo quòd in terris pa-
Ambros. trem nõ habuit. Quis, ait Ambrosius, est iste fructus, nisi il-
Psal. 120. le de quo dictum est, Ecce hæreditas domini filij, merces fructus ventris? hoc est, hæreditas domini, filij sunt, qui merces sunt fructus illius, qui de Mariæ ventre processit. Filij sunt ipsi homines, qui Christo dati sunt in redemptionem passionis suæ & mortis. Fructus hic ventris, flos ille est radicis, de qua Esaias ait, Egredietur virga de radice Iesse, & flos de germine eius ascendet. Radix hæc ipsa, gens est Iudæorum: virga autem, Maria est: flos, benedictus est ventris eius fructus Iesus Christus. Et hæc exigua verborũ Elizabeth particula tantum mouit ecclesiam, vt illam fecerit appendicem salutationis angelicæ, ita vt quoties illa in ecclesia oratur, semper addi soleat istud, Benedictus fructus ventris tui Iesus Christus. Ratio hic in ipso habetur euangelio, quoniam primum ait Lucas Elizabeth impletam esse spiritu sancto, & hinc sequitur quod dixit, Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Primum ipse etiam angelus posuit in sua salutatione, quam quia in postrema parte ex spiritus sancti instinctu mutauit Elizabeth, annectens verbum illud, argumentum magnum est, spiritum sanctum voluisse hoc per eam supplere. Quæras, quur nõ ipse hoc adiecerit angelus, vt sic pura ea esset salutatio angelica? respõdetur, quia quum ingressus ad Mariam angelus salutaret illam, Christus conceptus nondũ erat. ideóque & dicere non poterat, Benedictus fructus ventris tui, quia adhuc nullum habebat, sed deinceps tandem facta est conceptio & incarnatio Christi, quando Maria dixit ad angelum, Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Ita spiritus sanctus particulam hanc reseruauit ipsi Elizabeth, quæ illius instinctu clamauit, Benedictus fructus ventris tui Christus ipse, deus & homo verus, creator, redemptor & saluator noster, qui est in secula benedictus, Amen.

HO-

HOMILIA SECVNDA.

VISITAVIT ecce Maria cognatam ſuam Elizabeth, ex qua ſalutatione mater ſimul & filius in vtero matris impleti ſunt ſpiritu ſancto, mater vero exclamauit: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. vnde mihi hoc quod mater domini mei venit ad me? quo verbo rationem reddit benedictionis Mariæ ſimul & fructus ventris eius, hanc nimirũ, quia mater erat domini & filij dei. quaſi dicere vellet, Miraculum ſentio, cognoſco myſterium mater domini verbo fœta, deo plena eſt, plena gratia dei. vt ego ſim multis modis indigna, quæ illam accipiam tam longo itinere ad me venientem. Sicut ergo (inquit Theophylactus) poſtea Ioannes Chriſtum, quum veniſſet vt baptizaretur, prohibuit propter reuerentiam, dicens, Ego non ſum dignus: ſic & nunc per matrẽ ſuam loquitur, humilians ſe. Quãto plus iam olim Elizabeth tribuit Mariæ, quam nunc faciunt neochriſtiani? indignam ſe rata eſt illa præſentia Mariæ. horum mulierculæ temerariæ audent ſe æquare Mariæ, quã & mulierem fuiſſe garriunt ſimilem aliis. Proh vecordiam & veſaniam diabolicam. Reddit porro Elizabeth rationem ſuæ ſcientiæ, dicens, Ecce vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Factum hoc vtique in ea ſic erat, vt facile poſſet intelligere naturale id nõ eſſe, vt ſic geſtiret in vtero fœtus tam repentino motu. neque enim communi naturæ modo mouebatur in vtero eius Ioannes, ſed velut exurgebat ſubito exiliens. Et mirum hic fit, Ioannem cum gaudio exultaſſe ad hanc vocem, à qua exterritus olim fuerat Adam in paradiſo, quando dixit ad eum dominus, Adam, vbi es? Beda hic ait, Erubeſcebat Elizabeth onus parentis, quandiu neſciebat myſterium religionis. ſed quæ occultabat ſe quia conceperat filium, iactare ſe cœpit quia generabat prophetam. tunc vt ſane vſquequaque non erubuit aut tacuit, vt etiam iactarit exultationem infantuli ſui, quando iam cognouit ſe fœtum hunc habere à deo. ſiquidem iam tum exultans filius ſuus, adhuc in vtero geſtiebat demonſtrare agnum, qui tollit peccata mundi. Hinc cõcludit illa prophetiam ſuam, dicens, Beata es quæ credidiſti, quia perficientur in te quæ dicta ſunt tibi à domino. Sane tunc credidit illa, quando dixit, Ecce ancilla do-

Ambroſ. *Theophy.* *Matth.3.* *Cene.3.* *Beda.*

mini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. In hoc emendauit errorem Zachariæ ſacerdotis. qui noluit credere angelo. Pa
ritérque notandum, quanta Elizabeth animum gratia, Ma-
Beda. ria intrante, ditauit: quã ſimul de præterito, præſenti atque futuro per prophetiæ ſpiritũ illuſtrauit. In te, inquit, perfi-
cientur omnia quæ dicta ſunt tibi ab angelo. neq; enim iota vel apex peribit de lege, donec omnia fiant. Danda igitur eſt omnis gloria & magnificientia deo, qui perfecta facit opera omnia creationis, redemptionis & ſaluationis ſuæ.

2 Quum iam audiſſet Maria quomodo ſpiritus ſanctus cognatam ſuam Elizabeth illuminarit, ita vt iam haberet ſcientiam myſteriorum dei, tunc aperuit ſe plenitudo gra-
tiæ diuinæ in Maria cum magna gratiarũ actione erga deũ, ne ingrata videretur de tanta gratia quam acceperat, & à qua ipſam laudauerat Elizabeth, benedicam iam prædicans in mulieribus & benedictum eſſe fructum ventris illius. ait ergo, Magnificat anima mea dominũ. Hoc illud ſolenne can
ticum eſt, quo quotidie eccleſia vtitur in precibus veſpera-
rum, vſuráque eſt perpetuo, dum mundus conſtiterit. Cu-
ius rei rationes aſſignari plurimæ poſſent, quur in veſperis decantetur. Tu vide Gerſonem in tractatu ſuo ſuper Ma-
gnificat, quoniam in illo mentio fit incarnationis Chriſti, quæ vt in ſexta ætate mundi facta eſt, ita officiũ illud quin-
Beda. tam in horis canonicis locum obtinet. Quid quod & ipſe
Veſpera. Chriſtus in veſpera mundi natus eſt? Et Maria quum ſtella maris dicatur, lucere cœpit in veſpera mundi huius. Nam quum plurimas in euãgelio myſticas & ſanctas ſignificatio-
nes habeat veſpera, decuit eam quoque hymno euangelico decorari. Principio enim ſub veſperã venerabile ſacramen-
Matt.26. tum inſtituit Chriſtꝰ, ex pane corpus, è vino ſanguiné ſuum conficiens. iuſſitque diſcipulos idem facere. Eodem tempo-
re dilectionis & humilitatis teſtamentum detulit apoſtolis, lauando eorum pedes, tunc etiam ſermonem illum ſanctum & prolixum ad eos habuit. ad veſperam inde ſepultus eſt, in
Ioã.15.19 veſpera ambulauit cum duobus diſcipulis poſt reſurrectio-
Luc.14. nem in Emaus, ſeque in fractione panis manifeſtauit. ſub idem tempus ſolitum eſt olim in templo iuge offerri ſacri-
ficium. ſub veſperũ manducabatur agnus paſchalis. In crea-
tione mundi duorũ tantum temporũ fit mentio, mane & ve
ſperi. Merito igitur veſpertinũ ſacrificiũ etiam euãgelicum

habet

habet canticum, & quidem Mariæ quæ Christum edidit ad
vesperam mundi, & ex cæteris canticis hoc ipsum plura ma
ioraque cõtinet fidei nostræ mysteria. Nam vt quidã deuo- *Petr⁹ Al-*
tus ait, quis dubitet beatam Mariam spiritus sancti in se su- *liac. super*
peruenientis tanta plenitudine, & gratia repletam, non po- *Magnifi-*
tuisse paruum aliquid & quod supra terrenarum mentium *cat.*
capacitatem non esset, in laudem saluatoris sui proferre? *Exo. 15.*

¶ Porrò quum Maria Moysi soror cantarit canticum illud *Iudi. 5.*
suum, quando filij Israël liberati sunt à Pharaone, Delbora
& ipsa cantarit, quum liberarentur de manibus Sisaræ, Moy-
ses quoque, quum legem tulit, Annaque cecinerit quando *2. Reg. 1.*
fidelem domino prophetam peperit: quanto magis cantare
nunc debeat Maria, quæ iam cõceperat in vtero redempto-
rem mundi, qui nos per mare rubrum passionis suæ, per a-
quas baptismi eduxit è vinculis Pharaonis, hoc est, diaboli,
à tenebris AEgypti? Et quum illi omnes vmbram tantum *Ioan. 1.*
cantarint & typum, quanto Maria dignius veritatem cecini-
nit, quæ per Christum facta est? Et eo quidem magis, quod
in hunc mũdum protulit verum illum legislatorem, domi-
num prophetarũ, vt merito dicere potuerit, Ego sum, ego *Iudic. 5.*
sum quę domino canã, psallam domino meo Israël, Sapiens
insuper ait, quia sapiẽtia aperit os mutorum, & linguas in-
fantium facit disertas. Quanto magis sapientia æterna iam
incarnata, aperuit os Mariæ in laudem conditoris?

3 Sic autem habet cãticum Mariæ, Magnificat anima mea *Ambro.*
dominum. Non quod ad dominũ aliquid humana voce pos-
set adiungi, sed quia magnificatur in nobis, dũ in nobis ma-
gna operatur: nósque illud agnoscentes, immensas ei gratias
agimus: tũc sane ipsum magnificam⁹, iuxta illud Psalmi, Ma- *Psal. 33.*
gnificare dominũ mecum, hoc est, laudate eum, & agnosci-
te opera magna eius. Habet autẽ canticũ hoc decẽ chordas,
quibus illud resonauit Maria, quarũ prima deũ agnouit do-
minum suum. Magnificat, inquit, anima mea dominũ. domi *Psal. 8.*
num, cuius magnificentia exaltata est super cœlos. In altera
chorda prædicat magnificentiã eius in salutari, dicẽs, Exul-
tauit spiritus meus in deo salutari meo. siquidem salus do-
mini est, vt ait Dauid. Tertia chorda laudat dominũ eo q̃ *Psal. 3.*
magnus sit & magnificus, respiciens ac saluans humiles. Sic
autem ait Maria, Respexit humilitatẽ ancillę suæ, ecce enim
ex hoc beatã me dicent omnes generationes. Sicut & Dauid

Psal.1. hanc chordâ tetigit, dicens, Quis ſicut dominus deus noſter qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra? Chorda quarta eſt, quod ille magnus eſt in operatione magnarum rerum & ſanctimonia nomini ſui. ſic enim ait, Feci ſti mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomẽ eius. Con-

Psal. 137. cordat etiã Dauid, inquiẽs, Magnificaſti ſuper omnia nomẽ ſanctũ tuum. Quintã chordã quoq; tetigit Maria, dum illũ ait eſſe magnã in miſerationibus, ſiquidẽ miſericordia eius ſit à progenie in progeniẽ timẽtibus eum. nã illorum maxi-

Psal.144 me voluntatẽ facit. Sexta chorda hæc eſt, quod ille etiã magnificus exiſtit in diſpergẽdis contũdendiſq; ſuperborũ animis, dum ait, Fecit potentiã in brachio ſuo, diſperſit ſuper-

Psal.17. bos mẽte cordis ſui. Cecinit hoc idẽ in Cithara ſua Dauid, inquiẽs, Oculos ſuperborũ humiliabit. Septima chorda cõmendat dominum in exaltatione humilium, quia depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles, ſicut & Dauid canta

Psal. 112. bat, Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem, vt collocet eũ cũ principibus, cũ principib⁹ populi ſui. ¶ Cæterùm octaua corda reſonat magnificentiã domini in famelicis ſatiandis, quoniã ille eſurientes impleuit bonis, &

Psal.106. diuites dimiſit inanes. Vſus eſt eadẽ chorda Dauid, verſum hunc ludens, Animã eſurientẽ impleuit bonis. Nona vero chorda laudat dominũ à ſuſceptione eorum qui perierãt, ſiquidem ſuſcepit hic puerũ ſuum Iſraël, recordatus miſeri-

Psal. 110. cordiæ ſuæ, ſicut cantauit etiã Dauid, inquiens, Redẽptionem miſit dominus populo ſuo. Poſtrema chorda habet dominj magnificentiã in præſtandis promiſſionibus, ſicut & loquutus eſt ad patres noſtros Abrahã, & ſemini eius in ſe-

Psal.131. cula. Idẽ decantabat Dauid, quũ dixit, Iurauit dominus Dauid, & nõ fruſtrabitur eũ. Vlteriorem huius cantici explicationem nõ proſequemur, quoniã de illo multi ſcripſerunt doctores egregie, nõnulli etiã iuſta volumina ediderũt. Tã-

Theoph. tum hic libet adiicere expoſitionẽ Theophy. quæ præ cæteris mihi videtur ad literã accommodatior. Maria virgo, inquit ille, certior reddita de fœtu cõcepto, glorificat deũ, illi attribuẽs miraculũ, non ſibiipſi. Ille enim, ait, in me humilitatem reſpexit, nõ ego ad illũ reſpexi: ille me proſequutus eſt miſericordia, ego illum nõ quæſiui, atq; ex hoc tempore non ſolũ Elizabeth, ſed & omnes generationes beatam me prædicabũt. neq; id propter me factum eſt, ſed quia magna

me

mecum operatus est, qui potens est. Vnde nemo in iis dubitare debet, quæ ego & Elizabeth mutuo loquutę sumus, siquidem ille potens est qui hoc faciat, & sanctū nomen eius. Quanuis enim carnis humilitatem assumpsit, nō tamē ab ea coinquinatur, quoniā sanctum est nomen eius, manebitque perpetuo. Neq; in me tantum illius misericordia cernitur, sed in omnibus timentibus eū, à progenie in progenię, hoc est, in æternū hic quidem temporaliter, at illic perpetuo. Fecit etiā potentiā in brachio suo, hoc est in filio suo supra naturam: quia quū brachium suū, verbum scilicet, caro factum sit, natura superata est, dū & virgo peperit, & deus homo factus est. ibi dispersit dominus superbos dæmones, eos vndique ex hominib⁹ eiiciés, alios in suos, nōnullos in abyssum. Vel etiā de Iudæis intelligi potest accipiēdo præteritū pro futuro propter certitudinē prophetică. Vere enim superbiebāt isti, elati in lege & cognitione dei. eos dispersit deus per vniuersum mundum, qui potētes erant in lege domini. Pharisæos & Scribas depositit de sede doctrinæ suæ, & humiles exaltauit piscatores, cuiusmodi erant Petrus, Ioannes & alij. Sederant isti antea in cathedra & potestate docendi, verū deiecti sunt. Interimq; esurientes Gentiles, qui nō nouerant antea deū, impleuit plurimis euāgelicæ doctrinæ donis & muneribus sacramētorum: diuites vero Iudęos dimisit inanes, ita vt multis iam annis sedeāt sine lege, tēplo, altari, rege, sacerdote & ephod. licet enim diuites antea fuerint in lege & præceptis dei, in tēplo & sacrificiis, nunc tamē terrestri simul cœlesti Ierusalē exciderunt. Suscepit autem dominus Israël puerū suum. & si de Israël loquamur secūdum carnē. etiā apostoli fuerūt Israëlitæ, multaq; milia Iudęorū ex semine Abrahę susceperunt baptismū & fidem, vbi promissio Abrahę facta, impleta est: sin vero de Israëlitis loqui velimus secundū spiritū, vt Paulus ait, Non omnes qui sunt ex circūcisione Israël, Israëlitas esse, neq; qui ex semine Abrahæ, filios eius esse. & Ioānes eodē modo dixit deū posse etiā ex lapidibus suscitare sibi filios Abrahæ: & huiusmodi puerū Israël, puta fidelē, suscepit deus, sicut promiserat Abrahæ. 4 Quia hic Maria laudes domini prosequuta est, dici multa possent, quomodo homines laudare deū debeant in omnibus, sicut & omnes creaturæ in cœlo & terra deum cōditorē suū cōcelebrant, laudate eū sol & luna, &c. quāto

Oseæ 3.

Roma. 9.

Matt. 3.

magis debent hoc & per ſeipſos facere, & per alios faciendum accurare? quanuis gloriam hanc neochriſtiani non fauent deo, laudem eius non eleuantes modo, ſed plane auferentes, horas canonicas reiiciunt, nō videtes quomodo propriū & peculiare ſit Chriſtiani hominis munus laudare deū,
Heb.13. iuxta illud Pauli, Semper offeram⁹ hoſtiā laudis deo: & hoc
Pſal. 49. Dauid, Immola deo ſacrificium laudis. Sic etiam Sapiēs ait, In omni corde & ore benedicite atq; laudate nomen domini. Et conſonat quod inquit Ioannes, Laudem dicite deo no
Apoc.15. ſtro omnes ſancti eius, & qui timetis deum, puſilli cum magnis. In hoc etiam cantico Mariæ pro ſe quiſq; cauſam facile inuenit, quur laudet dominū, eo ſcilicet quod magna facit ille nobis qui potens eſt. Quanta enim illis erga nos miſe
Pſal.83. ricordia eſt, vt eſuriētes nos repleat corpore & ſpiritu, ſuo etiam ſacratiſsimo corpore nos paſcens? O beatos qui habitant in domo tua domine, in ſeculum laudabunt te. Extēde tu materiam ſi placet, ex Cuſano de venatione ſapiētiæ, ex ſumma quoq; virtutum, parte prima, titulo octauo. Similiter cogitare ſecum quiſq; poteſt, quam officioſe Maria viſitari Elizabeth, huic etiam quātum inde prouenerit cōmodū ſimul & filio ſuo Ioāni. Et nos itaq; ipſam muocem⁹, vt ſua viſitatione digni efficiamur, quaten⁹ auxilio & interceſsione ſua nos adiuuet apud Chriſtū in omnibus neceſsitatibus noſtris. Maxime vero hoc faciant mulieres grauidæ, vt eis cō tingat felix parturitio & aſpectus fructus ſui. in vniuerſum tamen omnes homines Mariam implorent, vt nos viſitet in hora mortis noſtrę, quando omniū maxime auxilio eius indigebimus. Vnde ſancta conſuetudo eſt, quam obſeruāt nōnulli, vt quotidie verſum hunc orent, opemq; virginis matris implorent, dicentes, Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, in hora mortis ſuſcipe. Id adeo tu facere dignare mater Ieſu Chriſti domini noſtri, per eundē filium tuū, qui eſt in ſecula benedictus, Amen.

optime

IN DIE SANCTAE MARGARETAE *virginis & martyris.*

In quibuſdam eccleſiis hodie legi ſolet euāgelium de decem virginibus. Eius expoſitionē vide ſupra in feriis ſanctæ Barbaræ & Agnetis. Quia ergo in aliis etiā legitur euangelium de theſauro abſcōdito, lubet iſtud hoc loco explicare.

DE

DE SANCTA MARGARETA

EVANGELIVM, MATTH. 13.

IN ILLO *tempore, dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc, Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, abscondit: & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnum cœlorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna preciosa margarita, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam cum impleta esset, educentes, & Apoc. 22.*
secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi. Exibunt an- Matth. 29
geli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam domine. Ait illis, Ideo omnis Inf. 22. 25
scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, quia profert de thesauro suo noua & vetera.

HOMILIA VNICA.

IN HOC euangelio parabolas tres proponit dominus, primã de thesauro, secundã de margarita, tertiã de sagena. Et primum quidẽ, Regnum, inquit, cœlorũ simile est thesauro absc̃dito in agro. Vbi Gregorius sic ait, Regnũ cœlorũ idcirco terrenis *Gregorius*
rebus simile dicitur, vt ex iis quę animus nouit, surgat ad incognita quę non nouit, quatenus exẽplo visibiliũ se ad inuisibilia rapiat: & per ea quæ vsu didicit, quasi confricatus incalescat, vt per hoc quod scit notũ diligere, discat & incognita amare. Regulam hanc & Paulus ante Gregorium docuit, cum ait inuisibilia dei in iis quæ creata sunt, conspici. Regnum cœlorum, inquit dominus, simile est thesauro. *Rom. 1.*
Quod si amplius circũspiciamus ea quæ in euangelio sunt, de semine bono & malo, de grano sinapis &c. quę faciũt ad intellectum euangelicæ prædicationis. Alias itaque nunc similitudines affert, quib⁹ (vt ait Chrysost.) denotatur, quod *Chrysost.*
oportet prædicationem euangelij cæteris omnibus anteponere neq; mirũ, quũ sit res preciosa, atque ideo thesauro & margaritæ comparatur regnum cœlorũ in huiusmodi parabolis ecclesiam intelligi, non nunc primũ docemus, diximus

idem ſuperius ſæpiſsime. Quid autem ſit theſaurus, id nobis hic inquirendum eſt. Hieron. quidem ſic exponit, Theſaurus iſte in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, aut deus verbum eſt, qui in carne Chriſti videtur abſconditus: aut ſanctæ ſcripturæ, in quibus repoſita eſt notitia ſaluatoris. Quiſquis enim dominũ in ſcripturis inuenerit, omne mundi huius emolumẽtum poſt habeat, vt quẽ ſemel inuenit, cõſeruare poſsit. Quod autem theſaurus hic abſconditur, nemo putet inuidia fieri, ſed ob metum & curam ne obmittatur, abſcondi ſolet hic theſaurus in corde hominis. In eadem ſententia eſt & Auguſt. ſic inquiẽs, hũc theſaurum dixit in agno abſconditum. duo ſcilicet teſtamẽta in eccleſia, quæ quum quis ex parte intellectus attigerit, ſentit illic magna latere, & vadit & vendit omnia ſua, & emit illum. i. cõtemptu temporalium comparat ſibi ocium, vt ſit dies cognitione dei. Aliter exponens Greg. ait, Theſaurus, cœleſte eſt deſiderium: ager vero in quo theſaurus abſconditur, diſciplina cœleſtis ſtudij, quem profecto agrũ venditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renuncians, cũcta ſua terrena deſideria per diſciplinæ cœleſtis cuſtodiam calcat, vt nihil iam quod caro blanditur, libeat: nihil quod carnalem vitam trucidat, ſpiritus perhorreſcat. Et dixit antea, Inuentus theſaurus abſconditur, vt ſeruetur, qa ſtudium cœleſtis deſiderij à magnis ſpiritibus cuſtodire nõ ſufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abſcondit. In præſenti enim vita quaſi in via ſumus qua ad patriã pergimus. maligni autem ſpiritus iter noſtrum quaſi latrunculi obſident. deprædari ergo deſiderat, qui theſaurum publice portarat in via. Diceres, An non decet vt proximus meus videat opera mea bona? reſpondet Grego. etiã hic tibi, & ait, Hoc non ideo dico, vt proximi noſtri opera noſtra non videant, quum ſcriptũ ſit. Videãt opera veſtra bona, & glorificẽt patrem veſtrum, ſed vt per hoc quod agimus, laudes exterius non quæramus. Sic autem ſit opus in publico, quatenus intẽtio maneat in occulto, vt & de bono opere pximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem qua deo ſoli placere quærimus, ſemper optemus ſecretum. ¶ Eſt adhuc alia expoſitio Theophy. à ſuperioribus duabus non multum diuerſa, quæ ſic habet, Ager, mũdus, theſaurus, prædicatio & ſcientia Chriſti. occultus eſt autẽ in mundo, ſapientiã enim (inquit

Hieron.

In q. euangeliſ.

Gregor.

Mat. 5.

Theoph.

(inquit Paul⁹) prædicam⁹ & absconditã: quærẽs vero scié- 1. Cor. 2.
tiã dei, inuenit illam: & omnia quæ habet, siue Gentilium
pogmata, siue malos mores, siue diuitias, statim abiicit, & e-
mit agrum, id est, mundũ. Nam qui scientiã habet Christi,
is & possessionẽ propriam habet mundũ, & elemẽta ei ser-
uiunt. Ecce quã variæ plurimorũ doctorũ sententiæ in vno
fine cõcurrunt. siquidem in eo conueniunt, quod vendere
omnia aliud non sit, quã mundi voluptates & honores om-
nes contẽnere, atq; pro iis cœlestia amare, desiderare, disce
re. Atq; ea etiam ratio est, quur euãgelio hoc de virginibus
legatur, quia is præcipue arduum est, carnis illecebras auer-
sari, mũdanas voluptates & delectatiões negligere, & rantũ
cœlestia cõtemplari. ideoq; etiam ecclesia canticum hoc re-
sponsorium de virginibus decãtat, Regnũ mundi & omnẽ
ornatum seculi contempsi propter amorẽ domini mei Iesu
Christi, quem vidi, quem amaui, in quem credidi, quẽ dile-
xi. Eructauit cor meum verbum bonũ, dico ego opera mea
regi. Sic etiã proprie exponit Haymo, dicens, Ager in quo *Haymo.*
thesaurus absconditur, nos sumus si saltẽ in nobis mãserint
cœlestia desideria. Eũ emit, qui corpus castigat per cœlestis
patriæ disciplinã, ieiuniis, vigiliis & orationibus, qui cruci-
figit membra sua cũ omnibus vitijs & cõcupiscẽtijs. Chri-
stum sequens, atq; pene spiritali quadam mercatura vendit
seipsum. Et hinc patet, quomodo propriè virginibus hæc
conueniant & ijs qui in cœnobiis degũt. Nõ ingrediõr hoc
quod aliqui põderant, quod iste emit agrũ, non thesaurum,
inferentes quod possumus mereri beatitudinem creatam: *Mat. 6.*
quia & beatitudo est thesaur⁹, sicut dixit Christus, Thesau-
rizate vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo neque ti-
nea demolitur, &c. Omitto etiã hic sensum sapientiũ mun-
di huius, qui hinc inferunt, cuiuscunq; sint bona, eius etiam
esse thesaurum siue pecuniam quæ in illis est. ideoq; vt the-
saurum sibi arrogent, cõparant agrum. 3 Sed iam ad aliã
parabolam veniamus, quum dicit dominus, Simile est regnũ
cœlorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas.
vbi Hieronymus ait, Aliis verbis idipsum quod supra di- *Hieron.*
citur, Bonæ margaritæ, quas quærit institor, lex & prophe-
tæ sunt. Vnum autem est præciosissimum margaritũ, scien-
tia salutaris & sacramentũ passionis illius, & resurrectionis
arcanũ, quod quũ inuenerit homo negociator, similis Pauli

apostoli, omnia legis prophetarumq; mysteria & obseruationes pristinas, in quib⁹ inculpate vixerat, quasi purgamẽta contẽnit & quisquilias, vt Christum lucrifaciat, nõ quo inuentio nouæ margaritæ sit cõdonatio veterũ margaritarũ, sed pro quo cõparatione ei⁹ omnis alia gẽma vilior sit.

Chryso. Chrysostomus quoq; sic interpretatur parabolã. Et addit significãter dictũ, Inuenta autem vna, &c. Vna quippe veritas est, nec in multas scinditur partes, sicuti iam neochristiani in multas sese diuidunt sectas. ¶ Admirat⁹ & Au-

Par. 11. q. Super Matth. gustinus quodam loco negociatorem hunc quærere magaritas multas & inuenire precioſam vnã eius rei triplicẽ affert expositionẽ, quoniã sic quoq; potest intelligi. Quod aliquis inquirat pios homines multos, inueniat ex multis vnũ sine peccato mediatorẽ dei & hominũ Iesum. Vel etiã hic margaritas quærit qui præcepta quærit & leges, vnde iuste proximis suis cõuersetur. Et is quoq; margaritam vnã inuenit

Roma. 13. præciosam, regulam scilicet præclaram, in qua omnia cõprehenduntur, Diliges proximum tuũ sicut teipsum. vel, Qui proximũ diligit, legẽ impleuit. Aut postremo inquirit homo intellectum bonũ instar margaritæ. & inuenit vnũ qui

Ioan. 1. cæteros continet omnes. is autẽ talis est, In principio erat verbum, & verbum erat apud deũ, Et verbum caro factum est. Quisquis ergo ad cognitionem dei peruenit in seipso, is margaritã inuenit. Nam qui deũ videt, omnia videt. Et sic

Gregor. Gregorius ait, Nil non vident, qui videntem omnia videt. Possent istæ sententiæ tres, in scholis syncerius tractari, in

Theop. suggesto non item, quoniam captũ pene excedunt populare. Theophylactus, Vna, inquit, preciosa margarita, vna est veritas, quæ scilicet Christus est. Igitur sicut de margarita traditur quod in concha nascatur, quæ se aperit tẽpore fulguris, & deinde iterum claudit. concipitur itaq; tum ex fulgure & rore, propterea q; candida est, sic & Christus in virgine conceptus est, & superno fulgure spiritus sancti.

Gregor. 4 Quia qui cœlestis (vt inquit Gregorius) vitæ dulcedinem inquantũ possibilitas admittit, perfecte cognouerit, ea quæ in terris amauerat, libenter cuncta derelinquit: solo margaritæ candore delectatur, ea ipsum tantũ iuuat, extra hanc aliud nil quærit, sed contemnit mundana omnia, quæ etiam sentire amplius nõ videtur. Quod intẽdens Sapiens,

Cant. 9. inquit, Fortis vt mors dilectio. Id adeo cernere possumus in

hac

hac ſancta virgine Margareta, quæ quomodo mori pro Chriſto potuiſſet in carne, niſi antea mortua fuiſſet in animo deſideriis & cõcupiſcentiis terrenis? Quia ergo animus eius erectus fuit in ſublimia virtutum, vt iam dulcedine vitæ deguſtaret ęternę, ideo omnia cõtempſit ſupplicia, temporalé ſibi promiſſam retributionẽ etiã pedibus calcauit.

DE SANCTA MARGARETA.

THEOSTITVS, vt in codicib⁹ antiquæ eccleſiæ Spiræ legitur, author eſt, illã filiã fuiſſe Theodoſij ciuis Antiocheni, ſacerdotis ethnici. Illa vbi primũ nata eſt, cuidã honeſtę matronę quindecim ſtadiis ab Antiochia tradita eſt educãda. Mortua aũt matre ſua, quũ iã annorũ eſſet quindecim, cura nutricis ſuæ baptizata eſt, vnde in odiũ parẽtis peruenit. Sed Margareta creuit in pietate omniumq́; virtutũ profectu. Et quũ quodã tẽpore oues paſceret nutricis, cõtigit præfectũ Olibriũ ex Aſia venire Antiochiã, eo animo, vt Chriſtianos perſequeretur. Cõſpecta igitur puella, cõcidit in veſanũ amorẽ erga illã, iuſſitq́; eã ſibi adduci, quæ ſtatim inuocauit nomẽ Chriſti. Quo audito, furore correptus Olibri⁹, inclamauit, Et tu inuocas Chriſtũ, quẽ maiores mei crucifixerũt? Reſpondit Margareta, Atqui hoc quod perierũt, ſiquidẽ Chriſtũ crucifixerũt. Cõiectã ergo eã in carceres altero mane rurſus duxit in iudiciũ, innumeris tũ miniſtũ promiſſionibus conat⁹ animũ flectere, perſuadereq́; vt adoraret idola. Verùm illa quia verã inuenerat margaritã, ſuauitatẽ vitę ęternę guſtauerat, quicquid iſte propoſuit, cõtẽſipt. Olibrius virgis eã cęſam, in eculeũ (lignũ torquẽti) expãdit: ſicq́; corpus eius vnguls fecit lacerari, ita vt qui triſte hoc ſpectaculũ videbat popul⁹, cõmiſeratione moueretur, rogaretq́; vt ſibimet placeret, deos adoraret, quoniã tunc tyrãnus ipſe facié pallio velabat, ne horrendã virginei ſanguinis cerneret perfuſionẽ. Ipſa autẽ populo reſpõdit, hãc corporis torturã, animæ ſalutem eſſe. ſicq́; Olbriũ canẽ vocauit impudentẽ, & leonem inſatiabilẽ, qui quãuis poteſtatẽ haberet in corpus, tamen animã ſibi ſeruaturus eſſet Chriſt⁹. ¶ Poſt hęc reſumpta ex eculeo, rurſus in ſqualidũ detruſa eſt carcerẽ, vbi apparuit ei diabolus in ſpecie draconis, perſuaſurus eã vt conſentiret prędicto. Verũ illa crucis ſigno & cõcepta in Chriſtum ſpe, profligauit eũ. Poſtero die iterũ producta, quum

Theotiſ.

nondū cōſentiret in adorationē idolorum, nuda exuta, ardētibus facibus aduſta & in vas aquæ demerſa eſt, manibus pedibuſq; ligatis. Sed hic vincula omnia ſolutaſunt, ipſumque vas ruptū, vnde virgo liberrima exiuit corā omni populo, atq; hinc multa hominū milia crediderūt in Chriſtū.

¶ Ad extremū, quum pro ſe ſuisq; perſequutoribus deum rogaſſet, decollata eſt Antiochiæ. Multi etiā per miracula in illius paſsione facta, conuerſi ad Chriſtū, per tyrannum ſupplicijs affecti & occiſi ſunt, qui iam coronā gloriæ poſ-

Gregor. ſidēt in æterna patria. ¶ Ait ibi Gregorius, Quid inter hęc nos barbati & debiles dicem⁹, qui ire ad regnacœleſtia pullam per ferrum videmus, quos ira ſuperat, ſuperbia inflat, ambitio perturbat, luxuria inquinat? Quia ſi regnū cœlorū per bella perſequutionū nō poſſum⁹, hoc ipſum nobis turpe ſit, quod deum nolumus ſaltem per pacē ſequi. At quū in pace renuimus ſupprimere cōcupiſcētias carnis, quando tandē corpus noſtrū in mortem pro Chriſto impendemus?

¶ Sed nos audiuimus parabolam Chriſti de negociatore

Auguſt. margaritā quærēte, & quid per eā intelligatur. Auguſtinus enim præceptū accipit fraternæ dilectionis, ſimiliter & intellectum incarnationis Chriſti omniumq; ſacramentorū. Hieronymus legem intelligit, prophetas & euangelium. Theophylactus Chriſtū ipſum, Gregorius dilectionē vitæ cœleſtis. Poſſentq; omnes illæ expoſitiones ad Margaretā accōmodari, quæ etiam ex nomine videtur optimam margaritam inueniſſe, nuncq; poſsidet illam in æterna patria.

5 Etſi non ſoleant parabolas deducere ad longum, quia iter per ſymbola vt facilimum, ita patentiſsimum eſt: attamen quum hic euangelium ipſum parabolam hanc habeat de margarita, ipſeq; ſoannes dicat nouam Ieruſalem ciuitatem cœleſtem ex margaritis cōſtare in ſtructura portarum,

Apo.21. lubet adhuc amplius quid de ſpirituali margarita diſſerere. Simile eſt regnū cœlorum, inquit dominus, homini negociatori, quærenti bonas margaritas. Et notanter bonas ait, quoniam & margaritæ inæquales ſunt: ſed tamen præſtantiores ex calore dignoſcuntur, ex naturali proprietate & operatione, quoniā in margaritis laudari ſolet ſplendidus & argēto ſimilis color, guttulam pluuialis aquæ repręſentans, cum ſupernatante tenuiq; vapore ſeu fumo: quoniam ibi oportet eſſe mūdiſsimā illam aëriā aquam cum ingenito lumi-

lumine fulgoris, quod ei splendorem addit. Mystice, Quid aliud sibi lux hæc vult, nisi rationem & sapientiam: iuxta illud ipsum Sapientis, Sapientia comparata luci inuenitur purior? Aqua autem puritatem pudicitiæ designat, dicente propheta, Effundam super vos aquam mundam & mundamini ab omnibus inquinamentis vestris. Et in eius rei signum, conchæ & ostrea in quibus margaritæ crescunt, nihil habent luxuriæ, neque ex commistione vt alia animalia generant, neque istar aliorum piscium, quorum naturam & generationem Ambrosius narrat lib. 5. hex. cap. 7. sed vt Aristoteles refert lib. 5. de animal. concipiunt vel ex rore cœlesti, vel lunæ radiis. Atque ideo margarita puritatē designat. Cæruleus autem color, illius cœlestis saporis dulcedinem figurat in mente, sicut ait Paulus. ¶ Ad hæc margarita ducedinem appetit, in qua & crescit. posita in aliquid amarum aut acidū, dissoluitur in vrinam. Recte ergo Gregorius per eam intellexit cognitionem dulcedinis vitæ æternæ, quanuis illa crescat in duris conchis. nam sic etiam sancti eo ipso hic sancti fiunt, quod dura & aduersa multa sustinent in mundo, vt Paulus recte dixerit per multas tribulationes ingrediendum nobis esse in regnum cœlorum. Et tamen in ea dulcedo ex rore inest. Virtutes margaritę huiusmodi sunt, quoniam cō firmat cor, purgat cogitationes. Et sic quilibet Christianus, qui hāc margaritam inuenit, rerum cœlestium concupiscentia eius animus confirmatur, dicente Paulo, Sobrie, iuste & pie viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni dei, & Iesu Christi domini nostri. Hæc illa media sunt, per quæ margaritam possidemus. quanuis enim Christus sit vnica margarita, veritas vna, vnicus ille patri suo, facit tamen sanctos omnes etiam margaritas. Quod si portam aspicias apostolorum, ecce transluceant vt margaritæ. si per martyrium portam videas, ecce & illi â deo coronati sunt. Atque sic de reliquis beatorum choris. Admonitos itaque vos omnes volo, vt nobilissimam hanc beatitudinis margaritam cum sancta Margareta vobis comparetis, quatenus & ipsi audire mereamini vocem domini, Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

Sapien. 7.
Ezec. 36.
Ambro.
Gregor.
Tit. 1.
Matt. 25.

¶ Margaritam hanc Zachæus dimidio bonorum suorum

Luc. 19. *Mar. 12.* *Mat. 4.* coëmit, Vidua illa duobus minutis, Petrus & Ioannes cum fratribus mercati sunt eandem scissis retibus & nauiculis laceris. Margareta autem comparauit illam vegeto virentis ætatis flore, post habuit diuitias omnes, preces contempsit prę fecti, & sanguinem suum pro illa effudit, vitámque temporalem amisit, vt margaritam preciosissimã hanc inueniret in fœlicitate. inque iis gaudiis viueret perpetuo. O domine, per illius interces sionem fac nos quoque margaritam huiusmodi consequi, Amen.

¶ Reliquam huius euangelij partem inuenies in die sanctæ Catharinæ, vide etiam homilias de virginibus & martyribus.

Luc. 9. VNVM tamen hoc loco tacendum non est, quod ad aliud festum applicari non potest, neque tamen malè contemplantur doctores, Quod Margareta in Passione sua Christũ sequuta est, ideóque & ad eum venit, iuxta id quod ipse dixit, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Sic nimirum etiam Margareta passionis suę crucem sustulit, dominúmque sequuta est. Christus enim sub cruce nudus exutus est, & Margareta nudata est, quando facibus est ardentibus combusta. Christus ad columnam flagellatus est, Margareta quoque iubente tyranno grauiter est virgis cæsa. Christus in ara crucis expansus est, & Margaretam in eculeo extensam esse cõstat. Christus clauis perforatus est manibus, & pedibus, capite quoque spinis marinis contusus, Margareta vngulis est toto quoque corpore scissa & lacerata. Christus sanguinẽ suum abundãter ex toto corpore effudit, similiter sanguis quoq; ex corpore Margaretæ copiosissimus fluxit vsque ad cõmiserationẽ omnium quotquot astabãt. Christus pro crucifixoribus suis precatus est, in quo post Stephanũ etiam Margareta est illũ imitata.

¶ Cæterùm non æqualiter vbique celebrari solet festum Margaretæ Romæ, in diocœsi Metensi, & multis locis peragitur die vicesimo Iulij, & sic dicit Ioannes Andreæ vidisse se in libro qui facile fidem mereatur, Parnormit. capite secundo, de obseruatione Ieiunij. Alias communi consuetudine apud nos 13. die Iulij, Constantiæ & Argentorati die 15. Iulij celebratur.

IN

IN FESTO SANCTAE MARIAE MAGDALENAE, EVANGELIVM.

Lucæ 7.

IN illo tempore, Rogabat quidã de Pharisæis Ie- Matt.16.
sum, vt manducaret cum illo. Et ingressus do- Mar.14.
mum pharisæi, discubuit. Et ecce mulier quæ erat Ioan.12.
in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod Iesus accubuit in domo pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem pharisæus qui vocauerat eum, ait intra se, dicens, Hic si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens Iesus, dixit ad illum Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait, Magister dic. Respondens Iesus dixit, Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon, dixit. Aestimo quia is cui plus donauit. At ille dixit ei, Recte iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simon, Vides hanc mulierem? intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Propter quod dico tibi, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam Iesus, Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se, Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem, Fides tua te saluam fecit, vade in pace. Mar.2. Matth.9. Mar.5.

HOMILIA PRIMA.

HOC EST dies solénis adest sanctissimæ Mariæ Magdalenæ, quæ ex maxima peccatrice, summa facta est apostola. & ea quantã pœnitentiam egerit, hodiernum nobis narrat euangeliũ, quod breuiter ad literam nobis visum est explicare. Refert autẽ Lucas quendã ex pharisæis rogasse dominũ vt mãducaret cum eo, quanuis hic pharisæus hypocrita erat, vt in sequentibus perspicuũ fiet, inuitatus tamẽ ab eo dominus, venit. Neque

enim contempti aut despecti homines erant apud Iudæos pharisæi, quoniã & Paulus pharisæum esse se gloriatus est, vixisseq́ue secundum probatissimam legis Iudaicæ sectam.

Alibi quoque inuitari se facile permisit dominus, vt à leui
Actu 26. Matthæo, Zachæo, & pharisæis, in nuptiis, &c. Quã enim
Luc.19.14 vulgatum, tam verum est illud, vulgo quod dici solet, Ad
Ioã.2.12. ignotos venire nõ vocatum, impudentis hominis est: ad neminem plane venire, etiã si quis vocetur, id vero stolidi & pene fatui est. ¶ Et ecce mulier quæ erat in ciuitate Naim (vt quidam putant) peccatrix, vnde grauatur peccatũ. Tria nempe habebat in se, quibus ad peccandum inducebatur, eo quod forma decora, bonis & diuitiis affluens, sanguine nobilis erat. Ad hæc in maxima ciuitate Hierusalem viuebat, vbi multis peccãdi præbebat occasionem, iuxta illud Oseæ,
Oseæ 7. Quieuit paululum ciuitas à commixtione fermenti, donec
1.Cor.5. fermentaretur totum. Quomodo & Paulus ait, Modicum fermentum totam corrũpit massam. Euangelista etiã iis verbis testatur, eam tota vrbe proclamatam fuisse, tanquã præ aliis id genus mulieribus insigniorem. Sunt tamẽ qui dicant hic Mariam sola voluntate, nõ etiam opere fuisse peccatricem. Verum ego non habeo, vnde glorier huiusmodi quid, me apud vllum legisse probabilẽ scriptorem. sed neq; persuaderi hoc omnibus potest, aliquã in tanto voluptatis, bonorúmque omniũ affluxu & libertate solam habuisse peccandi voluntatẽ, neq; peccasse, quoniã illa, vt textus meminit, peccatrix erat, hoc est, talis, vt sit apud omnes passim dif famata. Non est autẽ scripturæ mos, vt singulares homines peccatores appellet, nisi qui palã sint huiusmodi. Quid qđ
Mar.16. satis magnus testis est Marcus, dominũ septem dæmonia ab illa eiecisse, sicut infra copiosius dicetur? ¶ Quærat hic aliquis, quomodo sibi constet illud quod Lucas ait, fuisse mulierem in ciuitate peccatricem, quum tamen istiusmodi mulieres leues non tolerabantur palam in vrbibus, ex præscripto
Deut.13. legis quæ sic habet. Non erit meretrix de filiabus Israël, neque scortator de filiis Israël. quomodo ergo factum est vt Maria tolerata sit in ciuitate? Respõdetur, verum quidẽ est quod communis & publica fornicatio ibi prohibita est, contra eos qui errantes dicunt fornicationẽ simplicem non esse peccatum, quum interim non attendant illud quod ait Pau-
Galat. 5. lus, Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, &c.

Et

Et omnes qui talia agunt, regnum dei non poſsidebunt. Et alibi, Fornicatores & adulteros iudicabit deus. Et rurſus in alio loco, Omnis luxuria, immunditia & auaritia nō nominetur in vobis. Vt omittamus ſimilia multa, cōcedimus ergo quod in ſuperiori loco fornicationem prohibuit Moyſes, atq; ideo tum meretrices, tum ij qui cum illis rem habēt cōmunem peccant in legem. ſed quod ideo nulla illarum ſuſtineri debeat, id vero hinc ſequi plane pernegamus, quādo in eodem etiam loco pœna eius tranſgreſsionis nulla cōmemoratur. Voluit itaq; iſtud lex vetare, vt interim hic tempo raliter nō prohibet, ſed magis tolerat, ne cōtingāt deteriora plura, & relinquit vltioni diuinæ. Ratione quoq; cur eiuſmodi proſtibula ſint toleranda, iam olim docuit Ariſtoteles, vt plura maiora q; mala caueantur. Auguſti. etiam accōmodat inſuper ſimilitudinem nō abſurdam, & ait, Si quis palatium pulchrum ædificet, & in angulo eius fœtorē cloacæ ſuſtinere nolit, palatium totū fœtore implebit. vnde tol le cloacam de palatio, & aula fœtore efficitur inhabitabilis, tolle meretricem de mūdo, & Sodomita totus efficietur reprobus. Sed hęc coram piis auribus tractāda ſunt ſyncerius. Neq; vero ideo proſtitutis licere debet quicquid libet, nec permittenda ſunt eis omnia offendicula, quibus imponant ſimplicioribus cum ſcandalo iuuenum & puellarum.

Hebr.13. *Ephe.5.* *In polit. Auguſti.*

2 Quum ergo audiſſet mulier dominum ibi diſcumbere, venit & ipſa, ferens ſecum alabaſtrum vnguenti. Differre libet in iuſtam homiliam, quod iam pene vulgo quæri ſolet, an vna hęc fuerit Maria apud Matthæum, Lucā & Ioannē. Solam itaq; literam ſectātes, ita vt cœpimus progrediamur, contenti interim exiſtentes eo quod communis credit eccleſia, eandē hanc fuiſſe Mariam Magdalenam, quæ ſæpius venerit ad dominum. Vbi cognouit dominū eſſe in domo Simonis. Quod illa vtiq; hinc cognouit, quia trahebatur à patre, & quia cognouit eum, deinceps ſequuta eſt. Gregor. inquit, Ecce quādoquidem turpitudinis ſuæ maculas aſpexit, lauanda ad fontem miſericordiæ cucurrit, conuiuantes non erubuit. Et infra, Quid hic miramur fratres? Mariā venientem, an dominum ſuſcipientē? dicam ſuſcipiētem, an trahentem, melius trahentē & ſuſcipientē, quia nimirum ipſe eam per miſericordiam traxit intus, qui per manſuetudinē ſuſcepit foris, Omnes itaq; doctores docent, quia homo quilibet

Gregor.

effuſe rogare debet deum, vt ei peccatorum ſuorum cognitionem concedat, quámque grauia & nociua ſint illa, vt ſic
Hiere.31. ad veram perueniat pœnitentiam, dicente Hieremia: Poſtquam cóuertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquã oſtendiſti mihi, percuſſi femur meũ. Magdalena vbi domini cognouit præſentiã in domo Simonis, venit ad eum non vacua, iuxta præceptum legis, Non apparebis in conſpectu meo vacuus. Attulit enim ſecum vnguentum precioſum in alabaſtro, quod marmor nobiliſſimum eſt. atque id fecit illa ad honorem domini, per hoc fatigationem eius refocillare cupiens. verum ſine dubio agnouit ſe peccatis ſauciam, ideóque externa attulit vnguenta, vt interius ſpiritualiter dominus vngeret animam eius. Et quia fœtebat ex peccatis, bene olens
Ambroſ. produxit vnguentũ. Hinc elicit Ambroſius doctrinã mortalem, dicens, Quocunque audieris iuſtum veniſſe, cõtende præripere hoſpitis gratiam, præripere regnum cœlorum. Vbicũque audieris nomen Chriſti occurre. In cuiuſcunque domum interiorem Ieſum intraſſe cognoueris, & tu ipſe ſe ſtina ad pedes, vel infimam ſic domorũ eius partem inquiſiturus. Quiſquis enim cũ Maria pedes domini lauat, cũ eadẽ
Matt.9. & caput Chriſti lauabit. Neminem pigeat lauare illius pedes, quũ & mulier illa ex tactu fimbriæ veſtimenti eius ſit ſanata. Siquidem ideo Chriſtus ipſe ſibi pedes non lauit, vt nos eos illi lachrymis cõtritionis & pœnitentiæ abluamus.

3 Stetit autem Maria retro ſecus pedes domini, quo illa humilitatem ſuam oſtendit, indignam ſe rata quæ in cõſpectum domini veniret, ſicut in perſona peccatorũ, ait Hiere-
Hiere.31. mias, Confuſus ſum & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ. Et hæc peccata ſunt carnis. Ve-
Beda. runtamen quod ſecus pedes ſtetit, humilitatẽ ſuam arguit, quoniam nõdum ſe capite Chriſti dignam exiſtimabat, donec gratiam conſequeretur: ſperauit enim ſe etiam ſecus pedes domini miſericordiã inuenturam, ſiquidem de illis ait propheta, Stabũt pedes eius ſuper montẽ oliuarum. Oleum
Zach.14. autem miſericordiam ſignificat & miſerationem. ¶ Porrò iam euangeliſta quatuor narrat obſequia, quæ Magdalena exhibuit domino. pedes enim eius lachrymis ſuis lauit, terſit capillis, terſos obſculata eſt, & inde vnxit vnguento. Cogi-
Grego. tanti mihi, inquit Grego. de Mariæ Magdalenæ pœnitẽtia, flere magis libet quã aliquid dicere. Cuius enim vel ſaxeum

pectus

pectus illæ huius peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitendi nō emolliant? Et inde, Discite quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubuit. Non legitur hic quid loquuta sit, sed opera ipsa pro ea non tacuerunt, quando ad pedes domini procubuit in terram, & amaritudinem cordis sui fonte lachrymarum testata est, sicut quidam hic pius pater pulchre meditatur. quasi illa dicere voluisset. O benignissime domine Iesu Christe, qui omnia nosti, veruscque es cordium inspector, qui non vis mortē peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat: tu ipse satis intelligis quid mei gemitus sibi velint, quid hę lachrymæ poscant, quid singulus isti ex amaritudine cordis ex te quærant. Ecce peccatrix ego sum, immunda sum, sum poluta vitiorum omnium contagio. confugio itaque ad te dominum deum meum, qui vita es æterna, te rogo vt vitam retribuas quam male amisi, meque misericorditer liberes, qui solus sufficienter laborē & dolorem consideras. Beda hic inquit, Quia liquet omnibus quod illicitis actibus prius mulier intenta, vnguentum sibi pro odore suæ carnis adhibuit, quod ergo sibi turpiter adhibuerat, hoc iam deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, sed hoc iam per pœnitentiam conterens flebat: capillos ad compositionē vultus exhibuerat, sed iam lachrymis capillos tergebat. ore superba dixerat, sed pedes domini deosculans, hoc in redemptoris sui vestigia figebat, Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum. Dixerat eadem hæc ante Bedam Gregorius.

Vincen. *Hiere. 18.* *Psal. 9.* *Beda.* *Cregor.*

4 Videns autem hoc pharisæus qui dominum inuitauerat, dixit intra se, Hic si propheta esset, sciret vtique quæ & qualis esset hæc quæ eum tangit, quia peccatrix est. Ecce hic erumpit fastus pharisaicus, in contemptu aliorum ipsiusq; adeo Christi, quasi is propheta non esset. simul & exacerbatam spiritu mulierē spernit, quod peccatrix erat. O hominē durum, ô immitem, ô immisericordem pharisæum, quē tot tamq; ardētes perturbatæ mulieris lachrymæ nō permouerūt. ratus enim fuit ille dūm ita durū, vt ipse erat, esse oportere erga perturbatā & anxiā mulierculā. Et sedebat hic dominus vt medicus inter duos ægros, sed vnus æger in febre integrū sensum habebat, (Magdalena scilicet.) alter vero in febre carnis, & sensum pdiderat mētis. illa quippe flebat q

Cregor.

fecerat, Pharisæus autē de falsa iustitia elatus, vim suæ valetudinis exaggerabat, mulierem de morbo, & de auxilio incusans medicum. Quod si Maria ad pedes Simonis aduenisset, forte eam pedibus proculcasset, metuēs ne alieno peccato inficeretur. vera enim iustitia ipsum non impleuerat. Si
Sap.1. autē ille Sapientis sequutus esset consilium, Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest: ab obtrectatione parcite linguæ, quia sermo obscurus non inuauū abibit: melius rectius q; egisset, sed vt ait Hieron. Religio pharisæorū nō
Hieron. habebat compassionē, sed dedignationē. Nolebat ille videre & intelligere, quod mulier peccatrix sanctum sanctorum non ad sanctimoniæ suæ contaminationem tangere posset, sed ad peccatorum suorum expurgationē. Atq; gratus esse volens dominꝰ hospiti, & falsam eius persuasionē euellere, quum nollet iste eum prophetā credere, ostendit dominum se esse prophetarum, qui etiā nosset abscōdita cordiū, & cogitationes hominum rimaretur. Atq; ideo Lucas ait respondisse eum cogitationibus pharisæi, dixisseq;, Simō, habeo tibi aliquid dicere. Dixit autē hoc dominus, vt attētum eum redderet, ipseq; quod dicturus esset intelligeret, nec ita temere porro proximum suū iudicaret. Videns enim ille tāta pœnitentiæ argumenta, potius debeat Magdalenam credere iustam instar peccatristis istius Rahab, quam vt ita cōtemneret, quia & Paulus de Rahab sic ait, Fide Rahab meretrix
Heb.11. non periit cum incredulis, excipiēs exploratores cum pace. Siquidem mutatio dexteræ excelsi multū est admirāda. qui hodie virtutem colit, forte cras excidet illa. Quis scit, quando & quomodo deus cuique gratiam suam velit cōmunica-
Gregor. re? Pulchram inde sententiam colligit Greg. dicens, Vnum est necesse, vt quum peccatores conspicimus, nosmetipsos prius in illorum calamitate defleamus. Forsitan enim & nos aut in similibus aut grauioribus peccatis prouoluimur, vel etiam in huiusmodi peccata cadere possumus. Quod si quis omnino rigidus hic esse velit, trāseat rigor ille in vitia, com-
Bernar. passio vero in naturam. atq; sic Bernardus ait, Odi peccatū, & dilige hominem. Cui simile est illud Thraseæ apud Plinium, Vitia, nō homines odi. Ad hanc suiipsius cognitionē adducere Simonē voluit dominus. idq; adeo in duobus. Primum, vt se quoq; debitorem & reum peccati confiteretur. docuit idem hoc iam Christus Christianos omnes, vt orant,

Dimitte

Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Nam si nō omnes nos peccatis essemus obnoxij, quorsum spectaret orare nos peccatorū remissionē? Alterum, quod & deus homini magna peccata non minus quam parua dimittit, modo hic diligat illum. atq; huc parabolam adducit huiusmodi, Debitores duo debebāt vni creditori, quorum alter centum, alter denarios debebat quinquaginta. Quumq; ambo soluendo nō essent, remisit & donauit vtriq;, Quis ergo illū plus diligit ex iis duobus? Duos ecce debitores cōstituit hic dominus. siquidē & Simō debebat sicut Magdalena. Verùm ne adhuc esset ei gloriandi occasio, & iactandi debitū suū minus esse quam Mariæ, ostendit vtriq; debitū ex gratia dimitti, ita vt nihilo magis paruū suum & exile debitū posset persoluere Simon, quam Maria magnum. At hæc in præsentiarum iam sufficiant, Amen. *Matth. 6.* *Augustin.*

HOMILIA II. IN DIE S. MARIAE

Magdalenæ quæ peccatoribus omnibus summæ pœnitentiæ de se præbet exemplum.

SIMON pharisæus quum putabat minus recte facere dominum, eo quod tāgi se permittebat à Magdalena, interrogatus à domino est, si forte vni creditori sint debitores duo, quorū alter cētum, alter quinquaginta tātum denarios illi debeat: & si ambo nequeant soluere, remisso vtriq; debito, vter eorum illum plus diligat: respondit Simon, illū vtique plus diligere, cui plus sit donatum: subiūxit dominus & dixit, Recte respondisti. Quo ad literam, debitores ij duo, Simon & Magdalena esse possunt, quoniam sine dubio dominus Simonem hunc intellexit. Ambrosius hic cum inuestigat intellectū, & ait, Qui sunt isti debitores duo, nisi populi duo, vnus ex Iudæis, alter ex Gentibus fœneratori illi cœlestis thesauri obnoxij? Vtriq; sane credidit iste denarios in quibus regis imago inest, nō tamen denarios materiales, sed potius meritorum probationem, monetam virtutum, quam ponderari oportet libramine iustitiæ, tinnituq; probari cōfessionis. Plus autē nos Christiani debemus quā Iudæi, siquidem plus etiā denariorū, hoc est, gratiarum & donationum suscepimus: nobis cōtingit Mariæ natiuitas, nobis datus est Christus Emanuel, nobis crux, mors, resurrectio & oīa Christi merita cōcredita sunt. Quisq; ergo amplius quid *Ambro.*

recepit, is grauius peccat. misericordia autē dei efficit, vt ille magis diligat qui plꝰ debet. Greg. similiter exponit de duobus populis, & quod Simō Iudæos, Maria vero gētes repræsentet. Neq; difficile est sensum hūc extēdere, proinde nos breuitatis studio supersedemus. Etsi autē breue illud verbū sit, Et dimitti qui plus diligit, magni tamē momēti est apud oēs. Id adeo vt & tu intelligas, propone hoc tibi, Vtra tādē plus diligit deū. Maria Christi mater, an hęc Magdalena? vtiq; illa. Ecce hic respōsum Simonis obiicio tibi, quoniam Magdalenæ plꝰ est dimissum in debito quā Mariæ, quæ debitum nullum cōtraxerat, & sic ex illo respōso sequeretur, Magdalenā plus dilexisse dominū q̄ Mariā, ꝙ tamē verum nō est. Quō ergo dominus illud pro vero approbauit? Ad hanc dubitationē nō vtiq; facilē, potest respōderi ex Augu. quia peccator cui peccata dimittuntur, cōparari duobus potest, vel homini innocēti, vel alteri peccatori cui etiā sua noxa remittitur. Quod si ergo loquamur de peccatore & innocente, nihil loci tunc habet hoc respōsum Simonis, quisquis enim in innocētia à deo præseruatur, vt Maria, Ioannes Baptista, &c. sine dubio, huiusmodi maiorē tenetur gratiā agere deo pro tāto munere innocētię, quā si peccator fuisset, & à peccatis esset liberatus: quoniā perfectius est præseruare à malo, quā à malo liberare. An nō etiam ille maiorem alteri gratiā deberet, à quo sustentatus fuisset ne in lutum incideret, quam ei qui iam collapsum in pedes rursus erigeret? Sin autē de duobus agamus peccatoribus, quorū vtriq; peccata admittuntur, ex iis vtiq; plus tenetur diligere deū? cui plura sunt dimissa peccata. Atq; in hoc casu loquitur hic Simō, cuius etiā respōsum tanq̄ bonum etiā laudat dominus. (vide si placet, Scotum dist. 22. q. 1. arti. 3. Frācischum Maronis ibidē) Patet hoc ex ipsa Christi propositione, quia duos debitores proposuit ei, Maria autē nihil huiusmodi debuit. At nos iā ipsa Aug. verba audiamus, quoniā multum cōducunt homini ad notitiam sui. Quis, inquit ille, est hominum qui suam cogitās infirmitatē, audet viribus suis tribuere castitatē atq; innocentiam suam, vt minus amet te, quasi minus ei necessaria fuerit misericordia tua, qua donat peccata cōuersis ad te? Quis enim vocatus à te, sequutus est vocē tuam, & vitauit eaquæ de meipso recordantem & fatentem legit? non me derideat ab eo medico ægrum sanari, à quo sibi præscitum est,

Lib. 2. confes. cap. 7.

Augusti.

eſt, vt nō ægrotaret. & ideo te tantūdem, imo vero amplius diligat: quia per quē me videt tātis peccatorū meorū lāguoribus exui, per eū ſe videt tātis peccatorū lāguoribus nō implicari. Præclara ſunt hæc verba Aug. eaq; tamē ex quadam Aug. gloſſa melius intelliguntur, vbi inquit ille, Et cōmiſſa & nō cōmiſſa donātur. nemo enim peccata aliqua facit tam grādia, vt nō poſsit eadē perpetrare alter, niſi à deo per gratiam præſeruatus. Diſcamus hic vidētes aliquē magnū peccatorem, cōpati illi & cōdolere, quod adeo deſtitutus ſit gratia dei vt in tanta corruerit ſcelera. Neq; inde ſuperbiamus elati nō extollamur, quaſi nos ſimus illo meliores. quin potius deo gratias agamus pro gratia collata, & quia nos nō in ſimilia peccata prolabi permiſerit. Vt autē omnis iſte ſpiritualis faſtus phariſęi, qui nō putabat ſe eſſe ſicut alij erāt homines, deiiciatur fundamentū hoc agnoſcite, & inde q̄ infecta ſit perditæ arboris noſtræ natura cognoſcite. Quilibet homo ſibiipſi iuxta ſuam affectionē permiſſus à deo, faceret omne malū, quantum ſaltē per eū fieri poſſet, ſed quicquid mali nō perpetrat, id vtiq; nō ex ſe, verum gratia dei præſeruante intermittit ſiquidē arbor, vt Chriſtus ait, mala bonos fructus facere nō poteſt. Noſtra autē arbor iam olim in paradiſo vitiū cōtraxit, quando eam ſerpēs antiquus in Adam & Eua primis parentibus introxicauit: factaq; hinc eſt plantatio diaboli, nō patris cœleſtis. & ideo q̄cquid ex illa ſubnaſcitur arbore, nō poteſt nō eſſe infectū & vitioſum. Vbi ergo iam Pelagiani deliteſcunt, ſomniantes, quod homo ex puris naturalibus poſsit etiam vitā mereri æternā? Nihil ſane minus. nam infecta eſt hęc arbor fructū ex ſe bonum nullum profert, niſi gratia dei fructū nouū producat. Quo reſpexit etiā Paulus, quādo dixit, Quid habes q̄ nō accepiſti? ¶ Vt autē iſtuc vnde deſcēdimus, reditio fiat, reſpōdit Simō domino, A Eſtimo quia is cui plus donauit. Intelligendū id eſt inter debitores, ſed Maria tale nihil debuit, ideo neq; hic Magdalenæ eſt conferēda, ſed Simō comparari Magdalenæ debet. Infinita eſſent hic dicenda, ſed ſtylus cohibendus.

Augusti.

Luc. 18.

Mat. 7.

Gen. 3.

Mat. 15.

2. Cor. 4.

2 Ad reſponſum ergo Simonis, qui dum ſua ſententia cō uincitur, quaſi phreneticus funem portat vnde ligetur, recenſet dominus quid boni ex pœnitentia ſua ſuſceperit peccatrix, & quid viciſsim boni neglexerit phariſęus, falſo iuſtus. Vnde ſuperbiam ſuam cognoſcere poterat Simon, qui

Gregor.

paratus adeo erat cõdemnare peccatricem, quasi ipse iustis-
Theop. simus esset. Ostẽdit ergo (vt ait Theophylactus) dominus Simonem & arrogãtem & insipientẽ fuisse. arrogantẽ quidem & cõtumeliosum, quod etiã ipse homo existẽs, hominem propter peccata condẽnatũ: insipientem vero, quia nõ cogitabat quanta fidei & charitatis signa illa præ se ferret, cum ipse interim domino nec aquã nec oscũlũ dederat neq; vnguentum. Vnde facile colligitur, nudis pedibus dominũ ambulasse, eamq; terram calcasse, quam nũc infideles & impij Turcæ blasphemis pedibus cõculcant. Quod si diligẽter ponderes hunc domini sermonem, videas argumentum esse à minori ad maius, in hunc modũ, Tu mihi Simon aquã non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos. facilius autem est aquam ex fonte haurire, quam ex oculis lachrymas educere. Quãto procliuius est hospitem osculari, pro more regionis, sicut adhuc Germani inferiores solent & Angli, ad maxillam, quã pedes deosculari & tergere capillis? fueruntq; adeo illa maximæ dilectionis argumenta. sicut ipse deinceps dominus ad charitatem omnia refert. Et tandẽ cõcludit, Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Quã pulchre peperc it hic dominus hospiti, vt quũ principio similitudinis de duobus debitoribus cœpisset dicere, tandem omisso altero, loquatur de vno tantũ? Alias oportuisset eum dicere, Et tibi Simõ minus dimittitur, quia minus amasti, pauci oraq; dilectionis argumenta exhibuisti. Verũ hic dominus parabolam de altero tantũ concludit debitore, ad alterũ interim quod pertinet, nemini proprie applicat, sed sine discrimine & impersonaliter dicit, Cui minus dimittitur, minus diligit. Vbi satis manifeste datur intelligi, radicem remissionis peccatorum esse dilectionem, quæ ideo etiam operit multitudinem peccatorum. Quamobrẽ Paul⁹ ait ad Colos. Super omnia
1. Pet. 4. hæc charitatem habete, quod est vinculũ perfectionis. Idẽ
Col. 3. monet Ephesios suos fundatos & radicatos esse in charita-
Ephe. 3. te. Eaq; etiã causa est cur finis præcepti sit charitas, finis omnis doctrinæ theologicæ, finis insuper vniuersæ vitæ Chri-
August. stianæ, sicut pulchre docet Augustinus lib. 1. cap. 15. doctrina Christiana, quomodo charitas finis sit totius sacræ scripturę. Et sic Paulus ait, finis præcepti charitas est, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta. Verũ de iis alias,

nunc

nunc ſatis ſit dilectionem cauſam eſſe remiſsionis peccatorum. 3 Quum dicit dominus eũ minus diligere, cui minus remittitur, quærat aliquis, Quũ tamẽ dilectio diuina, & vt ſit illa modica, totum auferat peccatũ, quomodo conſiſtat iſtud? accedit inſuper teſtimoniũ Hieronymi qui dicit, Anathema ſit, qui dicit à deo dimidiã ſperãdam eſſe veniam. Quid multa? quandocunque vnũ dimittitur peccatũ, dimittuntur omnia, cuius rei ratio eſt, quia non dimittitur peccatum ſine gratia dei. Iam vero hæc eſſe nõ poteſt, vbicunq; peccatum eſt ideoq; cogitare nemo debet ſe velle aut rite poſſe peccatum vnũ ſine altero cõfiteri, aut vnum ſine aliquo poſſe dimitti Non vult enim nos claudicare dominus. zelotes ille eſt, nec poteſt vna cũ peccato amari. Quid eſt ergo quod hic dominus ait, Cui minus dimittitur, minus diligit? Reſpondetur, Verbum hoc Chriſti intelligi nõ debere de peccatorum remiſsione, quo ad culpã & odiũ obligatorium, quod incurrit quicunque peccat: iuxta illud Pſalmi, Iniquos odio habui. & iſtud, Odiſti omnes obſeruantes vanitates. Itaque quantumcunq; vel minima ſit gratia dei, modo gratia ſit, omne peccatũ dimittitur quo ad culpam: ſinautẽ pœnæ remiſsionẽ accipiamus, quæ pro peccato debetur, tunc demũ locũ habet illud quod hic dixit Chriſtus, Qui minus diligit, minus remittitur. Hinc regulam doctores eliciunt huiuſmodi, Quãuis in vniuerſali loquendo, in pœnitẽtia dimittitur culpa, ſimulq́ue pœna æterna in temporalem conuertitur, pœnitens tamẽ tam ardentẽ habere poteſt dilectionem, vt totum illi remittatur peccatũ à pœna & culpa. Atq; ideo nõ eſt, quod glorientur neochriſtiani de Magdalena, cui ſatisfactionem dominus non iniunxit, quod etiam ipſi huius exẽplo nullã velint habere erroneũ enim hoc eſt, Primo ſiquidẽ dominus in ſatisfactionẽ non iniunxit, quũ nondum inſtituta eſſet cõfeſsio, ſicut in ſimili caſu de ſancto Petro ait Ambroſius, Lachrymas Petri lego, confeſsionẽ eius non lego. 2 Deinde accedit, quod Magdalena opera ſatisfactionis iã ante impleuerat, vt amplius opus nõ eſſet plura ei imponi, quoniã fleuit amare, humiliauit ſe, pedes eſt oſculata. & ſi cõfitẽtes ad eũ modũ omnes diſpoſiti forent, vt ſit in vita pœnitẽtia digna ſeipſos exhibuerint, non admodum opus foret multã eis ſatisfactionem imponere. 3 Præterea vltra lachrymarũ amaritudinẽ ha-

Hieron.

Exo. 20. & 34.

Pſal. 118. & 52.

Ambro.

buit Maria etiã dilectionis ardorẽ, tantáq; inde dilectio effecit, vt plus sit ei dimissum. Imo & indulgentias perfecte consequuta est à pœna & culpa. Si quis tãtum charitatis in confitente videret, facilius posset sine satisfactione trãsire. Verum interim nihil minus deprehẽdi solet in neochristianis, inique ergo satisfactionẽ recusant. 4 Quid quod longe diuersa in Christo & alijs sacerdotibus res est? ille enim deus verus quum sit, facile potuit remissionẽ peccati operari sine sacramento & clauibus, quoniã virtutem suam nõ alligauit sacramentis: & hanc potestatem reliqui sacerdotes non habent, sed in vsu clauium tantum & sacramentorum. Quumq; pœnitentia sacramentũ existat iudiciale, decet vtique sacerdotem tanquã iudicem transgredienti homini iniungere pœnam. 4 Nunc tandem euangelista absolutionem Magdalenæ adiungit, quãdo dixit ad eam dominus, Remittũtur tibi peccata, scilicet à pœna & culpa. Rationẽ iam antea ostenderat Simoni, quia dilexit multũ. Vbi Gregorius ait, Quid fratres mei dilectionem esse credimus nisi ignem? in eius rei argumẽtum & spiritus sanctus in linguis igneis datus est. & quid est culpa nisi rubigo? quanto ergo plus habuit Maria de igni amoris, tanto fortius peccati assumpsit rubiginem, sicut & dominus dixit. Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Lætare igitur Magdalena, quia iam peccatrix non es. Christus enim dei filius dixit, quod multũ dilexeris deum, testimonium hoc infallibile est, quod tibi in gloriã cedit & honorem. Atq; simultum diligis deum, fieri non potest, quin ille vicissimi plurimum te diligat: iuxta illud Sapientis, Ego diligentes me diligo. Nisi enim prior te dilexisset deus, non potuisses tu eum diligere, dicente domino, Nemo venit ad me, nisi pater meus cœlestis traxerit eũ. Cui consonat illud Ioannis, In hoc est charitas, nõ quasi nos dixerimus deũ, sed quoniã ipse prior dilexit nos, & misit filium suũ propiciationem pro peccatis nostris. Hic ergo ignis est amor, qui peccatum in Maria absumpsit: iuxta illud quod de ea canit ecclesia, Incendit plene peccati rubiginem Maria, quæ arsit tam incomparabiliter, per extinguibilem sanctissimę dilectionis ignẽ. Porro quantum sanata est apud hunc cœlestẽ medicũ Maria, tantum reliqui assidẽtes infirmati sunt, dicentes intra se, Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Importune & cũ contẽptu

Crego. Act. 2.
Prou. 2.
Ioan. 6.
1. Ioan. 4
Matt. 9.

ptu loquens, inclamant, Quis est hic? quasi dicerent, Non is vtiq; est, vt eius rei habeat potestatẽ, sicut similes iis alio in loco dicebãt. Quis potest dimittere peccata nisi solus deus? Non cõsiderabãt illi quã prudẽter dominus Simonẽ cõpescuisset. Veruntamẽ nihil motus dominus ex suspiciosis istorum cogitationibus, siquidem hoc primum non erat, priorem sententiam suã super Magdalenã confirmauit, inquiẽs, *Theop.* Fides tua te saluã fecit, vade in pace. Nõ prorũpat hic neochristianus, putans errori suo fucum prætexi, quasi sola fides ad iustificationem sufficiat. Primũ enim dominus non ait, Sola fides tua, quoniã vocula hęc Sola, ex euangelio nõ procedit, sed vix hodie aut heri sub hæreticorum incude fabricata est: deinde nõ dicit etiam dominus, Nuda fides. De cuiusmodi autẽ fide loquatur, ex præcedẽtibus satis liquet, quum dixit multa ei dimissa esse, quia dilexit multũ. Quum ergo antea peccatorũ remissionẽ dilectioni tribuerit, & nũc demũ fidei, cõstat non sola fide iustificatam esse Mariã, sed illa quã Paulus ait operari per charitatem: de qua etiam ait Petrus, quod deus fide purificet corda hominũ. ¶ Vbi quẽrat aliquis, quomodo homo non à se ipso, sed ex gratia dei iustificetur, quũ dicat Christus ad Mariã, Fides tua te saluã fecit: & non potius, Ego te seruaui, ego te virtutibus restitui. Respondet Theophylactus fecisse hoc dominũ, ne maiori inuidia capiãtur Iudæi, iam antea satis exacerbati in illum. ad fidẽ ergo retulit, tum vt inuidiam illorũ minueret, tum vt illos ad credendũ induceret, discentes saluté ex fide esse. Vade in pace. Quo ad literã, pax hic intelligitur conscientiæ, quam habet homo postquã à peccatis est absolutus. Vere enim res præclara & eximia est mẽs sibi bene cõscia, vbi quis prę ruptavitiorũ abiecerit. Hinc solẽt cõfessores multi ad eos quos iam absoluerũt, postremo dicere. Vade in pace. Pacẽ hanc cõscientiæ optauit Paul⁹ suis Philippẽsibus, dicẽs, Pax dei quę superat omnẽ sensum, custodiat *Philip. 4.* corda vestra & intellectũ. Gregori⁹ sic ait, In pace ire præcipitur, vt à veritatis itinere in viã scãdali nõ deriuetur, dicẽte Zacharia, Ad dirigẽdos pedes nostros in viã pacis. Tũc *Lucæ 1.* enim pedes nostri in viã pacis dirigũtur, quãdo operationis viã ingredimur, à qua per gratiam Christi neutiquã secedimus ad aliquot diuerticulũ dissentionũ. ¶ Theophylactus *Theop.* paulò aliter exponit, & is quidẽ putat hanc fuisse Magdale-

Calat. 5. *Act. 15.* *Theop.* *Gregor.*

næ ſatisfactionẽ. ait enim hoc quod dominus dicit, Vade in pace, idem eſſe ac ſi dixiſſet, fac ea quæ te deo cõciliant, iuſtitiam operare, quoniã & pax ipſa iuſtitia eſt, ſicut peccatũ inimicitia cum deo. Tu autẽ hic obſerua poſtquã remiſit ei peccatũ, non cõtentus eo dominus, inſuper adiungit operationẽ boni, dicens, Vade in pace, in qua ingredi decet omnem pœnitẽtem: iuxta id quod Dauid inquit, Ibunt de virtute in virtutem, videbitur deus deorũ in Sion. ſiquidẽ pax illa diuina requirit opera bona, vt etiã Paulus ait, Iuſtificati ex fide pacẽ habemus ad deũ per Chriſtũ, per quẽ & habemus acceſſum per fidem in gratiã iſtã in qua ſtamus. Itaq; dilectiſſimi agnoſcamus noſmet erga deum cum Magdalena peccatores, clemẽtiam eius imploremus, vt nobis quoq; gratiam ſuã & charitatẽ largiatur, quatenus & nobis multa remittantur peccata, nosq; hic in pace ambulãtes, in cõſciẽtia quieta & reconciliatione dei. tandem poſt hanc vitam, pacem aſſequi mereamur felicitatis æternæ, Amen.

Pſal. 83.

Rom. 5.

HOMILLIA TERTIA ET VLTIMA

in eodem feſto.

¶ Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Lucæ 7.

EX OMNIBVS mulieribus, ſola excepta matre Chriſti, alia nulla eſt, cuius frequentẽ adeo faciunt mentionem euangeliſtæ, niſi hæc Magdalena, quod & in magnum illi honorẽ cedit, quanuis etiam hic eius peccata non taceantur, illa tamẽ occultantur, eóque pacto celantur, vt multis laudibus cumuletur ex pœnitentia quam ſuper iis egit ſanctiſsimam. Principio enim illi commemorant dominum ſeptẽ ſpiritus immũdos eieciſſe ab ea, quo peccatricẽ ipſam fuiſſe oſtendunt, in ciuitate diffamatã. Verũ hoc tandẽ adiiciunt, quod huic vni Chriſtus prę cunctis apoſtolis poſt reſurrectionẽ ſuã apparuit ipſamq; apoſtolorum conſtituit apoſtolã, dũ iuſsit eã abire ad fratres ſuos, & dicere, Aſcendo ad patrẽ meũ & patrem veſtrũ, deum meũ & deum veſtrum. Primum quoq; illa domino tantũ pedes vnxit, quia peccatrix erat: ſed deinde quum dilectionem Chriſti haberet feruentem, etiã caput eius vnxit, quod pulchre ponderat Ambroſius. Euangeliſtæ etiã, dum illa in ciuitate adhuc eſſet ex peccatis diuulgata, nomen eius, familiam, fratres & ſoro-

Lucæ 4. Ioan. 12. Mat 26.

sororem plane tacuerunt, quæ omnia tandem glorioſe commemorarũt. Ipſos igitur iam euangeliſtas audiamus de ipſa loquentes, deinde quid in hac re circa Mariam Magdalenã noſtra memoria nouitatis ſit ortum, referemus, ea quidem modeſtia, ne piæ fidelium aures aliqua ex parte offendatur. *Luc.7.*

¶ Et principio quidem, ait Lucas, vt ex euangelio iam audiuimus, fuiſſe mulierem in ciuitate peccatricem, eãmque veniſſe in domũ Simonis phariſæi: lachrymis ſuis lauiſſe pedes domini, & capillis terſiſſe: oſculatam eſſe & vnxiſſe. Ac deinceps ait, Faciebat dominus iter per ciuitates & caſtella, *Luc.8.* prædicans & euangelizans regnum, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus, Maria quę vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant, & Ioanna vxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis. Et inde, Factum eſt dum irent, intrauit *Luc.10.* in quoddam caſtellum, & mulier quędam Martha nomine, excepit illum in domũ ſuam. Et huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes domini, audiebat verbum illius. Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium, quæ ſtetit & ait, Domine, nõ eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi vt me adiuuet. Et reſpondens dixit illi dominus, Martha Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima. porro vnum eſt neceſſarium, *Ioan.11.* Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

¶ Verùm & Ioannes refert Lazarum ex caſtello Mariæ & Marthæ ſororum, ægrotaſſe. erat autẽ hæc ipſa Maria quæ dominum vnxerat, & pedes eius capillis ſuis deterſerat. ibi tamen ſorores illæ miſerũt ad dominum, denunciantes eum quem diligeret infirmari. Quum ergo veniſſet dominus in Bethaniam, iámque Lazarus ante quatriduũ mortuus eſſet, occurrit illi Martha primum. ea deinde & Mariam aduocauit, ſed clam, dicens adeſſe magiſtrũ, ipſamque vocare. quæ continuo ſurrexit, feſtinantérque ad dominũ cucurrit, procidens ad pedes illius, & dicens, Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. ibíque Lazarũ à mortuis reſuſcitauit Chriſtus. Porrò deinceps ait Ioannes, Ante ſex *Ioan.12.* dies paſchę venit Ieſus Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quẽ ſuſcitauit Ieſus. fecerunt autẽ ei cœnã ibi, & Martha miniſtrabat, Lazarus verò vnus erat ex diſcumbentibus

cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici
precioſi, & vnxit pedes Ieſu, & exterſit capillis, ita vt dom⁹
impleretur ex odore vnguẽti. Sed & murmurãte hinc Iuda,
& clamitante quur non venit illud trecentis denariis, dixit
dominus, Sine illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud.
Matt.26. ¶Inſuper Matthæus de ea ſic ait, Quum Ieſus eſſet in Be-
thania in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier ha-
bens alabaſtrũ vnguenti precioſi, & effudit ſuper caput ip-
ſius recumbentis. Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt,
dicentes, Vt quid perditio hæc? potuit enim iſtud vænun-
dari multo, & dari pauperibus. Sciens autem Ieſus, ait illis,
Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata
eſt in me. Nã ſemper pauperes habetis vobiſcũ, me autẽ nõ
ſemper habetis. Mittens enim hæc vnguentũ hoc in corpus
meum, ad ſepeliendũ me fecit. Amen dico vobis, vbicũque
prædicatũ fuerit hoc euãgeliũ in toto mundo, dicetur & qđ
hęc fecit in memoriã eius. Factũ hoc eſt poſt illud, quod Io-
annes refert cõtigiſſe in ædibus Marthæ, deſcripſitque hoc
Mar.14. idem Marcus. Præterea in paſſionẽ vſq; ſequuta Chriſtum
Magdalena, ſtetit etiã ſub cruce ipſius, ſicut teſtatur euãge-
Matt.26. liſtæ. Nam Matthæus ſic ait, Erant ibi mulieres multæ à lõ-
ge quæ ſequutæ erant Ieſum à Galilæa, miniſtrãtes ei, inter
quas erãt Maria Magdalena & Maria Iacobi & Ioſeph ma-
Mar.15. ter, & mater filiorũ Zebedæi. Cõſonat etiã Marcus, dicens,
Erant mulieres de longe aſpicientes, inter quas erãt Maria
Magdalene & Maria Iacobi minoris & Ioſeph mater, & Sa
lomæ: & quũ eſſet in Galilæa, ſequebãtur eum & miniſtra-
bant ei, & aliæ multæ quæ ſimul cum eo aſcenderãt Hiero-
Luc.23. ſolymam. Idem & Lucas de mulieribus recenſet. quanuis
Ioan.19. nullam vocet ex nomine. Sed Ioãnes ſic inquit, Stabat iuxta
crucẽ Ieſu mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ,
& Maria Magdalene. Ad hęc funus Chriſti cõduxit Magda
Matt.27. lena ad ſepulturam. ſic enim ait Matthæus, ſepulto domino
abiiſſe Ioſeph, affuiſſe autẽ Mariam Magdalenã, & alteram
Mar.15. Mariam quæ ſedebant cõtra ſepulchrũ. Marcus ſcribit Ma-
Luc.23. riam Magdalenã & Mariam Ioſeph vidiſſe quonam pone-
retur dominus. Lucas vero in hæc verba ſcriptum reliquit.
¶Subſequutæ mulieres quæ cum eo venerant de Galilæa,
viderũt monumentum, & quemadmodũ poſitum erat cor-
pus eius. Et reuertentes parauerunt aromata & vnguenta.

Ipſo

ipſo deinde reſurrectionis Chriſti die mane, venit Maria Magdalena cum reliquis mulieribus vngere corpus Ieſu. Ita enim Ioannes de ea ſola ſcribit, quomodo mane venerit ad monumentum, & cõſpicata reuolutũ inde lapidem, recurrerit ad Petrum & Ioannem, denũcians eis hoc, qui deinde vna cũ Magdalena venerit ad monumentũ. Matthæus quoque, Veſpera, inquit, ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magdalena & altera Maria videre ſepulchrũ, loquutus eſt autẽ angelus mulieribus, dicẽs, Nolite metuere, ſcio enim quia crucifixum quæritis. Marcus vero ſic habet, Quum tranſiſſet ſabbatũ, Maria Magdalena & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent eum. Et valde mane vna ſabbatorũ veniunt ad monumentum, orto iam ſole. & dicebant ad inuicẽ, Quis reuoluet nobis lapidẽ ab oſtio monumenti? Et reſpicientes, viderũt reuolutum lapidem, & introeuntes in monumentũ, viderunt iuuenem ſedentẽ in dextris, coopertũ ſtola candida, & obſtupuerũt. Qui dicit illis, Nolite expaueſcere, Ieſum quem quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit, nõ eſt hic. Ecce locus vbi poſuerũt eum. Ite, dicite diſcipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis ſicut dixit vobis. Eiuſdem hiſtoriæ meminit & Lucas, addens mulieres à ſepulchro reuerſas, nunciaſſe illud vndecim apoſtolis & aliis omnibus. ait enim, Erat Maria Magdalene & Ioãna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebãt ad apoſtolos hæc. ¶ Quomodo autẽ Chriſtus apparuerit Magdalenæ, Marcus recenſet, qui poſtquã narrauit Mariã cum cæteris mulieribus abiiſſe ad ſepulchrũ, ſic ſubdit, Surgens Ieſus mane prima ſabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptem dæmonia. Illa vadens nunciauit iis qui cũ eo fuerant, lugentibus & flentibus. Et illi audientes quia viueret & viſus eſſet ab ea, non crediderũt. Ioannes aliquãto clarius enarrat illud quomodo ſucceſſerit. ſiquidẽ quum iam abiiſſent Petrus & Ioãnes rurſus à monumento, ſtabat Maria ad monumentũ foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit ſe & proſpexit in monumentũ. & vidit duos angelos in albis ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis, Quia tulerũt dominũ meum, & neſcio vbi poſuerunt eum. Hæc quũ dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum,

Ioan.20.

Matt.28.

Marc.10.

Luc.24.

Mar.16.

Ioan.20.

& vidit Iesum stantem, & nō sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus, Mulier quid ploras? quem quæris? illa existimās quia hortulanus esset, dicit ei, Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollā. Dicit ei Iesus, Maria. Conuersa illa, dicit ei, Rabboni, quod dicitur magister. Dicit ei Iesus, Noli me tangere, nondū enim ascendi ad patrem meum. Vade autē ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad patrem meū & patrem vestrum, deum meū & deum vestrum. Venit Maria Magdalene annuncians discipulis, quia vidi dominum, & hæc dixit mihi. Historiam hanc inuenies probe explicatā in die sancto Paschæ. Sufficiat nunc ostendisse quanta testimonia Mariæ Magdalenæ euangelium tribuat. Fuit illa quidem peccatrix, sed pœnitentiā egit, cuius rei certum ei præbet Christus testimonium ex plurima dilectione erga deum. Vicissim Ioannes testatur Christum dilexisse eam, fratrē ipsius & sororem. Quater ipsam defendit Christus, sub cuius patrocinio nō potuit excidere causa, semel defendit eam aduersus Simonem pharisæū, deinde erga sororē ipsius Martham. Mox cōtra Iudā in ædibus Marthę, postremo aduersus apostolos in domo Simonis leprosi.

Luc.7.

Ioan.11.

Luc.7.10.
Ioan.17.
Matt.16.

¶ Verūm hic prorūpunt nescio qui terræ filij, priuata quædam somnia narrantes. Horum alij tres, alij duas tantum volunt fuisse Magdalenas. Et vnam quidem à Bethania Marthæ & Lazari sororem, eámq; bonam extitisse semper: Alteram fuisse Hierosolymis peccatricem. Tertiam obsessam ex Galilæa, cui soli nomen fuerit Magdalene, à Magdalo oppido in mari Tiberiadis posito. Atq; ideo textꝰ supra per nos citatos diuidūt in tres partes, volentes quod in octo capitibus mētio fiat Marię Magdalenę, quę fuit à Galilęa, scilicet Matthęi 27. & 28. Marci 15. & 16. Lucæ 8. & 23. & 24. Ioānis 19. & 20. Sed de Maria Hierosolymitana solo capite septimo Lucæ. Atq; de Maria sorore Marthę in quinq; capitibꝰ, Matthęi 26. Marci 14. Lucę 10. Ioānis 11. & 12. Inducūt illi pro suo errore nōnullos ex patribus, Theophylactum, Irenæū, Origenem & Chrysostomū. Verum omnis ista diuisio, imo discissio & laniatio textuū, priuata temeritate facta est sine omni fundaméto scripturæ, cōtra vsum & obseruationē ecclesiæ catholicæ, nec aliquis Christianꝰ in huiusmodi errores cōsentire debet. Sed sicut tenuit ecclesia ab ipsis iam inde tēporibus apostolorū vsque in hodiernū diem,

ita

ita credendū firmiter eſt, mulierē vnam fuiſſe peccatricem illam pœnitentē, obſeſſam, Marthæ & Lazari ſororem. Inſuper eccleſia triplici hac hiſtoria non diuiſa, ſed ſimplici & vna vtitur hodie. ¶ Quū itaque aduerſarij nullum habeant ex ſcriptura fundamentū, nemini temere eſt ab eccleſia recedendum, ſed conſtanter credendum, Mariam vnam illam fuiſſe Marthæ ſororem, & quæ pœnitentiā egit. Atq; ideo *Luc.7.11.* eadem vbique diligentia, & dilectionis argumentū idem ab *Ioan.12.* euāgeliſtis exprimitur. Ecce enim quære Mariā, & eam in- *Ioan.19.* uenies in domo Simonis proſtratam ad pedes domini: inue- *Matt.27.* nies apud pedes dominicos etiam in ſuæ ſororis ædibus au- *Ioan.20.* dientem verbū dei. Inuenies & extra Bethaniam, procidentem ad pedes domini, ſed vides eandem & ſub ipſa cruce Chriſti. Vides ne apud ſepulchrū quoque? Merito ergo eidem Mariæ dominus primū apparuit poſt reſurrectionem. Et ſic quidem ſecundū doctrinam Iacobi nō debemus plu- *Iaco.1.* res fieri magiſtri, hoc eſt, plurima & diuerſa & eccleſiæ docere cōtraria. Quandiu ſequimur eccleſiam, magiſtrū vnum habemus ſpiritum ſanctum, à quo nemini eſt recedendum. Sed neque hoc vel minimum ſuſpicari quiſquam debet, Mariam, quia peccatrix fuerit, nō ideo à Chriſto in ſublimiorē gratiæ gradū eſſe euectam. Nam qui ad hanc amuſſim exacte componere ſingula vellet, is & Zachæum à Chriſti conſortio excluderet, publicanum quoque, Petrum ipſum apoſtolorū principem, qui etiam propriū ſuum abnegauit magiſtrum, Matthæū telonearium, Thomam incredulum, & Paulum perſequutorem. Ideo enim Maria ſpeculū & exemplar eſt pœnitentiæ, quia gratiam apud Chriſtū conſequuta eſt, licet peccatrix. ¶ Quod autē nouiti; iſti veteres illos doctores, Origenem, Chryſoſtomū, Irenæum & alios pro ſuo errore adducunt, iamdudum egregie confutatum eſt à multis, & inde ſcholis potius quam ſuggeſto conuenit. Nobis ſufficere debet fides eccleſiæ ad credendā hanc veritatē, omnes illas vnicam tantum fuiſſe mulierem Mariam Magdalenam, ſicut Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, Bernardus, Beda & quędā concilia cōcluſerunt, ipſaq; in vniuerſum catholica credit eccleſia. Quia iſta materia eſt latiſſime euacuata, non debet nimium propalari coram ſimplici populo: ſcandalizantur enim quando audiunt illa à doctis cōtroueri, quæ ſemper ſunt habita certiſſima. Doctus autē

legat quæ Marcus de Grandi valle, Ioannes episcopus Rossensis Angliæ doctissimus, Natalis Beda doctor Pharrisinus, & vitæ honestate & eruditione spectabilis, scripserunt contra Iacobum Fabrum Stapulensem. Scripsit etiam quidã monachus Geselbertus, Vvestésis monasterij abbas in Anglia, auditor B. Anselmi, cuius scriptum tamen non vidi.

De beata Maria Magdalena.

AD extremũ iam pro coronide ipsam scilicet Mariæ Magdalenæ historiã breuiter percurremus. Nata illa parétibus est & diuitibus & nobilibus, matrem habuit Euchariam, post obitũ patris Syri & matris, liberi illi tres relicti, diuiserũt bona, mãseruitq; Lazaro ea quæ erant Hierosolymis, Marthę bona in Bethania, Mariæ autẽ quæ erant in oppido Magdalo, vnde & ipsa Magdalene dicitur. Situm autem illud est ad mare Tiberiadis, non ita procul à Naim. Maria & bonis suis & forma abusa adhuc iuuencula, multum leuiter & indecenter vixit, ita vt ab omnibus pro peccatrice & petulanti muliercula haberetur, plus diabolo seruiens quam deo. Verùm quum pœnitentiam prædicaret dominus, percipiens illa verbum eius corde, omissis peccatis, conuertit se ad deũ. An autẽ dæmonia septẽ vere obsederint illam, aut potius ipsa ob multitudinem peccatorum pro obsessa sit habita, quod alias de malis hominibus dici solet, ex scriptura certo nõ cõstat. Greg. tamen, & ante eum Augustinus libr. vndecimo de ciuitate dei, cap. 31. existimant septenario dæmonum numero vniuersitatem intelligi vitiorum. Cõuersio eius in Martio facta est, circiter diẽ decimũ. Quumq; iam in corde sua cõuersa esset diuina dilectione vrgente, ad opera pœnitẽtiæ cõpulsa est, vt veniret ad pedes domini in ædes Simonis pharisæi, sicut in euãgelio audiuimus: sic deinceps dominũ sequuta, doctrinam eius vita sua expressit. In eius gratiã dominus Marthã à diuturna infirmitate liberauit, (vt vult Amb. sed ecclesiastica historia & Tripart. dicit aliam fuisse Edissenam) Lazarum quoq; à morte suscitauit, & alia multa quæ supra ex euangeliis sunt recitata. Post ascensionẽ Christi, diuisis iam apostolis in vniuersum orbem, ipsa quoq; Iudæam reliquit cum Lazaro Martha & Maximino, qui vnus fuit ex 72. discipulis, cum Marcella quæ ancilla erat Marthæ, verbaq́ue, vt aiunt, illa dixerat ad dominum, Beatus venter qui te portauit,

Gregor. Augusti.

Ioan. 11. Ambro. cap. 5. de Salomo.

Eusebius li. 7. c. 14

tauit, & vbera quæ ſuxiſti, cum Cedonio qui ab ineũte æta te cæcus extiterat, & cum pleriſque aliis Chriſtianorũ. Om nes ij aſcenderunt in mare, & eiecit eos ventus ad littus in Maſſiliam, vbi dominum regionis cum vxore ad Chriſti fidem conuerterunt, ipſe Lazarus conſecratus eſt epiſcopus. ſed Magdalena adiuncto ſibi Maximino porro profecta in ciuitatem Aqueam, prædicauit ibidem. multoq; populo cõ uerſo, Maximinus ibi ordinatus eſt epiſcopus. Poſtremo Magdalena plane deſeruit mundum, vt vitam viuere poſſet contemplatiuam, quam nimirum optimam partem iam dudum elegerat. in ea vixit annis 30. hominibus ignoto omnibus, omniumq; mortalium ſolatio deſtituta: quotidie tamẽ ſepté horarũ tempore ab angelis eleuabatur in aëra, audiens laudem dei, vnde & paſcebatur. Quum autẽ ſacerdos quidã in ſingulos annos dieb⁹ 40. veniret in deſertum, reuelatum ei nomen eſt ſimul & angelica vita Magdalenæ, ipſiq; commiſſum, vt pontifici Maximino inſinuaret eam morituram, vt igitur proximo die dominico & ſacramento ei prouideret, curandũ eſſe. ſiquidem tunc angeli ipſam in oratorium eius deducturi erant. Sic iam poſtea quam Maximinus corporis Chriſti ſacramentum contulit Mariæ, emiſit illa ſpiritum ſuum ante altare, anno à Chriſto nato 78. ¶ Hæc itaq; illa ſancta mulier eſt Magdalena, exemplar peccatorum omnium, qui conuerti volunt ad dominũ. Ipſa enim prima eſt quæ tẽpore gratiæ euãgelicam pœnitentiã eſt operata. Hęc ipſa partem optimam elegit, hæc ad pedes Chriſti verbũ ei⁹ ſedulo audiuit, hæc caput dominicũ precioſo vnguẽto irrigauit, hæc Chriſtũ fletu & lachrymis ad crucẽ vſq; ſequuta eſt, hæc apud crucẽ remanſit: & neq; mortuo iam illo, niſi prius ad ſepulturam conduceret, abſceſſit. hæc vnguentũ & aromata cõparauit, vnctura illũ in monumẽto. hæc inſuper nec à monumento receſſit, etiã apoſtolis & mulieribus aliis abeũtibus. huic primũ apparuit Chriſtus in die reſurrectionis ſuæ. O ſancta igitur Maria Magdalena. ora deũ pro nobis, vt & nos peccatorum noſtrorũ remiſsionem, gratiã dei & dilectionem, atque poſt hãc vitam impetremus illam, in qua tu iam beata cum Chriſto triumphas in ſecula, Amen. *Luc.11.* *Ioan.9.* *Luc.11.*

De Magdalena ſi placet videre plura, vide Ambroſium in ſermone. ſed verſatur in eo quod Chriſtus ad illam dixit, Noli me tangere.

Marc.10. IN illo tẽpore, *Acceſsit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Q*ui dixit ei, *Q*uid vis? Ait illi, *Dic vt ſedeant ꝙ duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondens autem Ieſus, dixit, Neſcitis quid petatis. poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? dicunt ei, Poſſumus. Ait illis, Calicem quidem meum bibetis. ſedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo. Et audientes decem, indignati ſunt de duobus fratribus. Ie-*
Marc.10. *ſus autem vocauit eos ad ſe, & ait. Scitis, quia principes Gen-*
Luc.22. *tium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent inter eos? Non ita erit inter vos. ſed quicunque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter. Et qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus. Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.*

HOMILIA VNICA.

EVANGELIVM hoc, dilectiſsimi, melius tũc intelligitur, quando etiam quæ præcedunt ponderantur, ſiquidẽ ex iis promanat intellectus iſtorũ verborũ tanquã ex vera cauſa. Dixerat autẽ ille
Mat.9.2. antea ad eos, Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus ſacerdotum & ſcribis, & cõdemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudẽdum & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die reſurget. Hinc ſequitur euangelium hoc, quando acceſsit ad eum ma-
Hieron. ter filiorum Zebedęi. Admiratur hic Hieronymus, vt ait, Vnde opinionem regni habet mater filiorum Zebedęi, quũ tamen dominus omnia contraria & aduerſantia regno prędixerit, oſtendens tradendum ſe, condemnandum morte, illudendum & flagellandum: & dum ignominiam paſsionis timẽtibus diſcipulis annunciaret, illa gloriam poſtulet triũphantis? Hæc (vt reor) cauſa, inquit Hiero quia poſt omnia dixerat dominus. Et tertia die reſurget, putauit eum mulier poſt reſurrectionem ilico regnaturũ: & hoc quod in ſecũdo aduentu

aduentu promittitur, in primo esse complendum: & auiditate fœminea præsentia cupit, immemor futurorum. Estq; hic vulgaris error Iudæorum, in hunc quoq; diem ita delirantium, vt somniant Messiam pompose & in humano fastu regnaturum. sic quicquid in prophetis de gloria prædictum est secundi aduentus, isti de primo intelligunt. Qua de re multa diximus dominica prima aduentus. ¶Porrò mater filiorũ Zebedæi Maria soror fuit Mariæ matris Christi, & vxor Zebedæi, quæ alias in euangelio dici solet Maria Salome à paréte, qui maritus Annæ fuit, sicut in illius festo dicetur. Illa ergo accessit ad dominum. Vnde colligunt doctores ipsam iam tunc fuisse viduam, quia alias etiam Zebedæus aduenisset. quanuis Chrysosto. dicit, Magna laus mulieris ex hoc loco intelligitur, quia non solum filij reliquerunt patrem, sed & ipsa reliquerat virum suum, & sequuta fuerat Christũ, quia iste sine illa viuere poterat. Venit hæc ad dominum, adorans illum, & petés aliquid ab eo. Vbi nemo suspicetur matrem petiisse hoc sine consensu filiorum, sed communi hoc ipsorum concilio esse cõclusum, vt petitionem suam ad dominum deferri curarẽt per ipsam eorum matrem, quam norant illi multũ dilectam. Atq; ideo Marcus vbi hanc describit historiam, tantum meminit filiorum. Theophy. sic ait, Clanculo accedebãt & ipsi. pasi autẽ sunt & humanum quid, dum illud etiã ipsi à domino petierunt. Quicquid tamen hoc est, siue, venerint ipsi, siue mater sola eorum tamen instinctu, non refert, constat vtiq; quod corporalis benignitas erga filios, ipse quoq; carnalis affectus filiorum, qui nondum plenum induerant spiritum, hoc sibi persuaserant, vt peterent primi esse apud dominum.

Tom. 1. *Chrysosto.* *Beda.* *Mar. 10.* *Theoph.*

2 Et dominus dixit ei, Quid vis? Non eo vtique quæsiuit quod ignorarit, sed ex persona eius dicitur, qui flagellandus & crucifigendus erat, quomodo & in hemoroissa, Quis me tetigit? Et de Lazaro, Vbi posuistis eum? Fiunt nónunquam interrogationes Christi eruditionis gratia & correptionis, vt quum interrogauit in paradiso, Adã vbi es? & inde, Descendam & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita vt sciam. Voluit ergo hic dominus quærendo docere, ipsam eorum petitionem ex ignorantia prouenire. sed illa, Dic, ait, vt sedeãt hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.

Hieron. *Luc. 8.* *Ioan. 11.* *Gen. 3. 18.*

Commune hoc parentũ vitium eſt, vt liberis ſuis conditiones amplas & magnificos parent honores, primos & præcipuos efficiant, quum interim proſtrema & vix tamẽ aliqua ſit animę cura. Si quis videat filium ad ſummam & extremã egeſtatem redigi, iam tum dolet: ſin ditari cõſpicit, nemo tri ſtatur. eoq; docent illi parentes eſſe ſe corporum tantũ, non
Mat.19. etiam animarum. Ita plane fecit hic Maria, cui forſitan dixe rant filij dominum eis promiſiſſe, quia futurum ſit vt ſederẽt ſuper ſedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Iſraël. Ipſa autẽ putabat regnum hoc Hieroſolymis cœpturum ſimul atq; reſurrexiſſet. ¶ Reſpõdit dominus & dixit, Neſcitis quid petatis. Ecce quomodo non ignorans? vt ait Chry-
Chryſoſt. ſoſtomus quæſierat, ſed vt reſpõdere cõpulſis vlcus ſub ape
Hieron. riat, quod ſanare Chriſtus intendebat. Et hic patet petitionem hanc ex filiis ortam eſſe, quia cum ipſis, non matre loquutus eſt dominus, intelligens vtique preces eius ex filiorũ deſcẽdere voluntate. ſed & reliqui decem diſcipuli iis duo-
Theophy. bus, nõ matri ſuccenſebant. Quid multa? imperfecti adhuc erant apoſtoli, plus carnis quam ſpiritus habentes. & in hoc Chriſtus ſe deum oſtẽdit, quod matre præterita filiis loquitur, vt doceat quod non ignorauerit ab ipſis præmiſſam filiis, qui nihil dum de cœleſti regno cogitabant, ſed humana
Mat.23. tantum aſpirabant. Neſcitis, inquit, quid petatis. quaſi diceret, Non exprobro matri veſtræ ignorantiam, quę nondum erudita eſt ſapiẽtia doctrinæ meæ. Vos autẽ qui à principio ſemper fuiſtis mecũ, & tam multa ex me audiſtis de cõtemptu mundi, de cõmendatione & laudæ dexteræ, nõ ſiniſtrę, quit fit vt ex me temporalem petatis honorẽ? quid in ſiniſtra facturi eſtis? an in parte malorum, imo maledictorũ ſtabitis?
Heb.9.6. Ecce quia neſcitis quid petatis. Poterat vtiq; eis dicere dominus: quod Paulus dixit Hebræis, Quum deberetis magiſtri eſſe propter tẽpus, rurſum indigetis vt doceamini quæ ſint elementa exordij ſermonum dei. Et ſicut ipſe hic ſupra apoſtolis exprobrauit, an & ipſi adhuc ſint ſine intellectu.

3 Quum iam increpaſſet eos dominus de ignorantia, reuocat illos ad veram ſcientiã, vnde cognoſcant quid & quare ſit petendum. Primumq́ue ſtatim docet eos intelligere,
Chryſoſt. vnde quid petant ignorent, dicens, Poteſtis bibere calicem quẽ ego bibiturus ſum? Ecce quam ſubito ab hac cupiditate eos remouit, cõtraria eis ediſſerens. Nam vos, inquit, de honoribus

noribus & coronis cogitatis, ego vero de luctamine atque sudore differo. Nec præmiorũ hoc tẽpus est, nec gloria illa mea modo apparebit, sed bella, pericula & necẽ præsens vita continet, nescitis ergo quid petatis. Hieronymus sic ait, Calicẽ in scripturis diuinis passionẽ intelligimus, iuxta illud, Pater si possibile est, trãseat à me calix iste Et in Psalmo, Calicem salutaris accipiã, & nomen domini inuocabo. Statimq; infert quis sit ille calix, preciosa in cõspectu domini mors sanctorũ eius. Chrysostomus arbitratus dominũ eos ita humaniter ad passionem vocasse, vt citra horrorem consentirent, quia non dicit, Sanguinẽ vestrum potestis effundere? poterãt hinc exhorrescere, sed placide. Potestis, inquit, bibere calicem? & vt minus in eo mouerentur, addit & illud, Quem ego bibiturus sum. vt sic magis consentirent, intelligentes ipsum quoque communem in passione sortem cum eis habiturum. Nec ætatis grauitate, neque rerum peritia adhuc valebant apostoli? vnde & imprudenter responderunt domino. Possumus, quæ imperitia sane propriarum virium erat præsumptio: non dissimilis illi qua Petrus paratum se gloriabatur cum Christo & in carceres & in mortẽ ire, ac deinde ad vnius ancillæ vocẽ negauit eũ. Ita duo isti dicebant posse se bibere calicem, & tamen ipsi quoq; fugerunt à domino, sicut & alij nolentes calicis huius hausturn præstolari. Cæterũ Theophylactus nescii esse eos putat quid promitteret, dum spectabant tantum ad id quod ambiebant. Et paulò antè, Poculũ dicit martyrium & suam mortẽ, simul ostendens quod leue sit, & quod oporteat nos tam facile illud aggredi, quam si bibendũ esset poculum, declarans quod & ipse suauiter accedat mortẽ. sicut enim bibens poculũ, statim dormit grauatus: sic & qui martyrij poculũ bibit, in mortis somnum defertur. Similiter & Chrysost. dicit, Hi duo desiderio quodam animi cõfestim promittunt, dicentes, Possumus. nec idipsum intelligentes quod se posse affirmabãt, sed sperãtes se habituros postulata. 4 Accepta promissione eorũ, rursus ait domin⁹, Calicem quidem meũ bibetis, hoc est, propter me martyriũ & passionem subibitis. Atq; non temere dicit, Calicem meũ. Quo facit illud Hieronymi, Martyrem facit nõ pœna, sed causa. Latronis sinistri crux nónne & ipsa crux erat? atqui non crux Christi. Potatores omnes, omnes vsurarij crucem

Hieron. *Matt. 26.* *Psal. 115.* *Chryso.* *Matt. 26.* *Chryso.* *Hieron.* *Crux varia est.*

quidem ferũt, ſed crucem diaboli. Inde fit vt ſæpe deterius multo habeant in miniſterio & obſequio diaboli, quã nos in cultu diuino: iuxta commune prouerbium, Difficilius eſt mereri infernũ quam cœlos. Et hinc notãter dicit dominus, Calicem meũ bibetis, hoc eſt, tanquã Chriſtiani, & vt mei
1. Pet. 4. diſcipuli. atque ideo Petrus ait, Nemo patiatur vt fur aut homicida. ¶ Propheta fuit hic dominus, apoſtolis iis duobus prædicens ſupplicia. nã & ſcriptura teſtatur Iacobũ ab
Hieron. Herode decollatũ. Et in hiſtoriis eccleſiaſticis legimus Ioãnem à Domitiano in feruentis olei dolio miſſum, exiſſe in-
Act. 12. de illæſum, vt athletã forte, Romæ ſub porta Latina. deinde ille in inſulam Patmos relegatus eſt. Vſque adeo nõ defuit etiã Ioanni martyris animus, qui fortiter bibit calicem confeſsionis, ſicut pueri illi tres in fornace ignis, etiã ſi perſequutor ſanguinem eius nõ effuderit. Sequitur, Sedere ad dexteram meã & ſiniſtram, non eſt meũ dare vobis. Vnde hæreſi & errori ſuo robur addere volẽs Arrius, conatus eſt euincere Chriſtum deum verum non eſſe. Impie ſane hoc ab eo dictum, & ex non intellectis verbis Chriſti profectũ.
Theoph. ſicut enim Theophylactus ait, hæc ipſa fuit ſcientia? Si quis inuentus fuerit cum veritatis teſtificatione, omni alia virtute præditus, ille accipiet donũ. Illi ſiquidẽ præparatum eſt qui laborauerit, ſicut & certãtibus coronę ſunt præparatæ. quaſi dicat illis, Nõ eſt meum dare gratiã ad coronam, ſed quibus præparatum eſt, hoc eſt, iis qui cucurrerint & vicerint, ſiquidẽ ſedere ſuper ſedes nihil aliud eſt, quam ob virtutes glorificari. Hieronymus, Regnum, inquit, cœlorum
Hieron. non eſt dantis, ſed accipientis. nõ enim acceptio perſonarũ apud deum, ſed quicũque talem ſe præbuerit, vt regno cœlorum dignus fiat, hic accipiet, quod non perſonæ, ſed vitæ
Hebr. 1. paratum eſt. ¶ Et ſi proprie de hac re loqui velimus, ſolius Chriſti eſt ſedere ad dexterã dei. Et ideo proprie Chriſtus ſolus ad dexteram dei ſedet. (Vide ſupra in homilia Aſcenſionis.) Atqui ſine dubio, duorum apoſtolorum, animus is non fuit, quod talem petierint ſeſsionẽ. Deinde ex ſcripturis diſcimus hunc earum morem, quod per dexterã æterna deſignetur felicitas, per læuam aũt via temporis: huius iux-
Cant. 2. ta illud ſpõſæ, Siniſtra eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Omnes ergo petere debemus, vt à ſiniſtra tribulationis huius ſeculi abducamur ad dexterã felici-

tatis

tatis æternæ. Verũ neutro horũ ſenſuũ loquutus eſt dominus. (Extende, ſi placet, de dextra & ſiniſtra. & habebis egregium ſermonem. adde illud Prouerb. 3. Longitudo dierum in dextera eius, in ſiniſtra eius diuitiæ & gloria. & vide Gloſſam ord. & ſi quos habes ſcribentes ſuper Cantica Canticorũ, & poteris iuſtum conficere ſermonem. Honorius fecit vnũ more ſuo. Adde hic particulã ex homilia Bedæ, quia per ſymbola facilimum eſt latiſsime vagari. ego non proſequor, magis ſolicitus quomodo occurentia paſſim reiiciam, quam vt quicquam affectate corradam.) *Honorius.*

¶ Conſtat ergo dominũ neutro illo intellectu eſſe loquutum, ſed ad interrogationẽ apoſtolorum reſpondiſſe de felicitate. Vbi dicit Hilarius, Iſte honor alijs eſt reſeruatus, & quantum ex ipſis euãgelijs ſentire licet, in regno cœlorum Moyſes & Elias aſsidebant, quibus comitantibus cũ gloriæ ſuæ habitu in monte apparuit. Quũ ergo locus hic illis iam ante ſit præparatus, Iacobo & Ioanni nõ continget? Eſt hoc quidem aliquid, ſed Hieronymo nõ ſatisfacit, qui ideo etiã ait, quod ideo ſedentium in regno cœlorũ vocabula nõ dicuntur, ne paucis nominatis, cæteri putarentur excluſi. Atque eam ob rẽ illa Chriſti verba, Non eſt meũ, intelligunt nonnulli, nõ quod permiſerit, qui & ipſe in eſſentia deus verus eſt, ſed quia hoc ad Chriſtũ nõ pertinet dare illis, puta ſanguine ſibi coniũctis, quaſi perſonã reſpiceret, & non potius meritũ, quia diſtinctã beatitudinẽ præparauit deus pro diſtinctione meritorũ. Vnde diſcant epiſcopi & alij, nõ conſanguineos ſuos promouere, & ad dignitates euehere, quibus impares ſint. Ná cum hoc cõſanguineis ſuis proximis recuſarit dominus, neque vicarius Chriſti idipſum facere debet, docente etiã Iacobo, Nolite in perſonarũ acceptione habere fidem domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ. *Hilarius. Mat. 17. Hieron. Iac. 2.*

¶ Quotquot aũt regnũ cœlorũ auxiliante dei gratia merẽtur, ijs vtiq; paratũ eſt. quo ſenſu dixit alibi dominus, regnũ cœlorũ vim pati, & ab violentis abripi. A ſimili loquitur hic Chryſoſtomus & ait, Inacceſsibilis eſt ſedes dei nõ hominibus ſolũ, ſed & angelis, archãgelis cæterisq; virtutibus: quia quaſi præcipuũ vnigeniti priuilegiũ Paulus poſuit, dicẽs, Ad quẽ angelorũ dixit vnquã, Sede à dextris meis? quaſi dicat, ad nullũ niſi ad Chriſtũ dominũ, vt ait Dauid. Sed ex ſententia duorũ apoſtolorũ petentiũ primatũ, reſpondit nõ *Mat. 11. Chryſo. Hebræ. 1.*

esse suũ, non quod non possit, sed quia nolit propter cõsanguinitatem dare: verũ iis quibus paratum est à patre, secundum diuinam ipsius dispensationem, quæ à Christi ordinatione nihil est diuersa. Vis similitudiné? Ecce proponit aliquis brauia luctatoribus & cursoribus, Veniũt autẽ duo ex consanguineis siue nepotibus suis, dicẽtes, Da nobis brauia. Respondet ille non posse, eo quod is cui paratum est, receptus est ex consuetudine luctæ. Vos itaque si vultis ea, currite. quod si cursu superiores fueritis, habebitis. Ita hic plane se res habet absolute loquendo. posset enim sic dominus illud dare duobus istis, sed quia ad certamen disposuit, non vult ordinationẽ illam infringere. Idem facit hic Christus, non vtique recusans quod petierant, ne perturbarẽtur, sed neque promisit, ne reliquos ad indignationem cõmoueret, iam antea submurmurantes aduersus hos duos, quod huiusmodi quid petiissent, qui multo amplius excanduissent, si impetrassent. 5 Etsi verba hæc Christi satis interpretati sunt doctores, certusque adeo est intellectus ille, quẽ abundè satis in superioribus declarauimus, ipsi quoniã Christus nõ putabat decuisse se tam honorificum locum eis tribuere, vel quod consanguinei essent, vel quod primi petissent, siquidé humilibus tantũ & nõ arrogantibus sit paratus: video tamẽ adhuc expositionem Bedæ, quũ paucis proponemus, facilima est intellectu, & in hoc cõsistit tota, quod hic Christus nullã ipse sibi ademerit potestatem ratione diuinitatis. siquidé firmum & immotũ hoc perpetuo consistit. Omnia
Beda. mihi tradita sunt à patre meo, ergo simul & potestas. Incõcussum cõstãter manet quod dictum est, Omne, quod operatur pater, operari etiam filium. & ideo quo ad diuinã eius maiestatem, hoc quoq; Christi est, dare sedendi locum ad dexteram vel sinistrã. Sin autẽ humanam eius consideremus naturam, respectu cuius apostoli hic primam petebãt sessio-
Mat. 11. nem, ad eam hoc non pertinet: quoniam mater illorũ præ-
Ioan. 5. sumebat petere à domino. tãquã illi sanguine proxime iunctam, quod matris illius soror erat: petebat item corporaliter, vt alter dexteræ ipsius, alter sinistræ assideret proximus, quando corporaliter regnaturus esset in Ierusalem. Volebant retrudere à loco suo Petrũ, qui nimirum prope videbatur accedere Christũ. & ideo de diuinitate sua dominus hic tacuit, solam proponẽs imbecillitatẽ humanã, quo-

modo

modo calicem paſsionis bibituri eſſent. vnde & ait, Calicẽ quidem meum bibetis, ſedere autẽ ad dexterã ſiue ſiniſtrã, non eſt meũ dare vobis. quaſi dicere vellet, ſecundũ humanitatem paſſurus ſum, qua re etiam vos me ſequimini ſimiliter paſſuri. Verũ ad me non pertinet ſecũdum eam, in qua paſſurus ſum, naturã dare vobis dona cœleſtia, ſed quibus pater meus egóque cũ illo in diuinitate parauerimus illud. ¶ Quum autem apoſtoli hi duo conſentiebant bibere calicem paſsionis Chriſti, impetrarunt & ipſi ſedes iudiciarias in æterna patria cum reliquis apoſtolis, quo ad meritũ ſuũ. ſederuntque in hac vita ad ſiniſtram, quando poteſtate apoſtolica commiſſum ſibi populum gubernarunt: nunc vero erepti ex hoc mundo, ſedent in gloria ad dexteram dei omnipotentis vſque in diem nouiſsimum, quo ſedebunt cum Chriſto & cæteris apoſtolis iudicare duodecim tribus Iſraël, imo mundum vniuerſum. Eos iam hodie & quidem ex iis Iacobum præcipue imploremus, vt mitis aſſeſſor eſſe dignetur, ſimulque interceſſor nobis adeſſe apud Chriſtum iudicem, quatenus in hac vita gratiam, in illa gloriam conſequamur æternam, Amen.

DE SANCTO IACOBO.

IACOBVS Annæ nepos, filius Zebedæi fuit, matrẽ habuit Mariã Salomæ, ſororẽ Mariæ matris Chriſti, fratrẽ Ioannẽ euangeliſtã. dicituṙq; ille maior, nõ ſenior fuerit, vel in ſanctimonia eo qui minor dicitur, ſuperior. poteſt enim ille vel ſanctior vel æquefuiſſe ſanctº, ſed tantũ quo ad vocationẽ, quia prior altero vocatus eſt à domino, qui initio prædicationis ad mare Galilææ vocauit Petrũ & Andreã, deinde Iacobũ hũc & fratrẽ eius. quanuis etiã eo poterat dici maior, quod præ cæteris familiarior extiterit domino. vnus enim ex tribº illis fuit, quibus myſteria excellẽtiora dominus mõſtrauit, vt quũ filiam Iairi à morte reſuſcitare volebat, neminẽ adhibuit niſi Petrũ, Iacobũ & Ioannẽ. In transfiguratione quoq; ſolos illos tres ſecũ habuit. In paſsione ſua iã imminente, ad hortũ tres illos tantum immiſit oraturus in monte Oliueti. Cõſtat ergo, quomodo Chriſtus magis familiaris huic Iacobo quã alteri aut cæteris apoſtolis fuerat. Porro poſt diuiſionẽ apoſtolorũ in Hiſpaniã vſq; profectus, parum inde fructus retulit, quoniam nouem tãtum diſcipulos ibi acqui-

Mat.4.
Lucæ 8.
Mat.17.
Mat.26.

fuit, duobus ibi relictis, alios ſeptē reduxit ſecū in Iudæam,
Hieron. vbi prædicauit Iudæi ex duodecim tribub⁹ quæ in diſpoſitione erant, euangeliū Chriſti. Verū ne non ſatis fidem noſtrā inſectaretur diabolus, excitauit ille magū Hermogenē, qui ſe oppoſuit apoſtolo, mittens ad eū diſcipulū ſuū Philetum. Verū hic miraculis & doctrina Iacobi ad fidē conuerſus eſt, eū Hermogenes præſtigijs ſuis ligauit, ita vt mouere ſe non poſſet. quum autē miſiſſet ei Iacobus ſudarium ſuū, ſoluta ſunt omnia incantamēta eius. Hermogenes porro magicis artibus ſuis præcepit dæmonijs, vt ei Iacobum ſimul & Philetum ligatū vtrunq; adducerent. At conquerebantur illa ſe ab angelis torqueri, quibus & præcepit & ſanctus Iacobus Hermogenē ſibi vinctū adducere, illæſum tamen. Quo facto, confuſus iſte cū omni arte, intellexit potentiorem eſſe Iacobi deū, quam diabolus eſſet quo fretus erat, attulitq́ue libros ſuos magicos omnes ad Iacobū, comburendos, quos ille in mare deiici iuſsit. hinc magus conuerſus ad Chriſtū, baptizatus eſt. Ob id grauius irati Iudæi Iacobo, maxime vero Abiathar pontifex, quod tātum populi conuerteret ad Chriſtū; vehementius eſt commotus in illū.

¶ Cæterum quū Herodes Agrippa ab imperatore Claudio veniſſet Roma, rex ab ipſo creatur, recepiſſetq́ue vnus
Luce 3. quatuor partes Iudææ, quas antea Romani 4, tetrarchis cōmiſerant, vt Lucas teſtatur, multaq́; iam obſequia præſtitiſſet Iudæis apud Claudium, gauiſi ſunt illi de aduentu eius,
Act. 12. cōcitataq́ue populi ſeditione, effecit Abiathar vt Iacobus caperetur. Videns autem Herodes quid maxime affectarēt Iudęi, in gratiam illorū ſanctū Iacobum decollari fecit ante feſtum Paſchæ. ſtatimq́ue cōprehenſo Petro, etiam ipſum
Libro 2. cap. 8. coniecit in vincula, vt per hoc placeret Iudæis, verū ille per angelum liberatus eſt. Euſebius, & poſt eum Beda, ſic ſentiunt. De hoc Iacobo Clemens Alexandrinus etiā hiſtoriā quandam dignam memoria, in ſeptimo diſpoſitionum ſuarum libro ſcribit, perlatā ad ſe vſq; ex traditione maiorum. Quoniam quidem, inquit, & is qui obtulerat eum iudici ad martyrium, Iacobum ſcilicet, motus etiā ipſe, confeſſus eſt ſe Chriſtianū eſſe. ducti ſunt, ait ille, pariter ad ſupplicium, & dum ducerentur, rogauit in via Iacobū dare ſibi remiſſionem. At ille parūper deliberās, Pax tibi, inquit, & oſculatus eſt eum. Atque ſic ſimul ambo capite plexi ſunt vige-

ſimo

simo quinto die Martij, eodem quo Christus crucifixus est die. Sunt qui putent cōstanterque asserant illum qui obtulerat Iacobū iudici, cum vidisset in via paralyticū ab eo curatum in nomine Iesu, ipsumq; vocant Iosiā, petiisse etiam à Iacobo baptismū. Sed quicquid illud sit, cōstat, ex apostolis primum illum post Christū passum fuisse. Verū non multo post vltus est deus apostoli sui mortē. profect⁹enim Herodes Agrippa Cæsaream, quū constituto die vestitu regio prodiisset ad populū loquens cum eo populus etiam ipsi diuinos exhiberet honores, clamans vocē illius vocem dei esse, non hominis subito percussit eum angelus domini, ita vt corroderent eum vermes, moreretúrque sic, vt qui miserrime. Id adeo Iosephus etiam refert paulò prolixius, dicens, Quum tertium annum in Iudææ regno cōplesset, venit in Cæsaream ciuitatē, quæ primitus turris Stratonis appellabatur. ibiq; spectaculū ad honorem Cæsaris pro eius salute celebrat, ad quam festiuitatem omnis prouinciæ multitudo, nobilium simul & procerum, conuenerat. secunda vero spectaculorū die, stola vestitus vndique argento cōtexta, ita vt textus esset valde mirabilis, venit ad theatrum incipiente die. & primis radiis sole oriente dimissis, argenti claritas repercussa, fulgorē reddidit valde perspicuū, & oculis inspicientibus formidandū. Mox autem adulatores voces fauorabiles emittebant: quia licet hactenus te velut hominem timuerimus, attamen iam nunc superioris naturæ te esse conspicimus. Has voces rex nequaquam compescuit, nec impia verba cōpressit. Nec multo post respiciens vidit angelum dei, vltorē suum agnoscens: statim dolores sensit in ventre, atque intumuit, dicens amicis, Ecce ego deus vester in mortem abripior, quoniam diuina virtus in me voces vlciscitur falso mihi ascriptas. Hinc in arcem adductus, quinque diebus dolores maximos sustinuit, in quib⁹ & mortuus est, quū regnasset annis septē: quatuor quidē sub Caio super partem Abilenes, post Lysaniæ mortē, super Ituræā & Thraconitidem. Quarto anno assequutus etiam fuerat quartā Herodis fororij sui partem, tandē à Claudio impetrauit quartā quoque Iudææ partem cui imperauit annis tribus tantum. *Actu. 12.*

¶ Quando multa est familiæ Herodum mentio in sacris literis & scriptis patrum, ne hic quis aberret, genealogiam hanc lubet adiicere. *Lib. 19. cap. 8.*

Herodes Agrippa rex ſenior dictus, quem alij filium vocant Archelai, occidit Iacobũ, & Petrũ vinxit, Actuum 12.

Herodias Agrippæ ſoror & Herodis, Antipæ vxor, antea Philippo alteri Herodi nupta.

Ariſtobulus.

Agrippa Druſus rex iunior dictus, audiuit Paulum, eúmque conſuluit ad Cæſarem mitti, Actu. 25. 26. Duarum tribuum & dimidiæ occupauit regionem vltra Iordanem.

Omittuntur hic alij filij, qui ad ſacrarum hiſtoriam cognitionem nil faciunt.

Tempore excidij Hieroſolymitani, Chriſtiani à ſpiritu ſancto edocti, fugerunt Pellam vltra Iordanem in regnum Agrippæ, Euſebius lib. 3. cap. 5.

Iose.lib. 14.c.6.

Antipater pæses Iudææ sub Iulio imperatore.

Phaselus. Iosippus. Herodes Ascalonita rex, dictus senior, pueros occidit in Bethleem. Matth.2. Pheroras.

A Ristobulus ARchelaus, à patre occiditur, Iosephº Matth.2. delib.16.cap. finali. primum rex, inde diarcha, postremo tetrarcha, ad extremũ relegatº ad Viénam Galliæ. Herodes Antipas tetrarches Galilæ, Luc.3. occidit Ioannẽ, Matt.14. consensit in mortẽ Christi Luc.24 Iosephus lib.18.cũ Herodiade relegatus in Galliam, regnum tradidit Agrippæ. Alexander à patre occiditur. Lysanias tetrarcha in Abilene Luc.3. Philippus etiam Herodes dictº, tetrarcha Iturææ & Trachonitidis, Luc.3.

Ios.lib.15. 16.17.an.

¶ Vt autem aliquando quæ de S. Iacobo cepimus dicere, finiamus, post mortẽ corpus suum nocte sustulerunt discipuli eius, & naui imposuerũt, sicque mirabiliter appulerũt in Galiciã. Et adhuc mirabilius reuelauit deus apostoli sui sepulturã in Cõpostella, vbi etiam ex vniuerso Christianismo à fidelibus in hunc vsque diem visitatur, & tot tantáque

miracula eodem in loco operatur, vt merito mũdus miretur vniuersus. Decollatur autem Hierosolymis 25. die Martij, deinde sepultus est 25. die Iulij. Occupata ergo ecclesia circa 25. Martij in meditatione passionis Christi, vt tamẽ apostoli festum digne recolere & commemorare posset, trãstulit illud in diem sepulturæ eius. Apostolum hunc & patronum vere maximum imploremus omnes, quatenus, &c.

SOLENNI ET CELEBRI FESTO SANCTISSIMAE ANNAE, MATRIS VIRGINIS MARIAE, EVANGEL. Matthæi primo.

Require hoc supra in die conceptionis Mariæ, vbi partem expositionis eius inuenies, reliquã infra in die natiuitatis eiusdem. Nos tamen ne gloriæ & honori sanctæ matris Annæ defuisse videamur, homiliam de ea ponemus peculiarem.

HOMILIA VNICA.

¶Et cum electis fœminis graditur. Ecclesiast. 1.

Cene. 10. & 21. *Cene.* 30. *Cene.* 41. *Iudic.* 13. *Votũ pro filiis.*

SIcut vniuersam iam inde à principio sacrarum literarum seriem perpendamus, videbimus omnes sterilium partus nobiliores sanctioresque fuisse. ita enim de Sara Abrahę vxore scriptura testatur, eam diuina promissione peperisse filium Isaac, quum iam dominus eius annos natus centum erat, & ipsa quoque grandæua, communi naturæ cursu parere nõ poterat. Isaac inde genuit patriarcham Iacob, cuius vxor Rachel quum diu fuisset sterilis, visitante tandem deo per gratiam suam, peperit Ioseph patriarcham atque prophetam, qui nõ tantum à fratribus vænundatus est vt Christus à Iuda, sed & in multis aliis typum Christi simul & nomen expressit, quando Pharao saluatoris nomen ei indidit, qui & tribus duas habuit in Israël, quum tamen fratres eius singuli singulas tantum haberent. Insuper vxor Manuæ & ipsa diu sterilis tandem diuinitus per angelum cognouit filium se parituram, Sansonem scilicet, qui & ipse figuram Christi gessit. sicut enim ille nocte media surgens in ciuitate Gaza, sustulit portas cũ postibus & seris, eásq; deportauit in verticẽ mõtis qui respicit cõtra Hebron: ita & Christus media nocte resurgẽs, portas cõfregit infernales. Estq; illud ibi notandũ, quod angelus inhibuit matri Sãsonis, ne

vel

vel vinũ viberet vel immundũ quid mãducaret, vel ſuper ca
put filij nouacula aſcẽderet, ſiquidẽ Nazaræus ex vtero fu-
turus eſſet, quoniã vel hoc exemplo patet, poſſe matres ali-
quid vouere pro filiis ſuis, qui illud ſeruare tenentur quan-
tũ ad eos pertinet. ſunt etiã ad hoc vrgendi, monẽdi & ſedu
lo inſtituendi liberi, qui ſi parentẽ audire nolint, habet hæc
excuſationẽ. Ita de Anna vxore Helchanæ legitur, quæ etiã *1. Reg. 1.*
multis annis fuerat ſterilis, & tamẽ fletũ precẽſq; eius exau-
diens dñs, gratiã ei cõtulit tantã, vt Samuelẽ ꝓphetã & iudi
cem populi Iſraël pareret. Nemo ergo dubitet, voluiſſe deũ
tenerrimã hanc ſanctiſſimámq; virginem Mariã voluiſſe ex
Anna vetula naſci. quo eñ mirabilior partus, eo fructꝰ ſan-
ctior eſt. 2 Plures inuenimus in ſcriptura huius nominis
mulieres, quę omnes vt ſuo reſpõderent nomini, magnã di-
uinitus gratiã acceperunt. ſiquidẽ Hebræis gratia ſonat,
& plenũ gratiæ. Prima eſt Anna, de qua iam dixim⁹, ma
ter Samuelis, cuius oratio deo grata fuit, quámq; exaudiuit
petentẽ prolem. ſic nãque habet textus, Anna loquebatur in
corde ſuo, & tantũ labia illius mouebãtur, vox autẽ penitus
nõ audiebatur. Et tamem orationẽ eius audiuit deus, ipſaq; *1. Reg. 1.*
vocauit nomẽ filij Samuel, eo ꝙ à dño poſtulaſſet eũ. Alte-
ra Anna fuit vxor Raguelis, qui Tobiæ fuerat auũculus, ea *Tob. 1. 8.*
quoq; multũ fuit pia, timens deũ, à quo & impetrauit vt dæ
moniũ eiiceret à filia ſua Sara. ſiquidẽ iſtud maritos iam ſe-
ptem occiderat, quibus fuerat nupta corde cum impuro. ex-
cluſerát enim illi (vt dicebat angelus Raphaël deum ex cor- *Tob. 8.*
de ſuo, tantumq; cupiebant beluinã voluptatẽ explere ſi-
cut equus & mulus. Atq; hinc ſuſcepta ſuper eos poteſtate,
diabol⁹ interfecerat illos. Tertia porrò Anna fuit illius To *Tob. 6.*
biæ mater, eadémq; vxor ſeuioris Tobiæ, qui iã moriturus,
cõmiſit filio ſuo, Honorẽ habebis matri tuæ omnib⁹ diebus
vitæ eius. Memor eñ eſſe debes, & quãta pericula paſſa ſit *Tob. 4.*
propter te in vtero ſuo. Annã hanc tanta gratia dignatus eſt
deus, vt maritus eius à cæcitate liberaretur, vt filius eius pu-
dicam illã Saram duceret, viderétque filios filiorũ. Quarta
Anna vidua illa fuit in tẽplo, quæ neq; diebus noctib⁹ ſece-
debat à tẽplo, vnde & interfuit quãdo puer Ieſus in templũ *Luc. 2.*
præſentatus eſt. Quãuis ergo quatuor illæ mulieres ſanctæ
fuerint omnes tamen eas vna hæc ſuperat Anna, nõ ſuæ tan
tum vitæ, verumetiam ſanctitate fructus, vt ſtatim dicetur.

			ANNA, primus eius maritus Ioachim,			Salomas tertius.
Cleophas secundus,					Maria Zebedæus Salomæ maritus.	
Alphæus Maria maritus Cleophæ			MARIA coniunx Ioseph			
Iacobus minor, frater domini	Iudas Thadæus Lebbæus.	Simon Zelotes,	Ioseph iustus, Actu. 1.	IESVS Messias Christus.	Iacobus maior,	Ioannes Euangeli.

Maria Cleophæ à patre dicta, alias Alphæi à marito. Iacobi & Ioseph à filiis dicitur.

Quoniam

Quoniam in Anna hac Mariæ matre, facile inuenias virtutes illas omnes coniunctim, quas singulæ illę habuerunt. Sic enim orationem eius & Ioachim exaudiuit deus, vt longe nobiliorem fructum protulerit quam Anna Samuelis, dum post longam sterilitatem Mariam Christi matrem peperit, fructum vtique post Christum in terra nobilissimum. Ad hæc non illam tantum gratiam habuit Anna, vt filia eius, sicut Anna Raguelis custodiretur à diabolo, verum etiam ab omni insultu diaboli, & peccatis & tentatione fuit immunis. Quod etiam Anna Tobiæ ex sanitate mariti & nuptiis filij est lætificata, quid mirum, quum in huius Annæ nepote totus sit mundus redemptus, limbus confractus, diabolus superatus, insuper & filia illius deo despōsata est altissimo? Magni autem facis quod Anna Phanuelis deum laudauit, & testimonium dedit Christo? Quanto dignius benedicere & laudare Anna hæc dominum potuit, quod matrem dei peperit? ideoque & nos clamamus ad illam,

Anna pia mater aue, cuius nomen est suaue, aue sonat gratiam.

Aue Iesse radix floris, quę cœlestis dat odoris perennis fragrantiam.

Aue parens stellæ maris, quam tu nuptam cōtemplaris regis regum filio.

Tu quæ sola meruisti esse mater matris Christi, preces nostras suscipe.

Tu nos matri atque proli, regi ac reginæ poli commendare non desine.

3 Quanuis autem in scriptura expressum nusquam est, Annam Mariæ fuisse parentem, illud tamen constanter credit ecclesia ex traditionibus seniorum iam inde à tempo ribus apostolorum, qui vtique non ignorarunt parentelam Mariæ, quæ illius mater fuerit, quæque sorores, licet earum frequens fiat in euangelio mentio. Sic contra vniuersalem ecclesiæ fidem orti sunt recens nonnulli, qui Annæ & apostolis honorem suum adimere conati sunt. Vt autem hæc magis pateant, lubet principio communem fidelium referre sententiam, quam à senioribus acceepimus, ita vt & ipsa Hierosolymitana tenet ecclesia.

DE SANCTA ANNA.

ANNA Stolonis & Emerentianæ filia ex Bethlehem desponsata est Ioachim à Nazareth, qui & vixerunt in coniugio secundum voluntatem & beneplacitum dei diuidentes bona sua ex annuis possessionibus trifariam, partem templo & ministris eius, aliam pauperibus peregrinis, sibi & familiæ impendebant tertiam. Vixerunt annis circiter 20. sine sobole, quanuis inde vouerint, si det eis deus sobolem, eam se in cultu diuino educaturos. Quumque in dedicatione templi Ioachim solitam oblationem faceret, respuit eam Isachar pôtifex, eo quod sterilis esset. vnde pudore affectu Ioachim, ad pastores suos in pascua cõcessit. & post aliquot dies apparuit ei angelus domini, consolatus illum, quoniam orationem eius & eleemosynam accepisset deus. inde vxorem suam sibi parituram virginem, quam vocare deberet Mariam. illam prædixit ab infantia deditã fore deo, & ab vtero matris plenam spiritu sancto. In eius rei signum, inquit angelus, vxorem tuam habebis mox ingressurus obuiam Hierosolymis iuxta portam auream. Idé denunciauerat angelus Annæ, vnde & ambo Hierosolymam venerunt, mutuoque contulerunt quæ vtrique angelus loquutus esset. Ingressi templum, laudarunt dominum. & reuersi sunt domum, expectantes consummationem promissionis diuinæ. Imprægnata igitur Anna, peperit Mariam, quo tempore doctores putant Ioachim virum fuisse annorum forte quadragintaquinq;, Annã vero mulierem annorum 36. Non multo post mortuo Ioachim, alteri marito nupsit Anna, non vtiq; ex lasciuia carnis, sed spiritus sancti instinctu, cui nomen Cleophas. Anna ergo ex isto etiam cõcepit filiam, quam simili nomine cum priori Mariam vocauit, ea iam adulta, nupsit Alphæo. Quando autẽ placuit deo vt moreretur etiã Cleophas. adhuc tertiũ maritum accepit Salomam, ex quo filiam conceptã, itidé prioris amore vocauit Mariam. quæ desponsata tandem est Zebedæo. Hinc sancta processit soboles. nati enim inde sunt apostoli Ioánes & Iacobus maior, ex illa vero Iacobus minor, Simon & Iudas Thaddæus. Cæterùm soror Annæ Ismeria, peperit Elizabeth matré Ioannis Baptistæ. O stirpem nobilem, ô gẽtem sanctam, ô arborem bonã, quæ tot bonos fructus protulit.

Hiere. de ortu Mariæ ad Chromatium.

TYPVS HVIVS GENEALOGIAE.

Stolon, Emerentiana.
Ioachim,
Cleophas, Anna. Ismeria, Apra,

Salomas,

Zacharias, Elizabeth, Eliud,

Maria Alphæus. Maria Ioseph. Maria, Zebedæus.
Cleophæ. Salomæ.

IESVS Ioannes Baptista.

Mar- Emin
tialis. Nemeti.
Seruatius.

Iacobus minor. Iudas Thaddæus. Lebbæus. Simon zelotes Ioseph iustus Iacobus maior. Ioan. euang.

ANNA.

¶ Aduersus generalem hanc ecclesię obseruationem quidam, quanuis statim sint consopiti, erexerunt se, rati parum honestum fuisse Annæ, vt ea ætate duos adhuc viros sibi sociarit, eo maxime, quod sine dubio filiæ suæ Mariæ sanctitatem cognouit, contenta inde existens ea vnica, nec vllam aliam sobolem cõcupiscens. Et quum nihil aperti habeat hic euangelium, temerario ausu præsumebãt cõtra vniuersam ecclesiam affirmare, Annam vnum tantum habuisse maritũ, & filiam vnicam, Ioannem & Iacobum nõ fuisse consobrinos Christi, & huiusmodi alia multa, quæ parum tutum est palam facere puris Christianorum mentibus. Quoniam repugnat hic error ecclesiæ, ipsiq; scripturæ, & patribus sanctis, qui vno omnes consensu per vniuersum Christianismũ semper tenuerunt hoc ita vt diximus, iam inde ab ipsa Christi ascensione vsque in hæc tempora. Atque iis non obstantibus, tres contradixerunt proteruæ, è quibus vnus eam gratiam habuit vt reuocarit, regressus ad ecclesiam catholicã. Id ita esse vti recẽsuimus, en scripturæ testimoniũ & doctorũ adducemus sentẽtias. Principio testatur illud Ioãnes euãgelista, qui quomodo nescierit illud, quũ & ipse cõsobrinus Christi & Annę nepos ex filia exiterit? is sane sic scripsit, Stabat iuxta crucẽ Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Ecce quod Maria sororem habuit, quid est ergo quod somniant isti Annam vnicam tantum habuisse filiam? siquidem & Glossa ibidem sic habet, Et soror matris eius Maria Cleophæ: hæc, inquiens, erat Maria Iacobi, filia Cleophæ. Consentit & altera Glos. super prologum Iacobi dicens, pro inuestigatione de quinque Mariis, quas hagiographia, id est, sanctorum scriptura sæpe commemorat notandum, Tres fuerunt sorores, Maria scilicet mater domini, & Maria mater Iacobi, vxor Alphęi, & Maria mater filiorum Zebedæi. Multa etiam subinde habet de tribus Annæ maritis, & de generis tribus. quãuis nõnulli nouitij grammatici ea sunt temeritate, vt proprio ausu hic in euangelio, vbi habetur Maria Cleophæ, immutarint textum, constituẽtes Mariam vxorem Cleophæ. Quod vt falsum & erroneum est, ita ab illis peruersè inuentũ, non eo tantum quod nihil addere debebant euangelio, sed ideo etiam, quia ex Hieronymo quem tantopere laudant, discere debuissent regulam, ex iis quæ ait cõtra Heluidiũ. Restat con

Iacobus Stapulen. Ioannes Egranus

Ioan. 19.

Glossa.

Hieron.

concluſio, vt Maria iſta quæ Iacobi minoris ſcribitur manet, fuerit vxor. Alphæi, & ſoror Mariæ matris domini. quã Mariã Cleophæ Ioannes euãgeliſta cognominat à patre vel à gentilitate familiæ, aut quacunq; cauſa ei nomen imponés. Et inde nũc illud eſt quod conamur oſtẽdere, vt fratres appellẽtur filij materteræ ei⁹ Mariæ, quæ eſt Maria Cleophæ, vxor Alphæi. Matth. cap. 12. dicitur, Chriſto loquente ad turbas, ſtetiſſe foris matrẽ & fratres ei⁹, cupientes loqui ſecũ. vbi fratres, cognati proximi intelligũtur, qui cum eo conſobrini erant. ita enim habet Gloſſa, fratres domini ſunt cõſobrini eius, filij Mariæ materteræ, quæ dicitur Maria Iacobi minoris. idẽ teſtatur Gloſſa Marc. 3. & Lucæ 8. Hieronymus quoq; ſuper Matth. ait, Quidã fratres domini de alia vxore Ioſeph filios ſuſpicãtur, ſequẽtes deliramenta apocryphorũ, à quadã Eſcham muliercula cõtingẽtes. Nos autẽ ſicut in libro quem cõtra Heluidium ſcripſimus, cõtinetur, fratres, domini nõ filios Ioſeph, ſed conſobrinos ſaluatoris filij Mariæ, liberos intelligimus materteræ domini, quæ dicitur eſſe mater Iacobi minoris & Ioſeph & Iudæ, quos in alio loco euangelij fratres domini legimus appellatos. Quod autẽ conſobrini etiam fratres dicantur, vniuerſa ſcriptura affirmat. Nam Marci ſexto dixerunt Iudæi ad eũ in patria ſua, Vnde huic hæc omnia? nónne hic eſt faber, filius Mariæ, frater Iacobi & Ioſeph & Iudæ & Simonis? nónne & ſorores ei⁹ hic nobiſcũ ſunt? dicit ibi Gloſſa, cõſuetudine ſcripturæ conſobrinos fratres dici Chriſti. Idem & Beda ſuper Marcum, & Auguſtinus ſentit q. vlt. de q. euange. Apud Iudæos etiã conſobrinos fratres dici ſolere, id inde probatur, quoniã non tantũ proximi conſanguinei, aut fratrum aut ſororum filij, fratres dicantur, verum etiam fratrem matris & ſororis filiũ, ſcriptura fratrem appellat, ſicut Laban & Iacob. Vt iam mirũ nõ ſit, fratres domini dici, omnes ex matre cõſobrinos, & quoſcunq; ex materno genere cognatos, ecce quã propinquos ex matre conſanguineos habuit Chriſtus. Matthæus enĩ refert aſtitiſſe illic plurimas mulieres inter quas fuerint Maria Magdalene, Maria mater Iacobi & Ioſeph, &c. & Mater filiorũ Zebedęi. Ait ibi Gloſſa, Maria Iacobi, id eſt, ſoror matris domini. Hieronym⁹ etiã ibidẽ. Videamus, inquit, quales comites habuerit dominus. Mariã Magdalenã, à qua eiecerat ſeptẽ

Marc. 6. *Gloſſa.* *Beda.* *Auguſt.* *Ce. 28. 39.* *Mat. 17.* *Gloſſa.* *Hieron.*

dæmonia, & Mariam Iacobi & Ioſeph matrẽ, materteram ſuam & ſororem Mariæ matris ſuæ, & matrẽ filiorũ Zebedæi, quæ paulò antè regnum pro filiis poſtulauerat. Et eam quoque cognatam fuiſſe antequam probem, audiendus eſt Chryſoſtomus, quia ſic ait ſuper Matthæum, Audacem fecerat eam ad petendum naturæ affectus, quo verbo quid ille aliud voluit, niſi & ipſam fuiſſe Chriſti cognatã, quæ paulò confidẽtius ad ipſum acceſſerat petitura? (Sunt illa Chryſoſt. verba ex opere imperfecto, & citãtur à S. Thoma, quia in opere quod nos habemus in manibus, Trapezũtio interprete, illa non habentur.) ¶ Ioannes etiam ſic inquit, Deſcẽdit Capharnaũ ipſe & mater eius, & fratres eius & diſcipuli eius. Vbi Gloſſa dicit, fratres eius, cognati ſcilicet. magis enim fratres erant quam diſcipuli, qui fratres nõ erant. Auguſtinus ibidem, Ecce, inquit, habet matrem, habet fratres, habet & diſcipulos. Inde fratres, vnde & matrem, vnde fratres. Cognati Mariæ, id eſt, nepotes, filij ſcilicet & ſororis ſuę. Infra, Lege ſcripturam, & inuenies quia fratres dicũtur auunculus & ſororis filius qua regula cognita, inuenies omnes conſanguineos Mariæ, fratres eſſe Chriſti. Ecce quomodo ex Auguſtino patet, cognationem à Maria prouenire, & non Ioſeph, ſicut iſti comminiſcuntur. Simile dicit Augu. inde ſuper illud verbum Ioãnis fratres eius loquuti ſunt ad dominum. Fratres, inquit ille, eius accipite, ſicut noſtis, non enim nouum eſt quod auditis. Cõſanguinei virginis Marię, fratres domini dicebantur. In Actis quoque apoſtoli numerãtur ex nomine, in iis Iacobus Alphæi, & Iudas Iacobi exprimuntur. ibi de Iacobo Alphæi dicit Gloſſa, hic frater domini eſt, quia Maria matertera eius, quæ dicitur Maria Cleophæ à patre ſiue familia. Idipſum de Maria ſorore Mariæ matris domini, & filia Cleophę, ſimulq; Alphęi vxore, multis in locis affirmat Beda, puta Marci 16. Lucæ 6. & ſuper Act. primum. Vbi concludit contra errorem quendã de tribus Iacobis, Iacobum hũc Alphæi filium, epiſcopum fuiſſe Hieroſolymitanum, dictum fratrem domini, eo quod conſobrinus eius fuerit. Illam Ioannes Mariã Cleophę vocat, à patre ſiue familia. ¶ Et quũ ait textus, Iudas Iacobi, intelligit Beda, fratrem Iacobi. ſic enim quatuor illi fratres nominibus ſuis exprimuntur Marci ſexto? eſtq́ue ridiculũ quod quidã recẽs iam textũ hũc corrupit, ſubſtituẽs Iudam filium Iacobi

Ioan. 2. *Cloſſ.* *Tract. 10.* *Ioan. 1.* *Tract. 28.* *Act. 1.* *Cloſſ.* *Beda.* *Eraſmus*

Iacobi, quod nullis vnquã ſeculis eſt auditum, ſed doctores omnes hic in euangelio Lucæ, quũ dicitur Iudas Iacobi, intelligũt fratre Iacobi fuiſſe eum. Si modo interrogaſſet ille grãmaticus Iudam ipſum, qua cognatione ſibi coniunctus fuiſſet Iacob⁹, cognouiſſet hoc vtiq; ex eo, qui ſic de ſeipſo ſcribit, Iudas ſeru⁹ Ieſu Chriſti, frater autẽ Iacobi. ſicut idẽ teſtatur & Hieronymus ibidem in prologo. Paul⁹ ad Galatas refert ſe Hieroſolymis neminẽ apoſtolorum vidiſſe niſi Iacobum fratrẽ domini. Vbi Gloſſa ſic ait, Solet quæri quare Iacobus minor, frater domini dicatur. & dicunt nonnulli quod ideo frater domini dictus ſit, quia fuit filius Ioſeph de alia vxore, qui pater domini putabatur. ſed hoc nõ eſt ratum, quum Ioſeph virgo eſſe credatur. Sciẽdum itaq; quod Anna tres habuerit maritos & filias, Maria quoque filia Annæ & Cleophę, filios peperit quatuor ex Alphæo, Iacobum, Iudam, Simonem & Ioſeph. Iacobus ergo frater domini dictus eſt ſecundum quoſdam, quia filius materterę eius erat, vel propter ſanctitatis ſimilitudinem. *Luc. 6.* *Iudas.* *Galat. 1.* *Gloſſa.*

¶ Sed nos iam ad extremũ audiamus ſanctum epiſcopũ & martyrem Ignatium, is epiſtolã ſcriptam reliquit ad ſanctũ Ioannem euangeliſtã, in hęc verba, Ioanni ſancto ſeniori, Ignatius & qui cũ eo ſunt fratres. Si tua abſentia protendatur, multos de noſtris deſtituet. propterea venire, quia credim⁹ expedire. ſunt & hic multæ de noſtris mulierib⁹, Mariã Ieſu videre cupiẽtes, & quotidie nobis volẽtes diſcurrere, vt eam contingant & tractent eius vbera, quæ dominum Ieſum aluerunt, & quædã ſecretiora eius percontentur. Et inde, Ipſam enim Salome, quã diligit filia Annæ, Hieroſolymis quinq; mẽſibus apud eam cõmorãs, & quidã alij noti, referũt omnium gratiarum abundam & omnium virtutum fœcũdam. En hic teſtimonium tibi certum. vnde conſtat Salomen fuiſſe filiã Annæ. ¶ Quũ itaq; eccleſia hæc ita commemoret, & decimoquinto die Maij feſtũ recolat duarum Mariæ ſororum, & filiarum Annæ, nullus Chriſtianus hinc recidat, nouisq́ue & inconſtãtibus doctrinis fidem prę beat aduerſus eccleſiã. Quoniam ſic beatus Hieronymus etiã ordinauit in martyrologio. Proinde & vos in Chriſto dilectiſſimi admonitos volo diligenter, vt piã matrẽ Annã colatis & imploretis. quãdoquidẽ enim Maria virgo mater Chriſti, filia eſt Annæ, huius & reliquæ duæ itidem filiæ, *Ignatius*

Christ⁹ vero nepos eius est pariter & apostoli illi quinque vna cum Ioseph iusto, non potest nō stirps hæc esse sanctissima, radixq; omni veneratione dignissima. Aut poterit ne Maria quicquam suæ matri negare? Quo etiā modo queat nepos Christus auiæ suæ petitionē aliquā recusare? Implorate igitur sanctā Annam, illius tutelæ vos cōmittite, quatenus & ipsa cum filiabus & nepotibus suis intercedat pro vobis apud dominum deum, ipseque omnibus nobis gratiā in præsenti & in futuro vitā concedat ęternam, &c. Amen.

IN DIE SANCTI LAVRENTII

MARTYRIS, EVANGELIVM, Ioannis 12.

Mat. 30. & 16. *Mar.* 8. *Luc.* 17.

IN ILLO *tempore, Dixit Iesus discipulis suis, Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam. Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam. Si quis mihi ministrat, sequatur me: & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus qui est in cœlis.*

HOMILLIA PRIOR.

QVIS dubitat verba euāgelij huius Christum de seipso esse loquutum? ipse enim & mundissimum & perfectissimum est frumēti tritici granum, quod mortuum attulit fructum quamplurimum, eo quòd mors Christi in multo perfectius operata est, quam mortalis illa vita Christi hac carne. quod vel hinc liquet, quia Petrus duobus sermonibus plures homines cōuertit ad Christum, quem Christus ipse in omni vita. neque tamen illud Petro tribuendum est, sed Christo acceptum ferendum, qui post ascensionem suam tantam gratiā contulit Petro. Christus ergo granum tritici verum fuit & integerrimum, cui seipsum hic confert, vt huiusmodi similitudine ostenderet modum suæ glorificationis, mortem consequuturæ, quę iam imminebat. siquidem hoc loquutus est dominus in die palmarum. quum iam ingressus esset Hierosolymis in templum. & ideo quum dominus

Act. 2. & 4.

seipsum

ſeipſum grano frumẽti comparauerit, eccleſia morem hunc ſancte obſeruat, ne farina alia ad ſacramentum altaris vtatur, niſi ex tritico & ſpelta. Recte autem ſe Chriſtus comparauit tritico, non paleis: quoniam ille cibum homini, hæ brutis & pecudibus aliméta prębẽt: iuxta illud quod Rebec ca interrogata à ſeruo Abrahæ, an locus ſupereſſet ſeruãdis camelis, reſpondit, Palearũ plurimum eſt apud nos. Paleæ porro quum ſint vacuę & inanes, multum ſtrepũt. ſic quoq; in pompa ſeculari plurimi ſunt, qui inani faſtu tumẽt, nec quicquã proficiunt, neque aliud merentur, niſi paleis infarciãtur. de ijs Eſais ſic ait, Leo quaſi bos comedet paleas, per leonem intelligens ſuperbos. Quomodo autem peccatores omnes nil aliud quam inanes & vacuas comedant paleas, facile eſt videre. aut quid comedit luxurioſus? paleas nimirũ? breuis vaniſimæq; uę voluptatis. Quæ paleæ ſunt inanes & res tranſitoria. Inſuper, quid mãducat ſuperbus? paleas ambitionis & arrogãtię cũ magno faſtu & inani gloria quę itidem res vana eſt, atque vt ait Sapiẽs, vanitas vanitatũ. Quid vero inuidus & iratus comedũnt niſi paleas inuidẽtiæ, doloris & vindictę? Atq; ſimiliter de omnib⁹ peccatoribus iudicari poteſt, qui velut vno omnes ore plenis q; buccis paleas deuorant vanitates peccatorum. Vnde quid ſequatur aliud, niſi igne eos cõburi inextinguibili? ¶ Piorum autem Chriſtianorũ cibus eſt granũ tritici, venerabile ſcilicet corporis Chriſti, ſacramentũ, viaticum eorũ quo adiuuẽtur & confirmentur in vitã ærernam. Solus enim Chriſtus perfectus eſt animæ cibus: iuxta illud Zachariæ, Quid bonũ eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentũ electorũ, & vinũ germinans virgines? Frumentum ſacramenti, electorũ eſt: & vinũ ſanguinis Chriſti, virginalẽ caſtumq; uę reddit hominis animũ. Etſi ergo Chriſtus verũ ſit granum, attamen & martyres grana ſunt frumẽti illius, quia Chriſtum ſequuti ſunt in morte vſq; per ſupplicia multa, ideoq; & euangeliũ hoc de S. Laurentio & alijs martyribus legi ſolet, puta ſancto Vincẽtio, Polycarpo, Lãberto, qui & ipſi grana frumenti fuerũt, quãdo per paſſionẽ cõſummati mortuiq; ſunt propter fidẽ. tũc enim fruct⁹ plurimos attulerũt. Sed illis omiſſis, nos euãgeliũ hoc interpretemur iuxta præcipuum ſenſum de Chriſto domino, deinde aliquid de grano frumẽti, aliquid dicamus de glorioſo martyre Laurẽtio. 2 Vt au-

Gene 24.
Eſa. 11.
Luce 3.
Zach. 9.
Tritici.
Tritici.
Tritici.

tem magis pateant hæc verba euangelij, conuenit rationem prius assignare, quur similitudinem hãc proposuerit dominus. ait enim euangelista venisse ex gentibus nonnullos ad Philippum, cupiẽtes dominum videre. quod ille quũ dixisset Andreæ, ambo deinceps retulerũt Christo, qui respondit eis, Venit hora vt clarificetur filius hominis, Magnũ hoc est re vera, & plurimũ admirãdũ, attestãte Augustino, quod Iudæi Christũ cupiunt occidere, Gentiles videre. Quid autem nomine clarificationis intellexit dominus? putãt doctores Christũ hic cognouisse gentium multitudinẽ, quæ ventura erat ad fidẽ. Eiusq; adeo rei admonebant ipsum gẽtes, dum cupiebant eum videre, iamiam moriturum. post quam mortem prędicatio euangelij etam gentibus offerri debet, & clarificari tunc ipsum per vniuersum mũdũ, sicut ei promiserat deus pater, dicens, Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Augustinus hunc sensum elicit, Venit hora vt clarificer, quia iam imminet tempus mortis meæ, postquam clarificabor in resurrectione & ascensione mea, tunc enim ad me venient gentes per fidem rectam, quæ figurantur & significantur per hos, qui hic ex gentibus me cupiũt videre, sicut Dauid inquit, Exaltare super cœlos deus, & super terrã gloria tua. Exaltationem in cœlis oportebat præcedere in hoc, vt deinde sequeretur gloria in terra, & adhuc exaltationem illam in cœlis oportuit prędcedere humilitatẽ passionis. Chrysostom⁹ & Theophylactus sic inferũt. Quia antea prohibuerat apostolis dominus, in vias gentium ne abirent, neque in ciuitates Samaritanorũ, qua re offendiculum voluit ille vitari: quia autem istud nihil profecit in Iudęis, ita vt gẽtes iam ad me veniãt nondum vocatæ, quando ego ad eos venire nondum volui, ecce nũc tempus adest vt clarificer, hoc est, patiar. passio enim Christi, gloria eius est, in qua etiã nos gloriamur, dicẽte Paulo, Oportet nos gloriari in cruce domini nostri Iesu Christi. Tunc ergo quando sic filius hominis morietur, fides gentiũ multiplicabitur, dissoluta omni inhibitione prędicandi gẽtibus. Quarũ fides quod in hunc modũ crescere deberet, exemplo grani frumenti probatur. sicut enim illud in terram proiectum & in ea corruptũ, multum affert fructum, ita & Christus mortuus plusquam dici possit fructũ attulit fidei gentium. ¶ Omitto hic breuitatis studio dicere de

Trac. 51. super Ioãnem.

Esa. 49.

August.

Prou. 56.

Chryso. Theop. Mat. 10.

Galat. 6.

de frumenti huius proprietate, & quur tritico præcipue se cõpararit Christus, & magis quam cuiquã alij frumento. siquidem triticũ reliqua frumenti genera excedit, vt aurum metalla cætera. Ad hæc, triticũ ex omnibus aliis magis nutrit, reficit, cõfortat, viréſque reſtaurat, vt perhibent medici. colore rubeum eſt, in ſubſtantia cæteris mundius eſt, purius, dulcius: ob quæ & cuiuſmodi alia plura domin⁹ ſe grano tritici maluit cõparare. (facilimum eſt currere per ſymbola. vide ſupra parte 1. de euchariſtia, & applica ſymbolice has proprietates, atque ſic habebis bonũ ſermonem.)

3 Niſi granum frumenti mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Solus Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit cum multis, ſolus in terram proiectus eſt, ſolus autem nõ permanſit ſiquidem patres cum eo limbum ſunt egreſſi, monumenta quoque aperta ſunt, multaq; corpora ſanctorũ qui dormierant reſurrexerunt. Auguſti. inſiſtens cæcitati Iudæorũ, ait Chriſtum mortuum eſſe in cordibus Iudæorũ per infidelitatem, reſurrexiſſe autem in fide Gentium: quoniã ille mortuus fructum attulit ſibi quoque ipſi, dum glorificatus inde eſt in corpore & anima: fructũ attulit & apoſtolis, qui virtutem acceperunt ſpiritus ſancti, & mundo vniuerſo & omnibus qui crediderũt in illum, ſicque pro omnibus hominibus mortuus eſt Chriſtus, ne ſolus eſſet immortalis. Et in hoc exemplũ nobis tradidit, quomodo & nos emoriamur, vt fructũ afferamus copioſum. ſiquidẽ hoc ſenſu Paulus ſimilitudinem hanc ad nos retulit, vt Chriſtus de ſe loquutus eſt, Inſipiens tu, inquit ille, quod ſeminas nõ viuificatur, niſi prius moriatur. Et quod ſeminas, nõ corpus quod futurũ eſt ſeminas, ſed nudũ granum, vt puta tritici aut alicuius cæterorũ: deus autẽ dat illi corpus ſicut voluit, & vnicuiq; ſeminum propriũ corpus. Ecce quomodo Paulus vult hominis ſepulturã ſeminationem eſſe, & reſurrectionẽ eius eſſe viuificationẽ, quia granũ ita nudum ſeminatur, & tamẽ ſuccreſcit in culmũ, ſpicam & ariſtam, quibus non ſecus atque habitu commodẽ veſtitur. ſicque pro vno grano ſeminato, multa naſcũtur in ariſta. Ad eundẽ modũ quum ſolũ emoritur corpus: nec ſolum tamẽ neque nudum illud reſurget, ſed dotibus donatum, quia ſic fieri oportet, vt corpus hoc mortale induat immortalitatem, & corruptibile hoc incorruptibilitatem. Quanuis ergo nõ diuerſa propoſito noſtro

Matt. 26.

Auguſti.

1.Cor.16. est similitudo Pauli, nos tamen ad Christum reuertamur, qui granum frumenti verum est, morteque sua plurimum attulit fructum, quem communiter in passione explicare solemus. Vide Landulphum de vita Christi, Quod autem non de se tantum loquutus sit hic dominus, sed de iis etiam qui sublata cruce Christum sequuntur, nam & illi fructum multum afferent, licet hic temporaliter moriantur, & pereant, hic iam cõfirmare eos conatur ad subeundũ martyriũ, ad contemptũ mortis, quia granum frumenti mortuum, fructum multum affert: si non moriatur, perit tamen & nihil fructus producit, quod ex sequentibus patet, Qui odit animam suam, perdet eam. Quid hoc aliud est, nisi quod dicit ad martyres, Ne vobis vita vestra sit charior me, quia quisquis adeo diliget animam suam vt me abneget, iam animam quoque suam perdidit: sed imitandus est hic Christus, qui mori voluit vt fructum multum afferret. Atque hic cõmunis est intellectus, à litera non alienus. Qui amat (inquit Augustinus) animam suam in hac vita, perdet in æterna. Noli amare, ne perdas. Amat autẽ animam suam in hac vita, qui sequitur desiderium animæ, in nullo volens defraudare genium. Huiusmodi delicatuli martyres qui auersantur quicquid amarum videtur, perdũt animam suam. Et sic Sapiens ait, Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Hinc gaudium est diabolis dum homines pro sua quisque voluptate & cõcupiscentia viuunt, dum nemo continet, nemo frenũ imponit desideriis carnis, nemo orat, nemo ieiunat, nemo templũ inuisit, nemo missæ sacrificium, nemo verbum dei audit, nemo cõfitetur, matutinas preces nemo frequentat, nec quicquam sibi temperat. Omnes isti cui in hac vita parcunt, id amittũt in vita futura perpetuum, quia qui amat animam suam, perdet eam.

Augusti.

Eccle.18.

4 Qui autem odit animam suam in hoc mũdo, in vitam æternam custodit eam, vbi dicit Augustinus, Magna & mira sententia, quomodo sit hominis in animam suam amor vt pereat, odium ne pereat. Si male amaueris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti. fœlices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. Atque hæc veteris hominis mortificatio, est hic istius Adæ interitus, & sic quicunque non facit quod caro blanditur, quod voluptas suadet, sed ipse animã suam defraudit, hic seruabat eam, iuxta illud Pauli, Curam carnis

Augusti.

Rom.13.

ne

ne feceritis in deſideriis. Theophylactus textum hunc excu- *Theoph.*
tiens, ſic ait, Quia videtur crudele præceptum & graue mi-
tigat illud per hoc quod adiicit, In mundo hoc. Non enim,
inquit, in immenſum tempus iubeo odio haberi animã, ſed
in hoc tranſitorio mũdo auerſare eam, quæ tibi tam abſur-
da imperat, dum concupiſcentiæ malæ aſcendunt cõtra ra- *Galat.5.*
tionem, dum caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus
aduerſus carnem. Promittit quoque dominus vberem mer-
cedem, quia in vitam æternam cuſtodit animam ſuam. Id
omne eo facit, quod iam imminebat paſſionis ſuæ tempus,
ideoque & apoſtolos docet contemptum paſſionis, ſuppli-
ciorum omnium, ipſiuſque adeo mortis, non ſic tamen, vt
ideo aliquis animam ſuam odio proſequatur, quaſi occiſu-
rus ſeipſum & ſibi vim illaturus, ſicut hic ad longum pro-
ſequitur Auguſtinus. Pulchrum eſt etiam quod hic doce-
mur, emoriendũ potius eſſe homini, quam vt peccatũ mor-
tale committat, quia qui amat animam ſuam, perdet eam.

¶ Vt autem magis animaret diſcipulos, ipſosque alacrio-
res redderet & intrepidos ad ſubeundam mortem, ſeſe in
exemplum proponit, dicens, Qui mihi miniſtrat, me ſe-
quatur. quaſi dicere vellet, Me videte, & meo exemplo di-
ſcite temporalis mortis contemptum. eſtote tam parati vo-
luntariam ſubire mortem, quam ego ſum. Ecce quomodo
ego vt granum frumenti emorior, ecce quo pacto animam
vitámque meam odio ſim habiturus. ſequimini igitur me.
Sic ſic in euangelio vndique monuit ſuos dominus, vt ſe ſe-
quantur, Matthæi octauo, Lucæ nono, Matth. decimoſexto
ait, Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tol-
lat crucem ſuam, & ſequatur me. Petrus quoque in eun- *1. Pet. 2.*
dem ſenſum inquit, Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis re-
linquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. diſcant hic
miniſtri Chriſti Chriſtum ſequi & veſtigia eius, non pro-
prias vias comminiſci, & ſecundum eas ambulare.

¶ Dicas autem, Et ſi diligam deum, animam vero meam
odio habeam, quid inde mihi erit præmij? fructum hic du-
plicem eius rei oſtendit dominus: alterũ, quia ille qui ſequi-
tur dominum, cum eo etiam erit in numero illorum de qui-
bus Lucas ait, quia præcinget ſe, & faciet illos diſcũbere, & *Luc. 12.*
tranſiens miniſtrabit illis, ait ergo, Vbi ego ſum, illic erit &
miniſter meus. Vbi autem Chriſtus eſt? nõnne in cœlo? Ecce

promissionem nobis à deo datam, quod etiã nos perueniemus in cœlũ, & cum Christo erimus. Fructus alter est, quod pater sequentes Christũ honorabit, quæ dignitas immensa est. Quem enim maiorem honorem accipere poterit adoptatus, quam vt sit vbi est vnicus, nõ æqualis factus diuinitati, sed consocius æternitati? Quando igitur dominus ipse sanctos honorat, quid est quod neochristiani honorem illis debitum subtrahunt, ipsosque insuper contemnunt? Quæras, quur dixerit dominus, Honorificabit eum pater meus, & nõ potius. Ego honorificabo eum. Respõdet Theophylactus, voluisse eum per hoc cõmendare, quod verus filius sit. pater enim honore prosequetur talem vt ministrũ veri filij. Præterea hoc docet, quod non sit contrarius deo. deus enim & pater non cohoneſtaret eum qui sibi aduersaretur. Chrysostomus ibidem monet, & ait, Quare non dixit ego? quoniam nondũ debitam vendicarat authoritatẽ vt pater. qui enim nondum resurrecturum ipsum sciebant quomodo poterant tantam de eo opinionem cõcipere? Augustinus ad longum explicat, quid sit ministrare Christo, siquidem non tantum ministri ecclesiæ, ministri sunt Christi, vt episcopi, presbyteri & monachi, sed iuuenes, virgines, senes cum iunioribus, coniuges, matres & patres familias inseruierunt deo, sequuti sunt Christũ, odientes animam suam vsque in mortem martyrium & supplicia tyrannorum omnia sustinuerunt. ideoque iam cum Christo regnant, atque à deo patre qui eos honorificauit, coronas pretiosas acceperunt fœlicitatis æternæ. Ita dominus per Ioãnem promisit, Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & cõcedi cum patre meo in throno eius. De quolibet igitur iam sancto dicere potest ecclesia, Honorificauit eum in laboribus, & impleuit labores illius. Oremus dominum.

Augusti. *Theophy.* *Chrysost.* *August.* *Apoc.3.*

POSTERIOR HOMILIA.

FIDELIS sane & præclarus Christi minister fuit sanctus Laurentius, martyr pretiosus, qui quia domũ sequutus est sedulo, ideo iam cum Christo regnat in æterna patria, atq; à deo patre honoratur. Hic quoque granum frumenti verum fuit, quod mortuum, attulit fructum multum. fuit enim ille Hispanus, & à pontifice Sixto Leuita ordinatus est ecclesiæ Romanæ. Pontius autem martyr ad Christum conuerterat

Philippum

Philippum imperatorem, quem tyrannus Decius interfecit, filiuſq; illius Philippus iunior. Decij ſeuitiam veritus, Romam aufugit, & patris ſui theſaurum tradidit pontifici Sixto, qui ipſe à Decio captus atq; occiſus fuit. Iam autem antea cõmiſerat Sixtus Laurentio theſaurũ pauperibus erogare. Quumq́ue duceretur Sixtus ad vltimi ſupplicij locũ, inclamauit poſt eum ſanctus Laurentius, Quo progrederis ſine filio pater? quo ſacerdos ſãcte ſine miniſtro properas? ſam ego theſauros quos commiſiſti mihi, pauperibus diſtribui. Audientes hæc ſerui Decij, Laurentium quoque apprehenderunt, & duxerunt ad Decium, qui theſauros ſtatim Philippi ab eo exigebat. Vbi Leo in hodierna homilia ſic *Leo.* ait, Quum furor Gentilium poteſtatẽ in electiſſima quæq; Chriſti membra ſæuiret, ac præcipue eos qui ordinis eſſent ſacerdotalis impeteret, in Leuitam Laurentium, qui non ſolum in miniſterio ſacramentorum, ſed etiam diſpenſatione eccleſiaſticæ ſubſtantiæ præeminebat, impius perſequutor efferbuit, duplicem ſibi prædam de vnius viri compreſſione promittens, quem ſi feciſſet ſacræ pecuniæ traditorẽ, faceret etiam veræ religionis exortem. Armatur itaque gemina face homo pecuniæ cupidus & veritatis inimicus: auaritia, vt rapiat aurum: impietate, vt auferat Chriſtum, poſtulat ſibi ab immaculato ſacrarij præſide opes eccleſiaſticas, quibus auidiſſimus inhiabat. ¶ Quum ergo nihil coram tyranno confiteri volebat Laurentius de theſauro, commendauit eum præfecto Valeriano, ſimul committẽs tormentis illud ab ipſo extorqueri, Valerianus eum rurſus tradidit centurioni ſuo Hippolyto, vbi ille Lucillo cæco viſum reſtituit. quo facto moti plurimi ad eum cucurrerunt cæci, quos omnes curauit Laurentius, & inde Hippolytus baptizatus eſt, qui quũ Laurentium Valeriano reſtituere deberet, promiſit Laurẽtius ſe in biduo de theſauris reſpõſurum, quo tẽporis ſpatio Laurentius pauperes omnes cæcos, claudos & debiles congregauit vndiq;, eos in palatio Saluſtij Decio & Valeriano præſentauit, dicẽs, Quid tu venenũ gloriæ extollis & magni putas? ſi quæris aurum verius, lux eſt & humanum genus. Hi ſunt alumni luminis, quos corpus arctat debile, ne per ſalutem viſcerum mens inſoleſcat turgida. Id attendẽs, inquit etiã Leo, Leuita caſtiſſimus, vbi repoſitas haberet opes oſtẽdens, innumeroſiſſimos ſanctorũ pauperum *Prudẽtius in paſſ. S. Laurentij. Leo.*

obtulit greges, in quorum victu atque vestitu manumissibiles crediderat facultates, fremit prædo frustratus. quúmque nullas apud eum pecunias inuenerat, conabatur preciosiorem ei thesaurũ eripere. putabat enim effecturum se, vt ille Christum negaret. minabatur in hoc & intentabat ei varia tormentorum genera. Cõstans autẽ permansit Laurentius, prædicans deos gentiũ esse dæmonia. vbi iussit eum Decius scorpionibus percuti. & dixit ad illũ ne blasphemaret deos. deinde multa plurimorũ tormentorum instrumenta protulit, quúmque gratias ageret Laurentius deo, quod huiusmodi epulas semper desiderasse, ait Decius, Si hæc est gloria vestra, age dic vbi similes tui plures lateãt homines abiecti, vt epulemini simul. Respondit Laurentius, Quos tu mihi narras, ij semel nomina sua deo cœli dederũt, iámque adeo indignus es tu, qui in eorum cõspectu appareas. Deinceps cum sederet Decius in atrio Iouis, in palatio Tiberij, iussit sibi Laurentium ligatum adduci, cui præcepit vt ostenderet sui similes homines, ipseque sacrificaret diis, nihil confisus de suis thesauris absconditis. Cui Laurentius, Ego, inquit, minister Christi, & cõfido vere, & certus sum de thesauris cœlestibus. Vnde cõmotus Decius, clauis eum cõtundi præcepit, hinc extendi, & candentibus ignitiisque facibus ad latera torqueri. Qua hora etiã dixit Laurentius, Domine Iesu Christe, miserere serui tui: quia accusatus, te non negaui: & interrogatus, te Christe cõfessus sum. Tunc Decius eum plumbatis cædi præcepit, rursusq; suspensum scorpionibus percuti. Vbi rogauit martyr sanctus dominũ, vt susciperet ab eo spiritum. sed audita est vox ab omnibus etiam circunstantibus, Plura adhuc te manent pro fide Christi certamina. Decius hoc maleficiis & magicis incantamẽtis tribuens, dicebat ipsum à dæmoniis susciperе cõsolationem. sed Romanus minister vidit angelum panno abstergentem vulnera Laurentij. qui quũ de ligno depositus interum esset detrusus in carcerem, venit Romanus, seque baptizari petiit, quem deinde plumbatis percussum Decius fecit decollari.

Ambros. serm. 72. ¶ Ambrosius in hodierna homilia sic ait, Fratres, beatus Laurentius nõ cita vel simplici passione perimitur. nam qui gladio percutitur, semel moritur. hic autem longa & multiplici pœna cruciatur, vt mors differatur, & non desit ad supplicium, desit ad finẽ. Decius quadã nocte Laurentium sibi

præcepit

præcepit afferri in balneum Olympiadis. (fuerunt autē Romanorum balnea, magnifica admodum palatia, cuiusmodi sunt Germanorū arces siue castra, quod in Diocletiani balneo satis apparet, in eo enim decē milia Christianorū laborarunt.) Hippolytus, qui iam Christianus erat, & cū familia tota baptismum susceperat, volebat pro Laurētio stare, Christūq; palam confiteri, sed eum iussit Laurentius rē tacito secum cōseruare, Christumq; in corde suo fouere, donec & ipse à domino vocaretur. ¶ Decius porro iā furore correptus, Laurentio os lapidibus contundi fecit, qui quantum subrubit, vnde grauius excandauit ille, iussitq; afferri lectum ferreū instar craticulæ cōtextum. in eum repositus est Laurentius nudus, subiectis sibi prunis ardentibus. & ministri corpus Laurentij fulcis cōprimentes super ferrum candēs, subinde nouos subministrabāt carbones. Vbi Laurētius tyranno dixit, Prunæ illæ quanuis ardentes, mihi tamen refrigerium præbent: tibi autem æterna tormenta parabūt. Valerianus Laurentium submonuit, vt deos inuocaret. sed ille constantissime perseuerās, dixit ad Deciū, Conuerte pacem corporis satis assatam iugiter, latus hoc coctū est. deuora & experimentum cape, sit crudū in assum suauius. Cœpit hic agere gratias deo, & in hoc nidore tanto tamq; vasto incendio spiritū tradidit, anno sal. ducentesimo sexagesimo sexto die decimo Augusti. de hoc supplicio sic ait Leo, Vbi prima supplicia nihil obtinent, vehementiora succedunt. laceros artꝰ & multa verberū sectiōe cōcisos, subiecto præcepit igne torreri. vt per cratem ferream quæ iam de feruore cōtinuo vim de se haberet, vrendi, conuersorū alterationē membrorum fieret cruciatus vehementior & pœna productior. Nihil obtines, nihil pficis sæua crudelitas. subtrahitur tormentis tuis materia mortalis. Et Laurentio in cœlos abeunte, tu deficis flammis tuis. superare charitatem Christi flamma non potuit, & segnior fit ignis qui foris vsit, quam qui intus accēditur. Ignis hic ille fuit, de quo dixit dominus, mississe se illum in terram, vt succendatur & ardeat. Hoc igne succensi fuerunt illi duo discipuli, quando dixerunt, Ardēs erat cor nostrum in via, quum aperiret nobis dominus scripturas. Eodē ardebat hic Laurētius, quo agēte nō sensit ipse flammas ignis externi. quantum enim in eo succensus fuit ardor fidei, tantum extinguebatur vicissim flamma tormenti.

Prudētius in passione S. Laurentij.

Ambro.

Luc. 24.

Ambro. Cæterùm de ſancti Laurentij ſupplicio inquit Ambroſius in loco ſupra citato, Dicitur ab illo ſæuiſsimo perſequutore hæc ei conſtituta pœna, vt ardentium expoſita mole carbonum, inſuper eum ferrea erate diſtentũ lenta flamma cõbureret, vt non tam inflãmando cito interimeret hominem quam diu exurendo torqueret. ita quum vnũ latus exuſtum proſequutor cerneret, in aliud latus ignib⁹ abiiceret exurẽdum. *Dan. 3.* Ait tormentũ hoc grauius fuiſſe, quam iſtud triũ puerorum in camino ignis. Laurentius exuſto latere vtroq;, cõuerſus eſt in tergũ, vbi cremati ſunt renes eius, vt impleretur in eo ꝓphetia Dauidica, *Pſal. 132.* Proba me domine & tẽta me, vre renes meos & cor meum. Vbi geminũ petit ignem, externum alterum, alterum ignem Chriſti qui cor inflãmet. ¶ Ad extremum audite & accipite pulcherrimã concluſionem, quam hic Leo magnus ponit, & ait, Gaudeamus dile- *Leo.* ctiſsimi gaudio ſpirituali, & de feliciſsimo inclyti viri fine gloriemur in domino, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis, ĩ quibus nobis & præſidium conſtituit & exemplum. atq; ita per vniuerſum mũdũ clarificauit gloriã ſuã, vt à ſolis ortu vſq; ad occaſum leuiticorum luminum coruſcãte fulgore quam clarificata eſt Hieroſolyma Stephano, tã illuſtris fieret Roma Laurentio. Cuius oratu & patrocinio adiuuari nos ſine ceſſatione confidimus, vt quia omnes (ſicut Apoſtolus ait) quicunque in Chriſto pie volunt viuere, perſequutionẽ patiuntur, corroboremur ſpiritu charitatis, & ad ſuperandas omnes tentationes conſtantia fidei & perſeuerantia muniamur, per dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, viuẽtem & regnantẽ cum patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorũ. Ecce quanta ſit neochriſtianorũ veſania, quod ſanctũ Laurẽtium ẽ ſanctorum catalogo eiecerũt. in iis etiã locis, vbi antea fuerat patronus. ſed illũ tamen in arca & fiſco diligenter cuſtodiunt, ſeris etiã aliquot cõcluſum. Quõdam conciliis tãtum licebat & epiſcopis inſtituere feſta, nunc eam ſibi poteſtatẽ textores, cerdones & caupones vendicant. Paſſus autem eſt S. Laurẽtius anno domini 266. & ſtatim temporibus S. Am- *Ambro.* broſij qui non centum annis poſtea vixit, plurimum venerationis habuit S. Laurentius Mediolani: ſicut in eius feſto B. Amb. ſermonem habuit, in quo dicit, Tanta martyrio eius gloria extitit, vt paſsione ſua mundũ illuminauerit vniuerſum. Similiter ſoléni feſto celebrat⁹ eſt dies in Aphrica ſanctũ

cti Laurentij in vrbe Hippone, vbi Augu. fuit episcopus, qui & eo die prædicauit, atq; in eo sermone sic ait, Si fathanas persequendo cessaret, hodie tam glorioſam coronam S. Laurētij nō celebraremus. & inde ait dominus, Qui manet in me, & ego in illo. Quid niſi quod martyres audiebant, Qui perſeuerauerit vſq; in finē, hic ſaluus erit. Quomodo manſit in illo S. Laurētius, cuius hodie feſtū diē celebramꝰ? Manſit vſq; ad tentationē, id eſt, manſit vſq; ad tyrannicam interrogationē. Manſit vſq; ad acerrimam cōminationem, manſit vſq; ad perditionē. Parum eſt, manſit vſq; ad immanem excruciationem. nō enim occiſus eſt cito, ſed cruciatus eſt in igne, diu viuere permiſſus eſt, imo nō diu viuere permiſſus eſt, ſed tarde mori cōpulſus eſt. Meminit poſtea quō Sixtus dixit Laurentio. Noli mœreri, ſequeris me poſt triduum. O conſolatio. non ait, Deſines perſequutio. ſed, poſt triduū me ſequeris. Quo reſpōſo accepto, ſuperauit ille diabolum, Leo quoq; qui non longe poſt duos vixit, Cōmæ in feſto ſancti Laurentij prædicauit, ſicuti meminimus ſupra nō ſemel, eſtq; Romæ eccleſia ſancti Laurētij vna ex ſeptē capitalibꝰ. Neq; vero Latina illa eccleſia tantū colit, ſed eodē die decimo Auguſti venerātur etiā Græci, qui ſic habēt, τοῦ ἁγίου μάρτυρος καὶ ἀρχιδιακόνου λαυρεντίου. Vſq; adeo impie fecerunt neochriſtiani, qui ſanctum Laurentium ex albo ſanctorum eiecerunt, ſed nos illum imploremus, &c. *Tract. 27 ſuper Ioā.*

SOLENNI SANCTAQVE FESTIVITATE ASSVMPTIONIS VIRGINIS Mariæ matris dei, Euang. Luc. 10.

IN illo tempore, Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam. Et huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes domini, audiebat verbum illius, Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium. Quæ ſtetit & ait, Domine, non eſt tibi curæ quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi vt me adiuuet. Et reſpondens, dixit illi dominus, Martha Martha, ſolicita es & turbaris erga plurima. Porro vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

IN FESTO
HOMILIA PRIMA.

EVANGELIVM hoc hodierno die assumptionis Mariæ legi solet, eo quod euangelica historia vltra ascẽsionem Christi & apostolorum diuisionem non protenditur, ideoq; nec obitũ Mariæ, nec eius assumptionem includit. Quanuis euangelium hoc quo ad literam, ad sorores duas, Martham & Magdalenam refertur, spirituali tamen sensu locum etiam suum habet, si de virgine matre intelligatur. nam & ea parte elegit optimam. Sed nos iam euangeliũ illud tamẽ quo ad literam exponamus, deinde ad festum Mariæ properemus, de ipso quoq; nonnihil dicturi. Et primum quidem ait Lucas intrasse dominum in castellũ, scilicet Bethaniam, atq; id Marthæ erat. Quũ ergo dominus à Galilęa proficisceretur versus Ierusalẽ, in tinere diuertit Bethaniá in ædes Marthæ, siquidẽ eam cum Maria & Lazaro multum diligebat. Ambro. vult Martham non immerito dominum hospitio excepisse, quia eam fluxu sanguinis laborantem liberauerat. (de quo tamẽ hic vt supra semel meminimus.) Habuit autem sororẽ Mariá, puta Magdalenã, de qua Christus septẽ eiecerat dæmonia, & peccata ipsius remiserat. Atq; hæ fuerunt sorores illę duæ, de quibus hic agitur in euangelio. Quod autẽ earũ fuerit officium, sequitur, Quia sedens secus pedes domini, audiebat verbum illius, Lucas iam antea dixerat, Martham excepisse dominũ, quod vtiq; corporaliter factum eo. Iam porro ostendere parat, & Maria exceperit illum modo quodam sublimiori in corde & animo suo Martha excepit eum vt hospitem, inquit Augusti. sed tamen suscepit famula dominum, ægra saluatorem, creatura creatorẽ: & pascẽda spiritu, suscepit dominum in carne pascendum: quoniam Christus quo ad humanam naturam, cibi indigus erat, vnde & esuriebat sitiebat, quanuis etiam illa gratia erat, quod se hominem pasci sinebat. In deserto autem videmus accessisse ad ipsum angelos, & ministrasse ei. similiter Eliam constat ex coruo suscepisse alimentum à deo, qui ipsum diutius poterat hoc modo pascere, sed ille voluit & viduã aliquid mereri, ideoq; Eliam misit ad eam in Sareptam. Eodem modo Christum poterant angeli cibare, sed habitu suo voluit ille inueniri vt homo, hancq; Mariæ impendere gratiam, vt se sineret ab ea pasci. Paráte autem Martha cõuiuium, sedit Maria

Ioan. 11.

Ambr.

Augus. de verbis domini.

Matth. 4.

Philip. 2.

Maria iuxta pedes domini, audiens verbum illius. Vbi primum quia ſedit, tranquillitas ſignificatur: & quod verbum dei quiete eſt auſcultandum, non pulſibus, non fabulis, non ſtrepitu interrumpendum, ſed cum manſuetudine & humilitate audiendum. ideo enim Maria ſedet ad pedes domini, quod humilitatis eſt argumentum. Quia quiſquis in ſuperbia audire vult verbum dei, nec gratiam inde refert, nec vtilitatem aliquam, ſicut ſapiẽtes mundi huius, qui ſæpe prędicatorem cõtemnũt loco dei ſtantẽ pro officio ſuo. inique ſane. nam qui cum Maria aſsidẽt pedibus domini per humilitatem, capaces erunt fructus quem colligant ex verbo dei. Semper autẽ in euangelio Mariam inuenias ad pedes domini, vbi & mũdata eſt, vbi remiſſa ſunt illi peccata. hic quoq; ſedet ad pedes Chriſti, mortuo Lazaro, corruit ad pedes domini. Et in die reſurrectionis, dominicæ quum appareret ei dominus in ſpecie hortulani, voluit tãgere pedes eius, quãuis reſiſteret ille. Hæc quoq; Hieronymo & Auguſtino te ſtantibus, tetigit pedes domini cum reliquis mulieribus in via, quum reuerterentur à monumento. Vide etiã hic pium Mariæ affectum, quem geſtabat erga verbum domini, quod illi audiendo vacabat, dũ pararentur alimenta. O ſenes nos, ô tardos & moleſtos in auſcultãdo verbo dei. Ex quo quiſquis eſt, verba dei audit, vt inquit Chriſtus ad Iudæos, propterea vos non auditis, quia ex deo non eſtis, Magdalena autem ex deo fuit, vnde & verbum domini ſedulo, pie, humiliter, & animo ſedato tranquilloque audiuit. *Luc. 7. 10.* *Io. 11. 20.* *Ioan. 8.*

2 Quum etiam hic videmus diligentiam Chriſti in opere patris ſui cœleſtis, qui in ipſis quoque ædibus dum pararetur menſa, à prædicatione non ceſſauit, diſcant hinc epiſcopi & prælati omnes, vt ingreſsi domum aliquam, procul abiiciant & expellant omnem leuitatem qua offenderentur ſimplices. curent magis ea loqui, quæ faciebant ad ædificationem proximi & emendationem audientium. Sic Paulus Timotheum ſuum iubet eſſe formam fidelium in ſermone, in conuerſatione, in charitate, in ſpiritu & fide. Petrus quoque ait eos formam eſſe gregis, hoc eſt, populi. Neq; diſcordat quod ad ſeniores Epheſi dixit Paulus, poſtremo iam ab ipſis abiturus, Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos, regere eccleſiã dei quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Sic Chriſtꝰ pręcepit apoſtolis ſuis. *1. Tim. 4.* *1. Pet. 3.* *Act. 20.*

Mat.5. Vos estis lux mũdi, sic luceat lux vestra corã hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificẽt patrẽ vestrũ qui est in cœlis. Antequã mãducaret, prædicauit domin⁹. Maria ad pedes eius cõsedit, audiens verbũ illius. Martha aũt discurrens in ẽdibus, satagebat circa frequens ministeriũ, volens pascere dominum adhuc mortalem, & inseruiens ei. Quis autẽ ille erat in corpore mortali? Verbũ scilicet illud quod in principio erat apud deũ, imo deus ipse, sed in tẽpore factus homo. Martha sic seruiebat corpori Christi exterius, sed Maria audiebat quidẽ externũ Christi verbum, verũ illud promanabat ab ẽterno dei verbo interi⁹, ideoq; dominus non curabat solicitudine Marthæ, dum alsidens Mariæ prædicabat. Vbi Theophylactus ait, Dictis docet apostolos, vt quũ venerint in domũ cuiusdã, non varia inquirant, sed cõtenti sint frugali hospitalitate, nihil pl⁹ quærẽtes, quã vt attendant doctrinæ. Martha ergo satagens circa frequens ministeriũ, male vtiq; nõ faciebat, dum in obsequio domini sedulo incumbebat. Præmio nõ vacat, quicquid in hũc dominum vt opulentissimum, ita potentissimum, confertur, vt ipse ait, Quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Nemo igitur cogitet male feciſſe Martham dum seruiuit domino, sed tamen quur eam Christus corripuerit, paulò pòst expediemus.

Theop.

Mat.10.

3 Martha stetit & ait, Domine, nõ est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solã ministrare? dic ergo illi vt me adiuuet. Pia hæc incusatio, pacifica contentio erat duarũ sororum, vnde & iudicem habuit placabilem Christũ dominũ. Martha inquã stetit, noluit desistere, cœptum prosequuta est laborem, quantumuis cõtinuo cursu fatigata. siquidẽ nõ solus Christus hic aderat, sed etiã apostoli, qui vtiq; & ipsi in domo Marthæ manducauerunt. Martha stetit & dicit Domine, non est, tibi curæ. Incusationem proponit aduersus dominum & sororem, sed benigna ea erat. sic enim visa est dicere, Domine, qui æqualem omnium curam geris, nõ etiam hoc curas, quum tamen is sis qui laborẽ doloremq; consideras? non cogitas, nõ vides, non attendis quod mea me soror solã ministrare reliquit? Quur non eam saltem adiuuare me præcipis, quũ in tuo apostolorumq; tuorũ obsequio sim occupatissima? Nimiũ sane præceps in hoc fuit Martha,

quod

quod quum interrogaſſet dominũ, adhuc ante reſponſionẽ prorumpit, iuſsionẽ à domino petẽs, vt adiuuaret ſe ſoror. Cõmunis hæc eſt hominũ conſuetudo, vt quod quilibet labori cuipiam intentus putat eſſe omniũ maxime neceſſariũ, idem velint omnibus eſſe iudiciũ. Magdalena cõtemplationi intẽta, audiebat verbum dei, idipſum rata ita vt erat, maxime neceſſariũ. Martha in re domeſtica occupatior, curabat quid proponeret hoſpitibus, putans omnes ſecũ eſſe debere ſolicitos, vt pro dignitate ſufficienti humaniſsime dominũ tractaret. Marthæ autẽ reſponſum hoc datum non eſt quod ſperabat, quia nõ tantũ petitioni ſuæ nõ ſatisfecit dominus, ſed etiam reprehẽdit inſuper Martham de nimia ſolicitudine. neque Mariã ab inſtituto depulit, ſed & excuſauit & cõmendauit, & recens promiſſum obtulit, dicens ad Martham, Martha Martha, ſolicita es & turbaris erga plurima. *Auguſt.* Audierat iam Maria ſororis accuſationẽ, ſed nõ auſa eſt reſpondere, ſed maluit tanquam ocioſa cauſam ſuã iudici cõmittere, nec in reſpõdẽdo voluit laborare: ſi enim pararet reſpondẽdi ſermonẽ, remitteret audiendi intentionẽ, ſicut & Ambroſius ait ſuper hæc verba, Dilectus meus mihi, & ego illi, hoc eſt, dilectus meus reſponſus attẽdit mihi, & ego viciſsim illi. nihil erga perturbat me, quicquid faciat mihi homo. O quã felix, ait Bernardus, eſt dominus & beata congregatio, in qua Martha conqueritur de Maria. Martha Martha, ſolicita es. Bis Martham appellat propter dilectionẽ, &c. authore Auguſtino. Solicita es, & turbaris erga plurima. *Auguſt.* Decet nos interdũ in externis rebus eſſe occupatos: nemo etiã ſpiritualẽ & cõtemplatiuam vitã agens perpetuo cũ Magdalena aſsidere poteſt pedibus, domini. oportet interim & frequens curare miniſteriũ, ſed id tamen modeſtius, ne ea res in nimiã euadat ſolicitudinẽ, ne hinc perturbatio ſequatur ſolito maior, quã auari habent quamq́ue Chriſtus ſemper prohibuit. ita enim ait, Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ quid edatis, & corpori quib⁹ induamini. Paulus etiã dicit, Sint mores ſine auaritia, contenti præſentibus, quia ipſe dixit, Nõ te deſerã neq; derelinquã. 4 Diſcant hic qui prædicatores eſſe volũt veritatis, ne veritatẽ taceãt, néve malũ impunitũ relinquãt quæſtus & cõmodi alicuius gratia. quod nõ raro fieri ſolet à quibuſdã religioſis, maxime qui aliud ex hoc ſaltẽ Chriſti exemplo diſcere debebãt.

Canti. 2. *Bernard.* *Auguſt.* *Mat. 6.* *Hebr. 13.* *Ioſue 1.*

Quanuis enim ille hoſpes erat Marthæ, ipſaque circa eum occupabatur: attamen ille eam de nimia ſolicitudine redarguit, idem & nos facere decet. Theophylactus inquit, Non hoſpitalitatem prohibet dominus, ſed varietatẽ ac turbam, hoc eſt, diſtractionem & turbationem, quoniam ipſa per ſe hoſpitalitas opus bonum eſt: iuxta illud Pauli, Hoſpitalitatis & beneficẽtiæ nolite obliuiſci. per hanc enim quidẽ placuerunt deo, etiam angelis hoſpitio receptis. Et tamẽ illa eo vſque bona eſt, quouſque non abſtrahit hominem à rebus magis neceſſariis. Dominus hic hoſpitæ ſuæ quod verũ erat nõ tacuit, ſed aperte dixit, nihilq́ue celauit. Vtinam idem facerent omnes prædicatores, neque diuitias conſiderarent aut potẽtiam vel priuatam vtilitatem. Poſtquam ergo Martham corripuit dominus, porro iam Mariã excuſat. Vnũ eſt neceſſarium, inquiẽs. Vere enim vnũ quid ſolũ eſt neceſſarium, deus ipſe quicquid deinde in cœlo & terra eſt, corruptibile eſt, & diuina potentia ad nihilũ redigi poteſt. ſolus deus idipſum eſt, quod oportet neceſſario eſſe. Variis modis exponit Auguſtinus, & inter cætera ſic dicit, Vnũ cogitate fratres mei & videte, in ipſa multitudine quid delectat niſi vnũ? Ecce deo propitio quã multi eſtis? quis vos ferret, niſi vnũ ſaperetis? Vnde in multis quies iſta? da vnũ, & populꝰ eſt. tolle vnũ, & turba eſt. Sic Paulꝰ ex tota Corinthiorum multitudine vnũ quid facere ſtuduit, dicens, Obſecro vos fratres, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. ſitis aũt perfecti in eodẽ ſenſu, & in eadẽ ſententia. Sic pro fidelibus rogauit Chriſtus, vt vnũ ſint ſicut ipſe & pater vnũ ſunt. Sic de primitiuæ eccleſiæ Chriſtianis ait Lucas, Multitudinis credẽtium erat cor vnum & anima vna, ſed de pace & vnitate alias plura. Mariam excuſando cõmendat dominus, quod optimam partem elegerit. vbi Beda ſic dicit, Ecce pars Marthæ non reprehenditur, ſed Mariæ laudatur: neque enim bonam partem elegiſſe Mariam dicit, ſed optimam, vt etiam pars Marthæ indicaretur bona, quę tamẽ tandem dirigitur in partem Mariæ, à qua pars ſua nunquam auferetur. ſiquidem quod illa hic incipit contemplãdo deumq́; laudando, id demum perficietur & augebitur locupletius in futura patria, quam omnibus nobis concedat deus trinus & vnus, qui eſt benedictus in ſecula, Amen.

Theoph.

Heb. 13.

Auguſt.

1. Co. 1.

Ioan. 17.

Act. 4.

Beda.

HOMI-

HOMILIA SECVNDA.

EVANGELII huius historia per se facilis est & aperta cuiuis. quis enī dubitet id ita cōtigisse vt narratur? insup tamen secundū regulā Augustini, latius introspiciēdū est & cōsiderandū, quod quicquid euāgeliste scribunt dominum fecisse, prēterquā quod sit opus, etiā doctrina est vnde nos eruditamur. Christus enī verbo docuit simul & opere. vnde Paul⁹ ait, Quæcunq; scripta sunt, ad nostrā doctrinā scripta sunt. Et regula Gregorij sic habet, Omnis Christi actio, nostra est instructio, libet igitur hic videre quid sibi in hoc euāgelio duæ istæ sorores velint. neq; enim frustra earū hoc loco mētio fit. vt aūt ambages omnes euitemus, fundamētū hoc & cōcors doctorū omniū est consensus, per illas duas sorores duplicē intelligi vitā Christianorum. actiuā & cōtēplatiuā. (volo texere totū sermonē, si aliquis circa monasticos vel moniales hunc extēdere voluerit, ad excitandā eorum deuotionē & vitā monasticā cōfirmādā, & vt subindicem materiā & præbeā occasionē cogitandi, ideo obiter transcurramus solā euāgelij historiā applicātes.) Quomodo aute illud per sorores duas significetur, iā audiemus. Intrauit Iesus in quoddā castellū, quod quid aliud est nisi ecclesia vniuersa, ciuitas noua Ieruſalē quæ descēdit de cœlo? Murum illa habet fidē Christianā, fundamentū murorum apostolos, portas sacramenta septem, &c. (facile est ire per symbola) Sin aute de aliqua singulari ciuitate loquamur, status spiritualis designatur. & id quidē castellum in edito mōte situm est, cōspicuum omnibus. quāuis nō omnes audeant montē hunc conscendere. Quis non videt tot ritus & ordines ecclesiasticos? siquidē ciuitas in mōte posita, celari nō potest. Quotusquisq; aute rigorē ordinis & regulæ duritiā sustinet? Inuenias multos, qui dicunt monachos & vestales laute viuere. eos si quis interroget, an non & ipsi vitā lautam appetant, non abnuunt vtique. Relegati autem ad vitā & conuersationē monasticā, resiliunt, nouāmque tantum obseruantiā instituere conātur, si cœnobiis sint addicti. quod sane argumentū certum est, monachos & moniales durā vitā viuere, dum quā laudauerat is antea, nūc subire recusat. De hoc enim castello Dauid sic inquit, Fundamēta eius in montibus sanctis. Murus castelli huius, regula

Trac. super Io. *Rom. 15.* *Gregor.* *Apo. 12.* *Mat. 5.* *Psal. 86.*

est approbata & recepta, qua quisquis monasticus se concluſum nō cogitat tanquā in muro, is officiū ſuū rite nō peragit. Vbi primū rupta ſeps fuerit & aperta, ſues in hortum
Iob 30. irrumpunt, ipſumq; cōfodiunt & extermināt, ſicut Iob cōqueritur, dicēs, Quaſi rupto muro & aperta ianua irruerūt ſuper me. Probo autē homini monaſtico regula eſſe debet, ſicut murus inſuperabilis, iuxta illud quod vidit angelus in
Apo. 21. Apocalypſi, ciuitatē cœleſtē habere murū magnū & ſublimē. Vigiles & cuſtodes mœniū, prælati ſunt, priores & decani, quorū eſt diligenti circunluſtratione velut ex ſpecula cōſiderare qua parte hoſtes aduenīant, vnde incēdia aut alia
Eſa. 62. in teſtina pericula proueniāt, dicente Eſaia, Super muros tuos Ieruſalē poſui cuſtodes, tota die & nocte nō ceſſabūt.
Mat. 11. Foſſa quæ caſtellū hoc ambit, volūtas eſt nihil propriū poſſidendi. atq; hęc paupertas eſt euāgelica, quū quis volūtatē ſuā in poſſidēdis bonis vltro coërcet & tēperat. huiuſmodi pauperes euangelizantur. & iis euāgeliū prędicatur, ſed nō raro conatur malorū omniū author diabolus foſſas illas implere luto auaritiæ. vt ei ſic pateat ingreſſus ad occupādum
Abac. 1. caſtellū, ſicut de hac re Abacuc ꝓpheta dicit, Ipſe ſcilicet diabolus, ſuper omnē munitionē videbit, & cōportabit aggerē, & capiet eā, Fons caſtelli huius, pius luctꝰ eſt & deploratio peccati huiuſq; miſerię. Et hoc fonte Dauid biberat
Pſal. 79. quū diceret, Potū dabis nobis in lachrymis in mēſura. Fontē hunc deſiderauit Ieremias, dicēs. Quis dabit aquas capiti
Ierem. 9. meo, & oculis meis fōtes lachrymarū? Reſpōdet ad hoc Za*Zach. 13.* charias, inquiēs, Erit fons patēs domui Dauid, & habitātibꝰ Ieruſalē in ablutionē peccatoris. Neceſſaria victus ſunt, vigilia, ieiuniū, oratio, diſciplina omnisq; obedictia. iis enim dū macreſcit corpus, ſpiritus impinguatur, dicēte Dauide, Impinguaſti in oleo caput meū. & rurſus cōfitente idipſum
Pſal. 22. Sapiēte, Anima quę benedicit, impinguabitur: ſicut & ho*Prou. 11.* mines illi monaſtici diu noctuq; laudare debent dominum. Turris huius oppidi, ipſa eſt vita diuina & cōtēplatiua, qū homines religioſi totos ſe dedūt meditationi rerū cœleſtiū, atq; veluti rapiuntur ſpiritu, vt vix iā ſenſus ſuos habere ſe ſentiāt, ſicut Paulꝰ neſciebat in raptu, in corpore ne ſuiſſet an extra illud. Iſti nimirū cōtinuo hoc recolūt, Surſum corda. In hāc turrim aſcēdere decet religioſos, quia turris hæc
1. Cor. 12. eſt fortitudinis à facie inimici. Atq; in hoc caſtello Martha habi

habitat & Maria. Martha eos significat, qui officiis præfecti, alij inseruiũt. Maria autẽ eos designat, qui chorũ curant & sacra peragunt, sedentes ad pedes domini. (¶ Posses extendere illa symbola per duos sermones, quomodo plateæ essent stratæ per humilitatẽ, tecta cooperta charitate, in qua essent cãpanæ pulsantes per deuotã orationẽ, portæ apertæ per eleemosynarũ largitionẽ, horologiũ fidei, quod omnes horas canonicas diligẽter excitat. haberet etiã lauacrũ pœnitentiæ, hortũ diuersis arboribus studiorũ & operũ consitũ, ne torpentes ocio in vitia flecterẽtur. Ibi sit molendinũ diuinæ lectionis, vbi ex farina in fornace charitatis fit panis optimus, omne in se habens delectamentũ diuinę refectionis & cõmunionis. Omnis turbatio est prohibita per virtutẽ silẽtij, & ciues ordinatissime viuũt sub regimine obediẽtiæ, quia iudex seuerus est disciplinæ scholasticæ, &c. sic in infinitũ.) 2 Intrauit igitur Iesus in quoddã castellum. O cœnobiũ fœlix, quod ingredi dignatur Christus ipse. sane oportet illud & trãquillũ esse, & offensiõe carere. Martha autẽ suscepit eũ. Quotiescunq; cœnobia pauperem aliquẽ hospitio excipiũt, Christũ dominũ suscipiunt. Quamobrẽ Marthã in hoc peculiarẽ habere debẽt, hoc est, aliquẽ certũ qui curam pauperũ gerat. Et Martha quidẽ sororem habuit nomine Mariã. Qui in cœnobiis officia habent, alijs dominari non debent: sicuti nec cæteris inferiores iudicari, sed omnes eos cõuenit vt fratres esse & sorores, ne quid discriminis afferat officiorũ diuersitas. Sancta quoq; illa velut duarũ sororum coniunctio est vitæ actiuæ & cõtẽplatiuæ, dum illa per Sapiẽtiã exterius operatur & regit omnia, hęc interius deo seruit cũ mẽtis illuminatione & accẽsione seu inflammatione cordis erga ea quæ diuina sunt & cœlestia. ¶ Hic primum contemplatiuæ vitæ opus describitur, quia sedit Maria secus pedes domini, quo spiritualiũ hominum quies & tranquillitas ostenditur. siquidem homo irrequietus in cœnobio, ab ipso etiam diabolo parum distat. Sedendo inferiores hominis partes inflexæ & curuatæ sunt, caput autẽ libere erectũ. sic qui contẽplationi vacat homo, temporalia curare nõ debet, solamq́ue rationis suæ superiorẽ portionem recta diligere in deũ, & sic sedere per humilitatem secus pedes domini. Sic Beda inquit, Contẽplatiuæ vniformis perfectio est, exutam mẽtem à cunctis habere ter-

Vide aliã applicationem in Alberto.

Beda.

renis, eámque quántũ humana imbecillitas ſinit, vnire cum Chriſto, vt ſic omne deſideriũ vergat in deum, grauéque & moleſtũ ei ſit eſſe in corpore, tantum cupiat cœleſtibus intereſſe choris, deũ laudare, amore ipſius exardeſcere, vt nihil iam cupiat operari, ſed pedibus omnes curas conculcet, & quid multa? ſenſus omnis, cogitatio tota, & vniuerſæ illius vires tendant in deum. O vere fœlicem beatúmque hominem, cui talis gratia contigit diuinitus. ¶ Verũ hic quoque prudenter accurare decet, ne eum ſubtilis iſte & fraudulentus ſpiritualis ſuperbię diabolus decipiat, qui hic plerunque ſe magno veneno ingerere ſolet. vnde & dæmoniũ meridianũ dici ſolet, à quo cuſtodiri ſe petiit à domino Dauid, ſic orans, A ſagitta volante in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. Quod illud eſt meridianũ dæmonium? hoc nimirum, quod iam diximus ſpiritualis ſuperbiæ. ſicut enim ſol in meridie quum ſit altiſſimus, in decliue tantum deſcendit feſtinans ad occaſum: ita quũ homo religioſus in ſummũ euectus eſt apicem dignitatis, tum maxime conatur diabolus iſte eum præcipitare, & vel aliorum contemptu ipſum decipere, vel iudicio temerario, vel duritie nimia, vel philautia & fiducia ſui cũ gloriatione propriæ bonitatis. quaſi nõ quicquid habet, habeat ex deo, cui gratiæ ideo ſint agendæ. (Potes hic ad longum inducere 4. vias ſeu modos ſpiritualis ſuperbiæ.) Id vt omne præcaueat homo religioſus, humilitate ſeſe muniat,

Bernard. tacitúſq; ſubinde ſecum cogitet, quod ait Bernardus, Si quã ego gratiã habeo, haberet alius, quanto melius ſanctiúſq; & magis pie ea quã ego vteretur? Sed quid Maria fecit ſecus pedes domini? audiebat verbũ illius, quia in ſacris literis poteſt homo vniuerſæ ſpiritualis exercitationis aſſequi dulcedinem. Verum hęc alias copioſius. 3 Quum iam Lucas deſcripſerat, quid Maria quæ vitam cõtemplatiuam deſignat, habeat negoci), porro iam etiã ſolicitudinẽ Marthæ oſtendit. ſiquidem ea ſatagebat circa frequens miniſteriũ, Maria ſedebat tranquilla, tacitaque cõtemplabatur, audiens dominum in doctrina ſua. Et ſic vtrique curam gerere ſedulã debent, qui in choro, quique in porta deſident. Tu autem hic vide, quia Martham ſolicitam eſſe, non auaram conuenit, vt interdũ prælati & ij qui officiis præſunt, eſſe ſolent aliquãto ſeculari poteſtate & magiſtratu duriores, nonnunquam

priuata

priuata quærẽtes, vel fauore vel inuidia iudicant, quod nemo Turca iustum dixerit. Non hæc illa diligentia est quę in Martha commendatur, imo procuratores, cellarij, burſarij, piſtores, cæteríque in cœnobiis fratres qui reliquis miniſtrant, diligentes eſſe debent erga ſingulos, erga pauperes & alios omnes, nec quicquã negligere, ſed omnia prouidere ad ſuſtentationẽ eorũ qui deo miniſtrant, quia (vt ait Ambroſius) ſpiritualia ſine tẽporalibus diu non poſſunt ſubſiſtere. niſi enim diligens eſſet Martha, Maria diu ſedere nõ poſſet iuxta pedes domini, ſed cogeretur etiam ipſa neglecta contemplatione victũ ſibi quærere, & ſic turbari erga plurima. Ideoq́ue non imprudenter prouiſum eſt, ſorores eſſe duas, Martham & Magdalenam, vt ſic Martha in temporali neceſſitate occupetur, Maria verò in vita contemplatiua diutius poſſit ad pedes ſedere dominicos. Et hoc ſanè fundamentum eſt, quur nõnulli doctores cõcludendo dicũt, multo tutius eſſe ſub regula viuere in eo ordine tali, vbi ſufficientes reditus ſint in cõmuni, quam in ordine aliquo mendicantium, vbi nihil eſt in cõmuni vnde viuere poſſint, ratio eſt, quod mendicantes cõtinuo Marthæ iunguntur officio, dũ curare eos oportet quomodo ſuſtentent fratres veſtitu, victu, libris & aliis, quomodo cœnobij ſtructurã prouideant ne corruat. id vt efficiant, cogũtur in mundum hũc immundũ & vanum exire, & circuncurſitare inter viros & mulieres, vbi multam inueniunt peccandi occaſionem. *Ambroſ.*

¶ Mundus enim hic totus laqueis diaboli plenus eſt, ſicut Antonius ipſe vidit, neque tunc raro lingua & pudicitia in diſcrimine magno verſãtur. Quid hic multis morer? quo minus curarũ habent religioſi, eo magis pedibus domini aſſidere poſſunt, ideóq; in illo ordine cõuerſari tutius eſt, vbi minus curę incumbit Marthę, cuiuſmodi eſt ordo Carthuſianus, qui centum annis ante ordinẽ mendicantiũ incepit, nec tamen aliqua domus, vt teſtatur Gerſon, ab illa inſtitutione defecit, quũ tamen in ordine mendicantiũ conſtantia talis nõ permãſerit, quorũ multi ab obſeruantia reſilierunt, ſed valeant hæc. Conſtat enim ordinẽ illum in quo quiſque feruentiorem habet charitatem in deum, deo eſſe propiorem. Vide Ioan. Maio. Matt. 19. 4 Ait Lucas, Martha ſtetit & ait, Domine, nõ eſt tibi curæ quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Ecce Martha iam multa occupatione *S. Auto.* *Gerſon.*

defatigata, ſtetit. Fratres quibus rei familiaris demãdata eſt cura, oportet nonnunquã conquieſcere, modo quies hæc in ignauiam nõ habeat. vnde proprie ſtetiſſe eam ait, quaſi paratam adhuc amplius laborare. ſicuti Ruth tota die ſtetit in agro, nec paruulo tempore abiit in domũ. ¶ Cõqueſta ergo eſt Martha de Maria. Vbi Bernardus ait, Fœlix domꝰ & beata congregatio, in qua Martha de Magdalena conqueritur. Iam prohdolor, cõtrarium videas magis, dum qui in cõuentu ſunt in penetralibus, de his qui foras prodeunt conqueruntur, cupientes & ipſi prouehi, & videre mundũ. Iniquè ſanè, quia quorum officium eſt in cultum diuinũ incumbere, ij non debent cupere vt prouehentur ad externa officia. quin potius ſuperiores rogent, vt vbi primũ illi etiã eis curam rerũ tẽporaliũ iniungere velint, ab ea liberẽtur, ſintq́ue immunes: dicant inſuper cum ſponſo, Laui pedes meos, & quomodo coinquinabo illos? Exui tunicam meam, quomodo rurſus induam illam? Tunicam curæ ſecularis abiecit religioſus, dum ſuſcepit & ꝓfeſſus eſt religionem: & quomodo rurſus aſſumet iſtam ſarcinam, vt ea preſſus demergatur in mundo? Laui pedes meos cõcupiſcentiarum, quibus conuerſatus eram in mũdo, nunc illos in ordine expurgaui & reieci, quur itaque rurſus coinquinem? Cœnum mũdi voluptas eſt, à qua non diſſident vanitas, auaritia, diuitiæ, &c. Lutum hoc eis adhæret, qui ſeipſos nõ caute cuſtodiunt. Sin autem vrgeãt & inſtent ſuperiores, dicentes, Egrediamur in agrũ, cõmoremur in villis, mane ſurgamus ad vineas, obedire decet ſubditum, & tamen integram ſeruare voluntatem, quod mallet cum Maria manere ſecus pedes domini, quam egredi & peragrare regionem hinc inde cum ſolicita Martha, & ſic quoque meritum eius vſqueadeo nõ minuetur, vt etiam augeatur Martha ſublimitatem vitæ contemplatiuæ nõ intelligebat, ideoq́ue petebat à domino, vt ille Mariam quoque ad opus relegaret, quod vtique facere nõ debebat, quia neutra pars vel alteram contemnere, vel de ea conqueri debet: ſicut interdũ ſorores quæ choro præſunt, facere ſolent ſororibus iis quæ ſeruili munere fungũtur. Qua de re Gerſon pulchrũ tractatum edidit. Dominus ergo Marthã ſtantem reprehendit, Mariam vero ſedentem laudat. neque hic Martham de obſequio corripit, ſed ideo quod Mariam ſine cauſa nitebatur auocare à vitia contemplatiua. Solicita es, inquit

Ruth 2.

Bernar.

Cant. 5.

Cant. 7.

inquit ille, in officio, neque enim miniſterium illud externum cura vacat, ideoq; & præmia tibi digna dabo, iuxta illud. Nō iniuſtus eſt deus, vt obliuiſcatur operis veſtri & di lectionis, quā oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis & miniſtratis. Scio quoq; te ô Martha in multis perturbari. impedimenta ſiquidē multa, multa negocia, pluriméque labores obueniūt iis, qui vitam viuūt actiuam in hoc mundo, vt nō immerito cōqueſtus ſit Moyſes tantum ſibi à deo impoſitum eſſe pondus, quando dixit, Quare nō inuenio gratiam coram te? & quur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me? Quum ergo omnis ſarcina impoſita ſit humeris eius, quid mirum ſi perturbata ſit? niſi peculiarē habeat gratiam à deo, ſane tribulatione carere non poterit. *Hebr. 6.* *Num. 11.*

5 Vt ad cōcluſionem veniat dominus, ponit hic principio præmiſſam, inferētem cōcluſionem intentam, Porrò vnum eſt neceſſariū. Turbata erat Martha erga plurima, ſed vnum tamen, quod & ambiebat Maria, & requiritur tandem in Martha, eſt neceſſariū. Vnum illud, deus ipſe eſt, vna beatitudo. Ambæ igitur pro vno illo cōtenditis, ſed Maria interim partem optimam elegit, cuius rei ratio deinde ſequetur. Vnum hoc petiit quoq; Dauid, dicens, Mihi adhærere deo bonum eſt, ponere in domino deo meo ſpem meā. Et alibi, Vnam petij à domino, hanc requirā, vt inhabitem in domo domini omnib⁹ diebus vitæ meæ, vt videā voluntatem domini, & viſitem templū eius. Vnū hoc præponi omnib⁹ debet in vtraq; vita, quia finis ille vltimus eſt propter quē omnia fiunt. Maria optimā partem elegit, bona quidē eſt pars Marthæ, bona etiā Mariæ, & inſuper melior quā iſta Marthæ, iuxta illud Gregorij, Magna ſunt actiuæ vitæ merita, ſed cōtemplatiuæ potiora. Sunt qui volūt prius illud quod dicitur, Vnū eſt neceſſariū, referri ad Marthā quæ licet turbetur in multis, attamen vnū illud in hac vita neceſſariū eſt, quum ij qui cōtemplationi vacant, ſine corporali ſuſtentatione nō poſſint propoſito ſuo ſatisfacere. quāuis ergo pars Marthæ, hoc eſt, actiuæ vitæ functio, magis eſt neceſſaria, pars tamen Mariæ melior eſt: quia ſic ſe habent, vt excedentia & exceſſa. Rationē aſſignat dominus, quare pars Mariæ ſit melior, ſiquidē nō auferetur ab ea. Quod exponēs Beda, ſic ait, Actiua vita cum corpore deficit. quis enim in æterna patria panē eſurienti porrigat vbi nemo eſurit? quis potum *Pſal. 71.* *Pſal. 62.* *Gregor.* *Beda.*

tribuat ſitiéti, vbi nemo ſitit? q̃s mortuũ ſepeliat, vbi nemo moritur? Cũ præſenti ergo ſeculo finitur vita actiua. Cõtẽplatiua autẽ hic incipit, vt in cœleſti patria perficiatur. quia hic per ſpeculum tantũ videmus & in ænigmate, illic viſuri facie ad faciẽ. Ignis nanq; charitatis qui hic accenditur, tunc demũ ardebit vere in vita ęterna, eo quod illa & auctior & feruentior permanebit. Atq; in hoc dubium non eſt cõtemplatiuam vitam potiorem eſſe quam actiuam, quoniam hæc tranſitoria, illa autem eſt æterna. In vtra tamẽ quis plus mereatur, dominus hic non diſſerit, neq; eo facit hoc verbũ ipſius. ſiquidem omne meritum pro dilectionis feruore iudicatur, & ideo in quacunq; vita quis plus meliuſq; operatur, plus etiam ille mœretur. poteſt ſane procurator in mundo conuerſans, plus mœreri, quam alius frater continuo domi orans & contemplans. Viciſsim poteſt quis domi in choro tanta mentis ſuæ eleuatione, diuinam bonitatem, miſericordiam atq; potentiam, paſsionẽ quoq; Chriſti ardenter adeo meditari, vt cor ſuum tanta dilectionis flamma incendatur, vnde plus mœreatur quam ille in mundo. Vide Aliacen. ſuper hoc, quia eſt clarus & vehemens in hac materia, in multis tractatibus, ſed ſpecialiter in tractatu ſpeciali conſiderationis. & in tractatu compẽdij contemplationis. potes enim facile decem extrahere ſermones, quæ diſponant ad cõtemplationem, quæ adiuuẽt, quæ perficiant. Poſtea docet, quid contẽplandum in animabus, quid in angelis, quid in diuinis perfectionib⁹. Ponit etiam varia genera contẽplationis, alas eius, & varios modos ac gradus, docet inſuper quomodo cõ ſeruanda ſit contẽplatio. Et eſt optimũ caput pro monaſticis, id totum proſequitur etiã in cõpẽdio. ¶ Optimũ foret, ſi quis vnus vtranq; hanc vitã haberet, vt prælatus ſpiritualis proſpiceret neceſsitati fratrum exterius, ſimulq; ſe exerceret in pia contemplatione interius: atq; id ille poteſt facere in tribus, meditatione, oratione & attenta ſcripturarũ lectione. Volunt etiã doctores, quod quicunque in vera charitate prius ſe exercet in vita actiua, is multum fructum acquiret cõtemplando: quia ſicut in nouo teſtamento vtraq; hæc vita per Martham & Mariam eſt ſignificata, ita etiam in veteri teſtamento ambæ deſignatæ ſunt in duabus ſororibus, Lia & Rachel, quam tamen vtranq; maritus vnus habuit Iacob: & prius quidem duxit Liam, quæ vitam figurabat actiuam.

1. Cor. 13. Theoph.

Aliacenſ. Card. Camera Bonauen. in tract. Cerſon.

Gen. 29.

uam. Vide Greg. lib. 6. Moral. Videas idē in Moyſe, qui ſe exercuit in campo vitæ actiuæ, vt inde in montem aſcenderet contēplationis, loquuturus ibi cum domino, ſicut homo cum homine ſolet. diuina enim charitas interdum exigit, vt homo miſſa contēplatione, exeat invitā actiuam, in qua plus mereatur, quam ſi in contēplatiua perſtitiſſet. Et ſic Chryſoſtomus intelligit de cōpunctione cordis verba hęc Pauli, cum ait, Optabā ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, quia nemo pro ſeipſo tātum diligere debet deū ſed curare vt alij quoq; ad deum dirigantur & ſalutem impetrent. Neq; in hoc diſſentiunt doctores, dum concludūt eos optimos eſſe, qui vtranque vitam perfectē viuunt, &c.

Cregor.
Exo. 24.
Exod. 32.
Rom. 9.

DE MARIA VIRGINE, matréque filij dei.

SI vnquam aliquis fuit in terris homo, qui vtrāq; hanc vitam poſt Chriſtum habuerit perfectē, is certe eſt Maria ipſa. in quo enim homine vnquā ita operata eſt Martha vt in Maria? in quo etiam tam ſublimē planēque diuinam cōtemplationem habuit, vt in hac Maria matre dei? Ita & de ea euangeliū hoc exponunt doctores, quomodo ingreſſus ſit Ieſus in caſtellum, hoc eſt in vterum virginis, vbi eū excepit Martha, hoc eſt, ipſa Marię voluntas. ſoror autem illius, puta ratio, vacabat audiendo verbo dei. Et ſic deinceps myſtico ſenſu reliqua omnia referunt ad Mariam, ſicut ipſa hiſtoria de duabus ſororib⁹ recitata eſt. (Vide Hugonē & Albertum circa literam, qui hoc prolixe proſequuntur.) Nos hic breuiter ſententiā adducemus Anſelmi, qui Mariam reliquis comparat hominibus, vnde palam fiat, quomodo partem elegerit optimam. Alij homines interdum hoſpitio excipiūt peregrinum, aut mendicum: Maria dei filium ſuſcepit in vtero virgineo, quū non haberet illo vbi caput ſuum declinaret. Alij nonnunquam hominem nudū veſtiunt, Maria filium dei carne veſtiuit humana, & corporaliter, ſi quid nebat aut texebat, domino in veſtitum apparabat. Alij qui in vita Marthæ occupantur, eſurientes paſcunt, & potant ſitiētes: idipſum quoque Maria fecit omnium perfectiſsime, quæ nō exterius tantum pauit fouitq; Chriſtum in carne. ſed & paruulum adhuc vberibus ſuis enutriuit, lacte fouit, pānis inuoluit, quos ipſa fecerat, nullius alterius Marthæ indiga, nullius egens

Optima applicatio
Vide Odonem.
Albertus
Anſelm.

ancillæ, ipsa omne obsequiū exhibuit puero Iesu. Et vt pau
cis singula hæc misericordiæ opera absoluamus, quæ tantis
præmiis dignatur dominus etiam minimo facta, quasi sibi-
Matt.25. ipsi essent exhibita, Maria vtiq; illa nen omnino impendit,
sed altissimo dei filio, hunc pauit, potauit, vestiuit, infantu-
lum adhuc gestauit, ipsiq; summa semper cura prouidit, bal
neis cæterisq; rebus necessariis omnibus. ¶ Ecquis tādem est
qui sufficienter enumerare posset labores, ærumnas, curas,
solicitudines Mariæ cum puero Iesu, dū fugit in AEgyptū,
dum remānsit ibi, & deinceps tanto itineris spatio rediit? Ve
re in illam cōpetit quoq;, quod hic dixit dominus Marthæ,
Martha Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Quo-
modo autem nō turbaretur, sciens sibi cōmissum esse thesau
rum preciosissimum qui in cœlis erat & in terra? Sed vt fi-
niamus illud, missum facio, quomodo educarit puerum Ie-
sum, adduxerit in Ierusalē, amissum magnis doloribꝰ quæ-
sierit, tandemq; inuenerit in templo, hinc sequuta sit eū do
centem & prædicantē. Ad extremum consideremus, & hoc
Mariama ter domini solicita. in solicita illa nostra & perturbata Martha, cū Christus vlti
mum Mariæ vale dixisset feria quarta ante diē parasceues,
quando vidit illa dominum circunduci immaniter adeo, at-
que ab vno ad aliū rapi magno omnium ludibrio, suoq; cū
tristi supplicio & pœna crudeli, quādo verbera audiuit fla-
gellorum & virgarum in filio cōtumelias vidit turpissimas,
quibus cor suum pertransiuit gladius doloris, dum audiret
sæuitiam & furorē tumultuantium Iudæorū clamorē boa-
tumq; vociferantiū, Tolle tolle, crucifige eum. Quantū hic
nostra Martha perturbata est, quo mœrore affecta, cōspica-
ta filium suum exire graui pressum mole crucis, tāto omniū
contēptu quasi pessimus fuisset malefactor, qui vnquam vi-
xisset in terra, quum tamen omnium esset innocentissimus?
Vidit insuper eum doloribus plenū pendere in cruce, siqui-
dem & hic iuxta crucē eius astitit mater Maria. Quibus por
ro mœroribus, quanto luctu & mœstitia perturbatā fuisse
Mariā putas, dum corpus illius mortuū de cruce dēpositum
suo susscepit gremio, dum vulnera eius exosculata est, os liui
dum genas pēdulas, extinctos oculos, gelida mēbra & pallē
tia amplexata est, siquidē iam fons vitæ mortuus erat? Quā-
do vnquā huiusmodi Martha fuit in terra, quæ tantis confe
cta sit doloribus, tot emacerata curis? Vere hic impletum ei

est

eſt illud propheticum Simeonis, Tuã ipſius animã pertrã ſibit gladius doloris. Qui autẽ dubitet Mariam cupiſſe filium ſuum à tantis ſupplicijs liberari, dum in vita contemplatiua viciſsim cognouit ipſum deum verũ eſſe, qui quum ſeipſum adiuuare poterat, nolebat tamẽ, vt generis humani conſum maret redemptionẽ? Et id conqueſta eſt Martha hæc noſtra ſenſualitati ſuper Mariã, quæ iuxta rationis dictamẽ Chriſtũ mori volebat pro toto mundo. ¶ Quis porro digne explicare valeat, quomodo Maria mater dei fuerit etiã Magdalena in vita cõtẽplatiua, vbi parte optimã elegit? ſi enim Mariæ pars adeo bona fuit, in Martha, quanto melior erit in Magdalena? O quãta contẽplationis dulcedo fuit in Maria, quando eã ſalutauit angelus, quãdo ſpiritus ſanctus ſuperuenit, & virtus altiſsimi obumbrabit? Quid non illa de æterna dei ſapiẽtia contẽplaretur, in cuius vtero ipſa diuina ſapientia habitauit, & humanã carnẽ ſuſcepit vt fieret homo? Paulus Chriſtum virtutẽ & ſapientiã dei vocat. & in eo theſauros omnes ſapientiæ & ſciẽtiæ dei ait fuiſſe recõditos. Conſtat autẽ Chriſtũ fuiſſe in Maria, itaq; & theſauri illi omnes ſimul in Maria fuerunt. Noſtra hæc Maria Magdalena non tantum ſedit ad pedes domini, ſed etiã ad caput, quando ex ore eius verbum audiuit æternum. ſiquidẽ illa in corde ſuo conſeruauit verba omnia angeli, paſtorũ, trium magorum, Simeonis, Annæ prophetiſſæ, ſuiq; adeo dilectiſsimi filij. Atq; hæc omnia eo modo fecit, ſicut illa nemo vnquam hominũ vel extremis labris prælibauit, quã ſuauis ſit dominꝰ, ſiquidem ea plane potata eſt torrente voluptatis dei, neque id mirum. penes eam enim, imo in ipſa fons erat vitæ ſcaturiens: vnde promanauit vtriuſq; illius vitæ perfectio. Itaq; etſi Maria ſicut & Martha multis externis rebus occupabatur, omne tamen eius gaudium & vniuerſa lętitia erat in vno, quod ſolũ permanet cæteris tranſeuntibus, quoniam ſolum id neceſſarium eſt. Pars Marthæ ablata eſt ab ea, quum nihil iam habet quur perturbetur, ſitq; ſolicita, vt ſeruiat domino vt infantulo, cui nunc omnes angelorum chori inſeruiũt ſedẽti in throno cœleſti. Iam nõ turbatur amplius, nec eſt quod cũ illo fugiat in Aegyptũ, à facie Herodis, qa Chriſtus aſcendit in cœlũ. Herodes detruſus eſt ad inferos. Iam nõ turbatur propter Iudæos, qui tunc occupati erãt in capiendo domino in præcipitando de monte, in lapidando, Luc. 2.

quũ illi nec ſubiecta ſint omnia. Nihil iam flagella metuit, non virgas, clauos quoq; & crucem & lanceam fruſtra formidabit. Reſurrexit enim Chriſtus, neq; moritur amplius, mors illi vltra non dominabitur. Ecce quia pars Marthæ, ablata eſt ab ea, quum interim optima illa non auferatur à Maria, quę hodie eleuata eſt ſuper omnes choros angelorũ, dum impletum eſt deſiderium ſuum in bonis iamq; videt illa deum facie ad faciem ſicuti eſt, lætatur & exultat cũ filio ſuo in ſecula. Hæc nimirum pars optima eſt, quæ non auferetur ab illa. O Maria gloriosiſsima virgo & mater dei, per tuam interceſsionem & meritum fac nos quoq; optimę partis cõpotes, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, qui cum deo patre regnat in vnitate ſpiritus ſancti per ſecula, Amẽ.

Non receſsi ab Anſelmo, ne materia ſe nimium diffunderet.

DE GLORIOSA SOLENNITATE aſſumptionis virginis matris dei.

Quæ eſt iſta quæ aſcendit, conſurgens vt aurora, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Cant. 6. vel, Exaltata eſt ſancta dei genitrix ſuper choros angelorũ ad cœleſtia regna. vel, Aſſumpta eſt Maria in cœlum, gaudent angeli, laudantes benedicunt dominum.

HOMILIA III.

QVIS dubitet Mariam quoq; ſummis votis vnice cupiuiſſe cum filio ſuo Chriſto domino aſcendere in cœlum, atq; poſt illum clamaſſe, Trahe me poſt te, in odore vnguentorum tuorũ curri-
Cant.1. mus. Si enim angeli ſemper deſiderant in facié Chriſti aſpi-
1. Pet.1. cere, quanto deſiderio cupierit Maria filium ſequi? ipſumq; videre, quoniã quũ natura id appetant omnes matres, quanto ardentius petiit illud Maria quæ magis dilexit filiũ ſuum quam vlla mater in terra vnquam filium ſuum dilexerit? ſiquidem illa omnium maxime dilexit eũ vt deũ verũ, deinde vt carnem & ſanguinem ſuum. Quumq; totum Chriſti corpus ex caſtis & puriſsimis ſanguinibus Mariæ (vt ait Damaſcenus) ſit deſumptũ, ſine omni virili ſemine, integre di-
Lib.3.c.2. lexit illa filium ſuum, magis quá vlli parentes amarint filiũ.
Luc. 12. quod vel inde colliges facilime, quia enim tantũ doluit Ma-

ria

ria de amisso ad triduum filio hic in terris, vt nõ quiesceret donec inueniret, quanto magis desiderauit cum ipso esse in cœlis? Vbi ait Bernardus, Aurora rutilãs cõquesta est se dicẽ perdidisse lucentẽ, stella matutina admirata est triduanã solis absentiã, atq; tunc impleta sunt illa sponsæ verba, Surgã & circumibo ciuitatẽ, per vicos & plateas quærã quẽ diligit anima mea. Quã molestã putas fuisse vitã Mariæ tot annis, quibus hic eã expectare oportuit post ascensionẽ Christi, donec assumpserit illã? Etsi enim Maria (quod pie credi potest) interdum veluti radiũ quendã sibi emicantẽ habuit essentiæ diuinæ, vnde immensam susceptit lætitiã, id tamen omne imperfectũ est, si cõferas ad essentialem beatitudinẽ. Quoniã, vt Bernardus inquit, & hic pascit deus, sed non in saturitate. quũ autẽ dederit dilectis suis sommũ, ecce hæreditas domini filij, merces fructus vẽtris: hoc est, quia quo ad diuinã & humanã naturam, Christus merces est beatorum. Quoq; ęrũnis & afflictionibus plenior est hæc vita in terris, hoc magis in votis habuit Maria peruenire ad cœlũ, vt ex hac molesta peregrinatione liberaretur. quoniã sine dubio afflicta illa Christi absentia & huius vitę, clamauit cum Psalmista, Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habita ui cũ habitãtibus Cædar, (id est, in tenebris infideliũ Iudæorũ) multũ incola fuit anima mea. Audẽter igitur cupiuit Maria esse cũ filio suo, siquidem ipsi etiã angeli dei & sancti omnes desiderauerunt reginã illam suã secum esse in cœlis. Et sic quũ aliquandiu Maria clamasset ad dominum, Cupio dissolui & esse cũ Christo, atq; iterũ, Educ de custodia animã meã ad cõfitendũ nomini tuo, Me expectant iusti donec retribuas mihi: id adeo hodierna die factũ est, quãdo omnes sancti maxima cũ admiratione viderunt Mariã tanta gloria & maiestate illustratã, assumi in cœlũ: iuxta id quod à principio dicere cœpimus, Assumpta est Maria in cœlum gaudẽt angeli, laudantes benedicunt dominũ, Aue Maria.

Bernard.

Canti. 3.

Bernard.

Psal. 126.

Psal. 119.

EVANGELIVM LVCAE. X.

EVANGELIVM iam vltro missum facimus, nõ quod nõ conuenit Mariæ, sicuti somniant neochristiani aduersus matrẽ dei & ipsam ecclesiã, quãuis enĩ ipsa per se historia ad Mariã & Martham sorores ptinet, apud nos tamẽ catholicos & orthodoxos Christianos, maioris semper tum ponderis tũ momenti

eſt ſenſus myſticus, quã iſte qui ex litera pendet totus. Quis autem à Chriſto vnquam fuit in terris homo, de quo magis merito dicatur hoc euãgelicum, Maria optimã partem elegit, quã de Maria matre dei? ideoq; euangeliũ illud ſpiritualiter & myſtico ſuo intellectu, de nemine potius legi & intelligi poteſt quã de virgine matre, ſicut & nos iam antea totũ hoc ad ipſam retulimus, & forte in aliqua ſequenti homilia plenius faciemus. ¶ Nunc animus eſt de feſti huius celebritate tantũ dicere & primũ quidem, quãdiu Maria poſt Chriſti aſcenſionẽ hic in terris vixerit: deinde, quur eam dominus tam diu expectare permiſerit: mox, quur illa ſit mortua: poſtremo, quomodo aſſumpta ſit in cœlũ, quod in hac feſtiuitate potiſſimum eſt. ¶ Principio quandiu Maria poſt Chriſti aſcenſionẽ vixerit, nuſquã in euangeliis eſt proditum, nec aliunde certũ aliquod extat eius rei teſtimoniũ, niſi quod bona doctorum pars putat eam 15. annis vixiſſe poſt mortẽ Chriſti: iuxta quam ſententiã facta illa eſſet grandæua admodũ, & pertigiſſet vſq; ad annum ætatis 63. Vincentius tamen in ſpeculo ponit annos 12. quomodo Maria mortua eſſet anno ætatis 62. ¶ Sed nos iam ad illud properem⁹, quod ſecũdo loco ꝓpoſuimus, quur Chriſtus Mariam tanto tempore dimiſerit hic in terris. Vbi quanuis aſſignari ratio vniuerſalis iſta poſſet, quia ſic viſum eſt & beneplacitũ deo, quã cauſam ipſe etiã dominus aſſignauit, dicens, Ita pater, quoniã ſic fuit placitũ ante te: quia autem voluntas dei eſt rationabiliſſima, ideo inquiratur ratio huius, factúmque adeo id eſt in conſolationem apoſtolorũ & fideliũ. ſic enim ait Bernardus, exponens verba illa euãgelij, Stabat iuxta crucem Ieſu mater eius, &c. Migraturus ex hoc mundo dominus, ita ordinauit, vt vtraq; portio eccleſiæ, triumphans videlicet & militans, viſibili & inuiſibili ſolatio frueretur. aſcendens enim in cœlũ, ſanctis animabus & angelis ſuam diuinitatem & humanitatẽ perpetuo contemplandã exhibuit, vt ſiue egrederentur, ſiue ingrederẽtur, paſcua inuenirent. Eccleſiæ vero adhuc in terra militanti ſolatiũ quidem inuiſibile promiſit, quod in die pentecoſtes impleuit, quãdo ſpiritum cõſolatorem cordibus fidelium miſit, ſolatium vero viſibile præſentiæ eius corporalis ſubtrahere voluit, & idcirco matrem eccleſiæ cõſolatricem vice ſui dereliquit. Vere enim magnũ erat hoc hominibus ſolatiũ videre matrem in terra

Vincẽtius

Matt. 11.

Ioan. 19.

in terra, cuius filius dominaretur in cœlo. Pulchre hic doctores recogitant, veluti peregrinationem continuam fuisse sanctorum hominum ad Mariam, quoniam sic ait Ignatius, scribés ad S. Ioannē euangelistā, Si licitum est mihi apud te, ad Hierosolymæ partes volo ascendere, & videre sanctos qui ibi sunt, præcipue Mariā Iesu, quā dicunt vniuersis admirandā, cunctis desiderabilē. quem etenim nō delectet eā videre & alloqui, quæ verū deū deorū peperit, si sit nostræ fidei & religionis amicus? similiter & illū venerabilē Iacobum qui cognominatur iustus, qué referūt Christo Iesu similimū facie, vita & modo cōuersationis, ac si eiusdē vteri frater esset gemellus. Refertur etiā B. Dionysiū iā baptizatum, trāsfretasse ab Athenis ad Mariā, non solum vtiq;, sed cum plerisq; alijs fidelibus. ¶ Altera causa est propter institutionē seu eruditionē fideliū. licet enim ipsi etiā euāgelistæ ex instinctu scripserint spiritus sancti: iuxta illud prophetæ, quocunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu & rotæ pariter eleuabātur, & nō reuertebātur quū ambularent: attamen nō parū etiā eis Maria profuit, priuatim informando & docēdo quomodo omnia cōtigissent, puta circa salutationem angeli, visitationē Elizabeth, natiuitatē Christi, de tribus magis, de fuga in Aegyptū, & sic de similibus. Hinc est quod dicunt nonnulli Lucam præ cæteris multa scripsisse de infantia & pueritia Christi, quia audierit illa ex Maria, sicq; ex spiritu sancto cognouerit se ista scribere debere. Quis dubitet ingentē consolationē accepisse fideles, dū legerūt euāgelia, & insuper illorum explicationē à Maria dixerunt? siquidē primus euāgelium suū scripsit Matthæus, idq; statim, priusquā exiisset prædicare gētibus. Rationem hāc pulchre inducit B. Hieronymus in sermone quodā, qui sic incipit, Cogitis me, vbi sic ait, Nō quod eximiꝰ ille sanctorū chorus apostolorū eā deseruerit, inter quos post resurrectionē intrās & exiens, ille qui familiarius contulit de Christi incarnatione tāto siquidem verius, quāto ab initio plenius per spiritū sanctū cuncta didicerat, & perspexerat oculis vniuersa, licet & apostoli per eundē spiritū sanctum omnia cognouerint, & in omnē edocti peruenerint veritatē. Ita possunt istiusmodi rationes plurimæ assignari, qualis est, vt ij qui persequutionē patiebātur propter fidē, hoc modo confortarētur, vtq; Mariæ meritum ergo deū copio-

Ignatius.

Dionys.

Ezech. 2.

Hieron.

sius augeretur. 3 Quod ad Mariæ mortẽ attinet, consentiunt doctores eã vere mortuam esse. siquidem quum non pepercerit deus filio suo, Mariã ab ea lege non exemit quin & ipsa illi satisfecerit, quum cõstitutum sit omnibus hominibus semel mori. Sic Augustin⁹ inquit. Memores cõditionis humanæ, mortem illã tẽporalem subiisse matrẽ domini dicere non metuimus. Hieronymus quoq; sic ait, Nihil ex ijs experiri aliud potest pro certo, nisi quod hodierna die gloriosa migrauit à corpore. Tu autẽ hic diligẽtius attende verba Augustini, quoniã ea solutionẽ cõtinent cuiusdã interrogationis & dubitationis quæ hic exoriri posset. Quum per peccatum mors irruperit in mundum, Maria autem nec hęreditario nec proprio opere cõtraxerit peccatũ, quomodo tamẽ mori potuit. (illud iã supra refutauimus in die cõceptionis Mariæ homilia quarta.) atqui aliud est esse sine peccato, & esse immortalẽ, & sic Maria propria sua natura mortua est, quã cũ omnibus hominib⁹ habuit cõmunẽ, qui & ex corruptibili sunt corpore, & materia mortali. Quãuis hæc res sua etiã ratione non caruit, siquidem si mortua illa non esset, ex qua tamen humanã naturã assumpsisse Christũ constat, prętextũ hinc erroris sui arripuissent Manichęi & Valentiani, asserentes dominum nõ habuisse verum corpus. Quũ ergo & Maria mortua est, argumentum hinc euidẽs liquet, ex radice Adę eam descendisse, ex qua Christus natus est redemptor generis humani. Cæterùm quãdo Dauid inquit, preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius, quis non videat, quãto precio sior fuerit mors Marię? Hoc ipsum latius expendentes doctores, assumunt regulam Bernardi, Quodcunq; alijs etiã minoribus sanctis à deo est concessum, id vtiq; Mariæ denegatum nõ est, modo ne obstet sextus. siquidẽ Maria sacerdos non fuit. Videamus autẽ quid circa illius mortem contigerit. Quũ iã ipsa vixisset annos siue duodecim, siue quindecim, atq; loca sancta visitasset omnia, vbi Christus captus, sub cruce collapsus, crucifixus deniq; esset & sepultus iamq; beneplacitum erat corã domino vt vitã ei⁹ finiret, per angelum illi reuelauit, quum sæpius iã obnixe filium suum rogasset, quãdo tandem voti cõpotem eã redderet, quando ipsam ex hoc seculo trãsferret, quãdo habitu gloriæ eã vestiret, quãdo tẽpus esset quo choris angelorũ interesset, suumq; filium dilectissimum videret,

Augusti.

Hieron.

Psal. 115.

Bernard.

deret, &c. tibi tũc apparuit illi archãgelus Gabriel, ipſamq; honorifice ſalutauit, & inſuper horã mortis ei reuelauit. Id adeo in libello legitur de morte Marię, quãuis Hieronym⁹ illũ nõ vndequaq; pro authẽtico & approbato recipiat, idipſum tamen & rationi & ſcripturæ cõſentaneũ eſt. Quum enim tantã gratiã deus fecerit ſancto Petro, vt depoſitionẽ tabernaculi ſui multo tempore antea præſcierit, ſimiliter & Paulo qui de ſe ſic ait, Ego iã delibor, & tẽpus reſolutionis meæ inſtat, non diuerſum eſt qđ hiſtorię narrant de ſancto Iacobo & Martino, qui etiã poſt mortis ſuæ reuelationem dixit ad dominũ, Domine, ſi adhuc populo tuo ſum ego neceſſarius, non recuſo laborẽ. Quod ſi igitur domin⁹ ſanctis ſuis reuelauit diẽ obitus ſui, quur non & matri ſuæ manifeſtauerit, quæ inde immenſum etiã gaudiũ receperit? Teſtatur hiſtoria Mariã petiiſſe hoc per angelos à domino, vt illã ſibi gratiã conferret, apoſtolosq; ad obitũ ſuũ mitteret. An petierit illud Maria, incertũ eſt, factum autẽ eſſe certiſsimũ eſt. vnde coniectura magna eſt, eã hoc petiiſſe. Sit itaq; hoc conſtãs, Mariã ex annunciatione angelo cognouiſſe tempus obitus ſui. Cuius exẽplo tu quoq; diſce ſanctos dei & angelos inuocare, orareq; vt tibi tempus mortis reuelant, quod vtiq; multis hominib⁹ fieri ſolet. Precor te mi cuſtos, ſi fieri poteſt, notũ mihi facias diẽ obitus mei, &c. 4 Alterum mortis Mariæ priuilegium fuit, ſicuti iã meminimus, quod apoſtoli omnes mirabiliter adducti ſunt Hieroſolymã ex vniuerſo terrarum orbe per miniſterium angelorum. Cui rei fidem certiorem facit quod de Daniele ſcribitur, illo enim coniecto in lacum leonum, angelus domini aſſumpſit Abacuc prophetam, adreptumq; in Iudæa in ipſo aẽre deduxit vſque in Babylonem repente & ſubito. quur itaque non angelus potuerit Hieroſolymã adducere Petrum Roma, Paulum ex Galatia & Thomam ex India, quum multis modis Maria ſuperet Danielem? In Actis apoſtolorum legimus, quia quum Philippus baptizaſſet Eunuchum Candacis reginæ in ipſo itinere, inter Hieroſolymam & Gazam, ibi abripuit eum ſpiritus & poſuit in Azoto. Quod aũt interfuerint apoſtoli morti Mariæ, teſtatur Dionyſius de diuinis. nom. cap. 3. dicẽs, A pud ipſos diuino ſpiritu plenos põtifices noſtros, quũ & nos (vt noſti) & pleriq; ex ſanctis fratribus noſtris ad cõtuẽdũ corpus illud, quod autho-

Hieron.

2. Pet. 1.
1. Tim. 4.

Dan. 14.

Act. 8.

Dionyſius

rem vitæ deumq; ceperat, cõueniſſemus, (aderat aũt & frater domini Iacobus, & Petrus ſupremũ decus & antiquiſſimum theologorũ columẽ.) vbi poſt cõtuitũ placuit, vt infinite potentẽ diuinę infinitatis bonitatẽ põtifices laudarent omnes, quiſq; p captu ſuo laudat. ille deinceps Hierotheũ magiſtrũ ſuũ, qui plane ſit impletus ſpiritu ſancto, vnde & ſecundũ apoſtolos cæteris omnibus deũ plus magnificarit. Ecce teſtimoniũ apertũ ſup eo, quod in morte Marię affuerint apoſtoli, aliiq; ſancti homines plures, vt Timotheus, Hierotheus, Dionyſius, &c. Aiunt etiã de rei mentionẽ facere quędã ex vetuſtiſſimis etiã Andreæ Cretenſem. quę tamen nõ vidi. Hoc vnum iã incidit, Damaſcenũ in quadam homilia præclarã habere ſentẽtiã, quæ ſic habet, ex antiqua & veriſsima traditione accepimus. quod tempore glorioſæ dormitionis beatiſsimæ virginis, quũ omnes ſancti apoſtoli ad ſaluandas gentes orbem terræ peragrarent, in momento tẽporis in altũ ſubleuati, Hieroſolymis cõuenerũt. Quũmque iã illi attenderent imminere mortẽ Mariæ, vna omnes voce, vnoq; velut ore clamare cœperunt, Quãdo te habuimus virgo laudatiſsima cohabitatricẽ in hoc ſeculo, non diuerſo fruebamur ſolatio, quã ſi dominũ deumq; noſtrum ipſum vidiſſemus: nunc vero dum cognoſcimus te velle ex hoc mũdo cõmigrare, hæc vna nobis reliqua manet cõſolatio, quod te habituri ſumus mediatricẽ apud deũ. Ecce quia iã filiꝰ tuus, cõditor omniũ te vocat, vade in pace, nosq; deo reconcilia. Quũ enim in hac terra habitares, exiguus te cõcluſit circulus. porro aũtẽ quãdo aſſumeris iã in cœlũ, totus mundus cõmune habebit propiciatoriũ. Quãuis etiã apoſtoli admodũ cõtriſtabãtur ex morte virginis, neque minus quã ſi ipſa eorũ mater fuiſſet, viciſsim tamen eos ſolabatur gratia ſpiritus ſancti. fuitq; hoc magnæ cõſolationis loco virgini matri, quod præſentes hic in obitu ſuo vidit electos dei apoſtolos, quos illa ſine dubio fortiter cõſolata eſt, cõfirmauitq; fide catholica, diuinũ eis pro mittẽs auxiliũ, virtutẽ, gratiã & illuminationẽ ſpiritus ſancti, quomodo inde contemneret martyriũ, pœnas & ſupplicia tyrannorũ, aduerſitates quoq; & voluptates mundi huius, atq; ſolum præ omnibꝰ timerent deum, ſicut à filio ſuo edocti fuerãt, ne timerent eos qui occidunt corpus, nõ animã, ſed illũ qui quũ occiderit corpus, animã poteſt mittere in gehennam. Hinc

Damaſ.

doce-

docemur iniquum non esse, hominem moriturum adhibere sibi liberos suos fratres aut quoscũque amicos, quoniam sic etiam matrem suam honorauit deus præsentia apostolorũ. Sic Iacob priusquam moreretur, cupiuit videre Ioseph, dicens, Vadam & videbo eum priusquam moriar. satis enim hoc mihi est, dummodo filius meus Ioseph viuat. Hinc moriturus Iacob vocauit ad se filios suos omnes, inquiens, Congregamini & audite filij Iacob, audite Israël patrem vestrum. Sed hæc iam sufficiant, Oremus dominum, &c.

Gene.45.

Gene.45.

DE GLORIOSA ASSVMptione virginis matris Mariæ.

HOMILIA QVARTA.

QVEMADMODVM multis magnisque donata prærogatiuis fuit virgo Maria, partim in cõceptione sua, partim quũ ipsa Christum concepit & peperit, ita etiã in morte sua plurima habuit priuilegia, primúmq; adeo omniũ prænunciata ei mors est ab angelo, deinde miraculose auocauit deus apostolos cum multis aliis discipulis ad morté ipsius. Atque de iis duobus superiori differuimus homilia: reliquũ est dicere, quomodo Christus sui ipsius apparitione honestauit illã, quod ex regula Bernardi supra adducta colligimus: quia quicquid aliis sanctis quãlibet paucis, cõtulit deus, credendũ non est eum Mariæ denegasse. siquidem illud & summe potuit exhilarare Mariam, & ei dolores mortis diminuere vel totos auferre. Cum Iacob ꝓficisceretur in Aegyptum, videns filium suum sibi occurrentem, lætus & alacer dixit, Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuã & superstitem te relinquo. Quãto vberiori gaudio exultasse Mariã putas, quũ iam conspiceret filium suũ ad se venientẽ? Et quod plerosque sanctos iamiã morituros visitarit dominꝰ, plurimæ testãtur historiæ, nósque adeo ipsi ꝓbauimus idem iam supra de S. Ioanne euangelista, cui dixit dominus, Veni dilectissime discipule ad fratres tuos. Hoc ipsum quoq; Gregorius de multis refert libro 4. dialogorũ. Et idem legitur de sancta Barbara, cui apparuit dominꝰ in turri, & de plerisq; aliis. Quid igitur obstet, quo minus sit hoc cõstanter credendũ de Mariã? Mitto hic & volens pertranseo piam illam cõtemplationem, quomodo Christus eam alloquutus sit, vt qui amicissime, Surge, ꝓpera formosa mea & veni, veni de Libano spõsa mea,

Bernar.

Gene.46.

Gregorius.

Can.2.4.

veni, coronaberis, veni in hortū meum, &c. Maria quoque
Psal.86. vltro sese obtulit, cum Dauide dicens, Paratum cor meum
deus, paratum cor meum. Et sine dubio sic, vt ipsa antea au-
dierat à filio suo sub cruce, dixit ad eum, In manus tuas com
mendo spiritum meum. ¶ Quartum mortis Marię priuile-
gium hoc est, quia mortua est illa sine morbo, omniq; dolo-
re mortis, idq; adeo rursus ex superiori regula Bernardi ꝓ-
manat, quoniam si hoc aliis sanctis deus permisit ex gratia,
Hieronym. quur nō idem cōtulerit Mariæ? Hieronymus autē de S. Io-
Tra.124. anne ait, Tam extraneus à dolore mortis, quā à corruptio-
ne carnis inuenitur alienus. Testatur idipsum etiam Augu.
audisse se à viris fide dignis, qui viderint ex monumento il-
lius scaturiginem pulueris scaturire. & quur tandem nō ma
tri quoque suæ eandē gratiam fecerit Christus, quā custodi
suo Ioanni exhibuit? Neque id mirum videatur cuipiam, si-
quidem & sine doloribus nata est Maria, quur ergo non sic
sit mortua, quę tantum dolorū in passione & morte Christi
Hieronym. sustinuit? vt admirabūdus dicat Hieronymus, Beata dei ge-
nitrix in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur, & ideo
quia spiritualiter & atrocius passa est gladio passionis, plus
quam martyr fuit. Ideo contentus dominus doloribus illis,
præseruauit eam in morte ab omni dolore, planēq; trāquil-
le separata est anima à corpore, certa tunc existens nō mul-
to tempore post adhuc fore vt ei rursus vniretur. Atq; hæc
Gregorius sententia vniuersalis ecclesiæ est in collectæ hodiernæ diei,
quam aiunt fecisse S. Gregoriū, simūlque huius festiuitatis
cantum ordinasse. sic autem illa habet, Venerāda nobis do-
mine huius diei festiuitas opem conferat salutarem, in qua
sancta dei genitrix virgo Maria mortē subiit temporalem,
nec tamen mortis nexibus deprimi potuit. Quærūt hic do-
ctores, qui sint nexꝰ & quæ vincula mortis triplicia nimirū.
primum est ipse dolor morbi, vrgens hominē vsq; in mor-
Eccle.45 tem. quo respiciēs Sapiens, dixit, O mors, quā amara est me-
moria tua? Alterū est tentatio diabolica, tūc enim hostis iste
omnibus viribus conatur auferre animā, eaq; afflictio tunc
omnium maxima est, iuxta illud quod dixit dominꝰ ad ser-
Gene.3. pentē. Tu insidiaberis calcaneo, illius, hoc est, nouissimo vi-
tæ. Tertium vinculū siue nexus est corruptio putrescentis
corporis secūdū legem domini, Cinis es & in cinerem re-
Iob 10. uerteris. quomodo & Iob ait ad dominū, Memento quæso

quod

quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Et hoc eſt quod intendebamus, Mariá dicentes mortis nexibus non oppreſſam, ſed ſine dolore mortuam, non igitur pingi illa debet habitu & facie ægrotantis, decumbens in lecto, ſed ita ſicut & inter manus apoſtolorum tradidit ſpiritum.

2 Quum iam hoc pacto Maria in dulcedine ſpiritũ cum gaudio, volens mortua eſſet, apoſtoli illam honorifice ſepelierunt, ex iiſdé rationibus quas de ſepultura Chriſti oſtendimus. Superſedeo hic lubens hiſtoriam vulgatam in libro de trãſitu Marię, quid inter ſe loquuti ſint apoſtoli, & quomodo deus eos nebula velarit, angelicq; auditi decantarint. Iam vero ſanctum virginis matris corpuſculũ, quum eſſent depoſituri in monumentum, affuit Chriſtus ipſe, eámque in ſepulchro collocauit. Quúmque adhuc efferretur, accurrens vnus ex ſummis pontificibus, conatus eſt abripere corpus virginis. & ſtatim brachium illius graui dolore confectum, exaruit. Eum ſimul atque ex apoſtolorũ informatione pœnituit infidelitatis ſuæ, ſtatim ad ſancti corporis contactum ſanatus eſt. Quanuis ergo libellus ille receptus ab eccleſia nõ eſt, ita vt credendũ ſit quicquid in eo cõtinetur, lubet tamen ex illo decerpere quæ ad ædificationé erectionémque affectus facere videntur, credíque pie poſſunt, primum omniũ enim perceptionem & traditionem ſeniorum hæreditariam, veritaté habemus illam ab ipſis iam inde temporibus apoſtolorũ in nos vſque deriuatam, ſicut & fratribus oſtendi ſolet Hieroſolymis, vbi mõſtratur ſepulchrum virginis Mariæ, non procul à monte Oliueti & horto illo in quo captus eſt dominus locus inſuper oſtenditur, quo apparens ei angelus, prænũciauit aſſumptionẽ ipſius, atque in ſignum victoriæ, ramum palmæ illi obtulit, cuius multa fit mentio in iſto libello. Volens hic ſuperſedeo dicere de cingulo Mariæ, quod aiunt relictũ eſſe Thomæ apoſtolo. His ita præmiſſis, ad principale venio dictum huius membri, palámque profiteor pie eſſe credendũ, ſuperiora illa ita circa aſſumptionem Mariæ cõtigiſſe, nebulámque ibi fuiſſe, quia ſimile habemus, quando aſcenſurus erat Moyſes in mõtem pro accipienda lege decalogi, nubes operuit mõtem ſex diebus, & Moyſes ingreſſus nebulam, aſcendit in montem. Inſuper in hiſtoria Regũ legimus, quum Salomon ædificaſſet templũ domino, illúdque iam dedicaturus eſſet, ibi nebula *Exo.24.* *3.Reg.8.*

impleuit templũ, tanta quidem, vt præ illius densitate non
possent sacerdotes ministrare domino, quia gloria domini
repleuerat domũ ipsius. Quũ itaque domin⁹ gloriam suam
tantam manifestarit in materiali isto templo Salomis, quan
to magis in electo illo templo virginis matris? siquidem de
Psal.47. ea dixit Dauid, Suscepim⁹ deus misericordiã tuam in medio
templi tui. Porrò ceciniſſe angelos sub mortem Mariæ quis
obsecro demiretur, qui modo consideret cantasse illos in
Luc.1. Christi natiuitate, quãdo ad supplicia nascebatur & vitę hu
ius miseriã, quanto alacrius iam cecinerint, quũ mater Iesu,
regina eorũ, assumenda esset in cœlestia regna ad æternam
Sulpitius. gloriam? Insuper scribit Seuerus Sulpitius, quum aliquando
Seuerinus episcopus Colonien sis sancta inuiseret altaria, o-
rans post matutinas, audiuit angelos dei cantantes, quos ta-
men archidiaconus eius audire non potuit. sed postquã pro
eo etiam orauit sanctus Seuerinus, audiuit & ille voces sua-
uissimas, vbi & sanctus Seuerin⁹ dixit, Dominus dixit, Do-
minus meus sanctus Martinus migrauit ad dominum, cuius
animam nunc angeli psallentes deducunt in cœlũ. Et quod
eam Christus sepelierit ipse, mirum nemini videri debet.
siquidem illud quoque idem obsequiũ Maria domino pro-
priis manibus exhibuerat, vede merito rursus eam Christus
sepelierit. Quid quod de sancta Martha legitur, affuisse do-
minum in hospitæ suæ sepultura? quod si igitur honorem
hunc dominus Marthæ detulit, quæ ipsum temporali tan-
tum excepit hospitio, quãto magis Mariæ, quæ nõ hospitio
solo susceptit eum, sed & 39. septimanis castis suis portauit
Deut.vlt. visceribus? Ad hæc in veteri legimus testamento dominum
sepeliisse Moysen sic enim habet scriptura, Mortuus est ibi
Moyses seruus domini in terra Moab, iubente domino, &
sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non
cognouit homo sepulchrũ eius vsque in præsentem diem.

3 Simul atque iam hactenus Mariæ mortem audiuimus
& sepulturam, reliquũ est dicere, quomodo eam dominus
assumpserit in cœlum. Et quidem quo ad animam, constans
certáque est doctorũ sententia, ipsam hodie factam esse bea-
tam, quia sine dolore mortua est, psallentibus apostolis, ca-
nentibus angelis, anima ipsius reliquit corpus, oblatáque est
manibus Christi. An autẽ etiam corpus eius sit assumptum
Hieronym. in cœlũ, etsi Hieronymus nihil voluit temerarie decernere,

magis

magis tamen iudicat credibile, eam corpore & anima esse assumptam. Concludit hoc idem Augustinus, aliique plurimi, & nunc tota credit Romana ecclesia, ipsam corpore & anima assumptam, veréque factam esse beatam. Vnde Augustinus dicit, Lętetur Maria (vt dignum est) lætitia inenarrabili, glorificata in corpore & anima, in pprio filio, & per proprium filium, & cum proprio filio. Id ita esse rationibus firmari potest, quoniam plures sunt sancti in cœlo corpore & anima. nemo itaque putet Mariæ, quæ illis sanctior est, hoc esse negatum, iuxta regulam Bernardi. Quod autē hoc modo plures sancti sint in cœlo, sic probatur. Refert enim Matthæus, multa corpora eorum qui mortui erant resurrexisse cum Christo, & intrasse in ciuitatem sanctam. vbi Glossa sic habet, Illi iam sunt cum corpore in gloria, alioqui resurrectionis testes veri nō fuissent. Eadem quoq; Hieronymi ad Heliodorū sententia est, istos qui resurrexerūt, non tantum in terrestri Hierusalem, sed etiam cœlesti visos esse. Et sic Bernardinus Busti introducit Ambrosiū, qui dicat idem de sancto Ioanne euangelista, quódque adhuc in singulos annos die resurrectionis Christi quidam in corpore & anima resurgant. Non quidem meminit hoc me legisse in Ambrosio, sed idem Augustino acceptū fuerūt Briansō & Franciscus Maro, qui etiam ait Ioannem Baptistā corpore & anima esse in cœlo, non obstante illo quod caput eius hic sit in terra, atque hoc asserit ille de aliis pluribus sanctis, in quorum numero sunt qui reponant Paulū quoque, eo quod ait, Qui mortui sunt in Christo, resurgent primi: deinde nos qui viuimus, qui residui sumus, simul cum ipsis rapiemur in aëra obuiam Christo. Ecce hic Paulus duplices commemorat qui occurrent Christo in aëra: alios sanctos mortuos, qui & resurgent primi? alios iam mortuos, inter quos se ille connumerat. non potest autem intelligi de sanctis in terra viuentibus. totus enim mundus prius purgabitur per ignem, Petro attestāte. tantáque afflictio diem præcedet nouissimum vt nullus tunc sit futurus homo superstes sicut & nos in homiliis de extremo iudicio ad longum explicauimus. Intelligitur ergo hoc de sanctis qui iam corpore & anima viuunt in cœlo, è quorū numero & Paulus est, ideóque alij etiam sancti corpore & anima quū sint in cœlo, religio fuerit, non idem quoque de virgine matre cre-

Augustin. *regula* *Matt. 27.* *Glossa.* *Hieron.* *Ambro.* *2. Thes. 5.* *2. Pet. 3.*

dere. (vide Augustinum lib. 20. de ciuitate dei cap. 20. Cæ-
meracen. in 9. de resumpta. Briansionem in quarto, &c.
¶ Accedat & alia ratio non minus fortis, quia videm⁹ alio-
rum sanctorum corpora magno honore obseruari in terris,
deúmque per ea mirabilia operari in omnipotenti sua mi-
raculorũ operatione. Id adeo in singulis tẽplis cõspicimus,
vbi magna cura & reuerentia sanctorũ reliquiæ obseruãtur,
gemmis, auro, argentóq; incluſæ, quæ & magno multúmq;
pio populi affectu visitantur, sicut S. Iacobus in Cõpostel-
la, Petrus Romæ Batho, Catharina, Barbara, Iodocus, Mag-
dalena, Vrsula, &c. si ergo nõ etiam corpus Mariæ vna cum
anima assumptũ esset in cœlum, quur nõ & illud magno ho
nore obseruaretur, piéq; visitaretur, quod tamen nusquã sit
in toto mundo? licet enim multis in locis visitetur, vt in Lo-
reto Italiæ, in Mõte Serrato Hispaniæ, Aquisgrani & ere-
mo Heluetiorũ Germaniæ, in nostra dõna de annuncia Flo
rentiæ, apud Otingum Bauariæ, nullibi tamen istorũ loco-
rum corpus Mariæ ostenditur, nõ caput, non manus, nõ di-
gitus. sed tantũ ibi per imploratione ipsius multa magnaq;
miracula operatus est dominus, & quotidie operatur. Por-
rò si quis dicat sanctissimũ virginis corpus esse abscõditum,
huic respondit quod deus toties tam miraculose sanctorũ suo-
rum corpora reuelauit, vt Stephani, cuius inuentionem ipsa
etiam recolit ecclesia: Antonij, Geruasij & Prothasij, S. Na
zarij & Celsi, Richardi quoque qui dux Sueuorum extitit.
cuiúsque corpus in Luca Italiæ reuelatum est. Item S. Ge-
reonis Coloniæ. Et quid hoc recenseam, quod norũt omnes
de sanctæ crucis inuentione? Quod si igitur dominus fecit
crucem suã, quæ ipsum in supplicio gestauit, mueniri, quis
nõ credat corpus etiã Mariæ, si extaret in terra, iamdudũ es-
se reuelatũ diuinitus, pluribúsque & maioribus miraculis il-
lustratum, quã aliquod cuiuscũque sancti corpus? sed nimi-
rum tanto thesauro terra digna non fuit, quia sanctum illud
virginis corpusculũ, sacrarium extitit spiritus sancti, domi-
cilium Christi, triclinum totius trinitatis. ¶ Ad hæc cõiun-
ctæ sunt ille duæ sententiæ, quum dixit dominus, Cinis es &
in cinerem reuerteris: ad Euam autem, In dolore paries fi-
lios tuos. dispensauit autem dominus cum Maria, quando
ei alteram sententiã remisit. siquidem illa sine virginitatis
læsione & partus dolore Christum edidit. ideoque pie cre-
dendum

dendum est, quod alteram quoque sententiam priorem illam dimiserit ei, nec corpus eius putredini fuerit obnoxium. Siquidem quum ille tanquam dilectus filius curam habuit matris suæ in cruce pendens, ita vt eam Ioanni commendaret, quanto magis curam eius gessit in pace glorię, ne quid contrarium ei aduersaretur? & sicut corpus ipse suum à coruptione præseruauit, iuxta illud Psalm. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, ita matrem suam honorauit plus quam aliquis filius in terra, quoniam hæc ipsa arca dei fuit. præcepit autem dominus Moysi arcam fabricari ex ligno non putrescenti. & quur hæc arca Christi putrescat? cur nō potius tota vt pulchra erat, ita à Christo domino assumeretur in cœlum? vidit autem hoc idem Ioannes in spiritu, conspicatus templum domini apertum in cœlo, & arcam dei visam in templo. credēdum igitur est, Mariam corpore & anima à suo dilectissimo filio assumptam esse in cœlū, & sic perfecta est imago in nobis veræ illius futuræ resurrectionis. Cumque noluerit ille eam à quocunque viro hic tangi in terra, minus passurus erat vermes eam demortuam demordisse, sed sicut Christus rex angelorū corpore & anima regnat in cœlis, ita & Maria cœlorum & angelorum domina, merito corpore & anima illi conregnat in cœlis, vt quemadmodum in terrestri paradiso Adam terrenus fuerat & Eua, sic iam in cœlesti paradiso sit Adā cœlestis Christus, & noua ista hæc Eua itidē cœlestis. Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe, vt te læti videamus in gloria felicitatis æternæ, Amē.

Ioan. 19.
Act. 2.
Psal. 5.
Exo. 51.
Apoc. 18.

DE ASSVMPTIONE BEATAE virginis, Homilia quinta & vltima.

SIMVL atq; ab angelo annūciata est mors virgini matri, apostoli etiā iam miraculose ad eā adducti sunt, ipsaque sine dolore mortua, statim corpore & anima à Christo assumpta est in cœlū, assumpta inquā, quia nō ita vt Christus propria virtute ascēdit, sed à Christo per gratiā assumpta. Quæri iam hic solet, quando ista assumptio facta sit. & respondetur cōstare hoc, quod hodie sit mortua. sed quādo sit assumpta dubium est, opinantibus nōnullis post quadraginta tandē dies eam esse assumptā, quo temporis interuallo etiam Christus ascēdit in cœlum. verum non eadēmque

fuit in Maria ratio quæ in Christo. siquidē hūc antea oportebat resurrectionē suam sufficienter discipulis cōprobare. deinde quo ad significationē etiam, non fuit idem necessarium in Maria. Alij putent eam die tertio assumptam, quæ sententia magis quidē videtur conueniens, sed tamē & ipsa nihil cōcludit, quoniā adhuc sunt qui putāt eam ipso sepulturæ die assumptam esse in cœlum. In libello tamē de translatione Mariæ refertur, quia dominus iusserit apostolos expectare triduum, sicq; tertio demū die animā reuersam ad sepulchrum, corpus denuo assumptisse in vale Iosaphat, atq; inde assumptam in cœlum, quāuis autē huic libello multi parum fidei tribuāt, cōstat tamē istud ex ipsa seniorum traditione, mōstrariq; adhuc solet locus Hierosolymis nō procul à sepulchro Mariæ, vbi Thomas cingulum eius acceperit, quod ab illa deciderit in assumptiōe. Quicquid hoc est, nos de magnificētia, splēdore & charitate assumptionis huius dicem⁹. Principio enim pie hoc credendum est, vniuersum exercitū
2. Reg. 6. cœlestem occurrisse ei cum domino Iesu, quoniam sic arca materialis magno comitatu cōducta est à Dauide, quis non credat sanctissimam hanc Christi arcam non ab ipso & tota militia cœlesti deductam in cœlum? Doctores contemplantur cœlum ter euacuari: primo in ascensione Christi, quōdo ei angeli omnes occurrerūt: deinde in assumptione Mariæ, dum nō angeli tantum, sed & omnes beatorum animæ obuiam venerūt illi cum Christo: postremo idē hoc fiet in die nouissimo, quando angeli & animæ omnes Christum comitabuntur ad iudicium. Atq; de gaudio, iubilo & exultatione angelorum sanctorumq; nemo vel admirari satis vel eloqui
3. Reg. 1. potest, imo nec sufficienter quidem cogitare. Legimus Salomonem surrexisse quando obuiā venit matri suæ Bersabeæ, & inclinasse se erga eā, sedisseq; super thronum suum, positā etiā esse sedē regiam matri regis, quę & sedit ad dexLuc. 2. teram illius, Salomon autē figura Christi fuit, quia hic pacificator verus est, qui pacē fecit inter homines, deum & angeli 1. Cor. 10. los, qui pacē hanc in illius natiuitate proclamarūt. Atqui in Esa. 40. figura veteribus omnia cōtigerunt, vnde & hæc historia Salomonis oportet aliquid nobis designet in nostro vero Salomone Christo. neque illud apparet vbi fiat commodius, nisi quando occurrit matri suæ in assumptione, tūc enim omni honore ei exhibito. ipsam exaltauit super choros angelorū,

proximam

proximam coniunxit sibi ad dexteram suam constituēdo. & tunc impletum est istud prophetæ, Domum maiestatis meæ glorificabo. & illud quoq; Dauidis, Surge domine in requiē tuā, tu & arca sanctificationis tuæ. Bernardus vtitur pro the mate) fuitq; ea res admiranda, quod Christus in tanta maiestate obuiā progressus est Mariæ, per hoc docēs & declarās omnibus angelis, matrē eam esse suam, quę ipsum conceperit, pepererit, fouerit, educarit, proinde ille ei reuerentiam debitā exhibuit, vt filius dilectissimæ matri suæ. Quāq; pro funde ipse se hic humiliauit in terris, sicut cāticum eius clare testatur, tā vicissim illā rursus magnificauit dominus, esse ctū reddens quod dixerat ipse, Qui se humiliat, exaltabitur, cui cōsonat istud Iob, Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.

Psal. 131. *Bernar.* *Luc. 1.*

2 Neq; vero Christus tantum occurrit matri suæ, neq; illum tantum comitati sunt angeli & sancti ministrantes ipsi, sed pro posse laudare Mariam cœperunt vt cœlorum reginam regisq; sui parentē. Et sicut Dauid omnēsq; filij Israēl arcam testamenti deducebant magno iubilo, tubisq; sonantibus, quādo etiam Dauid ipse ante eam cithara ludebat: ita pie credi potest, exercitum cœlestem omnibus instrumētis musicis cum iubilo ceciniſſe ad laudem virginis & gratulationem assumptionis ipsius. Pulchre hic inquit Hieronymus in sermone ad Eustochium, Legimus quam sæpe ad funera & sepulturas quorumlibet sanctorū angelos aduenisse, & ad eorum exequias obsequia præstitisse, necnon & animas electorum vsq; ad cœlū cum hymnis & laudibus detulisse, atq; magno fulgore resplenduisse. Quando igitur hæc tāta dignatus est dominus mortuis exhibere, vnde etiam viuētes odorem suauissimum senserunt ex eorum corporibus redolentem, quanto magis credēdum est die assumptę genitricis dei, occurrisse ei militiā cœlestē & luce magna eā circunfulsisse, atq; ad thronū gloriæ deduxisse? ¶ Dubiū ramē nō est, vniuersum comitatum cœlestis Ierusalem ineffabili gaudio exultasse, magnaq; cum gratiarū actione iubilasse, quoniam solenne hoc festum quod nobis singulis semper annis semel reuoluitur, factum est eis perpetuum, neq; immerito. verō enim non absimile est ipsum saluatorem propere occurisse ei, ipsamque cum immēso gaudio ad dexteram suā in throno gloriæ collocasse. in hūc fere modum Hieronymus scribit, quod hic vobis relinquimus feruentiori affectu, & ala-

Luc. 14. *Iob 22.* *2. Reg. 6.*

crioribus animis latius penitusque contemplandum.

¶ Insuper adhuc meditantur pij patres, quomodo deducta sit Maria per singulos choros angelorum & hominum, qui omnes ingenti stupore admirati sunt tantam gratiæ & donorum vbertatem, quibus Christus matrem suam præ omnibus creaturis in terra donauit, coronauit, clarificauit. Pulchrum esset etiam ab vno choro ad alterum progredi, & sic singulatim cõtemplari, quid in quoque dictum, quid cogitatum sit, verũ hoc nimis longum foret. Itaq; in vniuersum ipsas tantum hierarchias perlustrabimus. sunt autẽ illarum tres, & singulæ, tres rursus choros continent. sicut in festo sancti Michaëlis fauẽte Christo latius differemus. Primum tamen hierarchiam hãc dispiciamus in terra ecclesiasticam, quæ ex apostolis (quotquot tandem illorum adhuc erant superstites, Iacobus enim iam ab Herode decollatus fuerat) aliisque discipulis & fidelibus, tam viris quam mulieribus, qui omnes funus conduxerunt ad sepulturam. In eorũ persona admiratur ecclesia, quando viderunt illi, quanta gloria & maiestate Maria assumeretur à Christo in cœlum, clamantes post magistram suam, Virgo prudentissima, quo progrederis quasi aurora valde rutilans? filia Sion, tota formosa & suauis es, Quanuis etiam perturbabantur, ex consolatione & doctrina amissa, tamen ob ipsius gaudium & honorem & tam glorioſum, vicissim multum gaudebant.

Act. 12.

3 Etsi etiam angeli admirati sunt omnes virginem hác eximiam, quæ filium dei edidit, reginam cœlorum & angelorũ dominam, profecto enim nemo hominũ tantã cõcipere vel cogitare potest lætitiam, qua non illi habuerint maiorem, quantũ tamen humanus assequi potest intellectus, assumunt hic doctores admirationes illas & interrogationes, quas spiritus sanctus in Canticis ordinauit, vbi statim prima illa se nobis offert infimæ hierarchiæ. Quę est ista quę ascẽdit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & turris? Virgula quo magis creſcit in altum, eo subtilior efficitur. ita animus Marię semper rectus constitit à terra in cœlestia directus, quoq; id in ea magis fiebat, hoc subtilior ipsa efficiebatur in vita contemplatiua. vnde & odorem coram deo fecit myrrha & thure delectabiliorem. Huic interrogationi respõderi posset p ecclesiã, Ista est speciosa inter filias Ierusalẽ. Viderunt eã filiæ Sion & beatissimã prædicauerũt,

Cant. 3.

&

& reginæ laudauerunt eã. Altera interrogatio mediæ hierarchiæ, Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, affluens deliciis, innixa ſuper dilectum ſuũ? Vere geſtauit illa delicias ecœleſtes abundanter, vnde Benardus ait, Super hunc innititur mater illa feliciſsima, & in aureo reclinatorio diuinæ maieſtatis recumbens, inter ſponſi, imo filij ſui brachia requieſcit. O quanto dignitas, ô quam ſpecialis gloria, inniti ſuper illum quẽ reuerentur angelicæ poteſtates. Verùm hic quoque reſpondet eccleſia, Iſta eſt ſpecioſa inter filias Ieruſalem, ſicut vidiſtis eã plena charitate & dilectione in cubilibus & in hortis aromatum, plena erat gratia & charitate, id adeo interius declarauit & exterius. ¶ Quũ vero iam ad ſupremos angelos peruenisſet Maria, admirati ſunt illi quoq; dicentes, Quæ eſt iſta quæ progreditur ſicut aurora, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Aurora à lumine incipiens, creſcit ſemper vſque dum perueniat ad ſolẽ, neq; vnquã luce priuatur. Ita Maria quæ cœpit in lumine gratiæ diuinæ, nunquã obſcurata eſt tenebris ſiue caligine peccati eo vſq; dũ radio æterno peruenit ad ſolẽ iuſtitię Chriſtum dominũ hodierna die, quando aſſumpta eſt ſuper æthera, iuxta illud Dauidis, ſicut lux auroræ oriente ſole mane abſque nubibus rutilat. Pulchra inſuper eſt illa vt luna. luna lumen ſuum à ſole mutuat, & deinceps noctẽ illuminat, facitq; vt ij qui noctu ambulant, nõ horreant neq; formident. ſic Maria lumen gratiæ ſuæ à ſole iuſtitiæ Chriſto recipit, quia cum eo dominus eſt. inde in hac lachrymarum valle noctẽ illuſtrat, viam nobis vitæ monſtrans æternæ dum in terris degimus. ſolatur inſuper nos & vires addit, vt minus formidemus infeſtũ nobis hoſtẽ diabolũ, freti cõſolatiõe Mariæ, & in hoc quidẽ illa lunę ſimilitudinẽ gerit, nõ aũt in inſtabilitate, quia ſic luna eſt ſub pedibus eius. Electa vt ſol. Multæ hic ſolis proprietates cõmemorari poſſent, quæ omnes myſtice ad Mariã referẽtur, ſed & breuiter expediamus. Vere ſol noſter eſt Maria, totũ illuminãs mũdũ, & miſericordiæ ſuæ gratiã cõmunicãs omnibus qui inuocãt illã. Quod enĩ mulier ſpectata in priuatis ędibus hoc idẽ in toto mũdo eſt Maria. Iã vero de muliere bona ſic ait Sapiẽs, Sicut ſol oriens mũdo in altiſsimis dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ſuæ. Et ſicut ſol fulgore luminis omnem aſtrorum ſplendorem

Cant. 6. 2
Cant. 8.
Bernar.
3
Canti 6.
2. Reg. 23.
Apo. 12.

ſuperat, ita Maria in gratiã mulieres alias omnes ſuperat &
Lucæ 1. homines puros dicente angelo, Benedicta tu in mulieribus.
Pſal. 8. Sol ſiquidẽ hic ille eſt, quem in ſpiritu Dauid vidit, quum ait, poſuit in ſole tabernaculũ ſuũ. Hoc ille fecit, quando in vtero virginis factus eſt homo, & in eo ſeptimanis 39. habitauit. ¶ His omnibus accedit, quod Maria etiã dæmonibus eſt horribilis, quia ipſa eſt illa virga Ieſſe, qua deus percuſ-
Iudith 13. ſit diabolum: qui, quia Mariã iam vt fragorẽ tonitrui metuit, ideo à nomine illi⁹ exhorreſcit, vnde eius figura fuit Iudith, quoniã ſicut hæc caput Holofernis abſcidit: ita Maria illius caput cõtriuit, dũ poteſtatẽ magnã ademit, qñ Chriſtũ peperit, qui infernũ cõfregit, & dæmonia ex hominib⁹ eiecit. Multi peccatores deo recõciliãtur per Mariã, quos alias diabolus vinxit, ſicut plurimæ teſtantur hiſtoriæ. Maxime vero horrẽt dæmonia pulſum ſalutationis angelicæ, idq́ue non tantũ propter Mariã, ſed etiã ob incarnationẽ Chriſti. Et hinc neochriſtiani miniſtri ſunt diaboli, dũ pulſum iſtũ vndiq; abolere conãtur, quẽ ferre diabol⁹ nõ poteſt, ideoq́; per inſtrumẽta ſua tantum fraudis molitur. Sic ergo Maria exaltata ſuper omnes choros angelorum, aſcẽdit in locũ gloriæ ſuæ, iãq́; ſedet proxima filio ſuo Chriſto domino, vt cõtinue oret pro miſeris peccatoribus. ſiquidem quũ Maria in charitate & gratia dei omnes tum homines excellat, tũ angelos, decuit eandẽ in gloria quoq; angelis omnibus eſſe ſuperiorem. Potes facere totũ ſermonẽ de ſole, luna & aurora. Extẽde. 4 Quis porro iam hinc nõ facilime colligat quomodo glorioſiſsima mater dei Maria partẽ elegerit optimã quæ nunquam auferetur ab ea? Verbũ enim illud quãuis aliqua ſimilitudine attribui poſsit Mariæ Magdalenæ & vnicuiq; hominum vitam contẽplatiuam viuenti, proprie tamẽ pertinet ad Mariam, & eo modo quo nulli hominum in terris: quoniam ſi quis omnia quę vſpiam ſunt bona cõſideret,
Hieron. in iis omnibus Maria pertem elegit optimã. Quia in bonis corporis virginitatem elegit, ita vt cum huius honore fœcũditatem non amitteret matris, cuiuſmodi virgo in terris nũquam fuit, ſicuti nec talis mater quę virgo mãſiſſet. nec talẽ & benedictum fructum mater vlla protulit vt Maria, vnde recte de ea cecinit poẽta, & nunc quoque vſurpat eccleſia.

Sedulius. Nec primam ſimilem viſa es nec habere ſequentem,
Sola ſine exemplo placuiſti fœmina Chriſto.

Pulchre

Pulchre illa in rubo Moysi figurata est, qui licet igni grauidus erat, attamē non cōburebatur. ¶ Deinde si bona animi considerem⁹, hic quoq; partē optimā elegit Maria, tam illuminato intellectu, tam ardēti voluntate, vt nullus vnquā homo purus perfectior extiterit in viribus animæ quā Maria. Admiratæ sunt hodie sanctorū animæ & obstupuerūt, quænam sit illa quę meritorū virtutibus dignitate superet angelorum. In operibus itidē partem elegit optimam, quia vt dicit Sapiens, posuit manū suā super fortia. Ante omnia tamē optimam partem elegit in bonis gloriæ, siquidē etiam stola corporis amicta, est super omnes homines, dicēte Dauide, Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circū amicta varietate. Alij sancti alias habent dotes, alia dona, quæ simul omnia habet Maria. vnde Bernardus ait, Quicquid alijs sanctorum cōfertur diuisim, id totū Marię datum est. Et inde Ioannes refert se mulierem vidisse amictam sole, & lunam sub pedibus eius, in capite gestantem coronam stellarum 12. Nam quod coronata est Maria priuilegio nouem chororum angelicorum, & insuper trium ordinū priuilegiatorum, virginum, doctorum & martyrum, pars hæc nunquam auferetur ab illa, sed omnes generationes in cœlo & in terra perpetuo beatam prædicabunt eam, Amen.

Exod. 3.

Hieron.

Psal. 44.

Apoc. 12.

IN DIE S. BARTHOLOMAEI APOSTOLI EVANGELIVM, Lucæ 22.

IN ILLO *tempore (intellige post vltimam cœnam domini) facta est contentio inter discipulos quis eorum videretur esse maior. Dixit autē eis, Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nónne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.*

Mat. 18. *Mar.* 9.

Mat. 20.

Mar. 10.

SI EVANGELIVM Lucæ vnde textus hic desumptus est, penitius introspiciamus, reiq; gestę tẽpus & ordinẽ consideremus, videbimus apostolos inter se cœpisse contendere statim à cœna, quũ iam venerabile sacramentum suscepissent, eisq; dominus prædixerat imminere passionem suam, & quod vnus ex eis traditurus se esset, ibi statim facta est contentio quis eorũ esset maior. Vbi si quæras, quomodo de primatu contendant hic discipuli, quum dominus passionẽ suam & proditionem prædiceret discipulis, respondebit tibi Theophylactus & dicet, Nunc non solum de suspicione proditionis tantum turbantur, sed ex turbatione illa ad cõtentiones veniunt. inciderunt autẽ in hanc litẽ, quia verisimile est quod inter se dixerũt vnus alteri, Tu proditurus es, & alius alteri, Tu proditur⁹ es, & inde peruenerũt vt dicerẽt, Ego sum melior, ego sum maior. Alij putant singulos eos voluisse videri & esse meliores, ne in suspicionem pro se quisq; proditionis inciderent. Sunt alij qui existimant, quia iam Christũ cõsummata passione moriturũ audierãt, ideo eos de primatu cõtendisse, quãdo vnusquisq; cupiebat esse prior, sicut & duo filij Zebedæi petierant esse primi in regno & Christo proximi, vnde etiã reliquorũ exorta est indignatio. Peruersum est vitiũ ambitio, quæ sanctũ quoq; illud apostolorum consortiũ turbauit ante susceptionẽ spirit⁹ sancti, neq; hunc primũ. sed & antea cõtigerat idẽ, quãdo ibant Capharnaũ, quia & tũc in itinere de primatu disputabãt. Et post domini transfigurationẽ, quum dominus descẽderet de mõte Thabor cũ tribus quos secũ assumpserat, cogitabãt inter se quis esset eorũ maior. Beda excusaturus apostolos, in bonũ sensum interpretatur illud, dicens, Non incredibile est, quia iuxta hoc quod alibi præcipitur, Cõtendite intrare per angustã portã, honorẽ se præueniendo certarint. Verũ hoc & alij improbant, quia sic apostoli non fuissent reprehensi à domino, & ipse Beda resilit, Quicquid tamen illud est, nos videamus nõ quod carnales fecerũt apostoli, sed quid spiritualis magister præcepit, quoniã ille tribus argumentis contentionẽ hanc sedare voluit. Primum, quod ambitio vitium sit Gentilium: deinde exemplo suo, quãuis enim ipse sit altissimus, formam tamen seruare voluit humilitatis. Postremo

Mat. 20.

Mar. 6.

Luce 9.

Beda.

Rom. 11.

mo iubet eos de honore nihil esse solicitos, quod ipse præparaturus sit eis regnum. Nunc Christum audiamus.

2 Reges gentium, inquit dominus, dominantur eorũ, & qui potestatem habent super eos, benefici vocãtur. Vos autem non sic. Theophylactus hic ait, Comprimit istum tumultum duobus exemplis, vno Gentilium quos abhominabantur, ostendens quod eis assimilãdi sint, si sapiant similia. *Theop.* Hinc Ambrosius docet, illud quod contenderunt apostoli, non excusationi obtendi, sed cautioni proponi. Et Beda dicit, Sicut bonis esse moris solet in scripturis semper exempla patrum præcedentiũ, quibus ad meliora proficiant, quibus agnitis de suis actibus humilientur, inquirere: sic è contrario reprobi si quid forte in electis reprehensibile reperiunt, quasi suas ex eo nequitias obtecturi, aut pro iusto defensuri, libentissime solent amplecti: hinc qui contentionibus gaudẽt, subinde pro se istam apostolorum litem introducunt, & quod Paulus cum Barnaba dissentiens migrarit ab eo. sed videre illi potius debebãt, quod multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Considerandum eis erat istud Pauli, Si inter vos zelus est, & contẽtio, nõne carnales estis? nõnne homines estis? Verùm illi tantum adducũt quod pro eis esse videtur, nõ quod sequitur. Ex eorum numero fuit & Theodosius Imperator, qui quũ plurimos ciues in vrbe Casa Thessalonica ad tres horas interfici curasset, insuper templum ingressus, prohibitus est à S. Ambrosio, eo quod publicus peccator omnibus manifestam & publicam pœnitentiam agere deberet. Cui Imperator exemplum Dauidis obiecit, qui etiam adulterium coniunxit homicidio. Verùm Ambrosius illud refutans dixit, Si sequutus es errantem, sequere & pœnitentem. Hinc Imperator paruit episcopo, & publice stetit inter pœnitentes: iuxta rigidum ecclesiæ morem tunc sanctè obseruatum. O seculi nostri leuitatẽ. O mores à priscis multum disidẽtes. quod si nunc simile tentare quis velit non dico erga Imperatorem, sed principem tantum aut comitem mirum ni omnes eius ditionis sacerdotes interficerentur. Et hoc iam in multis, vt adulteri Dauidem, adulterę Bersabeam, meretrices Magdalenã improbitatis suæ prætextũ inducant, neque interim pœnitẽtiæ quam egerũt, meminerint. Vnde Beda ait, Infirmitas sanctorũ nõ nobis imitanda proponitur, sed po-

Ambro. *Beda.* *Act.15.* *Act.4.* *1.Cor.3.* *Paulinus. in vita B. Ambro.* *1. Re.11.* *Beda.*

tius quia cõualuerũt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, Ita nos hic potius salutarẽ attendamus Christi doctrinã, qua discipulorum cõpescuit arrogantiam, quã vt inde contentionis sumamus exemplum. ¶ Reges gentiũ, inquit ille, dominantur eorũ. dominatio coactionẽ habet & cõtemptũ hoc loco. siquidẽ Gentiles nonnunquã abusi sunt magistratu & potestate, dum subditos suos præ superbia & fastu cõtinerent. Christianus aũt, qui cogitare debet omnes homines patrẽ vnũ habere in cœlis, nõ ita superbire debet elatus erga subditos suos, sed potius animo concipere. q. d etsi hic tẽporaliter dominetur illis, forte tamẽ futurum sit. vt multis nominib⁹ superior eo fiat aliquis ex subditis suis in eterna patria. Quid multa? vt plurimũ dominiũ gentium coniunctũ habuit timorẽ cũ coactione. Inter Christianos vero nemo in ordinate appetat dominiũ: quod si tamẽ acquirat, adhibeat timorẽ & amorẽ dei. proinde dominus hic ait, Vos autem nõ sic. Vos, qui sancte seruare debetis formulã Christianæ humilitatis. ¶ Est quod hic cõmemorẽ, quã inepte neochristiani locũ hunc inducãt aduersus magistratũ ecclesiasticũ, vnde colligere nitũtur, nullũ esse debere, nec prelatũ, nec regimẽ spirituale, &c. Quod quũ & falsum sit, & vniuersam perturbet hierarchiã ecclesiasticã, ipsumq; subuertat ordinẽ ecclesiæ, operæ preciũ hic visum est, eorũ fundamenta & sacrarũ literarũ dilacerationẽ cõmonstrare, ne offendantur simplices in magistratib⁹ ecclesiæ. neq; hic à textu tamẽ euãgelico discedem⁹, quoniã Iubet hic amplã istã & latissimã ingredi materiã, quã alibi in libro de primatu Petri abũde satis prosequuti sumus. Atq; vt id breuibus expediã, dico primum, quia Christus in illis verbis non prohibuit hierarchiam ecclesiasticam, non voluit inter Christianos alios alijs non debere esse superiores, episcopos, principes aut dominos, sed fastũ tantum vetui & inordinatã dominandi libidinem atque ambitionẽ, qua quis ex potestate turget inflatus & effertur. volens opprimere & cõtemnere subditos. Id ita esse, ex ipsis Christi verbis verũ fier, quoniã sic ait, Reges gentium dominantur eorũ. Ita enim gentium moris esse ostẽdit, inquit Chrysostomus, prima quęque appetere. Tyrannica hæc passio est, & nõnunquã eximios etiam viros perturbat, quod autem hic dominus nõ absolute magistratũ prohibuerit ecclesiasticũ, & verbis eius probatur

Super Matth.

tur & exemplo. exemplū enim proposuit seipsum, dicens, Ego in medio vestrum sum tanquā qui ministrat. Constat ergo quod quanuis omniū maxime se humiliarit, supremus tamen fuit prælatus ecclesiæ & caput: & licet ministrauerit eis, magister tamen ipsorum extitit & dominus. Voluit autē hic docere, vt si quis in potestate sit cōstitutus, non ideo superbiat, sed subditis inseruiat, maxime quod ad officij sui rationem pertinet. Atque hoc Glossa hic cōfirmat, quum ait, *Glossa.* Non extollat præsidentē dignitas, ne ab humilitatis beatitudine corruat. Quod si igitur Christus voluisset, vt neochristiani somniant, auferre prælaturā ecclesiasticā, ipse sibi dominus cōtrarius extitisset, & exemplū cum dicto pugnaret: quoniā iuxta eorum sententiā voluisset dicere, neminē esse debere superiorem & in potestate constitutum, cui tamen aduersatur exemplū, in quo seipsum proponit supremum.

¶ Ad hæc ipsa Christi verba potestatē superiorem arguūt. falsum est igitur, eū vetuisse magistratus esse. ait enim, Qui maior est vestrum, fiat sicut minor. Ecce qui maior est. vult ergo aperte dominus, vnum ex illis esse debere maiorē siue superiorem dignitate, sed tamen ille fieri debet sicut minor per humilitatē & exhibitionem obsequij. nō itaque potestatem aufert, sed modū illi imponit, sicut & Glossa cōmorat, dicens, Qui præcessor est gradu dignitatis, sit sicut ministrator humilitatis exhibitione. Idē & Christus ipse in sequētibus pulchre insinuauit, quū dixit Petro, cōstituendo eum caput ecclesiæ, Ego pro te rogaui Petre, vt nō deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. *Glossa interlinearis Luc. 22.*

¶ Et vt aliquādo finiam, cōstanter pronuncio, nunquam id ita futurū quod affirmant neochristiani, sed tantū hic prohibet dominus superbiā & tyrannidē, iuxta illud Sapientis, Rectorē te posuerūt? noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex ipsis. Quāto magnus es, humilia te in omnibus, & coram deo inuenies gratiam, quoniā magna potentia dei solius, & ab humilibus honoratur. Quod etiam hic dominus Petro & aliis præcepit apostolis, idem deinceps Petrus cōmisit episcopis, ne dominentur in clero, sed sint forma gregis. Totū hoc per verba Bernardi roboratur lib. 2. de consi. ad Eugeniū, quū ait, Interdicitur dominatio, indicitur ministratio. *Eccle. 32. & 3. 1. Pet. 5. Bernard.*

4 Sequitur inde clarus & apertus sensus verborū Christi, quum ait, Reges gentium dominantur eorum. Sciens,

Theophy. inquit Theophylactus, quam sit tyrānica, & graui indigeat reprehensionis plaga ambitio, acrius eos perstringit, & abiicit ipsos in infidelium & Gentiliū portionem, si inani gloriæ studere voluerint. quasi dicturus esset, Alij homines ex gentibus illustres dicūtur & benefici, eo ꝙ regunt & magistratū appetunt. affectus is Gentilis est & Ethnicus, mei autem discipuli non sic, quos ipsa tantum humilitas cōmendat
Beda. spectatósq; efficit. Ita Beda ait, Certantibus de prioratu discipulis, pius magister eos non initæ cōtentionis arguit, sed formam quam sequantur, humilitatis modesta ratione describit, in qua tamen forma obtinenda maiores & præcessō-res, id est doctores ecclesiæ nō minima discretione opus habent, ne videlicet regum gentiū instar dominari subiectis, seque gaudeant ab eis superuacuis laudibus attolli. Operæprecium enim est, eos esse bonorū socios per humilitatem, malis autē rectos & æquos per zelum iustitiæ. Qui magistratum gerit, potestatē suam declaret & exerceat ergo eos qui
2.Cor.10. male agunt, exemplo Pauli qui potestatē huiusmodi habuit, quando dixit: Etsi amplius gloriatus aliquid fuero de potestate nostra, quam dedit nobis dominus in ędificationem & non in destructionē vestram. Ecce potestatem quam iactat Paulus, quem imitari debent prelati, vt cum rigore puniant
1.Cor. 4. peccatum. idipsum significauit Paulus, inquiens, Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu māsuetudinis? Virga autē correctionem designat vehementē (secundum materiam subiectam, quando loquimur de discipli
Psal.109. na & correctione) sicut Dauid canit, Virgam virtutis tuæ emittet dominꝰ ex Sion, dominare in medio inimicorū tuorum. Quid enim vel regat vel præcipiat aliquis, cui nulla
Actu.20. sit potestas disciplinæ & correctionis? Quum itaque spiritus sanctus ordinarit episcopos (omnes voco prælatos ecclesiasticos in regimine constitutos) ipsisque curam iniunxerit regendæ ecclesiæ, quam Christus acquisiuit sanguine suo, regere illi sine virga nō possunt vt iam necessariū sit in clero, vt alibi, esse Magistratus qui virgā habeant in pœnā malorum, quoniā ad hoc virga eis opus est, vt homines dirigāt in viam cœlestē deoq; beneplacentem. De hac virga Dauid
Psal.44. sic ait, Virga directionis virga regni tui. ¶ Quod autem in spiritualibus necesse sit esse potestatem eminentiorem, qua qui vtuntur, puniāt malum, vsq; adeo certum est, vt etiā qui

illa

illa non vtantur puniendo, peccent, iuxta illud Bedæ, Nõ nunquã grauius delinquitur, ſi inter peruerſos plus æqualitas quam diſciplina cuſtodiatur. Teſtantur hic ſacræ literæ quæ cõmemorant Eli ſacerdotem nimia in filios indulgentia præditum, nõ corripuiſſe eos de peccato, vnde penes iuſtum iudicem ſe ſimul & filios ſuos horribili iudicio percuſſit. Cõcludit hinc Beda, & ait, Neceſſe eſt vt rectorem ſubditis & matrẽ pietas, & patrem exhibeat diſciplina: atq; inter hæc ſolicita circunſpectione prouidendũ, ne aut diſtrictio rigida, aut pietas ſit remiſſa. Ecce regulam & amuſſim certam, iuxta quam regia incedas via. Sed iam etiam Ambroſium audiamus, qui ſuper illud quod Chriſtꝰ ait eos qui magiſtratu funguntur, beneficos vocari, ſic dicit, Cõtuendum eſt quia non omni honorificentiæ ſtudiũ humilitatis defertur. poteſt enim deferri alicui propter ſeculi gratiam, potentię metu & vtilitatis contuitu. Non autẽ hic alterius honor, ſed proximi quæritur ædificatio: vnde cõmunem hic omnibus formulã dominus præſcribit, ne quis temere de ſua glorietur poteſtate. Pulchrum quidẽ eſt in mundo cæteris præſici, illic vero, quando quiſque ſtabit nudus, nõ erunt vel põtificum mitræ, vel principũ ducúmque pilea. hoc opus, hic labor erit. ibi quiſquis magiſtratu ſuo benevſus fuerit, mercedem inueniet præclarã. Et rurſus, Quicũque abuſus fuerit, pœnas luet, iuxta illud Sapientis, potentes potenter tormenta patientur, ij nimirum, qui vel nimium negligenter, vel nimis duriter & temerarie egerint. Nos interim dominum deprecemur pro vtriuſq; ſtatus magiſtratibus, vt eis ille gratiã ſuam cõcedere dignetur, quatenus ad honorem & gloriam maieſtatis ſuę cuncta gubernent, ad vtilitatem ſubditorum, & ſalutem ipſorũ. Præterea vt nobis ſubditis donet gratiam & benignitatẽ illis obtemperandi, ſicq; omnes nos domini & ſubditi, tranſacta hac lachrymarum & miſeriæ valle, gaudia conſequamur fœlicitatis æternæ, Amen.

Beda. *1. Reg. 4.* *Beda.* *Ambroſ.* *Sapien. 6.*

HOMILIA SECVNDA.

IN ſancto vndecim apoſtolorum cõſortio, vnde iam exciderat Iudas ad cõſummandũ opus proditionis, facta eſt contentio, quis eorũ videretur maior. Hæ nimirum caſſę & vitioſæ ſunt viciæ, hæc zizania quæ inimicus homo ſeminauit in medio tritici. Dominꝰ autẽ cõtentionẽ hãc placide cõpeſcuit, eo q̃ reges

Matt. 13.

gentium huiusmodi appetant dominum, vt benefici appellentur. vos autem, inquit ille non sic. Vbi quanuis doctores nonnullos inueniam, qui dictũ hoc ad illud tantummodo tẽpus referre conantur, quo nascenté iam ecclesiam volebat, dominus, neque per potentiam, neque diuitias, nec sapientiam mundi huius erigere, non decuerit dominari prælatos: siquidé illam instituerat ædificare per doctrinam suam, per suam suorúmque honestam bonorũ exemplorum cõuersationé, per gratiam linguarũ & scientiæ, per donũ miraculorum, per fidem, humilitaté & dilectioné, quod multis locis
1. Cor. 1. astruit Paulus, Elegit enim deus infirma mundi huius, vt cõfundat fortia. Vbi auté intantũ succreuit ecclesia, vt in eam peruenerit etiã multitudo gentiũ, & refrixerit charitas multorũ, simúlq; in immensum pene creuerit numerus impiorum, ibi iam deus in bonũ pacis & trãquillitatis ecclesiasticę instituit moderationé constantem, qua fiat vt & mali tẽporaliter plecterẽtur, & isti qui magistratũ gerunt, plus authoritatis haberent etiã apud principes seculares, qui deinceps ad inquisitionẽ illorum, malos dignis afficerent supplicijs. Multi enim sancti episcopi similiter in diuitiis & magnifico vixerũt apparatu, vt nostrates illi, quiv tiq; nõ fecissent hoc, si iniustũ fuisset. Sic S. Vldaricus, S. Conradus, S. Erhardus, S. Vuolfgangus, S. Vuilibaldus, S. Arbogastus, & alij multi vixerunt: sic S. Thomas Cantuarien sis, propterea quod regi Angliæ restitit, conati bona dicœcesis suæ occupare, ab optimatibus qui & ipsi partem bonorũ sibi arrogabant, occisus est. sanè vir ille sanctus nequaq̃ interfici se permisisset propter tẽporalia bona, si tẽporalis gubernatio & magistratus potestas cõditioni suæ repugnassent. Quod auté ille in hoc benefecerit, & inde coronã martyrũ sit cõsecut⁹. quãdo ob dicœcesis suæ bona occisus est, sic patuit diuinit⁹, quia cũ fratres sui (ná & vsq; ad hodiernũ diẽ in ecclesia sua nõ canonici, sed fratres sunt ordinis S. Benedicti) demortuo illi missam cantare pararẽt pro defunctis, iámq; illá incepissent, affuerũt angeli, & diuersa modulatiõe cœperũt canere, quod de martyre solet cãtari in ecclesia, Lætabitur iustus. Vnde & omnipotentiã suam deus multis magnísq; miraculis apud sepulchrũ S. Thomæ manifestauit, estq; monumentũ illius
Anno 1525. preciosissimũ quiddá ex iis quæ in vniuerso Christianismo cõspiciuntur. Vsqueadeo pulchre pręclaro sancti huius põtificis

tificis exemplo obstruxit deus malignis istis, qui auaritia & inuidia excæcati, clamitant nullum ecclesiasticis hominibus esse debere magistratum, nec gubernandi regendiq; potestatem, cum tamen nusquam in scripturis talia ipsis prohibeatur, nisi forsitan omnia eo redigant, vt in primitiua fuerunt ecclesia cõstituta, de quo rerũ ordine sic ait Lucas, Nõ quisquam eorũ quæ possidebat, aliquid suũ esse dicebat, sed erãt illis omnia cõmunia. Quotquot enim possessores agrorum aut domorũ erant, vẽdentes afferebant precia eorũ quæ vendebant, & ponebãt ante pedes apostolorũ. diuidebatur autẽ singulis, prout cuiq; opus erat. Quod si iã profani isti homines superius illud affirmare cõtendunt, simul hoc quoq; cõcedere cogẽtur. ¶ Etiã hinc apparet ratio, cur in primordio nascẽtis adhuc ecclesiæ nõ magnopere quæsitũ sit de magistratu & dominio, siquidẽ & sacerdotes & idiotæ exẽplum respiciebãt humilitatis & dilectionis, iuxta id quod cõmisserat eis dominus, Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Tollite iugũ meũ super vos. nihil enim facilius quam in mansuetudine regere subditos, quoad fieri potest. cũ autem multitudo malorũ exigit rigorẽ, tunc sane grauius quid est regere alios, eo ꝙ tunc potestate opus est ad puniendos malos. Nolo tamen hic episcopis cõsulere, vt cum propheta loquar, puluillos sub cubito manus, & assentari iis qui mũdanam tantum curant põpam, immemores dei, sanctorum, totiusq; ecclesiæ, nec quicquam in se habent spirituale præter titulum. ij nimirum domini dei nostri martyres sunt obesuli & delicatuli. Ve illis, quia male habebunt in die nouissimo, quãdo durã strictamq; de omnibus reddent rationem. Vidi à quodã huiusmodi impie pios & irreligiose religiosos prælatos, conferri militibus custodientibus sepulchrum Christi, qui, quia in hoc erant constituti, vt ibi custodirent Christũ, quando postea resurrexit ille, solos custodierũt lapides, quãdo iam aberat Christus. Ita plane istiusmodi prælati adsunt quidẽ, & titulus eorũ hoc præ se fert, vt maneãt & expectẽt Christum: verũ ille iam abest, vnde isti lapides tantũ & muros custodiunt, domicilia & arces curant, quę & summa & omnis eorũ diligẽtia, atq; labor est vniuersus. Albertus magnus & ipse Ratisponẽsis quõdam episcopus, ante trecẽtos annos ita sensit & dixit, Prælatio ecclesiæ efficitur intolerabilis, nisi aliqs fastu delectat⁹, velit tolerare vel

Act. 4.

Matth. 11.

Ezec. 13.

Alberts

forte fouere malos, ſicut faciunt prælati noſtri temporis, qui magis vicem habent Sardanapali quam Ieſu Chriſti.

2 Deinde dicit dominus, Qui maior eſt veſtrum, fiat ſicut minor. atq; id ſanè verũ eſt quo ad voluntatẽ, ſecundum quam qui regit, prælatus eſſe debet ad humilitatẽ, ſicut minimus: quiſquis autẽ faſtum & ſuperbiã appetit, eum multa ſuſtinere & pati neceſſe eſt, quia honor iſte tẽporalis inſtar vmbræ extitit, quæ fugientẽ ſequitur, & ſequentẽ ſe fugit, dicente Sapiẽte, Si ſequutus fueris, nõ apprehendes. ſic prælatus tanquã miniſtrũ ſe reputare debet in officio quod gerit. Atq; ita Paulus fecit, ſicut ipſe de ſe ſcribit, Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorũ dei. Dominus etiam talem ſe præbeat, quaſi ſeruis ſuis omnibus ſit ſubditus ipſe in officio, ſeruiat eis in præſcripto iuſtitiæ, nequis immerito grauetur aut opprimatur in corpore vel bonis aliis. Quicũque dominus nõ agnoſcit, ſe hoc modo miniſtrũ (& ſic de ſpiritualib⁹ ad ſuũ ſenſum) eſſe officio ſuo ſatis nõ facit. neque enim cauſa principis eſt regio, ſed princeps propter regiones & ditioné ſibi ſubiectã. nec parochia eſt gratia parochi, ſed cõtra hic illius cauſa agnoſcitur eſſe, &c. ¶ Sed iam porro dominus verbũ hoc ſuo ipſius cõfirmat exemplo, quoniam (vt Lucas ait) facere ſtatim cœpit & docere. ſic diſcipuli illi duo in ipſo itinere, quãdo ibant in Emaus, dixerũt, De Ieſu Nazareno, qui fuit vir pphẽta, potens corã omni populo in opere & ſermone. Atque ideo hic dñs in cõfirmatione ſermonis, opera ſua adducit, inquiẽs. Quiſnã eſt maior, qui recũbit an qui miniſtrat? nõne qui recũbit? ego autẽ in medio veſtrũ ſum, ſicut qui miniſtrat. Sed quomodo miniſtrauit domin⁹, pulchre Ioannes cõmemorat, quũ narrat ipſum lintheo præcinctum, cœpiſſe lauare pedes diſcipulorũ ſuorum, dixiſſeq; Scitis quid fecerim vobis? exemplũ enim dedi vobis, vt quemadmodũ ego feci, ita & vos faciatis. Deinde poſtquã prædixit vnũ ex eis traditurũ ſe, ſtatim hæc cõtentio ſequuta eſt apoſtolorũ, quis ipſorum eſſet maior, ſicq; recenti exemplo adhortatur eos ad humilitatẽ. Theophy. arbitratur Chriſtum, eo ꝙ de recumbẽdo loquitur, voluiſſe diſcipulos ſubmonere ſacramenti, quod iã in cœna acceperant: quoniã quum de vno pane comederãt omnes & ex calice vno biberant, cõcordes & vnanimes eſſe debebant, quum ſacramentũ illud ſit vnitatis,

Eccle. 11.

1. Cor. 4.

Matth. 2.

Luc. 24.

Ioan. 13.

Theoph.

in

in quo administrãdo, vnus ipse omnibus iuxta ministrarit, & hoc eis distribuerit. Beda etiam inquit, quod omne illud quodcunque dominus in carne operatus est, eo ipso ministrauit & inseruiuit nobis, sicut ipse dixit dominus ad discipulos de primatu cõtendentes, Filius hominis non venit mi- *Matt.20.*
nistrari, sed ministrare, & ponere animam suam in redemptionem pro multis. Ita promisit etiã sanctis suis, se eis ministraturum, quum ait, Beati serui illi, quos quum venerit do- *Luc.12.*
minus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod prȩcinget se & faciet illos discumbere, & trãsiens ministrabit eis.

3 Nunc tandem dominus discipulos ad pacem & concordem vnitatem perducere conatur, simulq; ad humilitatem propter eorũ vocationẽ, & quod ipsos omnes facturus esset reges, dicẽs, Vos estis qui permansistis mecũ in tẽtationibus meis. Ecce hic dominus apostolos ex perseuerantia cõmendat, quoniam secum permanserint in tentationibus, ita vt quotquot tandem persequutiones ille sustinuerit Iudęorũ, in omnibus iis non recesserint ab eo. Ioannes siquidẽ refert, *Ioan.6.*
quia quum prędicaret in Capharnaum, doceretq; se daturũ eis carnem suam ad manducandum, & sanguinem ad bibendum, loquens de venerabili sacraméto, ibi plurimi ex discipulis eius retrocesserunt, non amplius conuersati cũ eo: tũc interrogauit ille etiam apostolos, an etiam ipsi essent abituri. Quorum omnium nomine Petrus respondit, dicens, *Theoph.*
Domine, quo ibimus? verba vitæ æternæ habes. Omnes vtique apostoli cum eo remanserunt, sed tamẽ, ait ille, vnus ex vobis diabolus est, non ignarus Iudam ad finem nõ perseueraturum, sed accessurum Iudæis. Atqui iam hic opus nõ fuit eum quoq; cõmemorare, siquidem tunc exierat ad concitandos commouendosq; Iudæos, & iam tum ei dominus *Matt.26.*
væ suum prædixerat, inquiens, Væ homini illi per quem filius hominis tradetur, melius ei erat si natus non fuisset homo iste. Illis autem qui cum domino permanserunt vndecim, præter laudem eximiam, insuper etiam promittit magnam remunerationem. Et hinc liquet satis, nõ esse bonum incipere, nisi in eo perseueres cõstanter. Iudas enim & ipse cœperat non male, sed turpiter resiliit, nõ cogitans illud domini verbum, Qui perseuerauerit vsq; in finem, saluus erit. *Mat.10.*
Non inchoatio, inquit Beda, patientiæ, sed perseuerãtia cœ- *Beda.*
lestis regni gloria donatur. Quia nimirum perseuerantia,

quæ alio nomine constantia vocatur, robur quoddã & fortitudo mentis, cunctarumque (vt ita dixerim) est columna virtutum. nam quum primum illa labitur, simul corruunt omnia animæ bona. Quia ergo immoti & firmiter inconcussi permanserunt apostoli in omnibus tẽtationibus Christi. facti sunt etiam columnæ totius ecclesiæ, sicut & Paulus
Gala. 2. cognouit, quando ad Galatas scripsit, qui videbantur esse columnæ. Ipsi enim vere sunt columnæ istæ, de quibus Da-
Psal. 74. uid inquit in spiritu, Ego cõfirmaui columnas eius, hoc est, ecclesias illas in terra. & ideo quia fortiter perstiterũt sicut columnæ, tantam apud deum inuenerunt dignitatem, iuxta
Iacob. 1. illud Iacobi, Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit deus iis qui diligunt illum. Quod autem ait dominus,
Zach. 1. Vos permansistis mecum in tentationibus meis, non tãtum
Act. 9. de iis accipiendum est quæ illatæ sunt Christo, sed & quæ
Mat. 25. ipsis apostolis. nanque ille eas aliter non habet, quam si in seipsum essent excitatæ, iuxta hoc propheticum, Qui tetigerit vos, tãget pupillam oculi mei. Et illud quod Paulo persequenti Christianos, Christus ipse ait, Saule Saule, quid me persequeris? cui affine est quod domin⁹ promittit, quicquid minimo ex suis impendatur, id sibi impensum agnoscat.

4 Post meritum iam porro præmium dominus infert, dicẽs, Ego disponо vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum. Regnum se eis paraturum dominus pollicetur non temporale, quale expectabant ipsi, & iam antea mater filiorum Zebedæi petierat. siquidem regnum eius non est ex hoc mundo, sed tale regnũ ait se eis disponere, quale sibi paratũ fuerit à patre suo, vita nimirum æterna, quæ vt ei secũdum humanitatẽ est parata, ita vere regnum est, iuxta illud quod
Mat. 6. petimus quotidie, Adueniat nobis regnum tuum, & sic beati omnes, reges sunt coronati à deo in æternum, sicut ipsi cõ
Apoca. 1. fitentur apud Ioannem, quia ipse dilexit nos, & lauit nos in sanguine suo à peccatis nostris, & fecit nos regnum & sacerdotes deo & patri suo neq; tamen hoc perfecto modo intelligendum est, sed per imitationem. multo enim inferiores sunt apostolis in gaudio & corona felicitatis æternæ. Vnde
2. Tim. 4. & Paulus certus erat se coronam inde reportaturum, quando dicebat, Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illum diem iustus iudex. Hinc liquet verba

ba illa Christi, eadē esse cum iis quæ deinceps dixit ad eos: Vado parare vobis locum. nam & locus ille regnum erat, te ste Sapiente, quum ait, Accipient regnum decoris & diadema speciei de manu domini (Aliqui referunt etiam ad personam filij, tunc est sensus, sicut deus pater disposuit mihi regnum per naturā, ita ego dispono vobis regnum per gratiam.) ¶ Adhuc amplius declarat dominus gaudia quæ sint habituri, & ait, Vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Idipsum quoque non secundum crudum & rudem sensum intelligendum est, quasi multum cibi & potus sit in illo regno cœlorum, quod & Theoph. animaduertit, quū dixit, Comedere & bibere, ait dominus, non quasi edulia illic sint posita, neq; quasi sensibile quoddam regnū sit. Ipse enim per ea quæ Sadducæis loquutus est, docet quod conuersatio quæ illic est, angelica sit. Paulus quoq; manifeste testatur, quia regnum dei nō est esca & potus. Vnde Beda ait, Mensa hæc proposita omnibus sanctis ad fruendum, cœlesti est gloria vitæ, cibus potusque ille, de quo alias dicitur, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam quando dū electi cōtemplabuntur essentiam dei in sua maiestate, ipsamq; summe diligent, sic deinde satiabuntur, quoniam animæ illæ secundū omnes suas vires, gaudio voluptatis perfundentur. vnde & amplius quā aliquæ creaturæ in terra satiabuntur. Siquidem quamcunque sibi homo voluptatem cū quātocunque gaudio conceperit in hoc mundo siue ex diuitiis, siue lusibus, siue cibo & potu, siue carnali voluptate, quanuis nonnunquam etiam fastidium cum nausea ingerat, tamē non satiat. interrogatus enim ille, inueniet adhuc quod amplius optet, quodque ardentius appetat. vsque adeo summū illud & infinitum bonum, hominem tātum satiat. Ecce quā capax & amplus veluti sacculus est anima tua. nam si in ea mundus fuerit vniuersus sine deo, nondum satiata erit, solo autem deo satiatur. quod & Dauid agnouit, dicēs, Satiabor quū apparuerit gloria tua. Atque hoc est quod hic de edendo & bibēdo dixit dominus. Insuper adhuc aliud prȩmium adiungit dominus, & ait, Vt sedeatis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israēl. Inquit Theophylactus, Vbi thronos & sedes audietis, non thronos intellige, sed gloriam & honorem. de iis tamen vberius in communi de apostolis, dicturi sumus quę ad dignitatem apostolorum pertinent.

Ioan. 14.
Sapien. 5.
Theoph.
Mat. 22.
Rom. 14
Beda.
Mat. 5.
Psal. 18.
Theoph.

de sancto Bartholomæo.

BARTHOLOMAEVM perhibent antiqui Sy-ũ fuisse, nobili natum progenie: atq; hinc enatam illam alteram inter apostolos Christi contentionem, quoniam cum dixisset dominus vnũ ex ipsis traditurum, suspicabãtur quidam id facturum Bartholomæum, puta aduenam & stemmate illustrem, quo facilius sibi regnum adrogaret: inde putant etiam euangelium hoc hodie legi de contentione apostolorum, sicuti per longum audiuistis. Verum nihil super hec certũ habemus, nisi quod
Damasce. quidã hoc Damasceno tribuunt: qui quanuis multa scripserit, tamen ex scriptis suis pauca extãt Latine versa. Sed enim & in sententiis suis 4. librorum hoc non habetur. Post apostolorum diuisionem profectus in Lycaoniam, quam alij Ligdoniam vocãt, prædicauit, vbi quum parum proficeret, monitus instinctu spiritus, regressus est in Indiam, quæ ad nos vergit.) nam sunt qui dicant esse tertiam Indiã, hoc est vlteriorem & nõ citeriorem.)ibi quum intrasset in tẽplum eius regionis idoli siue dæmonij quod dicebatur Astaroth, subito illud obmutuit, nec amplius responsum dedit. Sicut enim nostris adhuc seculis interdũ quidã homines nequam pro ariolis sese iactitant. ita tunc erant idola per quæ dæmones futura præsagire credebantur. res ea fraude & dolo plenissima erat, vnde à doctoribus idololatrię species numeratur: & est ars sane diabolica, quamobrem vitare eam debent
Philalet. omnes qui Christiano gaudere volunt nomine. Interrogatũ ergo quod in vicinia erat idolum Berith, quur taceret Astaroth, causam asseruit esse aduentum Bartholomæi, propter quem angeli dei vinctum illum tenerent catenis igneis. Vbi rursus interrogauerunt Berith quomodo cognoscerent eum, & respondit, Amicus est dei omnipotentis, missus ab eo vt omnes prouinciæ huius deos exterminaret. Capilli ipsius crispi sunt & nigri, nasus rectus & aquilinus, barba multa & in ea pilli quidam cani, statura mediocri. A viginti sex annis nec sandalia eius nec vestimenta sordescunt aut veterascunt. Berith etiam dixit eum centies in die deũ orare flexis genibus, & toties in nocte: vox eius quasi tuba vehemens est: angeli quoque addidit insuper ille, dei cum ipso versantur: qui nunquam eum fatigari aut esurire permittunt,

nouitque

nouitq́ue adeo omnia, omnibus loquitur linguis, ſcit quid ego iam loquar vobiſcum. Obſecro ne eum huc adducatis. ¶ Ex iſtis ſignis cognouerunt Bartholomæum, qui ibi obſeſſum quendam à dæmonio liberauit, filiam regis Polymij curauit, ipſumq́ue regem in fide erudiuit. idolo cuidã præcepit, vt fraudes & impoſturas ſuas eloqueretur: cœpitq́ue narrare ſe cum aliis nonnullis à dæmonibus malis immitti ad nocendum hominibus: qui dum accurrunt, præcipiunt eis ſibi offerri & ſacrificia fieri, & ipſos ſic idololatria infectos, ſe curare. Hinc rex idola omnia comminuit deiecitq́; & cum omni populo baptizatus eſt, erectęq́ue & ædificatę ſunt in gloriam Chriſti eccleſiæ. ¶ Hiſtoriæ nonnullæ ferunt, ſacerdotes idolorũ, Aſtyagem regis fratrem cõcitaſſe aduerſus S. Bartholomæum, qui eum captum, percuſſumq́; etiam crucifixerit, & de cruce depoſitũ excoriarit, atq; proximo die iuſſerit decollari. Vnde fit quod non in omnibus locis æqualiter feſtum Bartholomæi cælebratur. nam in omnibus fere Germanię diœceſibus celebratur 24. die Auguſti, quo & excoriatus eſt. Romæ autem peragitur die 25. Auguſti, quoniã in illo capite plexus eſt, ſicut caput eius monſtratur in inſula Tiberis. Sunt qui volunt quod ſanctus Bartholomæus ſimul atque Polymium regem baptizatum atq; ad fidem cõuerſum ordinauit epiſcopum, profectus iterum ſit in Armeniam, & ibi paſſus martyrium. Sic enim ait Hieronymus, Bartholomæus apoſtolus Indis qui dicuntur fortunati, prædicauit euangelium Chriſti, & euangelium ſecũdum Matthæum eis tradidit. dormiuit autem Albanopoli oppido maioris Armeniæ. Et in hoc pleræque omnes cõueniũt hiſtoriæ, quod ſanctus Bartholomæus apoſtolus ſit Indorum. Nam & Euſebius diuiſionem cõmemorans apoſtolorum, ei tribuit Indiam: & deinde libr. ca. 10. ſic ait, Erant adhuc in illis tẽporibus & euãgeliſtæ nõnulli, qui ad imitationem ſanctorum apoſtolorũ in diuerſis orbis partib⁹ oberrantes, per gratiam dei & animi ſui virtutem, verbum dei & fidẽ Chriſti ignorantibus quibusq; gentibus inferebant. In quibus præcipuis & illuſtris Pantenus habebatur, quem ferunt, quum ad Indos peruenisſet, reperiſſe quod Bartholomæus apoſtolus apud eos fidei ſemina prima condiderit, & Matthæi euãgeliũ Hebræis ſcriptum literis dereliquerit, quod per idem tempus ſupradictus Pãtenus inibi repertum

De vit. il.

Li. 3. & 5.

Hieron. retulerit. Meminit eius etiam beatus Hieronymus libro de viris illustribus sub Panteno. Vnde liquet, Bartholomæum euangelium nullum scripsisse, ecclesiamq́ue merito reiecisse librum quem hæretici pro euangelio Bartholomæi iactarunt, quum non fuerit: sicuti & aliorum quorundam apostolorum nominibus abusi, suos perditissimos libellos ipsorum titulis velarunt. vt patet cap. sancta Romana, distin. 15. profecto enim si ipse scripsisset euãgelium Bartholomæus, illud reliquisset etiam Indis, nõ alienum hoc Matthæi. Verum quidem est quod Dionysius dicit. Sic diuinus Bartholomæus ait, Et plurimam theologiã esse & minimam, euangeliumq́; & latum & magnum, rursusq́, concisum. Est igitur Bartholomæus Indorum apostolus, atque vt maior pars credit, in India etiam dormiuit martyrio coronatus, ibique sepultus. Quum autem non possent Gentiles miracula ferre quæ ad sepulchrum eius fiebant, effossus est, deductusque in insulam Siciliæ quæ dicitur Liparis, in quam simul atque Sarraceni irruerunt, eamq́; deuastarunt, sepulchrum etiam apostoli diruentes, disiecerunt ossa illius. Verùm adhuc apparuit ipse cuidam monacho, miraculose reuelans ei reliquias suas, quas ille Beneuẽtum Apuliæ aduexit. vnde porro delatæ sunt Romam. Apostolum hunc sanctum pie veneremur omnes, &c.

Demys. theolo. cap. 1.

IN DIE FESTO SOLENNI NATIVITATIS GLORIOSAE VIRGINIS MARIÆ, Euangelium Matthæi primo.

HOMILIA PRIMA.

EVANGELIVM hoc require supra in die cõceptionis Marię, vbi & explicauimus vsque ad Dauidẽ, à quo rursus ordientes quæ supersunt iã prosequemur. sic enim porro ait Matthæus, Salomon genuit Roboam, quem sacræ testantur historiæ male egisse, eo quod inexpertis consiliariis obsequutus, regnũ in ruinam adduxit, ita vt scinderetur, decem tribubus ab eo deficientibus, duabusq́ue tantum remanentibus. Quæ res exemplo esse potest & debet omnibus qui dominium habent & regimẽ, raro aut nũquá bene

3. Re. 12.

ne

ne ſuccedere, quum contemptis ſenioribus iuniores tantum audiuntur conſiliarij. deinde argumentum hinc petitur, nō ſemper prodeſſe & iuuare nomē bonum. Ecce enim Roboam nomen præclarum habens, quum latitudo ſiue dilatatio populi diceretur, illum tamen vſque adeo non auxit, vt etiā minuerit. profectumque hoc illud eſt adhuc à peccato Salomonis, quem etiam in poſteris ſuis corripuit dominus, ſic dicens ad eum, Quia non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo. Vbi apparet, quur interdum dominus permittat progeniem aliquam emori & interire vniuerſam, vel profligari, vel à dignitate aut dominio deponi: quoniam ſic regum principumque peccata vlciſcitur deus, ſi non metuant dominum, ſi iuſtitiam non adminiſtrent. ¶ Pergit inde euangeliſta in genealogia, & ait, Roboam genuit Abiam. 3. Reg. 13. Abia genuit Aſa. Aſa autem genuit Ioſaphat. 3. Reg. 22. & 1. Paralip. 3. de iis nihil ambigitur neque controuertitur. ſequitur autem, Ioram genuit Oziam. 4. Reg. 15. Ibi iam enaſcitur quæſtio. Quo pacto ſibi conſtet quod euangeliſta dicit, Ioram genuiſſe Oziā, quum tamen proauus eius fuerit, ſicut regnorū teſtatur hiſtoria, quæ ſic habet, quod Ioram genuerit Ochoziā, & hic Ioas, Ioas autem Amaſiā, qui tādem genuit Oziam, Sequitur ergo euangeliſtam hic tres reges omiſiſſe. Ochoziam, Ioas & Amaſiam, atquē poſt Ioram ſtatim ponitur Ozias, qui etiam Azarias in ſacris literis vocatur. Reſpondet Hieronymus, & poſt eum Beda, quod ea fuerit euāgeliſtę ſententia, tres patrum numerare teſſaradecadas: iuxta diuerſum temporū ordinem, quumque Ioram miſcuerat ſe peruerſiſſimæ Iezabelis generi, ideo tollitur eius memoriam vſque in tertiam generationem, neque reponitur in ordine ſanctæ huius genealogiæ, Verba hæc de Ioram intellige ex libro Regum, quoniam ille Athaliam duxit filiam Iezabel. Quod autem de tribus teſſaradecadibus refert Hieronymus, ſic habet iuxta ea quæ Euangeliſta commemorat, ſtatim poſt hoc euangelium. Omnes generationes ab Abraham vſq; ad Dauid, generationes quatuordecim, & à Dauide vſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes 14. & inde rurſus ad Chriſtum vſque, generationes 14.

3. Reg. 11.

4. Re. 8. *Aug. in q. Euan.*

Origen. Hieron.

4. *Reg.* 8. 11. 12. *Ambro. ſoluit. ſed nō recipitur.*

1. *Paral.* 22. 23.

4. *Reg.* 8. *Hieron.*

Et quia erit ſtatim nobis vſui, ideo placet huc apponere tabellam.

14	Abraham	Iſaac	Iacob	Iudas	Phares	Eſrom	Aram
	Aminadab	Naaſon	Salmon	Booz	Obed	Ieſſe	Dauid
14	Dauid	Salomon	Roboam	Abia	Aſa	Ioſaphat	Ioram
	Ozias	Ioathan	Achaz	Ezechias	Manaſſes	Amon	Ioſias
14	Ioſias	Iechonias	Salathiel	Zorobabel	Abiud	Eliachim	Azor
	Sadoch	Achim	Eliud	Eleazar	Mathan	Iacob	Ioſeph.

Chryſoſt. ¶ *Hic habes quadragintaduos patres in coniũctis, id eſt, quod ſemper vltima perſona primæ heſſaradecadis, ſit prima perſona ſequentis: & ita, ad, primo accipietur incluſiue, & vltimo excluſiue apud Matthæum. Sed ij qui integras faciunt teſſaradecades, nonhabentes perſonas communes angulares, coniungentes decades, ita diſponunt tabulam.*

14	Abraham	Iſaac	Iacob	Iudas	Phares	Eſrom	Aram
	Aminadab	Naaſon	Salmon	Booz	Obed	Ieſſe	Dauid
14	Salomon	Roboam	Abia	Aſa	Ioſaphat	Ioram	Ozias
	Ioathan	Achaz	Ezechias	Manaſſes	Amon	Ioſias	Ioachim
14	Iechonias	Salathiel	Zorobabel	Abiud	Eliachim	Azor	Sadoch
	Achim	Eliud	Eleazar	Mathan	Iacob	Ioſeph	IESVS.

Sic ad, vocula vſurparetur incluſiue vbiq;. ſed Ioachim non enumeratur ab Euangeliſta Matth.

2 Matthæus porro ait, Iosias genuit Iechoniã & fratres eius. vbi statim occurrit quæstio duplex, Primum, si Iechonias numeretur in secunda tessaradecade, in vltima tredecim tantum personas habituri sumus: deinde, Iosias quoque non Iechoniam, sed Ioachim genuit, qui demum genuit Iechoniam. Augustinus dubium hoc nõ vidit, quia ille non numerat personas quadragintaduas, sed quadraginta tantũ sine Christo: sicut & eius numeri mysticã docet rationem lib. 2. de conſ. euan. cap. 4. nos tamen hic apertum habemus scripturæ testimonium in Parali. quod Iosias pater fuerit Ioachimi, & hic Iechonię. Hieronymus in hac sentẽtia est, vt putet etiã Ioachimũ patrem, Iechoniam esse dictum, sicut & filiũ, quod fit nõ raro, vt vni plura sint nomina: & sic numerus recte protẽdetur, si etiã annumeretur Christus, quod faciendũ esse refert Chrysostomus, & sic sensus talis erit, Iosias genuit Iechoniã patrẽ, qui alio nomine Ioachim dicitur, Iechonias genuit Salathiel. mortuo enim Iosia, regnauit pro eo filius eius Ioachar: qui à rege AEgypti captus & abductus est, pro quo cõstitutus est frater eiꝰ Eliachim rex, mutatumq; est ei nomen Ioachim, quià seruis Nabuchodonosoris occisus est. Corpus insuper eius proiectũ est ante ciuitatem Ierusalẽ, sicut prædixerat ei Ieremias, quod sepultura asini sepeliendus esset. ibi cœpit regnare filius eius Ioachimi, qui hic à Matthęo Iechonias dicitur, & à Nabuchodonosore cũ matre abductus est in captiuitatem Babylonicam, simulq; cũ eo principes, nobiles & alij ex vulgo homines quã plurimi. Recte ergo expẽdit Ambrosius, filiũ Ioachim, qui in historia Regũ vocatur Ioachim, à Ieremia Iechoniã dici: & ideo quũ duo sint Iechoniæ, postremũ quoq; tessaradecadis numerũ desinere in domino profectũ. Quærit iã Ambrosius, quur Matthæꝰ omiserit patrẽ, filiũq; numerarit & respondet, eo ipso significare illum voluisse fructũ diuinę bonitatis vberiorẽ, quum non ab omnibus sanguinis nobilitatẽ quæsierit dominus, sed etiã ex peccatoribus voluerit nasci. Quæ omnia volens prætermitto, relinquens eis authoritatem fidemq; suam, quando etiam sufficiunt piis hominibus ad persuadẽdam veritatẽ. Adhuc tamen aliam inuenio causam, quæ Chrysostomo tribuitur, ea mihi magis adridet. sic aũt habet, Sublatꝰ est Ioachim ex numero regũ. Nõ enim à populo dei cõstitutus est in regnũ,

1. Par. 3.

August.

Hieron.

Chryso.

2. Par. 36.

Iere. 22.

4. Re. 24

Ambro.

Chryso.

sed à Pharaone rege AEgypti. Nam si decuit tres omitti reges, eo quod commixti fuerunt cum gente Iezabel, quur non cóueniat Ioachimum intermitti, quem Pharao tanquã hostis, vi intruserat regem? ¶ Estq́ue hoc pulchre obseruandum, quur euangelista voluerit hoc modo Christi cõtexere genealogiam per tesseradecadas. aiunt enim doctores id eum fecisse ob euidentem transmutationem quę tunc contigit. Quoniam Abraham principium est, cui & circuncisio data est simulq́; facta promisso Messiæ. siquidem in suo semine benedicendæ erant omnes gentes, primus ille huius tesseradecadis ordo, recte desinit in Dauide, bellatore, rege & propheta illo eximio, cui etiam promissus est Messias: ita, vt ex fructu ventris sui nasceretur. Alter ordo finitur in captiuitate Babylonica, in qua alia rursus facta est mutatio: quia tunc regnum desijt Iudæorum, templum incẽdio periit, ipsiq́; Iudęi ex terra promissionis in captiuitatem Babylonicã deducti. Postremus ille numerus desinit in Christo, quãdo extincta est lex Moysi, nouaq́; lex cum sacerdotio nouo nouisq́; sacramentis instituta. ; Cæterum in catalogo genealogiæ sic sequitur, Iechonias genuit Salathiel. Id ita habemus etiam in sacris literis: nam filij Iechoniæ nominantur in libris Paralip. Et Iechonias in Babylone mortuus est, quanuis filius Nabuchodonosoris eum honeste tractauit. ibidem etiam demortuus est Salathiel, cuius filium fuisse Zorobabelẽ ex Esdra colligitur: quia cum eo & Nehemia, post captiuitatem reuersus est in Iudæam. Vbi quærat aliquis. Quandoquidem in Paralip. legitur, Zorobabelẽ fuisse filium Phadaia, qui frater fuit Salathielis, quo tandẽ modo ille hic filius Salathielis numeretur. Et respondebitur, quod sane verum est Iechoniã filios habuisse, Assir, Salathiel & Phadaia: rursus etiam vtrunque illum habuisse filium nomine Zorobabel, Liber Paralipome. commemorat filium Phadaia, & Esdram & Aggeum filium Salathiel, vnde Christus prouenit. Et hinc dissoluitur quod in Paralip. scriptum est, quia Zorobabel genuit Mosollã. Hic autem habetur, quod genuerit Abiud, siquidẽ in historia Paralipome. plane alius est Zorobabel. Porro quum in sacris literis nihil sit scriptum nobis relictũ, quando tandẽ Abiud & alij genuerint, posset hic suboriri quæstio, vnde scierit noritq́; Matthæus rem hanc omnem articulatim adeo com

Cen. 22.

4. Re. vl.

1. Par. 3.

1. Esdr. 2.
3. Esdr. 5.
Hagg. 1.

1. Par. 3.

Vnde Matthæo hæc genealogia

memorare. Vbi própta Christianis respónsa est quod euangelium totum instinctu & illustratione scripsit spiritus sancti. Verum Iudæis quibus & scripsit Matthæus, per hoc satisfactum non esset. Dicunt ergo doctores, magnam Iudæis curam fuisse in obseruanda progenie & aduertendo genere, ne tribus duodecim permiscerentur, etiam propter officia, hæreditates & administrationes. id ita esse, palam fiet ex Esdra, qui inter cætera quosdam commemorans sic ait, *1. Esd. 2.* Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt, & eiecti sunt de sacerdotio. & paulò antè, Non potuerunt indicare domum patrum suorum, & semen suum, vtrum ex Israël essent. Eodem modo deinceps contigit cum quibusdam, qui inter sacerdotes ministrabant. Vbi textus sic *3. Esd. 5.* habet, Non poterant edicere ciuitates suas, & horum quæsita est generis scripta in pedatura (hoc quid sit, nihil certi potui habere, quia alioquin vestigium significat. Salomon episcopus Constantien. dicit quod significet propagationem filiorum & nepotum sicque coniicio pedaturam fuisse librum, in quo genealogiæ familiarum fuerunt descriptæ) & non est inuenta, hinc prohibiti sunt sacerdotio fungi. Morem hunc Iudæi continue obseruarunt, vnde vel ex hoc libro Matthæus certo potuit stirpem regalem ostendere. Atque eadem plane sententia Ambrosij est, quod Herodes *Ambros.* non ignarus se de nobili progenie non esse Iudæorum, ne hoc posteris suis exprobrari posset, argumenta quæ in propatulo habebantur sustulit, vt porro nemo crederet diuersum, nisi se ex inclyta patriarcharum stirpe & eorum esse numero, qui antiquitus fuerant ad fidem conuersi. (verum est quod illa magis commode possent discuti in scholis, sed hic habet etiam doctus quod proferat, extendat & applicet, nam & sancti hoc mouerunt.) 4 De sequentibus patriarchis cõtrouersiam nullam reperio. siquidem in veteris testamenti scriptis hæc non habentur vsque ad vltimum, vbi dicit euangelista, Mathan genuit Iacob, & Iacob genuit Ioseph. Posset enim obiicere quis, longe diuersum scripsisse Lucam, qui commemorat Ioseph fuisse filium Eli. Obiecit *Luc. 3.* hoc idem perfidus iste ex Christiano apostata, Iulianus imperator fidelibus, quasi euangelistæ ipsi sibi contraria scripsissent, quod etiam Porphyrius Gentilis fecit. Hieronymus, Ambrosius, & alij respondent, dicentes Iacob filium *Hierony.* *Ambros.*

fuisse Mathan, qui natus iam inde fuerat à Salomone, Eli autem filium Mathat, qui à Nathan Dauidis filio descendit, (non propheta illo qui Dauidem increpauit, vt existimauit *Augusti.* Augustinus. & inclinare videtur Ambros.) Fuerunt tamen Iacob & Eli fratres ex vnica matre & duobus patribus. Vbi *Deut.25.* quærat, quomodo Ioseph habere potuerit patres duos. sane potuit id fieri, & quidem ex lege Moysi. Eli enim vxorem duxit, & sine sobole mortuus est, viduam illam cogebatur ex lege frater eius ducere, vt suscitaret illi semen, & sic alterius mariti filius erat etiam prioris iuxta legem, & simul huius posterioris secundū naturam. Matthæus ergo patrem naturalem, Lucas alterum illum prosequutus est legalem.

¶ Fuit Mathan hic verus carnalis filius Dauid 1. Paralipomenon 3. nam Bersabee filios quatuor habuit, quanuis illi adeo delicate adamatus fuerit Salomon, quasi vnigenitus eius esset, Prouerbiorum 4.

5 Quærunt hic doctores omnes, quur Matthæus & Lucas adeo anxie describant natiuitatem Ioseph, qui tamen naturalis Christi pater non fuit, & non potius commemorent *Chrysost.* natiuitatem Mariæ, quoniam ex ea sola mater ipsius extitit, vnde & filium hominis se subinde vocat dominus, quoniam omnes nos filij hominum simus, Quur autem Ioseph magis quam Mariæ generatio describatur, quum Maria de *Ambros.* spiritu sancto generauerit Christum, & Ioseph à generatione domini videatur alienus, dubitare possemus, nisi consuetudo nos instrueret scripturarum, quæ semper viri originem quærit. sic enim & in senatu & in omnibus officiis viri tantum persona inquiritur. non igitur decebat vt euangelista recensuisset genealogiam matris & originem, relicto marito, sicut factum est 1. Reg. 1. & mos hic est scripturæ in vtroque testamento viros commemorare, vt Exod. 12. Nu- *Num.vlt.* me. 1. 6. & 2. Reg. 28. ¶ Ad hæc quum iam constat de origine Ioseph, simul certum est Mariam descendisse à Dauid, quoniam filia quæ & hæres est, non audebat nubere alicui diuersæ tribus. Maria autem vnica fuit, & sic hæreditaria filia Ioachim, debuit ergo desponsari marito suæ tribus, scilicet Iuda. Sunt qui putent Matthæum ideo non descripsisse originem Mariæ, quod Iudæis omnibus notum erat, eam esse de tribu & stirpe Dauid. Verum quidem est, quod sorores quæ fratres habebant, ne hæreditas caderet super eos,

libere

libere poterant nubere quibus volebant. sic Aaron de tribu Leui, duxit Elizabeth filiam Aminadab, sororem Naason de tribu Iuda, & Dauid duxit Michol filiam Saulis, de tribu Beniamin, & Ioiada sacerdos Iozabam filiam regis Ioram. Quomodo autem Maria sit de stirpe Dauid, ex sacris literis non constat. (Stapulensis ponit arborem, sed viderit ipse vbi receperit, & quam sacris literis cõueniat) sed Damascenus qui multa habuit à senioribus, & ex ipsa traditione apostolorum, qui vtique cognationem Mariæ non ignorarunt, magis cum euangelica concordat historia. *Iosue 13. Exod. 6. 2. Reg 3. Hebr. 7.*

DECLARATIVNCVLA
Tabulæ sequentis.

LEVI habuit Panther, vnde Ioachim & Maria descenderunt habuit & Mathat, qui etiam Melchi, sicut auus eius, dictus est. Hic & Mathan vxorem vnam habuere Hiestam, ex qua Mathat suscepit Eli, & Mathan Iacob. Eli ducta vxore, sine hærede mortuus est. inde frater eius ex matre, cui nomen Iacob ipsam duxit vxorem & ex ea sustulit Ioseph, qui sic verus & naturalis fuit filius Iacob, cuius stirpem describit Matthæus. fuitque filius secundum legem Eli. Et huius respectu Lucas descripsit genealogiam Christi, magis propter Mariam quæ de Dauide per Nathan descendit, quam propter Ioseph, qui putatiuus fuit parens IESV, qui idem est CHRISTVS in secula benedictus, Amen.


Dauid
Mathan
Leui
Salomon.
Eleazar.
Panther
Melchi qui
& Matthat
Hiesta vxor
amborum.
Nathan.
natura
Barpanther
Eli
Vxor amborum
Iacob.
natura
IN FESTO
Ioachim
Secundum legem
Cleophas
MARIA
Ioseph
Matth. 1.
CHRISTVS
Lucæ 3.

HOMILIA POSTERIOR.

Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Eſaiæ 2.

IESSE conſtat ex ipſo ſacrarum literarum teſtimonio parentem fuiſſe Dauid iuxta illud quod Sapiēs ait, Teſtamentū regi Dauid, filio Ieſſe, de tribu Iuda. hic alias in hiſtoria Regū dicitur Eſa. (In Hebræo vbiq; eſt vna dictio. *Eccle. 46*

3. Reg. 16.

¶ Vnde facile eſt colligere, loquutū hic eſſe prophetam de Chriſto, qui de ſtirpe Ieſſe deſcendit, quā ob rem & flos ab eo dicitur. Quod ſi ergo flos Chriſtus eſt, Maria virgultum erit, vnde flos ille enatus eſt. florem vero Chriſtum eſſe, teſtatur ſpiritus ſanctus, in perſona ſua dicens, Ego flos campi. flos dominī fuit boni odoris vſque in cœlū diffuſi, quoniam inde deus pater tantum habuit beneplacitū, vt remiſerit ideo peccatum Adæ, totúmque genus humanum rurſus ſibi cōciliarit, quapropter proprie dicit, Ego flos campi, nō inquit, horti, quaſi flos eſſet cōcluſus, ſed liber in ampliſſimo campo poſitus, eo q̄ benignitas Chriſti obuia & aperta omnibus eſt. clamat enim ad omnes, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis. in altum aſcendit, vt ab omnibus videretur. magna voce clamauit, vt ab omnibus audiretur, vt ait Bernardus, Odor illius floris aſcendit vſque ad patrem cœleſtē cum beneplacito magno, ita vt pax inter deū & hominem, inter angelos & homines confirmaretur. Virga itaque quæ florem nobis hunc protulit, ipſa eſt Maria, quam hodie natam credimus & profitemur. Magnum ſane hoc vniuerſo mundo ſolatium eſt, natam hodie eſſe virgam quæ florem illum protulit. Gaudet colonus, vbi primū ſemina pullulare viderit, expectat inde frugem ſibi prouenturam. Quur non & nos gaudeamus natam nobis virgam hanc nobilem, quæ Chriſtum edidit ſaluatorem mundi? ſicut hodie gratulabunda concinit eccleſia, Corde & animo Chriſto canamus gloriam in hac ſacra ſolennitate præcelſæ genitricis dei Mariæ. Cum iucunditate natiuitatem ſanctæ Mariæ celebremus, vt ipſa pro nobis intercedat ad dominū noſtrum Ieſum Chriſtū, Sic & Chryſoſto. fideles exhortatur. & ait, Hodie ſit mūdo ſalutis initiū. iubilate deo omnis terra. cātate, exultate & pſallite. lætare genus humanū. cātate cœleſtes ſpiritus, quoniā hodie eſt illa virga, quæ ꝓtulit *Cant. 2.* *Matt. 11.* *Bernard.* *Chryſoſt.*

miri odoris fragrantiam. de hac iam olim dixit propheta,
Esa.xi. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius, &c.

Euangelium Matth.i. vt supra.

VOLENS hic supersedeo dicere, quomodo Anna diu sterilis, mirabiliter tandem post angelicam pronunciationem cõcepit Mariam, eamq; hodie in lucem edidit, quoniam super eo multa diximus in festo sanctæ Annæ, & in die cõceptionis Mariæ. Missum
Hiero. quoq; facio totum Hier. libellum de ortu Mariæ virginis. tantũ paucula de sancta & gloriosa eius natiuitate dicemus.
Mat.6. Et primum quidẽ, quum ecclesia solenniter Mariæ celebret natiuitatem, constans est argumentum, sanctã eã esse, quanuis alias etiam Ethnici imperatores & reges multam festiuitatem in suis natalibus celebrabant, sicut Herodes in natali suo die Ioannẽ decollari fecit, & multo dehinc tẽpore Chri
Lib 1.de ser.Imp. stiani quoq; imperatores factitarunt, vt testatur eorum sanctiones, quæ sic habent, Dies festos, dies maiestati altissimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactionum vexationibus profanari. dominicum diẽ ita sem per honorabilem decernimus venerandum, vt à cunctis exequutionibus excusetur. Et inde, nec huius tamen religiosæ diei otia relaxantes, obscœnis quẽquam patimur voluptatibus detineri. Nihil sibi eodem die vẽdicet scena theatralis aut circense certamen, aut feriarum lachrymosa spectacula, etiam si in nostrum natalẽ celebrãda solẽnitas inciderit, differatur. Vide nostri seculi conuersationẽ, & cum priscis moribus cõfer. Iam huiusmodi ludibria, conuiuia, choreæ, gladiaturæ & alia, nisi diebus sanctis ac festis, exerceri nõ possunt. Nos autem qui in hanc lachrymarũ vallem, in hãc malorum cõgeriem magno dolore nascimur non sine peccato, merito iam miseros nostros natales deflet ecclesia, & tamen festos peragit dies mortis sanctorum, eosq; natales appellat, quod tunc nati sint in vitam æternam, quanuis sint natales adhuc solẽnes tres, natiuitas puta Christi, Mariæ, & Ioãnis. quod argumentum certum est, natiuitatem eorum sanctam fuisse. nam si & ipsi in peccatis fuissent nati sicut alij homines, ecclesia eorũ natales tam religiose non veneraretur. Insignis Mariæ natiuitatis sanctimonia inde colligitur, quod eã sibi deus elegit ab æterno prę omnibus mulieribus in terra,
Prou.8. vt mater fieret filij sui. & ideo in eius persona dicit Sapiẽs,

Dominus

Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Sine dubio igitur omnib⁹ eam virtutibus exornauit deus, vt vas dignũ esset spiritu sancto ad cõcipiendum & hospitandum filiũ dei, qui sic inquit per os Dauid, Hic habitabo, quoniam elegi eam. Electa est Maria vt sol, & sicut myrrha electa suauitatẽ dedit odoris. Nam quũ quilibet dominus filio suo nobilissimã eligat virginem quam possit habere, quanto magis deus filio suo pretiosissimam elegit virginẽ, ex qua humanam susciperet carnem, filiusq́ue eius diceretur & esset? Vere enim hoc ita est, quotiescunq; deus aliqué cuipiam destinat officio & operi, semper illum antea præparat, vt dignus & idoneus efficiatur, iuxta illud apostoli, idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Quando igitur eam à principio elegit deus, sicut ipsa profitetur & ait, Ab initio & ante secula electa sum, citra dubium tantis ipsam donis exornauit, vt potuerãt hodie dicere angeli illud quod puer Abrahæ, Hæc est virgo quã dominus præparauit filio domini mei. Quum ergo & quando placuit diuinæ gratiæ, vt habitaret deus dei filius inter nos, à quibus diu gratia eius alienata fuerat, sola Maria digna est inuenta, in cuius aula rex regum primum suum occuparet domicilium, & vbi diu quæsitam requiem inuenit, in eius sinu & gremio thesauros omnes sine mẽsura perfudit.

Psal. 131. *Cantic. 6.* *Eccl. 24.* *2. Cor. 3.* *Eccl. 24.* *Gen. 24.*

2 Est etiam hoc rei ipsi tum etiã rationi cõueniens, Deus enim paradisum tradiderat Adę, ex eius costa formauit Euã in qua peccatum cœpit & transgressio, atq; benedictio hinc versa est in maledictionem. Quum itaque iam abiecta esset Eua ista à facie domini aliam sibi delegit, quæ nunquã cecidit, pulchrã facie & decorã sine vlla macula, sicq; in omnib⁹ Maria fuit Euæ contraria. Eua siquidem nobis fructũ protulit mortis, Maria fructũ vitæ. Eua dum comedit, marito suo tradidit prohibitum fructum arboris, Maria administrat nobis panem viuum de cœlo. Eua mater peccati est, mater carnis, mater exilij & egestatis. Maria mater gratiæ mater spiritus est, mater misericordiæ. Eua irã intulit dei, mortẽ hominibus, amisit gratiam dei. Maria autem reconciliationem attulit dei, vitam & gratiam ab Eua amissa, eam Maria adinuenit, dicente ad ipsam angelo, Inuenisti gratiam apud dominum. Eua opprobriũ est mulierib⁹ omnibus & dedecus,

Cantic. 4. *Gene. 3.* *Luc. 1.*

Maria vero decor & ornamentum omnium matronarũ. Et ſicut Eua decepta à diabolo eſt, ita Maria diuinitus per angelum edocta de magno myſterio incarnationis Chriſti. & vbi diabolus Euã vicit per ſuperbiã, viciſsim eum ſuperauit Maria humilitate. Quid multa? quicquid maledictionis, vt inquit Hieronymus, infuſum eſt per Euam, id omne benedictio ſuſtulit Mariæ. Et quod Eua amiſit, hoc Maria reſtauravit, vt recte de ea cantet eccleſia, Sumens illud aue Gabrielis ore, funda nos in pace mutans nomen Euæ. Figuratũ hoc
Heſth. 1. eſt in Vaſthi & Heſther. illa enim formoſa exiſtens, obedire tamen noluit regi Aſſuero: qui quum conuiuium grande paraſſet principibus regni, militib⁹ & ſeruis, ſeptimoq; tandem die reginam vocaret per ſeptem eunuchos, noluit illa venire. vnde iratus rex, interrogauit ſapientes quid de ea faciendum putarent. ibi reſpondit Mamucha, Non ſolum regem læſit regina Vaſthi, ſed & omnes populos & principes qui ſunt in cũctis prouinciis regis Aſſueri. Egredietur enim ſermo iſte reginæ ad omnes mulieres, vt contemnant viros ſuos. Concluſum igitur eſt vt deiiceretur, nec amplius eſſet regina. proclamatum quoq; & miſsis epiſtolis ſignificatũ eſt vniuerſis prouinciis, viros eſſe principes & maiores in domibus ſuis. Hinc adductæ ſunt virgines plurimæ in ciuitate
Heſth. 2. Suſam, & ex eis delegit formoſam Heſther, per quã exaltatus eſt Mardochęus, Iudęi liberati, & eorum hoſtis Amã ſuſpenſus. Sic nimirũ præuaricatrix Eua deiecta eſt vt Vaſthi, humilis autem Maria ſublimata, & per eã populus Iudæorum, imo mundus vniuerſus redẽptus & liberatus eſt, ſicuti per Heſther Iudæi tantũ ſub lege Aſſuero. Nam quẽadmodum regi beneplacitũ fuit in Heſther, ita deo in Maria. (potes totam hiſtoriam Heſther figuratiue hic applicare.)

3 Etſi Maria magnum natiuitatis ſuæ habuit præconium ex tot tantiſq; ſuis maioribus, ſiquidẽ ex quatuordecim patriarchis nata eſt, deinde ex quatuordecim regib⁹ aliisq; bonis & honeſtis hominibus, atque ex ſanctiſsima matre Anna
Eccleſia. ſanctoq; patriarcha Ioachim. quapropter hodie concinit eccleſia, Regali ex progenie Maria virgo exorta refulget, cuius precib⁹ nos adiuuari mẽte & ſpiritu deuotiſsime poſcimus. Et in alia antiphona, Natiuitas glorioſæ virginis Mariæ, ex ſemine Abrahæ, orta de tribu Iuda, clara ex ſtirpe
Cen. 22. *Cen. 49.* Dauid. Hinc liquet promiſsionem Abrahæ factam, quod

in

in ſemine ſuo benedicerentur omnes gentes, prophetiam Iacob de naſcituro Meſsia, & Iuda, & Antichriſto ex Dan, promiſsionem etiam Danielis, Iurauit dominus Dauid, &c. de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam, omnia inquam hæc vnico illo eccleſiæ cantico veluti faſciculo paruo complicari & in eo contineri. ¶ Apparet etiam hic verba illa dei non referri ad Euam, quando dixit, Ponam inimicitias inter te & ſerpentem, inter ſemen tuum & ſemen illius. Ipſa conteret caput tuum: hoc enim primum eſt euangeliū, & ideo de homine euangelico tantum intelligendum. nam ſi referatur ad mulierem dubium non eſt, Euam hoc non feciſſe, ſed Mariam: ſin ad ſemē referas, (licet non ſit neceſſe, nam quanuis frequenter ſit maſculini generis apud Hebræos ſicut etiam ſemen, quum non habeant niſi tria genera, maſculinum, fœmininum & commune, tamē nō eſt perpetuum, quia potius eſt generis communis, quum etiā mulieres demōſtret & referat.) Maria ſemē eſt Euæ, & etiā Chriſtus. ſicq; perfecte cōſummatur, quod ſemen contriuit caput ſerpentis antiqui. Quocunq; modo Marię accipiatur origo, quanuis res pulchra eſt & honeſta, ex honeſtis parentibus naſci, ex patriarchis, prophetis & regibus, plus tamen gloriæ eis addit Maria quam acceperit ab ipſis. ſiquidē multo plus laudis, gloriæ & decoris habet à Chriſto, quam omnibus ſuis maioribus, quia in fimbria eius ſcriptum eſt, rex regum & dominus dominantium. Chriſtus dux vltimus eſt, rex poſtremus, & patriarcha populi dei. ipſe ait, Ego primꝰ & nouiſsimus. Ideoq; dum reges illos & maiores Marię cōmemorat eccleſia, tandem concludit in hæc verba, Sed quid nos iſtos recenſemus heroas, quum tuus natus omnes præcellat illos atque cunctos per orbem? ¶ Et hoc eſt quod ab initio diximus, quum illa filium altiſsimi ediderit, eam antea ſanctificatam eſſe, ita vt in ſanctimonia & donis gratiæ maiores omnes ſuperarit. vbi Anſelmꝰ ait, Vere placuit deo in te habitare, quum ex intacta virginis ſubſtantia, ſicut ex lignis Libani, inenarrabili magiſterio diuina ſapientia ſibi domum ædificauit. O Maria, quantum ex te beneplacitū habuit ſpiritus ſanctus, quando corpus tantum conſecrauit dedicauitq; tantis miſteriis dei. Omnis igitur iam mundus ô domina corpus tuum veneratur tanquam templū ſanctum dei viuentis, quia in eo ſalus mundi cepit initium.

Geneſ. 3.

Apoca. 1.

Eccleſia.

Anſelmus.

4 Legimus in ſacris literis, quanta ſæpe gaudia fuerint in natiuitate filiorum. quantū enim gauiſus eſt Abrahā, quando ætate grandæua, quum iam 100. eſſet annorum, ſuſcepit filium, qui quum eſſet ablactatus, conuiuiū parauit magnificum cum vniuerſa familia? Anna vxor Helcanæ diu ſterilis, tandem per gratiam dei filium peperit Samuelem, & tūc mā gno gauiſa gaudio cāticum illud fecit, Exultauit cor meum in domino, ſicut eo vtitur eccleſia feria quarta in laudibus. Simili modo de Samſone, Salomone & Ioſeph dici poteſt, ſicut & parentes gauiſi ſunt cum omni vicinia in natiuitate Ioannis, iuxta illud angeli, In natiuitate eius multi gaudebunt. Quāto maioribus gaudijs illuſtrior fuit natiuitas Marię, ſicut canit eccleſia, Natiuitas tua dei genitrix virgo, gaudium annunciauit vniuerſo mundo? Quis enim ſatis explicet gaudium & exultationem Ioachim & Annæ ob tantam à deo ſuſceptam filiam? Prægnantes vos & grauidæ, maiori pietate veneramini hodie Mariā & Annam, vt earum precibus facilior vobis partus, & lætior aſpectus fructꝰ veſtri donetur, ne pereat infans non baptizatus, ſed in baptiſmo peccatum ei remittatur originale, & gratia conferatur ſpiritus ſancti. Iam antea Anna ab angelo ſanctimoniam cognouerat infantis huius puellæ, & quod per eam deus operaturus eſſet ſalutem Iſrael, ſicut in die conceptionis eius & ſanctæ Annæ feſto dictum eſt. Præterea ſunt qui putent angelum hunc fuiſſe Gabrielem, quia veriſimile eſt vnius miniſterij vnum eſſe miniſtrū, neq; decuit deum huic miniſterio angelum deſtinari ad conſummationem myſterij huius qui non ſatis fuiſſet idoneus & velut inſtructus in omnibus iis quæ præcedere neceſſum erat. Vnus ergo angelus hic fuit cū eo, qui deinceps ſalutationem attulit Mariæ, & incarnationem Chriſti annunciauit. Nam quū Gabriel nunciarit natiuitatē Ioannis, qui Chriſti tantū fuit præcurſor, quanto magis annunciauit idem ille natiuitatem Mariæ mater eius futura erat, quæ Ioanne multo ſanctior fuit? Si itaq; Gabriel annunciauit natiuitatem Mariæ, quanto gaudio inde perfuſus eſt ipſe cum reliquis angelis, quum eorum iam multi cognoſcerent, hāc dominam eſſe ſuam & reginam, per cuius fructum ruina ipſorū impleretur, cōcordia inter eos & homines inſtitueretur, poteſtas aduerſaria cōtereretur? Neq; vero parētes tantū gauiſi ſunt, tantū ſe theſaurū gratiarū accepiſſe, &

Gene. 21.

Luc. 1.

& promissionē angeli esse impletā, sed etiā cognatio & vicinia tota gratulata est Annæ, quæ antea ob sterilitatē cōceptui erat omnib⁹, sicut & cognatio Zachariæ & Elizabeth est gauisa. Atq; sine dubio quū Elizabeth & Zacharias impleti sint spiritu sancto, multo magis hoc cōtigisse credatur Joachim & Annæ. Pie quoq; cerdēdū est, angelos hoc multis patribus reuelasse in limbo, qui memorali gaudio perfusi sunt, sicut & Christi natiuitatē angeli eis annūciarūt, cū dicat Christus, Abrahā exultauit vt videret diē meū. vidit, & gauisus est. Quomodo vidit nisi per reuelationē? ideoq; gauisa est & Eua maledictionē suā finem habituram. Gauisus est Noe arcā iam editā, per quā totus seruaretur mūdus. Gauisus est Abrahā, adesse tēpus quo facta sibi promissio impleretur. similiter Dauid aliiq; prophetæ, qui e lumine prophetiæ norāt accedere tēpus nasciturī Christi: quia si præsciuit hoc Daniel hic per hebdomadas sibi monstratas, quomodo non certius idē cognouerit in limbo? Gaudete igitur & vos, congratulamini Mariæ cū vniuersa ecclesia, ad eam concurrite tanquam paradisi portam cœliq́ue fenestram. Conclamate omnes. *Ioan.8.* *Dan.9.* *Ecclesia.*

Alma redemptoris mater, quæ peruia cœli
Porta manes & stella maris, succurre cadenti,
Surgere qui curat populo. *Crego.*

Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu. Sentiant omnes tuum leuamen, quicunq; celebrant tuam natiuitatem, Amen.

IN DIE S. MATTHAEI APOSTOLI ET EVANGELISTAE,

Euangelium, Matthæi. 9.

IN ILLO *tempore, Vidit Iesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine & ait illi, Sequere me. Et surgens, secutus est eum. Et factū est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, discumbebant cum Iesu & discipulis eius. Et videntes pharisæi, dicebant discipulis eius, Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? At Iesus audiens, ait, Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes autē, discite quid est,* *Mar.9.* *Lucæ 5.* *Mar.2.* *Osee 6.*

Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

HOMILIA PRIMA.

EVANGELICAM hinc discimus veritatẽ, quod ipse etiã scriptor ignominiam suam nõ celarit, discimus insuper hominẽ pœnitentẽ non debere pudore deterreri à confessione peccatorum suorũ. quin potius etiã ipse gratias agat deo pro gratia qua
Prou.18. eũ à peccatis liberauit, sic fecit hoc loco Matthæus. Sapientis
Esa.43. imitatus consilium, Iustus accusator est sui in principio
Hieron. sermonis sui. & illud quod Esaias ait, Narra peccata tua vt iustificeris. Cæteri, inquit Hieronymus, propter verecundiam & honorẽ Matthæi, noluerunt eum nomine appellare vulgato, sed dixerũt Leui, quoniã binomius fuit. Ipse autem Matthęũ sese vocauit, & publicanũ. Publicani qui fue-
Hieron. rint. docet Hieronym⁹ Matthæi 18. secundũ tropologiam, ostẽdens eos esse qui seculi sectãtur lucra, & exigunt vectigalia per negociationes & fraudes, per furta & scelerata flagitia. Nunc etiam satis male habent officia secularia, atque vno in loco alijs deterius. Væ iis qui officia ex auaritia cum coactione & pressura subditorũ imponũt. Videas nũc multis in locis quantis constent sumptibus iudicia, dierũ constitutiones, testiũ examina, literarũ erectiones vel obsignationes. vsqueadeo aucupium istud creuit in immensum, vt periculũ sit plerosq; tam spiritualium quã secularium officiorũ administratores publicanos tantũ esse: quoniã sic res habet, vt is fidelior habeatur, qui fuerit in extorquẽdo diligẽtior, eũ nõ facile sinũt officio priuari, sed is nõ parũ authoritatis & fidei habet apud principes. Liber vnicũ tantũ exẽpli gratia recẽsere. Circa sigillũ ita iam inter seculares & spirituales geritur plurimum, omnes sibi victũ inde sperãt & quæstum lucrosum, ita vt pecunia obsignatoria nõ exiguum habeat in summa recepti locum sigillũ quoq; pro magna pecunię summa impignorari soleat. Vereor vt ne homines isti multo sint publicanis illis deteriores qui vixerunt tempore Christi. Audiui forsitan ante annos 23. virũ doctissimũ D. Ioannem Cailer Kaiserspergium prædicatorem Argentinensem, loquentem & disserẽtem aduersus hoc Friburgi Brisgoiæ. Neq; multò antè obitum suum, quũ Argentinæ eum cõueniissem, nosq; in hãc materiam incidissemus mul-

tas

tas multorũ doctorũ piorumq; hominũ sententias super hoc mihi adduxit, è quibus notaui verba Stephani Bruliferi minoritæ in Anglia, qui sic ait, Quũ vnicuiq; liceat victitare de labore suo taliter qualiter, etiá prælato aut iudici ciuili licitum est, petere pro expensis ceræ & laboribus sigillatorũ & clericorũ ad hoc deputatorũ plus vel minus secundum maiores vel minores labores aut expẽsas fieri solitas. Testificari in iudicio publico de causis spiritualibus, & de cõtractu matrimonij & talibus, huiusmodi est annexũ spiritualibus, licet testificari de tẽporalibus neutrũ sit. Quũ sigillum cuiuscunq; iudicis nõ sit nisi testimoniũ iudicij à tali iudice facti, nõ apparet quomodo p̃ sigillo suo iudex possit aliud petere aut etiá exigere vltra expensas ceræ & labores sigillorũ & clericorũ ad hoc deputatorũ. Prælatus quicũque ecclesiasticus siue ecclesia ciuilis, petẽs vel exigens aliquid tẽporale pro sigillo literarũ vltra casus p̃scriptos in causa spirituali & iurisdictione ecclesiastica, nõ solũ peccat, sed etiá simoniá cõmittit. si tamẽ super tẽporalibꝰ agatur, nõ est simonia, sed grauiter peccat talis iudex. Adde Gabrielẽ dist. 15. q. 6. ¶ Iá mihi cõfideret aliquis officia in omnibus prouinciis & regionibus, quo grauata sint omnia sigillis, vectigalibus, iudiciis, &c. vbi nemo quod iustũ est cõsequi potest nisi emptũ, modo ne aliquá do etiá emptũ inquisitissime. periculũ est ergo ne omnes iá prouinciæ publicanis abundent. dominus deus illuminet corda & conscientiá magistratuũ, vt defectus hic cũ in multis alijs in Christianismo corrigatur. Discant etiá hinc peccatores quãtũcunq; graues, nõ desperare. nam dũ ad emendationẽ conuertuuntur, inueniũt gratiá apud deũ, sicut Matthæus, qui ex publicano & apostolus factus est & euãgelista. 2 Vidit ergo dominus hominẽ sedentem ad teloneũ, Matthæum nomine, & dixit ei, Sequere me. Vbi Chrysostomus expẽdit, quur tandẽ dominus Matthæum non cum Petro vocarit & Ioanne. siquidem ipse tẽpus nouit quo quisq; sit ad obsequendũ promptior, quoniá & corda hominũ nouit. Petrũ vocauit ille in piscatu, Matthæum in teloneo, Paulum in persequutione. Quũ adhuc ad teloneum sederet Matthæus, quum peccandi finem nondum fecerat, ecce traxit eum deꝰ per gratiam suã, & exemit de medio mari peruersæ conuersationis publicanorum, sicut & Paulum vocauit minas adhuc & cædẽ spirantem,

Brulif

Cabriel.

Hieron.

Chryso.

Actu. 9.

atque ſæuientẽ ſummo cũ furore aduerſus eccleſiã. Voluit etiã, authore Theophylacto, oſtendere Matthæus ſe non ex ſuo merito, ſed gratia dei cõuerſum. fuit enim hoc op⁹ dei, quod dominus ipſum vnico verbo cõuertit. nõ igitur exterius tantũ oculis corporeis eũ aſpexit, ſed multo magis interioribꝰ oculis miſericordiæ ſuę. ¶ Sicut reſpexit, inquit Beda, negatorẽ ſuũ Petrũ, vt culpã ſuã agnoſcere poſſet & deflere, ſic & Matthęũ, qui ſine dubio ſemper ſe cognouit eſſe peccatorẽ, dum & publicanũ vocare ſe veritus nõ eſt, quãdo ſe in numero cõmemorauit apoſtolorũ, quãuis Marcus & Lucas in hoc pepercerint ei. Sed dominꝰ ad eũ ait, Sequere me. Ecce, ſequere, inquit, eo qđ in via virtutis fieri nõ poteſt vt quis præcedat dominũ, ſed oportet ſemper illũ præcedere, & ſic poſt ſe trahere hominẽ, ſicut ipſe dicit, Nemo venit ad me, niſi pater meus qui eſt in cœlis, traxerit eũ. Nõ ignorat hoc eccleſia quæ ſpiritu ſancto ſuo regitur & gubernatur. ea ſic precatur, Actiões noſtras quæſumus domine aſpirãdo præueni, & adiuuãdo proſequere. Nos quoque dominũ rogemus vt præcedat nos, eamq; gratiã habuit Iob, quãdo dixit, Veſtigia eiꝰ ſequutꝰ eſt pes meus, viã eiꝰ cuſtodiui. Vbiq, nos docet & monet dominꝰ crucẽ ſuã tollere & ſe ſequi. Quũ lauiſſet pedes apoſtolorũ, adhortatus eſt eos grauiter ad ſe ſequendũ. Exemplũ, inquiẽs, dedi vobis, vt ſicut ego feci, & vos faciatis. Quid qđ vniuerſa Chriſti vita in morte vſq; exemplũ fuit nobis quod imitemur, teſtante Petro quũ ait, Chriſtꝰ paſſus eſt pro nobis, vobis relinquẽs exemplũ, vt ſequamini veſtigia eius. Pauca & breuiter loquens hic dominꝰ, ait, Sequere me. ſed verba illa vehemẽtẽ habuere virtutẽ, quia ſurgẽs Matthæus, ſequutus eſt eũ. O vim fortẽ, ô operationẽ efficaciſimã duorum tãtummodo verborũ, quibus magis attraxit dominus Matthæũ, quã catenis attraxiſſet. Verũ enimuero Chriſtꝰ per maieſtatis ſuæ omnipotentiã verba hæc tam efficacia fecit: iuxta illud Dauidis, Dabit voci ſuæ vocẽ virtutis. Matthęus grauit peccatorũ iacebat põdere preſſus, ſed per vocationẽ Chriſti ſurrexit corpore, ſurrexit & ab officio ſuo multũ periculoſo, ſurrexit à vita peccatis plena, ſicut omnes peccatores ſurgere iubet Paulus, Surge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Sic & Matthæꝰ ſurrexit à mortuis: omnis enim peccator corã deo mortuus eſt, quãdo gratia illius deſti-

Theop.

Beda. Mat. 10.

Ioan. 6.

Iob 23.

Lucæ 9.

Ioan. 13.

1. Pet. 2.

Pſal. 67.

Epheſ. 5.

destitutus est, quæ vita animæ existit. Ideoq; Matthęus cum Dauide dicere potuit, Exurrexi, & dominꝰ suscepit me. Lucas addit eũ, relictis omnibus, sequutũ esse dominũ 3 Iam ne igitur intelligitis, quã inepte contradixerint ijs quæ hic narrat euãgelista, Porphyrius & Iulianꝰ apostata, qui tãquã filij mundi huius, nihil sciẽtes de gratia & operatione spiritus sancti, deridebãt imperitiã historici mentiẽtis, simulq́ue stultitiã eorũ qui statim sequuti sunt saluatorem, quasi irrationabiliter quemlibet vocãtẽ hominẽ sint sequuti, cũ tantæ virtutes tãtaq́ue signa præcesserint, quæ apostolos antequam crederent vidisse nõ dubium est? Certe fulgor ipse & maiestas diuinitatis occultæ, quæ etiã in humana facie relucebat, ex primo ad se trahere poterat aspectu. sicut enim in magnete lapide & succinis hęc esse vis dicitur, vt annulos & stipulam & festucas attrahant, quãto magis dominus omniũ creaturarũ ad se trahere poterat quos volebat? Quid quod Matthæo, Petro & alijs honestissimũ hoc fuit, sequi dominũ iuxta illud Sapiẽtis, Magna est gloria sequi dominũ, longitudo enĩ dierũ assumetur ab eo? Sic gloriatur & Ieremias, dicẽs, Non sum turbatus te pastorẽ sequens, & diẽ hominis nõ desideraui, tu scis quia omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te, in terra scribentur, quoniã dereliquerũt venã aquarũ viuentiũ. Non diuersum est quod Beda ait, neminẽ hanc vocari sequelã mirari debere. siquidem ipse dominus qui hunc exterius humana alloquutione vt se sequeretur vocauit, intus diuina inspiratione, vt mox vocãtẽ sequeretur, accendit: ipse inuisibiliter quomodo sequẽdũ esset, edocuit. Vnde intellexit ille, quod quoscũq; vocat dominus à tẽporalibus huius mũdi thesauris, ijs retribuat alios thesauros æternos in cœlis, Matthæus surgẽs, sequutꝰ est eũ non pedibus tantum corporis, sed & vita sua, dicente Ioanne, Qui dicit, se in Christo manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipse ambulare: hoc est, nõ temporalem appetere quæstũ, sed arrogantiam fugere, mundũ & omnia quæ ipsius sunt cõtemnere propter gloriã æternã, & in omnibus gloriã dei & proximorũ quærere saluté. Hæc & huiusmodi alia facere, est vestigia Christi sequi. Quærũt hic nõnulli, an statim sequutus iã sit Matthæus dominum vt apostolus, hæcq́ue vocatio facta ne sit ad apostolatũ. Respõdetur, nõ debere hoc ad apostolatũ referri, quia Matthęus insuper

Psal. 3.

Hieron.

Eccle. 23.

Iere. 17.

Super Matth.

1. Ioan. 1.

dominum conuiuio excepit, ſicut hic dicit ipſe, Factum eſt
Luca 5. diſcumbẽte eo in domo, Lucas quoq; teſtatur Leui magnũ
domino paraſſe conuiuiũ in domo ſua. Quod ſi ergo cõui-
uio eũ excepit, ſi ẽdes habuit proprias, apoſtolus nõdũ fuit,
quoniã apoſtoli reliquerunt omnia iuxta Petri profeſsionẽ
domino factã. Et ſuper hoc iã concludunt doctores, Mat-
thæũ à teloneo vocatũ, ſequutũ quoq; ita vt adhæſerit do-
mino, multa cum eo cõiunctus familiaritate, ſicq; paulatim
ſequutus ſit dominũ, vitã ſuſcipiens apoſtolicã. Nam ſi ſta-
tim ad hanc vocationem reliquiſſet omnia, vtiq; nõ expro-
braſſent ei phariſæi communem cum publicanis cõuictum.
Quæras amplius quomodo Matthæus hic ipſe capite 9. ſuã
deſcribat vocationẽ. quũ tamen dominus iam antea ſermo-
nem fecerat in mõte, quẽ Matthæus tribus proſequutus eſt
capitibus, Iam vero apoſtolos 12. dominus ordinauit & cõ-
ſtituit in mõte, ſicuti clare teſtatur Lucas, nominãs ibi Mat-
thæum. Quomodo ergo apoſtolos 12. inſtituit, creauitq; in
Matth. 5. mõte, & de inceps adhuc vocarit Matthæũ? Reſpõdet Au-
6.7. guſtinus lib. 1. de conſ. euan. c. 26. Euangeliſtas non ſemper
Auguſt. ordinẽ ſequutos eſſe tẽporũ, maxime vero Lucã hoc feciſſe
qui nõ reſpexit hic eo, ſed tantum ordinẽ obſeruauit iuxta
modum operum ſacerdotalium. ſic Matthæus hic ſuam ip-
ſius commemorat vocationem, quam antea omiſerat, ſi qui-
dem reponi debebat ante caput quintum. 4 Sequitur, fa-
ctũ eſt diſcũbente eo in domo, ecce multi peccatores & pu-
blicani veniẽtes, diſcumbebãt cũ Ieſu & diſcipulis eius. Vi-
Hieron. debant, inquit Hieronymus, publicanũ à peccatis ad melio-
ra conuerſum, locum inueniſſe pœnitentiæ, & ob idipſum
etiam illi nõ deſperant ſalutem. neque vero in priſtinis vi-
tiis permanentes veniunt ad Ieſum, ſed pœnitentiam agen-
tes, vt ſequens ſermo domini ſignificat. In eadẽ pene ſentẽ-
Chryſo. tia Chryſoſtomus eſt & ait, Concurrũt quaſi ad conſortem
artifici multi publicani, quos Matthæus lætitia non parua
propter acceſſum Chriſti inuitauit, domino ſic diſponẽte,
qui omne genus curationis animorum exhibuit, nec diſpu-
tando ſolum aut ægrotos curando, aut inimicos redarguen-
do, verũ etiam comedendo ac bibẽdo multos à vitiis ad vir-
tutem reduxit, vt nos doctores his omnibus efficeret. pergit
Chryſoſtomus & dicit, Quãuis quæ nũc appoſita erãt, in-
iuſte ac rapaciter fuerant acquiſita, nõ repulit tamen ea do-

minus

minus, ſed aſſumpſit ex illis. Hæc certe bonum medicū decent, qui niſi laborantiū putredinē ferat, nō poteſt eos à doloribus liberare. Hinc iam quęſtio naſcitur, quum illicitum ſit ex vſura & rapina viuere, quur inde māducarit dominus non ignarus vtique. Occurrit hic cōmunis reſpōſio, Quod qui ſunt in loco eorum à quibus bona iniuſte ſunt accepta, dum ea opere adducūt ad reſtitutionē rerum male acquiſitarū, poſſunt inde viuere & māducare. ſiquidem veriſimile & æquum eſſe videtur, eos quorū ſunt hæc bona, quū ipſorum hic agatur cauſa, cōſentire ad hoc. Vis exemplū? Ecce ſi ingrediar in Iudæi ſiue vſurarij domū, volēs ipſum perſuadere vt bonū inique partū reſtituat iis quos deceperat: quod ſi aliquid ex iſtis bonis manducem quæ ad læſos pertinent, iniquum nō foret. quia quū in eorum ſim miniſterio, merito panem eorū manducē, iuxta illud Pauli, Quis vnquā militat ſtipendiis ſuis? quis paſcit gregē, & de lacte gregis non māducat? Ideoq; dominus mittens diſcipulos ſuos in officiū euangelij, nō dixit, Manducate & bibite quicquid eorū eſt, ſed quicquid apud eos eſt. facit textus & notata in C. multis lib. q. 3. & C. inter alia de ſentētia excōmunicationis. Poteſt & talis reſpōſio dari quod dominus eo ipſo voluit oſtendere, nō ſemper iniquū eſſe vel cohabitare iis, vel cum eis manducare & viuere, qui bona ſibi iniuſta vſurpant, quoniā poſſunt iſti ſimul & iuſta bona iuſtóque titulo vel hæreditario habere, vel honeſte & decēter lucrari. Vbi facile fit vt homines legitimā cauſam habentes, poſſint licite bonis ſuis perfrui, cuiuſmodi ſunt vxor, liberi, ſerui, operarij, exactiones magiſtratib⁹ debitæ, &c. & tamē quod vere eſt iniuſte partum, idipſum nemini licet in vſum rapere, vt ſi ſit quis furto vel rapina acquiſita vel fœnore, nō licebit mihi ex eo viuere aut māducare. ſin autē oues ſuę & abreptæ mixtim ſint cōfuſæ, ſic qui ouem vel cū eo māducat, vel ab ipſo accipit, nō peccat in animo habens ſe velle id ab eo habere quod ipſe iuſto poſſideat titulo. Vide doct. in materia reſtitutionum, Antoninū in parte 2. S. Bernardinū de euāgelio æterno, & Kayſerſpergium. Si vero quis aliud nō habeat, niſi ex vſura vel bonis inique partis, ei ſeruire nemo debet, nec quiſquā operarius cū eo habere cōmune. Periculo itaq; nō vacat vſurario Iudæo aliquid vendere, cū eo cōtrahere aut ei aliquid laborare, ſed hæc alias. Chriſtus cū creaturarū omniū

2. Cor. 9. Luc. 10. Pſal. 22.

dominus fuerit & conditor, bonis iniuſte partis vti potuit. & ideo dominus ille omnium eſt, ipſiúſq; adeo eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarũ & vniuerſi qui habitant in eo. ſuſpicandum tamen non eſt, eum nobis fuiſſe exemplum ſcandali & offenſæ, quamobrem oportet Matthæum nonnihil iuſti ęquiq́ue boni habuiſſe, vnde dominus manducarit. Vel quia docet, ſi qui curam gerit animarum, velit poſſeſſorem boni iniuſti ad reſtitutionem adhortari vnde ipſe viuere poſſit, Matthęum ille imitetur, qui bona temporalia dereliquit omnia, ſequutúſque Chriſtum, crucem eius hic geſtauit in terra, vt cum eo iam viuat in æuum, gloria coronatus ęterna. Hanc nobis quoq; domine gratiã largire quęſumus, vt te ſequentes vitam æternam cõſequamur, Amen.

HOMILIA ALTERA

eiuſdem feſti.

Chryſoſt.

MItissimvs dominus Ieſus Chriſtus, reſpexit oculis gratiæ Matthæum, eumq́; ſe ſequi iuſſit, qui ſurgens, ſequutus eſt ipſum. Noli mirari inquit Chryſoſto. nam qui poteſt delictorem diſſoluere vincula, nõ mirum eſt ſi peccatorem apoſtolũ fecit. Vidiſtis virtutem vocantis? diſce vocati obedientiã. non enim repugnauit, nec ambigẽdo ſecum dixit, putáſne publicanum peccatorẽ me recte abſq; fraude vocarit, & apoſtolũ facere velit? Verũ hic quæſtio naſcitur, quur ita ſubito Matthæum ab officio ſuo vocarit, neque cõmiſerit ei vt ſupputatis primum rationibus & ſubductis, ad calculũ omnes vo-

Exo.12.

caret & cunctis ſatisfaceret. Hic ſunt qui exiſtimant Chriſtum deum verum & dominũ omnium potuiſſe hoc facile diſponere, ſicut olim cõmiſerat Iudæis, vt ſpoliatis Aegyptiis, mutuatis eorũ vaſculis argenteis & aliis rebus precioſis diſcederẽt: ita volunt hic Chriſtum in vniuerſum abſoluiſſe Matthæum, vt amplius nihil debuerit cuiquã hominum ad

Auguſti.

reſtitutionẽ, vel ſaltem ad reſpõdẽdum pro iſtis, quia Chriſtus, deus, & omnia bona, ſua erant. Nunc autẽ non ſic, neque iam licebit cuiquam multo cõtracto ære alieno, ingredi monaſterium. in quo tamẽ caſu: vide Antonium, Angelum de Clauaſio in Summa & alios. ſunt qui dicant quod vere quidẽ Chriſtus domin⁹ fuerit omnium, ſed tamen ea pote-

Ioan.18.

ſtate vſus ille nõ eſt, vnde & ad Pilatum dixit, Regnũ meum non eſt ex hoc mundo, quum tamẽ omnia regna mundi ſua erant.

erant. Sic etiam quũ ad eum veniret quidam, cupiens vt fratri suo præciperet quatenus cum ipso diuideret hæreditatẽ, respondit dominus, Quis me constituit iudicem inter vos? Quod ad Iudæos attinet, suberat sane causa, authore Augustino, quia multo iam tempore seruierãt AEgyptiis, plurimósq; iustinuerãt labores, quorum tamen nulla acceperant præmia. voluit ergo hoc eis deus indulgere, vt sub colore mutui, vasa eorũ arriperent. Hic autẽ ratio talis nõ fuit, vnde verisimile est Matthæũ omnia prius dispõsuisse, exéplóque Zachæi si quẽ fefellerit, quadruplũ reddidisse, reliquũ distribuisse pauperib⁹, maxime quum vocatio ista nõ fuerit ad apostolatum, sed ad hoc tantum, vt vitam illam & cõuersationem prauã circa teloneum relinqueret, túncq; demum cum cæteris in mõte ad apostolatum vocatus est, quando eo temporis spatio, quod interfuit, facile potuit res suas cõponere & iniusta bona restituere. Verũ hic alia enascitur quæstio, quoniã Marcus & Lucas referunt eum domino parasse conuiuium in ædibus suis, ipse autem hoc obticuit, tantum ostendit eos in domo recubuisse, neq; interim in cui⁹ domo factũ sit aperit. respondetur, quod quãuis domus hæc fuerit Matthæi, ipse tamẽ eam pro sua nominare noluit. siquidem is iam suus erat affectus, vt domus hæc Christianis fratribus omnibus esset cõmunis, sicut idem Christiani omnes in principio nascentis ecclesiæ fecisse leguntur apud Lucam, qui ita dicit, Nullus eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed eis erant omnia communia. Huiusmodi voluntatem iam statim per gratiam dei cõceperat sibi Matthæus, vnde & domum quæ sua erat, suam dicere noluit, omnibus enim (vt Lucas ait) relictis, sequutus est dominum.

Lib. 22. com. Præf. c. 7. & 72. Luc. 19. Marc. 3. Luc. 5. Actu. 4. Luc. 5.

2 Chrysostomus quoq; hic quæstionem introducit, quur tandem tam paucorum apostolorum vocationes sint descriptæ, quomodo adiuncti sint Christo, siquidẽ Andreæ, Petri, Ioãnis & Iacobi, Philippi & Matthæi vocationes tãtum leguntur, ex paucis illis qui vocati sunt, colligunt doctores, reliquos etiã sex esse vocatos. Quur autẽ hoc nullus euangelista descripsit, respõdet Chrysostom⁹ hoc ideo factum, quia isti maxime in humili artificio atque turpi quæstu versabantur. quatuor illi piscatores retia habebant lacerata quę interdum consuebant ipsi, nõnunquam & hamo piscabãtur vt Petrus, Matthæus, quoq; in tam periculoso statu fuerat,

Chryſoſt. Matt. 4. & 17.

quam cõtempto & humili piſcatores. Ne tamen ſuſpicio de apoſtolis haberetur, quaſi aliquid gloriæ captandę & ambitionis cauſę ſcripſiſſent, vocationes eorũ quorũ conuerſatio cõtemptiſſima habebatur deſcripſerũt, omiſſis illis qui iudicio mũdi maioris erãt authoritatis. Bartholomæũ enim quãuis ex natalib⁹ illuſtrẽ, ſimiliter & Thomã prætermiſerũt omnes, deinde quã paucis, quãq; breuiter euãgeliſtę oẽs Chriſti, pſequũtur miracula? quãtũ rurſus in cõmemorãda ei⁹ paſſione & cruce immorãtur? quã diligẽter crucis patibulũ, qđ mũdo videt eſſe cõtẽptius, deſcribũt? Et hinc ſanè fit quod
1. *Cor.* 1. Paul⁹ dicere auſus nõ eſt, Chriſtũ nullũ etiã mũdi ſapientẽ elegiſſe, ſed nõ multos. ſic enim ait, Videte vocationẽ veſtrã fratres, quia nõ multi ſapiẽtes ſecundũ carnem, nõ multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit deus, &c. ¶ Quũq; recũberet dñs in domo Matthæi, multi publicani & peccatores venerũt exẽplo vtiq; moti Matthęi, adhæſerunt dño, emendãtes vitã ſuã, quoniã ad exẽplũ Mat-
Luc. 5. thæi quãplurimi cõuerſationẽ ſuam cõfirmarunt. ſic Lucas
Luc. 19. ait appropinquaſſet ad dominũ publicanos & peccatores vt
Matt. 21. audirẽt eum. ſic ſimili ex cauſa cõuerſus eſt & Zachæus, qui princeps fuerat publicanorũ. atq; ideo domin⁹ phariſæis dixit, Publicani & meretrices præcedẽt vos in regno dei. Verus, animæ medicus erat Chriſtus, nõ ignarus qua parte infirmos ſuos viſitaret, vbi quæreret, vbi inueniret, nõ mouebatur phariſæorũ calũniis, modo animos plurimos lucrare-
Actu. 10. tur, hominẽ nullum cõtemp ſit, iuxta illud Petri, deus oſten-
Beda. dit mihi vt nullũ hominẽ diceręm immundũ. Beda ſiquidẽ putat eos qui ad Chriſtũ venerũt, diſcumbẽtes cũ eo, iam iuſtificatos fuiſſe relictis peccatis. nam ſi adhuc in peccatis iacuiſſent, quomodo preſumpſiſſent cum Chriſto agno immaculato epulari? fuitq; hoc multum cõueniens, vt exẽplo Matthæi plures ſui ſimiles dominũ ſequerentur. nam quũ futurus ille euãgeliſta & apoſtolus erat gentiũ, prima ſtatim ſua cõuerſione magnã peccatorum turbam ſecum attraxit ad ſalutem, officiúmque ſuum euangelicum, quod deinceps ſub augmentũ meriti & virtutum exerciturus erat. idipſum iam cœpit in primo adhuc fidei tyrocinio. Et quod publicani
Mar. 2. iſti peccata dereliquerũt ſequuti dominũ, aperte Marcus teſtatur, quũ dicit, factum eſt cum accumberet in domo Leui, multi publicani & peccatores ſimul diſcũbebant cum IESV

&

& discipulis eius, erant enim multi qui & sequebantur eum.

3 Videntes hoc pharisæi, dixerunt ad discipulos, Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Putabant illi, authore Chrysostomo, dominũ debuisse à se peccatores abigere, quia volebãt eum mali cõsortij causa infamare. Tu autẽ peruersitatem eorum cõsidera: non exprobrant hoc domino, sed ad discipulos dicunt, male loquentes de eo, rati se velle à magistro discipulorũ multitudinẽ subducere. quasi dicere vellent, Qualem habetis magistrũ? huiusmodi ne hominem sequemini, qui tali vtatur cõmercio? Alias siquid feciſſe videbãt apostolos, exprobrabãt hoc ipsi domino quum vellerent spicas, dicebãt ad dominum, Ecce discipuli tui faciũt, quod nõ licet eis facere sabbatis. hic culpam conãtur in dominum ipsum cõferre, dicentes, Quare cum publicanis mãducat magister vester? serpẽtina vox ista est, inquit Ambro. nam & serpens dixit Euæ, Quare prohibuit vobis deus, ne comederetis de omni ligno paradisi? Addit ille hic per pharisæos, Iudæos intelligi, qui adhuc mordicus tenent legẽ Moysi, ij Gentibus inuident quod Christus cum eis mãducet, & tum gratia susciperit. Diceres, obiectionẽ illam pharisæorũ in sacris literis esse fundatã, deinde cõsentaneam cõmuni sapientium iudicio. siquidẽ quã vulgare, tam verũ est istud vulgo quod dici solet, facilius malus aliquis bonos tres faciat malos, quã tres boni malum vnum efficiunt bonum. Cõsonat illud Dauidis, Cum bonis bonus eris, cum peruersis peruerteris. ideoque videri posset alicui dominũ non debuisse cũ malis versari, quum Sapiens filium suũ monuerit nõ obsequi peccatoribus, si quãdo lactauerint eum. & alibi dixit, Omnis caro ad similem sibi cõiungetur, & omnis homo simili sui sociabitur. Quibus accedit illud Pauli mandatũ, dicẽtis, Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator aut auarꝰ, aut idolis seruiẽs, aut ebriosus, &c. cum eiusmodi nec cibũ sumatis. cur ergo cum auaris & rapacibus publicanis mãducauit dominus? Respõdet Chryso. & ait, primũ quidẽ nõ patet, si magistris etiã hæc à Paulo præcepta sunt, sed an fratribus solũ: deinde nondũ erãt omnino facti fratres, quos vitãdos duxit. Adhæc, ad consortiũ fratrũ iam ascitos tunc vitare iubet, cũ in malo perseuerẽt. publicani autẽ illi ab illicitis conuersi, iam meliora persequebantur. Verùm quidẽ hoc in se, quod quũ omnes, tum vero ma

Chryſoſt. *Matt.12.* *Ambroſ.* *Cene.3.* *Pſal.17.* *Prouer.1.* *Eccle.13.* *1.Cor.5.* *Chryſoſt.*

xime iuuenes vitare debent consortia praua. siquidem periculosum est cum malis cõuersari, eos cum primis, qui in limine adhuc & principio sunt vitæ rectius instituẽdæ. Vnde
Gene. 19. & Lot quũ malis cohabitaret, eductus est ab angelo, ne cum
Eccle. 13. ipsis incendio periret, Qui picem cõtrectat, inquit Sapiens, coinquinabitur. Cui affine est quod maiores nostri dicere
Eccle. 13. soliti sunt, Qui carbones tractat, denigrabitur. nihil enim prauo consortio deterius est. à natura ꝓpensi sumus in malum, planeq; ardẽ affectu & libidine mali, quod si accedat societas mala, quæ amplius adhuc nos incitet, periemus. Quorsum enim vel aquas flumini, vel nemori ligna addideris? si quis tamẽ fuerit perfect⁹, is etiã inter malos nõ pereuertetur. Sic nihil motus est S. Thomas ordinis prædicatorum, quod fratres eius secundũ carnẽ comites de Aquino,
Insigne exemplũ S. Thomæ. indignabãtur ipsum genere & sanguine illustrẽ, induere cucullã, vnde & captiuũ eum in quadã arce vinxerũt, vbi post multas minas, preces & alia plura, quibus eum vrgere atque à ꝓposito deterrere conabãtur, mulierẽ ei forma insignem adhibuerunt, verum ille hic quoque cõstanter perstitit, neque vel in minimo blandis eius permotus est sermonibus. quinimo & ardẽte titione arrepto, eam à se abegit. sic multas alias sodalitates quæ biennio toto ad ipsum cõueniebãt, cõtempsit, semper se sui similem & cõstantem exhibens. Sic S. Christophor⁹, sic Catharina fecit, sic S. Narcissus qui pectricem Affram & eius sodales visitauit Augustæ, sic multi alij fecerũt. Nemo itaq; Christo qui veluti colũna erat immota, exprobret istã cũ peccatoribus cõuersationẽ. siquidẽ vt impossibile erat ipsum à bono declinare, ita vicissim ille multos malos poterat ad bonũ cõuertere, quod & factũ est. ¶ Vt autẽ rem hanc finiam, totámq; paucis cõplectar, cõuersandum nõ est cum malis qui perseuerant in malo: verũ isti in hoc euãgelio, iam boni erant. qui tamen si mali fuissent, nõ poterat tamen adhuc domin⁹ ab eis offendi, ipsi autẽ po-
Hieronym. terant multũ ab illo cõfirmari in bono. sic Hieronym⁹ ait, quia ibat dominus ad cõuiuia peccatorũ, vt occasionẽ haberet docendi, & spirituales inuitatorib⁹ suis præberet cibos. quãuis enim sæpe cõmemoratur in scripturis, inuitatũ eum fuisse, nihil tamen aliud innuitur, nisi quid ibi fecerit, quid docuerit, vt humilitas domini in visitatiõe peccatorũ, & potentia doctrinæ suæ in cõuersione appareret pœnitentium.

Hæc

Hæc si cogitassent & ponderassent pharisæi, vtiq; nō murmurassent. verū fastu inani & inuidia excæcati, erant gemino (vt ait Beda) inuoluti errore dū magistrū veritatis calumniati sunt. nam & seipsos bonos esse credebant, qui turgida superbia inflati, procul recesserant à via veritatis & iustitię: deinde & illos pro iniustis accusabāt, qui ad meliora cōuersi, nō parum accesserunt ad iustitiæ semitam. hic ergo error iste fuit, quādo nec sua, nec aliorum pectora cognoscebant. *Beda.*

4 Audiens hæc dominus, ait, Non est opus sanis medico, sed male habentibus. forsitā & corporaliter murmurationē hanc exaudiuit dominus. nam quum optimæ fuerit constitutionis, externas quoq; sensuum facultates & vires habuit subtilissimas. Aut cognouit hoc per suam omni scientiam, quādo nec eorum cogitationes ipsum latuerunt, imo & zelus dei & animarū charitas fecerunt, vt omnia audiret, iuxta illud Sapientis, Auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non absconditur. Tu interim respōsum hoc cōsidera. Non est opus sanis medico, sed male habētib⁹. quasi diceret, inquit Theophyl. Non veni nunc tanquam iudex, sed medicus. vnde & fœtorem sero, Ostendit per hoc, præcipuum illud esse officium suum propter quod venerat, curare peccatores, simulq; fugillat scribas & pharisæos, qui iustos se putantes, peccatorum consortia deelinabant, & diuinæ gratiæ auxilium non inquirebant. sicq; seipsos non cognoscebant, contra quod dixerat Ioannes Baptista, Non potest homo de se accipere quicquā, nisi datū fuerit ei de cœlo. Pharisæi bonos se & diuites esse putabant in iustitia, quiquam fuerint integri, per lōgum disseruit apud Matthæum dominus, ita vt eis dici possit illud Ioannis, Dicis quia diues sum & locupletatus, nullius egeo. & nescis quia tu es miser & miserabilis, pauper, cæcus & nudus. Nō est ergo quod cogites dominum nō etiam vocasse bonos, quoniam sine gratia & vocatione dei boni non essent: hic autem iustos appellat, qui quum iudicio dei iusti non erant, se tamen tales esse credebant. Huiusmodi iusti, iusti non sunt: sed tales, quibus competit istud quod de quibusdam in euangelio dominus dixit, quia in seipsos confidebant tanquam si iusti essent. sed interim dominus docuit discipulos suos, vt iustitia eorum abundaret plusquam scribarum & pharisæorum. *Theoph. Beda. Ioan. 3. Matt. 23. Apoc. 3 Luc. 18.*

¶ Qua alias multa copiosius disseruimus. Dominus noster *Tom. 2.*

hic Iudæos tanquã immites & immiſericordes redarguit, eo
Theoph. quod nolebat peccatores iuuari, itaq; velut indoctos & im-
Oſea 6. peritos ablegat eos, vt diſcant quid ſit illud, Miſericordiam
Hieron. volo, & non ſacrificium. Ait Hiero. Pungit hic phariſæos, & tacite corripit de fictitia eorum probitate, qui putabãt ſe peractis iuxta legem ſacrificiis, omnia expleuiſſe, neq; ſic curam habebãt charitatis proximi & miſericordiæ, Hoc itaq;, ait ille, diſcite ô phariſæi, hoc ignoraſtis hactenꝰ, quod plus tribuit deus miſericordiæ in peccatore exhibitæ, quã ſacrificio ſibi oblato. Et loquitur hic dominus de ſacrificiis legis, quibus præualet miſericordia ſemper valens, cũ iſta nõ ſemper valeant, nunćq; finẽ ſuũ habeãt. neq; enim iam amplius vituli, oues aut boues offeruntur, iuxta illud quod per prophetam dominus innuit, dicẽs holocauſta arietum & ſangui-
Eſa. 1. nem agnorum hircoruḿq; ſe noluiſſe. A quo nõ diſſentit il-
Pſal. 50. lud Dauidis. Vtiq; holocauſtis nõ delectaberis. Et illud, Nũ
49. 39. quid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinẽ hircorum potabo? Rurſuſq; aliud, Sacrificiũ & oblationẽ noluiſti, holocauſtum quoq; pro peccato nõ poſtulaſti. His accedit dictum Sapiẽtis, Facere miſericordiã & iudiciũ magis placet
Prou. 21. domino q̃ victimæ. Theop. putat dominũ quãdo dixit, Nõ
Theophy. veniſſe ſe vocatũ iuſtos, per ironiã eſſe loquutũ, quaſi dicere voluiſſet, Nolo vos, iuſti enim eſtis, nõ igitur vos voco. In veritate tamẽ oẽs homines peccatores erãt, excepta Ma-
Gloſſa. ria, & oẽs illos ſufficiẽter vocauit deus. Eſt hic Gloſſa quæ gemina proponit vocationẽ: alterã ad familiaritatẽ & amicitiã. qũo iuſti vocati: alterã ad pœnitẽtiam, & ſic Chriſtus vocauit peccatores. Manifeſte hoc Lucas expreſſit, qui ideo adiecit illud & dixit, Nõ veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiã. ſic Petrum, Andreã, & Nathanaẽlẽ vocauit
Beda. ad maiorẽ perfectionẽ, vt Beda teſtatur, Matthæũ, Magdalenam & quoſdã alios vocauit ad pœnitẽtiam. Omnes autem homines vocauit ad æternæ gaudia vitæ, quæ nobis idẽ qui promiſit, concedat Ieſus Chriſtus dominus noſter, Amen.

DE SANCTO MATTHAEO

apoſtolo & euangeliſta.

MATTHAEVS natus Iudæus, de tribu Leui, vnde & cognomẽ traxit, quod eum Marcus & Lucas appellãt, officio teloneãrius fuit & publicanus, à Chriſto tamen vocatus ad apoſtolatum, poſt reliquorũ

reliquorum apoſtolorum diuiſionem, quum iam aliquãdiu prædicaſſet euangelium & fidem Chriſti, primus omnium iam ad gentes profecturus, fratribus lingua Hebręa ſcripſit euangelium. quod quiſnam verterit in Græcum, non cõſtat authore Hieron. qui teſtatur tamen textum Hebraicum habitum eſſe in bibliotheca Cæſareæ, & quod fratres in Berœa Syriæ, qui eodem vtuntur euangelio, ſibi illud dederint tranſcribendum, Prohdolor autem illud iam nobis in lingua Hebræa plane periit. Pontifex maximus Nicolaꝰ V. eruditionis omnis & eruditorum amator maximus, quinq; milia ducatorum promiſit ei qui euangeliũ Matthæi in Hebræo ſibi afferret, Matthæus deinceps aliquandiu prædicauit in Macedonia, ſtatimq; in AEthiopiam & AEgyptum profectus eſt. in AEgypto exceptꝰ hoſpitio eſt ab eunucho reginæ Candacis, quem Philippus diaconus baptizauerat, apud eum apoſtolus congregauerat quamplurimos, qui baptiſmum cum fide ſuſceperunt. Erant autem in ciuitate Nadaber magi duo, qui impoſturis & præſtigiis ſuis homines decipiebant, vt quoſcunque volebant, eos vſu membrorum & ſanitate priuarent. Matthæus omne eorum maleficiũ abrogauit, quoſque infirmos fecerant, hos ille ſanos reddebat. Inſuper magi dracones duos igniuomos produxerunt qui læderent apoſtolum, ſed ſigno crucis munitus apoſtolus, effecit vt dracones ſopitos iam nec ipſi malefici poſſent excitare. Matthæus à plebe rogatus, vt à magorum incantamentis ipſam liberaret, cœpit admonere eam recipere euangelium & fidem Chriſti. Inſuper hic clamor exortus eſt, filiũ regis AEgypti eſſe defunctum, quem quum non poſſent ſuſcitare magi, conſuluerunt ædificandum ei eſſe templum, ſiquidem in numerum receptus eſſet deorum. Regina ab eunucho perſuaſa vocauit Matthæum: isq́ue ſtans ſuper cadauer adoleſcentis, clara voce precatus, apprehẽſa eius manu, dixit, Euphrõ, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, ſurge, ac protinus ſurrexit filius. Magi confugerunt in Perſiã, vbi per Simonem & Iudam ſimiliter cõfuſi ſunt. Ibi rex cũ populo baptizatus eſt, templum quoque magnificum in honore reſurrectionis Chriſti dedicatũ. Epiſcopi, ſacerdotes & diaconi ab apoſtolo cõſtituti, regisq; filia Iphigenia aliis virginibus quæ deo ſeruiebãt, & caſtitatẽ vouerunt, magiſtra ab eodem præfecta. Et ſic Matthæus 23. annis fidem plãtauit

Hieron.

Euſebius

Nicol. 5.

Act. 8.

penitus idololatriam extirpauit. Mortuo autē rege, Hirtacus exadelphi vi conatus est se in hæreditatem eius intrudere, isque Iphigeniam sibi cupiuit vxorē ad confirmationem regni, sed resistente apostolo iratus ille, apostolū semel sancta dei peragentem mysteria, & expansis brachiis astantem ad aras, orantemque gladio transfodi fecit. Cui amplum & insigne templum extrui curauit Iphigenia, ipsumque in eo sepelirī. corpus eius successu temporis in Salernum regni Neapolitani delatum est. Hunc apostolum sanctum omnes hodie veneremini & orate, quatenus, &c.

Animus erat, quia Matthæus mihi electus est apostolus, honorem & priuilegia apostolatus hic explicare. sed tamen consulto visum est decentius illud futurum, quādo infra in communi de apostolis quasdam homilias ponemus, in eum locum rem hanc differre volumus.

DIE S. MAVRICII MARTYRIS ET SOCIORVM EIVS, EVANGELIVM Matthæi 5.

Luc. 9.

IN illo tempore, Videns Iesus turbas, ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius: & aperiens os suum, docebat eos, dicēs, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati qui lugent, quoniā ipsi consolabuntur. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabūtur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt. Beati pacifici, quoniam ipsi filij dei vocabuntur. Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, Beati estis quum maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mētientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

HOMILIA PRIMA.

VIDENS dominus turbas, &c. Similem euangelij contextum supra in die sancti Sebastiani tractauimus, an hic quem iam habemus in manib⁹, idem sit sermo cum priori ex Luca desumpto, dubium

dubiũ quidẽ eſt. Nam Lucas ait illud quod ipſe ſcribit, in loco cõpeſtri factũ. Matthæus autẽ hic in monte. In ſermone Lucæ ſtetit dominus, hic ſedit. Apud Lucam ad turbas, hic apoſtolis loquitur. Ad hęc, plura Matthæus quã Lucas cõplexus eſt. Auguſt. quæſtionẽ hanc proponit lib. 2. ca. 19. de cõſen. euan. & oſtẽdit quomodo poſſet hic ſermo vnus eſſe, ſed tamẽ duo fuerũt. neq; tamẽ longe hic poſt illũ factus eſt in vno itinere. Nam quũ populus augeretur, aſcendit in ſummitatẽ montis. ibiq́ue pernoctauit orando, mane facto, duodecim elegit apoſtolos, cũ quibus à vertice mõtis declinauit ad latus, ea parte qua planities aliqua apparebat amplior & iucũdior. ibi ſtans, expectauit populũ. quo cõgregato, cœpit prædicare diſcipulis ſibi proximis, ita tamen, vt omnis populus audiret. Quicquid hoc ſit, non magnopere laboramus, quin potius dominũ pro gratia rogemus, vt nos opere implere queamus, quod ſermo hic verbis nos docet. Nũc ipſum cõtextũ aggrediamus. Vidẽs Ieſus turbas. Videns piũ affectũ populi ſe ſequẽtis, cõmotus eſt ad prædicãdum. ſic quilibet prædicator vidẽs hominũ multitudinẽ ante ſe, multo alacrior efficitur ad prædicãdũ. moleſtũ eſt parietibus prædicare, excitat enim auditor ſtudiũ. Aſcendit in monte, inquit Hieronymus, ſecundũ literã. Nonnulli ſimpliciũ fratrũ putant eum beatitudines, &c. quæ ſequuũtur, in Oliueti mõte docuiſſe, quod nequaquam ita eſt. Ex præcedentibus enim & ſequẽtibus in Galilæa mõſtratur locus, quem putamus eſſe vel Thabor, vel quẽlibet aliũ excelſum monte, ſicuti iã mons ille nõ procul à Capharnaũ oſtẽdi ſolet fratribus, habens in longitudine forſan duos iactus lapidis, & vnũ in latitudine verticis. Vidit Ieſus turbas, aſcendit ab eis in monte, vt ait Chryſoſtomus, nolẽs videri ab hominibus, vt in vrbe domiciliũ quæreret, vt glorioſæ captandæ gratia cõcurſuum appeteret hominũ. ſemper enim quũ turbæ eum obruerunt, triplex habuit refugium, vel in mõtem aſcendit, vel ſeceſſit in deſertum, vel conſcendit in nauim. Poſſet hinc authore Theophylacto ſpiritualis peti informatio, quaſi docere nos voluerit dominus à media ſecedere turba, quãdo docemus, quãuis Chryſoſtomus pluresrationes adducit, in opere ſuper Matthæum perdito aut latente. Principio enim voluit ſic implere domin⁹ prophetiã de ſe, Aſcende in monte excelſum qui euangelizas Sion, quia per

Luca 6.

Auguſt.

Luca 6.

Hieron.

Chryſo.

Eſa. 40

ſublimitatem ſpiritus attrahere debet audiẽtes. deinde prę-
dicatores ſuos docuit exẽplo ſtare in ſummo apice ſpirituа-
lium virtutum, quando intendunt docere iuſtitiã dei. ſiqui
dem non bene loquetur de monte, qui operibus ſuis ſtat in
valle. Vel etiam ideo aſcendit in montem, vt prædicator a-
ſcendat in montem eccleſiæ in locum prædicatori conſtitu-
tum, contra hoc quod noſtro iam ſeculo neochriſtianorum
Rom. 12. textores & ſutores ſe exigunt aduerſus Paulum dicentem.
Auguſti. Quomodo prædicabunt niſi mittantur? Auguſtinus libro
primo de ſermone domini in monte, ſic ait, Aſcendit in mõ
tem, vt ſignificet quia minora erant præcepta iuſtitiæ, quæ
à deo data ſunt per prophetas populo Iudæorum, quem ti-
more adhuc alligare oportebat, per filium autem ſuum ma-
iora populo, quem charitate iam conuenerat liberari. Moy
ſes enim & ipſe quidem legem accepit in ſummitate mon-
tis Sinai, attamen nec peçudes, neq; homines audebant tan-
gere montem. Moyſes vero detulit legem de monte in val-
lem, fecit hoc deus pater, & non diſſimili modo filius nouũ
Hieron. teſtamentum dedit in monte. Et hoc eſt quod ait Hierony.
dominus ad montana cõſcendit, vt turbas ad altiora ſecum
trahat, ſed turbæ aſcendere non valent, ſed ſequuntur diſci
puli, quibus & ipſe non ſtans, ſed ſedens & contractus lo-
quitur, nõ ſtans, quia intelligere non potuiſſent refulgẽtem
Auguſti. in maieſtate. quanuis id ipſum quod ſedit, Aug. ad magiſte-
rij refert dignitatem, quia docenti nihil conuenientius eſt
Pſal. 106 quam ſedere, ideo & Pſaltes cathedram vocat ſeniorum.
Theoph. 2 Acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, inquit Theoph. A-
liæ quædam turbæ propter miracula, diſcipuli autẽ propter
Auguſti. doctrinam accedunt. Auguſt. ait, Acceſſerunt ad eum diſci-
puli eius, vt audiẽdis verbis illius ij etiam eſſent corpore vi-
ciniores, qui præceptis implendis animo appropinquabãt.
Eſaiæ 8. Impleuit per hoc dominus Eſaiæ prophetiam, quæ ſic ha-
bet, Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis. Ibi
aperuit os ſuum, & docuit eos, ſuperfluum forſitan putaret
quis hoc eſſe, nam ſi dicere voluit & docere oportuit eum
os aperire. Reſpondet Chryſoſtomus adiunctum hoc eſſe,
Chryſoſto. quia dominus non quum loqueretur modo, verum etiam
quum taceret, docebat. Interdum enim os aperuit, alias vo-
cem operibus emiſit. Hoc quoque conſiderandum eſt, quia
vbicũque additur aperuiſſe dominum os ſuum, ſemper no-

tabilis

tabilis quædam ſequitur doctrina: ſicut & hic factum cernitur, nam potiſſimi duo ſermones quos euangeliſtæ ſcripſerũt, ſunt illi, alter quẽ narrat Ioánes per 4. capita, alter hic per 3. capita deſcriptus. ſuper eo dicit Auguſtin⁹, quod quicunque pie & ſobrie, hoc eſt, prudenter rem hanc expendit is inueniet in hoc ſermone quantum ad bonos mores pertinet, & viam Chriſtianæ vitæ perfectam, ſicut & cõcludendo ſermonem hunc dicit dominus, Omnis qui audit verba mea, hæc & facit ea, (Ecce quod oportet etiam facere non in ore tantum aut ſinu circungeſtare) aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petrã. Recte itaque de eo dixit Sapiens, Aperuit os ſuũ ſapiẽtiæ, & lex clementiæ in lingua eius. Doctrina autem quam dedit hic dominus diſcipulis omnisq́ue populus audiuit, incipit à beatitudinibus octo, quanuis ſunt qui tantum ſeptem numerent: ſicut & ſeptem dona ſpiritus ſancti, quibus etiam Auguſtinus beatitudines octo comparat in ſermone domini in mõte. Præ omnibus hic dicendum eſt, vt ſequentia cuncta magis pateant, ne quis ſimplicior audiens dominum de beatitudine loquentem, lõqui putet de beatitudine vitæ æternę, ſed de beatitudine bonorum operũ hic in terris, quibus beatitudinẽ futuri ſeculi mereamur. (Eſt beatitudo meriti, beatitudo viæ, non patriæ: beatitudo ſpei, nõ tentationis, ſicut ait Apoſtolus, Spe ſalui facti ſumus. & de illa beatitudine communiter loquitur ſcriptura.) Quid multa? beatitudo hic ſementis eſt, illic autẽ beatitudinem meſis habebimus. tria enim ſunt in hominibus bonis, & quodam modo beatis hic in terra quibus vitã merentur ęternã: virtutes dona ſpiritus, & beatudines octo. Nã quiſquis adeo felix eſt, vt per ſcalas hic aſcendat ad dominum, etiam hic acquirit fructum ſpiritus ſancti, benignitatem, tranquillitatem & ſuauitatem animi tantam, vt in cultu dei & honeſtate omnium maxime ſuper omnes res mundi huius oblectetur. Nos textum proſequẽtes de beatitudinibus octo, reliqua nunc miſſa faciamus. Tamen pro cupido inquiſitore veritatis, dabo ſaltem has tabellas, vt latius inquirat apud ſanctum Thomã in 3. diſt. 34. & melius in ſumma, Gerſonem in ſecunda in compendio, Alexandrũ de Hales in ſumma, Antonium in quarta parte, &c. Aſpice tabellas quas tradidi pro ſcholis.

Ioan. 14. 15. 16. 17.

Mat. 7.

Pro. 31.

Auguſt.

VIRTVTES SEPTEM.		DONA SEPTEM.		BEATITVDINES OCTO.
1 Fides		1 Sapientia vtriusque		1 Paupertas spiritus.
2 Spes	Theologicæ	2 Intellectus		2 Luctus.
3 Charitas	1. Corin. 13.	3 Scientia	intellectus.	3 Misericordia.
				4 Mititas.
4 Prudentia		4 Consilium		5 Munditia cordis.
5 Fortitudo	Cardinales	5 Fortitudo	voluntatis.	6 Pax.
6 Temperantia	Sapien. 8.	6 Pietas	Esaiæ 11.	7 Patientia.
7 Iustitia.		7 Timor.		8 Persecutio pro Christo Matth. 5.

FRVCTVS SPIRITVS, DVODECIM, GALAT. 5.

1 Charitas	5 Benignitas	9 Fides.
2 Gaudium	6 Bonitas	10 Modestia
3 Pax	7 Longanimitas	11 Continentia
4 Patientia	8 Mansuetudo	12 Castitas.

¶ Hæc omnia non existimo differre, nisi sicut intẽsum & remissum, sicut perfectũ & imperfectũ, sicut segeté & messem. Ná charitas, q̃ incipit esse virtus in Christiano, si in ea pseuerauerit, expediet & sine impedimẽto aget secũdũ eã, vt vere sapiẽs: sit in qua sic exercit⁹, vt quasi sine impedimẽto, aut retrahẽte tendat in deũ, vt iamiam futuræ vita expectatione incipiat esse beatus: & sic in culmine scalę cœlestis, virtutũ, donorũ, ac beatitudinũ posit: supra humanũ cogitatũ delectatur & fruitur diuinis, vbi sic exhilarat⁹, nihil aliud optat, nisi cũ Paulo dissolui & esse cũ Christo. Feci deinde alias tabellas, qũo dona, beatitudines, ac fructus ad virtutes reducãtur. sed forte humiles illud nõ caperẽt, ideo remitto ad scholas. Sed innumeros poteris cõdere sermones ex prædictis, &c. 3 In mõte discipulos dominus elegit 12. statimq; eis dedit euangeliũ incipiẽs à beatitudinib⁹ octo. siquidẽ in- *Psalm. 1.*
de etiã Dauid librũ psalmorũ exorsus est, dicens, Beatus vir qui nõ abiit in cõsilio impiorũ, & in via peccatorũ nõstetit, & in cathedra pestilẽtię nõ sedit. De singulis iis multa dicere nũc animus nõ est, sed lõgioré tractationẽ differemus in festũ oím sanctorum. Et tamẽ vt hic quoq; intelligatis, qũo sanct⁹ martyr Mauricius cũ sociis suis adeptus sit beatitudines illas octo in terra, quib⁹ cõfirmati sunt etiã sanguinem pro Christi nomine fundere, lubet pauliſper illas cũ donis sancti spũs cõparare. Prima itaq; paupertas spũs est, quæ nõ tãtũ in rerũ tẽporaliũ cõtẽptu consistit, sed & in humilitate & obediẽtia. Ad id ꝓderit nobis donũ timoris dñi, siquidẽ 2
omnẽ expellit superbiã. Ex hac paupertate spũs mititas enascitur, vt iã nõ sinat quis cõmoueri se cõtumelia & iniquitate. qui enĩ vere pauper spũ est, vt non amat bonũ qđ habet, ita nec de eo qđ amittit dolet. Multũ hic cõmẽdat donũ pie- 3
tatis, quæ immitẽ expellit spiritũ inuidiæ. Inde rursus ex *Iob 15.*
duabus illis beatitudo luctus ꝓficiscitur. siquidẽ quũ nullus *Pro. 24.*
homo atq; nec infans vnius diei peccatis careat, & iustus septies in die labatur, merito quilibet de commissis peccatis lugere debet. Eo faciet spũs sciẽtiæ, per quẽ quis pcã sua & miseriã agnoscit, atq; indignabũdus eiicitur spiritus iræ, qui omne quod sciẽtia illuminat, cõfundit. Atque hæ tres sunt virtutes siue vires, hominẽ educentes ex hoc seculo nequã. Porro beatitudo est & desideriũ iustitię. quia vt Augustin⁹ 4
probat, in hac vita perfecta iustitia esse non potest, donec *August.*

perueniamus ad vitá æternã. Iuſtitia autẽ hæc exigit, vt quis cuiq; quod ſuum eſt tribuat, deo, ſibi & proximo. Ad hoc conducet donũ fortitudinis: qui enim mollis eſt, facile à iuſtitia deficit per timorẽ, puſillanimitatẽ, luxũ, munera & ſimilia. Virtus hæc ſpiritũ expellit ignauiæ. Profecto enim quũ quis deo & ſanctis dat, quod illis debet, is nulla torpebit pigritia. Huc iam annumerãda eſt miſericordia, quoniã iuſtũ eſſe & nõ miſericordẽ, à tyrannide & furore nihil diſcrepat. Cõmodabit ad hoc donum cõſilij. ſiquidẽ cõſilium profecto ſalutare eſt, miſericordiam exhibere proximis noſtris, vt & nobis miſericors ſit dominus deus noſter, nosq́ue hinc expellamus ſpiritum auaritiæ. Neq; poſtremũ locum habet munditia cordis, quã Adam die ſexto creatus amiſit, Chriſtus autẽ ſexta natus ætate, reſtituit & reſtaurauit. Ad id proderit ſpiritus intellectus qui cor mundũ efficit, quo pellitur malignus ſpiritus gulę, hominẽ faciẽs immundũ & beluinum. His accedit ſancta & cãdida pax, exigua quidem adhuc hic in terra, quanuis magnus ſit theſaurus tranquilla pax cõſciẽtiæ, ſed tota pax in magno ſabbato cõfirmabitur felicitatis æternæ. pax autẽ hic nobis poſsibilis eſt per gratiã dei, qua adiuti eã quæ inter carnẽ & ſpiritũ eſt pugnam cõpeſcimus, ſpiritũ adiuuamus, neq; parum ibi nos iuuabit ſpiritus ſapiẽtiæ, quod nobis diuina & ſpiritualia ſapiãt, tũc omnia carnalia vileſcẽt. pellitur itaq; hic ſpiritus luxuriæ, qui quantũ in ſe eſt. carnẽ & cõcupiſcentiã adiuuat aduerſus ſpiritum vt in multis locis Paul⁹ teſtatur. Vltima beatitudo eſt, patiẽter ſuſtinere perſequutionẽ propter Chriſtũ, quæ ſuperiores omnes perficit & declarat, eo quod ſingulę in hac probãtur. Aut quomodo meli⁹ probetur qui pauper eſt ſpiritu niſi in tribulatione? ſimiliter & an quis vere ſit mitis. Multi eni... admodũ ſunt mites, dũ ſuæ res nõ aguntur: quum primũ aũt ab aliquo leuiter ſaltem tactus fuerit, iam perturbata ſunt omnia. Vſque adeo ſingulas illas perſequutio pulchre probat, declarans inſtabiles eiici, probatos autem multo apparare tum mundiores tum ſpectatiores.

Hugo adaptat ſeptẽ petitiones dominicas, cui nos hic violentes addiximus, ne latius euagaremur. ſed capiſtro quaſi diſtineremur in his anguſtiis, nõ palabundi oberrantes, forte opportunius in feſto omnium ſanctorũ votis noſtris ſatis faciemus. Accipe prædictorum tabellam pro memoria.

Bea

BEATITVDINES	DONA SPIRITVS SANCTI.		SPIRITVS MALIGNI		PETITIONES ORATIONIS DOMINICAE.
Paupertas ſpiritus	Timor		Superbiæ		Sed libera nos à malo.
Mititas ſeu māſuetudo	Pietas		Inuidiæ		Et ne nos inducas in tentationē.
Luctus	Scientia		Iræ		Dimitte nobis debita noſtra.
Deſiderium iuſtitiæ	Fortitudo	Expellitur.	Accediæ	Quia oramus,	Panem noſtrum quotidianum.
Miſericordia	Conſilium		Auaritiæ		Fiat voluntas tua.
Munditia cordis	Intellectus		Gulæ		Adueniat regnum tuum.
Pax	Sapientia		Luxuriæ		Sanctificetur nomen tuum.

Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam omnibus malignis ſpiritibus expulſis, ipſorum eſt regnum cœlorum.

QVVM temporib⁹ imperatoris Diocletiani plurimæ in Romano imperio tum seditiones tum defectiones orirentur, adiunxit ille sibi Cæsarem conregentem, sicuti nunc interdum simul cum Cæsare rex elegi & cõstitui solet, qua gratia milites ex omnibus prouinciis cõuocabantur. Inter alios
Thebæ. missi sunt ex amplissima AEgypti ciuitate Thebis, quas à centum portis Homerus hecatõphylos nostri poëtæ centifores dixerunt, milites quã plurimi ad iustam legionem collecti eorum supremus princeps fuit Mauricius, vexilliferi autẽ Exuperius, Candidus, Gereon, Vitalis, innocẽtius, &c. ij omnes iam ante in fide Christi eruditi, etiã à põtifice Hierosolymitano, cui nomen Zabdo, baptizati fuerant. Missi autẽ à suis superioribus Romã, visitarunt sanctum pontificem Marcelum, qui postquam eos in fide cõfortauit, simul etiam benedictionem ipsis cõtulit. Quum autẽ conuenisset exercitus misit Diocletianus Maximianum in Galliam, vt inobedientes reuocaret, fuitq; Maximianus cum primus homo malignus, & præterquã quod auariſſimus erat, libidinosus, & tyrannus furiosissimus, multisq; aliis sceleribus & flagitiis insignis, idololatra etiam erat maximus, planéque impius erga deum qui in cœlis est, conatus fidem Christi vni-
Eusebius uersam funditus extirpare, sicut & Eusebius commemorat, quamobrẽ cruenta aduersus Christianos excitata est persequutio. Ita statim in expeditione versus Galliam præcepit vndiq; Christianos vrgeri ad fidei abnegationem, vel variis supplicijs affici vsque ad mortem. Quumq; iam Maximianus alpes & mõtana superasset, atq; monte S. Bernardi trãsiisset, in oppidum olim Octodurum, nunc Martenacũ dictũ (eam ciuitatẽ sunt qui putẽt supremã esse metropolim Valesiorum, quæ dicitur Sedunũ) ibi quum expectaret exercitus, ipseq; iam Mauricius cum suis sequutus, inuenisset Imperatorem idololatrã diis sacrificantem, progressus est miliaribus octo ad Rhodanum, in oppidũ quoddam Auganũ, quod nũc appellatur S. Mauricij in Sabaudia. Multa hic interposita mora, quum res diu differretur, ablegauit interim imperator quosdã à se, S. Gereonẽ, S. Victorem, Cassium, Florentium, & alios cõplures. Tandem quum illum Imperatoris

ratoris edictum peruenisset in ipsum exercitum, quomodo Christianos in expeditione persequi & occidere deberet, so li Thebæi milites recusarunt, dicentes huic iniquo mandato se parere minime deuinctos. Id vbi tyrānus cognouit. Maximianus, misit ad eos primates sui exercitus, edicto adiuncto de singulis decēnariis, vt quēque ordo tetigerat, capite plectendis, quo exemplo cæteri deterriti, discerent suo parere mādato. Quo facto, denuo iussit ipsos quoq; persequi Christianos. id cum abnuerunt, cōtemnentes eius iussionem, rursus præcepit per denariū numerū singulos, vt antea, decollari. Vides hic mirandū spectaculū, ita nullus horror nullus erat hic metꝰ, sed alius aliū solabatur, & cōfirmabat in fide, vt iam arderent eorū animi in sustinenda passione & obeundo martyrio. Audisses hic S. Mauricium singulos eos ad cōstantiam exhortantem, mentēsque eorum erigentē & confortantem in ꝓpositō firmo perseuerātiæ Christianæ. Quū autē tyrannus in vesano suo persisteret instituto, respōderunt ei per internuncios: Imperator, milites nos tuos esse cognoscimus, sed tamē ministros dei. tibi militiā, illi innocentiam debemus: à te laborū nostrorū stipendia recipimus, ab ipso vitæ nostræ susceptimus originē: in hoc Cæsarem sequi non possumus, vt vitæ datorem & dominū abnegemus. Manus nostræ certare & pugnare possunt aduersus iniustos & impios, pios, autē & cōcives laniare nō possunt, Huiusmodi multa denunciarunt tyranno, qui illorum cōperta cōstantia in fide, diffidens iam super illo quod in decollādo decimo quoque nihil ꝓfecisset, neque iam eos posset ab instituto deterrere, quodā in iudicio decreuit omnes eos occidere. (Hic video aliquos dicere, reuocatū Mauriciū ab Augano, fuisse Octoduri cæsum cū suis. quare locus qui iam S. Mauricij dicitur, fuisse Octodurū. at id quod supra diximꝰ, chronographis terræ illius & historiis veteribus magis cōsonum est. nam quum aliquot miliaribus sit supra caput Lemanni, non potest esse alius locus, nisi qui iam S. Mauricij dicitur, & celebris est memoria martyrum Auganensiū. Auganum tamen tunc computabatur inter Seduſios, & ager ipse Veragrorum dicebatur. hodie visitur locus, ad quem in valle inter altissima iuga mōtium angustus & difficilis est introitus. pertransitis autem angustiarum faucibus, campus apertior se inter rupes diffundit, in quo sancta legio cōsederat.)

¶ Atque hinc omnem ſuum exercitum miſit contra milites Thebęos, ipſoſq́; in quodam exiguo, ſed plano campo inter montana circundedit. & facto impetu, omnes eos confodi miſereq́; interfici fecit. Thebæi autē nullo plane metu correpti, ſed ſancto dei amore ardentes, arma à ſe abiecerūt, atque ſic intrepidi, porrectis iugulis & ceruicibus, tyrāni miniſtrorúmq; expectarunt ſęuitiā, parati pro Chriſti nomine & fide fundere ſanguiné. Et hoc modo ſæuiente furore tyranni, ſanctiſſima hęc martyrum legio occiſa eſt: ita vt locus ille totus corporibus vndiq; plenus iacebat, ſanguis quoque affatim veluti per riuulos quoſdā permanabat. ¶ Quumq́; cruenti iſti miniſtri tyranni ſic animū ſuum explerent, gaudentes ex rapina ſanctorum martyrum, veteranus quidā miles nō tamen ex numero Thebæorum, nomine Victor, & is Chriſtianus, tranſiit. is cum cōperiſſet gaudij huius rationē, rem illi omnem recenſuerunt, ipſumq́, ad cōuiuium inuitarunt. Qui abhorrēs & ingemiſcens, dixit, O me fœlicē, ſi & ipſe cum eis occiſus eſſem. Illi intelligentes Chriſtianū eum eſſe, irruerunt & occiderunt ipſum. Poſt multos paſſionis huius annos cuidam ſancto epiſcopo Theodoro reuelatum eſt, vt corpora martyrū canonizando glorificaret. quúmq; omnes cōmonſtrati eſſent in plurimis foſſis iacentes, Innocentius adhuc integer in Rhodano inuentus eſt, vbi epiſcopus templum extruxit, reliquias in eo cōditurus, hic quoque rex quidā Sigiſmundus collegium inſtituit, in qua ſtructura cum quidam etiam Gentilis laboraret die dominico, cęteris feriantibus, apparuerūt martyres clara luce, raptúmque illum percuſſerunt, & increparunt quur hoc die operaretur; cúmq; gentilis eſſet ipſe, quare ædificationem templi huius adiuuaret, is pœnitentiā egit & credidit, factus Chriſtianus & baptizatus. Hinc porro Chriſtiani omnes hæc loca viſitarunt, ſecumq́; reliquias abduxerūt, permittente epiſcopo, ſicuti comites à Vuakhauſen & Schuabeck Auguſtam pertulerunt, & in honore dei ſanctiq́; Mauricij ac ſociorū eius templum extruxerunt, atq; illud largiter locupletarunt. Sic Bauariæ princeps Vtilo, pater vltimi ducis Thaſſilonis; qui Carolo Magno pulſus eſt, reliquias de S. Mauricio attulit, inq́; honeſtā memoriam eius, monaſteriū fundauit inferioris Altæ. Vnde ꝓfectum eſt, vt antiqua apud Ingolſtadium parochia, S. Mauricij memoriā adhuc ſanctam religioſe obſeruet,

ſeruet, quoniã abbas eiuſdẽ monaſterij, diu ciuitatẽ & paro chiam poſſedit vna cum Spitz & Vuachau in Auſtria. Atq; ideo quũ Carolus Magnꝰ filio ſuo Pipino Lombardiam teſtamento legaret, Bauariam & quicquid protenditur vſque ad lacũ Brigantinũ, ad Clergey, Hegey, & Durgey, & ducatum Curenſem, excepit Ingolſtadiũ. Quidã ex optimatibus viſitauit aliquãdo S. Mauricĩũ in Sabaudia, & plurimũ reliquiarũ ſecũ ſumpſerat, quũ veheret illas per pagũ qui dicitur Ethingen ad Neccarum, è regione Rottẽburgi, ſteterũt iumenta nec aliquo modo vrgeri potuerunt vt procederẽt. ¶ Vidẽs hoc dominus ille, reliquias donauit incolis eius loci, comitibꝰ ab Hohãberg, qui ibi extructo collegio in memoriam S. Mauricij & ſociorũ eius, reliquias adhuc ſeruant in hodiernum diem. Comites quoq; pagum illum muro circundederunt, iureq; ciuium Rottẽburgenſium donarũt. Similia multa receſeri poſſent de diuerſis locis, quibus tamen vltro ſuperſedemus. Nomina ſodalitatis huius plura nõ cõſtant, niſi Mauricij, Exuperij, Candidi, Innocentij, Vitalis, & vltimi illius Victoris, atque Thyrſi. Sed vt ad tyrannum Maximianum fiat aliquando reditus, ſimul atq; ille Mauricium cum ſociis omnibus occidi fecit in Agauno Sabaudiæ, iamq; intelligeret adhuc plures, qui eorum comitati fuerũt legionem, eſſe Chriſtianos, præcepit ipſos quoq; arreptos occidi omnes. ſicut enim antea cõmemorauimus, tyrannus nonnullos ex legione Thebęa ablegarat, maxime vero Caſſium & Florẽtium cum alia cohorte ad Rhenum, aliam ſub Victore turmam circiter homines. 130. ij apud Troiam oppidum Franciæ locũ fixerãt. Franci tunc Rhenum occupabant, ſicut & inde vi Galliã cœperunt, ſibiq; vẽdicarunt, ac Franciam à ſeipſis appellarunt. Gereon autẽ cum ſociis ſuis Coloniam Vbiorum ciuitatem profectus erat, quia nobilis quidam ex Germania inferiori, nomine Cerauſiꝰ, ab Imperatore prefectus inferiorum nationum cõſtitutus, defecerat ab Imperatoribus, iamq; Romanum impetebat imperium. Miſerat ergo Maximianus Gereonẽ cum quibuſdam aliis Coloniam, ad cõpeſcendum Cerauſiũ. Thyrſus ante Treuirim cõſedit. Quumq; iam miniſtri impiã Maximiani commiſsionẽ recepiſſent, de perſequẽdis martyribus Chriſti, occiderũt vndiq; multos in prouincia, quã nos iã Heluetiã dicimus, maxime vero in Kleckgey aiũt plurimos eorũ inter-

fectos in Hallau, quâ alij Haſlau nominant, vbi multæ ſeruãtur huius ſodalitatis reliquiæ. Obiter aliquãdo audiui eas non ſic illud deueniſſe, quod ibi ſanguinẽ ſuum effuderint, ſed quia (vt ſupra diximus) cõplures ex optimatibus S. Mauricium viſitantes, reliquias ſecum domũ retulerunt: & ſic ſe ciſſe aiunt illuſtrem comitẽ Gebhardũ à Nellẽburg, qui in Schaffhanſen cœnobium omnium ſanctorũ ordinis S. Benedicti fundauit. eum quoque ferunt reliquias in Hallau tuliſſe. ſiquidẽ vicinia iſta tota ad comitatum Nellẽburg pertinuit, quem inde dux quidam Auſtrię hæreditatio iure acquiſiuit, quanuis nunc quadã ex parte ab Auſtria defecerit. Victor à miniſtris tyranni cõprehenſus cum ſuis ſanctis militibus, quãuis bene & fortiter pugnauerat, hoſtibus Imperatoris cæcis, tamẽ eos quoque propter nomen Ieſu ſupplicio affecit, omnéſque occidit. Sunt qui putent factũ hoc in Elſatia prope Kirchaim, quæ tũc Troia dicta eſt. hoc ita ne ſit, nolo cõtendere, nec impugnare, quãuis apud me veriſimilius eſt, vbi nũc Kirchaim cernitur, ibi quõdam Troiam quaſi Troiã nouã fuiſſe nam. ibi quoque Frãci qui ex Germania per Rhenũ cõfugerant, diu ſe cõtinuerũt: factáque ex Gallia Frãcia, reges eorũ aliquã. diu hic regiã aulam habuerũt. Sed quorſum hæc tam multa? ſatis hoc vobis eſt, Victorem vnũ ex ſancta Thebæorũ militia, iuſſu Maximiani tyranni cũ vniuerſo exercitu eſſe ob fidẽ Chriſti occiſum, ipſumq; ſanguine ſuo fidei veritatẽ confirmaſſe. Porro pfecti miniſtri tyranni aduerſus Caſſium, Florentium & reliquos ſeptem duces exercitus, eos inuenerũt in Rhenũ circa Veronam, omnéſque in Chriſti cõfeſſiones perſeuerãtes occiderunt. hinc rurſus expeditione mota, Gereonẽ aggreſſi ſunt ante Coloniã aduerſus hoſtes imperij Ceraufiũ & alios decertantem, (neque enim vetus illa Colonia tantam habuit amplitudinẽ ſicut iam, ſed S. Gereon, ad apoſtolos, Ad ſaluatorem, & alia pleraq; loca: tunc autẽ ciuitatem fuerũt ibi omnes Chriſtum cõfeſſi ſunt, primúſq; adeo Gereon ſe hoſtiã deo viuentẽ obtulit, deinde cæteri omnes vltro in mortem ſe dediderũt propter Chriſtũ, decollati omnes, corporáque eorũ in campo diſiecta, capita & corpora quædam in puteos deiecta ſunt factũ hoc eſt anno à ſalute reſtituta 287.

¶ Hinc poſt annos 39. ſuperuenit Helena, Conſtantini magni mater. ea inter multa templa quæ extruxit, in ſanctam

Gereonis

Gereonis & ſociorum eius memoriam magnificum quoq; templum plurimis impẽſis erexit ibi, quod adhuc cernitur, conquiſita ſanctorum corpora & è puteo ſuper quem templum conſtruxit, leuata, honorifice tractauit, corpus tamen Gereonis nõ inuenit, ſed ipſe aliquando adhuc puer Coloniæ memini me audiſſe, Gereonẽ ſe cuidam ſancto patri ad apoſtolos reuelaſſe, ſuamq; ei ſepulturam cõmonſtraſſe, & ſic inuẽta omnia eſſe, corpus quoq; & veſtimẽtum integrũ repertum colore Veneto ſiue Thalaſſico, crucé etiã auream paruulã in pectore eius. Epiſcopus quidã Coloniẽſis Euergiſſus, magno correptus capitis morbo, martyrũ tẽplum viſi tauit, ſtatimq; tẽplum ingreſſus orauit, Exultabunt ſancti in gloria. ibi ex reliquiis (quibus ſuperior tẽpli ambitus in orbem cõpoſitus plane plenus eſt) reſponſum eſt ei, Lætabuntur in cubilibꝰ ſuis. Quo audito, epiſcopus puluerẽ tẽpli in capite ſuo aſperſit, ſanatusq; eſt, Huiuſmodi miracula plurima dominus interceſsione ſanctorum martyrum operatꝰ eſt, ſimulq; ſanctimoniã eorum toto orbe teſtatus eſt: ſicut in iis locis etiam cõperitur, in quibus cõſtans ipſorũ memoria agitur. nõ tantum vbi corpora eorum quieſcunt, quæ omnia prętermittimus. ¶ Etſi iam multos ex Mauricij ſociis enumerauimus, nemo tamen ſuſpicetur non plures eorum fuiſſe quam nos hic cõmemorauimus. nam qui diligẽtius circunſpiciunt, plures adhuc inueniunt qui ad hanc militiã ſanctam pertinuerunt: ſicuti quælibet diœceſis ſuos patronos magis curat quam alienos. Iam ſupra verum oſtendimus numerum Auganenſium martyrum, inter quos volẽs Mauricius paſſus eſt martyriũ, alij pręceſſerunt, vt Victor Gereõ, Caſsius. Alij ſequuti ſunt, quos pari crudelitate tyrãnus occidit propter fidẽ Chriſti, vt Auentorẽ & Octauiũ in Taurino, quæ ciuitas eſt Pedemõtana, priuſquã ex Lõgobardia perueniasin Galliam. ſicut Alexãder in Pergameno, & ſecundus apud Vintimilliũ, S. Vrſus quoq; & victor Soloduri in Sequanis, vbi S. Vrſus adhuc requieſcit multis clarꝰ miraculis. Sed miſsis aliis multis, tandẽ ad finẽ digrediamur. Audiuimus quam fortiter Thebęi milites pugnarint, nomẽ Ieſu & fidem eius intrepide confitentes, effuſo in hoc ſanguine ſuo vſque ad mortem: ſicque cruce Chriſti ſuſcepta, gloriam metuerint felicitatis æternæ, vt iam in perpetuum ineffabili gaudio cum Chriſto viuant & regnent, exultãtes in

cœlo, eo quod vire regia via adrepta, apprehenderunt optimum & permanentem finem vitæ æternæ. Viciſsim crudelis tyrānus Maximianus vt turpiter vixerat, ita miſerius adhuc mortuus eſt, & in perpetuum damnatus, quia quum genero ſuo Cōſtantino clam pararet venenū, deprehenſa eius fraudulenta verſutia eſt, & in Maſsilia iſte à Conſtātino captus atq; interemptus eſt, infelicem & impiam vitam ſuam commerito fine cōcluſit. Nos autē ſanctos martyres imploremus, vt hic gratiā, illic gloriā conſequamur ęternā, Amē.

1519. ¶ Ante multos annos quū parochus eſſem, S. Mauricij Ingolſtadij, ſermonem feci quomodo quælibet tum dicœceſis tum ciuitas ſingulare debeat habere refugium ad ſuum patronum: qui proculdubio diligētius orat pro neceſsitate populi ſibi cōmiſsi, iuxta dictum Sapientis, In vnāquanq; gentem cōſtituit rectores. qui locus quāuis cōmuniter de angelorū intelligatur cuſtodia, tamē patres etiā de patronorum tutela accipiunt, quorum memoria ſingularis in ſingulis ciuitatibus peragitur. Sic legimus Iudæ Machabęo in viſione

2. *Mac.* 15 monſtratum à ſacerdote Onia virum & ætate & gloria mirabilem, veſtitumq; eius in decore magno fuiſſe. vbi Onias dixit, Hic eſt amator fratrum & populi Iſraël, hic eſt qui multum orat pro populo & tota ciuitate ſancta Ieremias propheta dei. Ieremias quoq; extenſa manu Machabæo gladium dedit aureū. Extēde, & habebis ſermonem. nam ſicut deus multifariā influit per ſtellas corporeas, ita varie influit per ſtellas ſpiritales, hoc eſt ſanctos ſuos. nam in vna terra creſcit argentum & plumbum, in alia aurum & cuprum: in vna vinum, in alia oleum: in vna ſericum, in alia gleſſum,

1 *Cor.* 15. cryſtalus, gemmæ. Et ſancti differunt ſicut ſtellæ, vt Paulus

Prou. 8. ad Corinthios ſcribit. Applica, & habebis bonum ſermonem. Ego diligentes me diligo, Deo gloria.

IN DIE S. MICHAELIS ET ANGELORVM OMNIVM, EVANGELIVM Matthæi 18.

Marc. 9. *Luc.* 9.

IN illo tempore, Acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes, Quis putas maior eſt in regno cœlorum? Et aduocans IESVS *paruulum, ſtatuit eum in medio eorum, & dixit, Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis*

intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum. Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credut, Mar. 9. Luc. 17. *expedit ei vt suspendatur molla asinaria in collo eius, & dimergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis. Necesse est enim vt veniant scandala, veruntamen væ homini illi per quem scandalum venit; Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eam & proice abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proice abs te. Bonum tibi est vnum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis vnum ex iis pusillis. Dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei qui est in cœlis.* Mar. 8.

HOMILIA PRIMA.

EVANGELII huius sicut & totius capitis, scopus est scandali euitatio. neq; enim vel aliis offensam dare, vel ipsi offendi habem⁹, & quod precauere maxime oportet tenere ætatis offensionem. deinde, quomodo scandalizantes puniri oporteat. Quumque dominus offensam prohibet paruulorum, causam insinuat, eo quod angeli illorum semper vident faciem patris cœlestis, atque ob istud epiphonema euangelio hoc hodie vtitur ecclesia, Nos principio de scandalo dicamus, quod nunc in mũdo plurimum est, deinde de angelis. & tamen priusquam aliquid de scandalo dicere incipiamus, libet ipsum breuiter euangelium ad literam præcurrere.

¶ Accedentes Iesum discipuli, interrogauerunt illum quis esset maior in regno cœlorum. Quid sibi vult, inquit Hieronymus, repentina apostolorum interrogatio? In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicẽtes, quis putas maior est in regno cœlorum? quia viderat pro Petro & domino idem tributum redditum, ex æqualitate precij arbitrati sunt Petrum omnibus apostolis esse prælatũ, qui in redditione tributi domino fuerat comparatus. Nondum habebant discipuli spiritus sancti perfectionem. humana igitur imbecillitate & fragilitate sæpiuscule inter se rixati sunt, & contenderunt de primatu, sicut in die S. Iacobi multis disseruimus. *Hieron.* *Mat. 17.* *Chryso.*

Hic tamen prudentiã eorum cõsidera, qui quãuis de ſummo in terris magiſtratu rixabantur, attamen quærunt, quis futurus ſit maior in regno cœlorum. nec de Petro tantum quærunt an ipſe ſit maior futurus, ſed de omnib⁹ in vniuerſum, & id quoq; nõ aperte, ſed obſcurius. Nanq; & ipſi homines fuerunt, nos autem eis multo ſumus deteriores, neq; ad eorum defectum pertingimus. ſiquidem quum illi de cœleſtibus inquiſierint, nos terrenis tãtum lucris & honoribus inhiamus. In iis enim, vt ait Origenes, imitatores diſcipulorum Chriſti eſſe debemus, ſi quãdo aliquid in nobis quaſi dubium quæritur & non inuenitur, & cum omni conſenſu accedamus ad Ieſum ſemper præſentẽ. Non eſt autẽ abſurdum, vt ſecundum Chriſti exemplũ interrogemus aliquem eorum doctorum qui præpoſiti habentur eccleſiis. Interrogarũt ergo diſcipuli ſuper eo quod inueſtigatu dignũ erat, quiſnam maior eſſet in regno cœlorum. hinc nõ obiurgauit eos dominus, ſed amice tanquã fidelis magiſter informauit.

Origen.

2 Sequitur, Aduocauit Ieſus paruulum, & ſtatuit in medio eorum. Vulgare eſt illud, quod in moralibus plus valẽt facta quam verba, ideoq; & dominus paruulũ ſtatuit in medio diſcipulorum, per hoc demonſtraturus quid ipſos facere oporteret, ſi ſublimem in cœlis locum appeterẽt. Magiſter in hiſtoriis refert paruulum hunc Martialem fuiſſe, qui deinde Petri diſcipulus factus eſt, & ab eo in Galliã miſſus ad prædicandum euãgelium, ſicut & fecit in prouincia Lemouicenſi, atq; in hodiernam diem Lemouices iactant Martialem Petri diſcipulum, ſuum fuiſſe apoſtolum, qui & ibidem mortuus feliciter conquieſcit. Vel ſimpliciter vt Hieronymus putat, quemlibet propoſuit puerũ, vt ætatẽ quẽret & ſimilitudinem innocentiæ demõſtraret. Vel certe paruulum ſtatuit in medio eorum ſeipſum. qui non miniſtrari, ſed miniſtrare venerat, vt eis humilitatis tribueret exẽplũ.

Hieron.

Theoph.

¶ Theophylactus ſic ait, Quum autem vidiſſet Ieſus diſcipulos inanis gloriæ vitio teneri, compreſſit eos, oſtendens illis per puerum faſtus expertem humilitatis viam. quaſi dicere vellet, Adhuc in vobis affectum habetis & appetitum primatus? Mihi autem paruulum hunc videte, qui faſtum omnem ignorat, adminiſtrationem nullam, nec dignitatem ambit honoris. Atque ideo ſubdit, Niſi cõuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnũ cœlorum,

non

nō præcipitur(vt inquit Hieronymus)apoſtolis,vt ętatem habeant paruulorum,ſed innocentiam, vt quod illi per annos poſsident,ij poſsideant per induſtriam, vt malitia, non ſapientia paruuli ſint. Hinc Maximus ait, quod inde diſcimus per humilitatem peruenirí ad cœlum. quiſquis ergo cupit altioré in cœlo gradum conſequi, is ſe in profundiorem deiiciat humilitatem. ſimplicitate enim pertrāſitur & penetratur cœlum. multum blandi ſunt paruuli,innocentes, ſimplices, māſueti, obliuioſi omniū quæ aduerſus eos comitantur. nō ambitioſi ſunt,non turpem ſequuntur libidinem. ad eūdem modum cōformari oportet pios omnes, & qui de eo placere cupiunt: iuxta illud Dauidis, Innocētes & recti adhæſerunt mihi(Extende illas 5. conditiones, & habebis ſermonem. (Sic itaq; innocentē eſſe conuenit hominem, vt infantulus eſt, ſi modo peruenire cupiat ad cœlū, ſicut ait Iob, Saluabitur innocēs, ſaluabitur autem munditia manuū ſuarum. Via in cœlum, ait Maximus, anguſta eſt, teſtante etiam domino. Quiſquis ergo ſuperbia turget inflatus, vel auaritia impletus, anguſtā illam viam ingredi non poteſt. paruulus ſit oportet vt puer, ſi velit intrare. Et hoc eſt quod dominus viam cœleſtē cōparat foramini acus, quum ait, Facilius eſt camelū intrare per foramē acus quam diuitē in regnum cœlorum. Cogita ergo miſeriam peccator, quia quā procul abes ab innocentia paruuli, tam diſtas à via regni cœlorum. ideo & vos ab innocentia infantiæ veſtræ ſuccreuiſtis in ſuperbiam, auaritiam, luxuriā, inuidiā. Reuertimini ad priorē innocētiam ſecundum doctrinā Pauli, Malitia paruuli eſtote, ſenſibus autem perfecti. Redite in humilitatē vnde excidiſtis, quia qui ſe humiliat ſicut paruul⁹, maior erit in regno cœlorum, ſibi ita dicente Iob, Qui enim ſe humiliat, erit in gloria. ſic Petrus magiſtrum ſequutus, docuit, Humiliamini ſub potēte manu dei, vt ille vos exaltet in dieviſitationis.

3 Porro ait domin⁹, Qui ſuſceperit vnum paruulū talē in nomine meo, me ſuſcipit. Quilibet, authore Hilario, Chriſtianus pius & integer, huiuſmodi paruulus eſt, ſequens patrem cœleſtē, obediens eccleſiæ, nihil volens, malū nō appetens diuitias, non inſoleſcit, non mentitur, inuidet nemini, quicquid dicitur credit. talē quicūq; ſuſcipit, fidē ei fraternam exhibens, hoc Chriſtus ipſe ſuſcipit tanquā ſibi impenſam ſicut & apoſtolis ait, qui vos recipit, me recipit: quaſi di

Hieron. *Maximus* *Pſal. 24.* *Iob 22.* *Matth. 7.* *Mat. 19.* *1. Cor. 14.* *Iob 22.* *1. Pet. 5.* *Hilar.*

ceret, Nō tantū oportet vos humiles esse, sed & si alios humiles propter me in honore habueritis, mercedē accipietis.

Mar.10. Paruulū, inquit, talē, talē humilē, quia superbū inopē odio
Theoph. habet Sapiēs. Hinc Paulus Timotheū suū docet, cuiusmo-
Eccl. 52. di eligat viduā, si sanctos hospicio susceperit, si eis lauerit
1. Tim. 5. pedes. si cōmode subministrarit tribulationem patiētibus,
Mat. 5. &c. Sic paulò antea discipulis, Qui recipit iustū in nomine meo, mercedem iusti accipiet. Prudenter hoc à domino factu ait Hieronymus, ne quū delatū fuerit apostolis, se putēt
Hieron. honoratos. ideo enī adiecit ille ipsos nō sui merito, sed ma-
Maximi. gistri honore suscipiendos. Sicut autē dominus mercedem promisit omnibus, qui paruulos suscipiūt vel eleemosyna, vel cōsolatione, vel doctrina, vel auxilio, vel exēplo bono, & omnibus ijs quibus proximū adiuuare possumus: ita vicissim qui dehonestāt paruulos, hoc est, fideles, ijs pœnāminatur, & ait, Quid scandalizauerit vnū de pusillis istis qui in me credūt, expedit ei vt suspēdatur mola asinaria in collo eius, &c. pœnā hāc ideo dominus protulit, quoniā in Palæstina mos hic erat ignominiosę mortis. quo facit illud qđ
Chryso. habet hic Chrysostomus, Detrimentū quod huius criminis causa homines inuadet, & acerba supplicia & ab ijs quę nobis notissima sunt præ oculis posuit. Nā cū rudiores cōmouere summopere velit, sensibilioribus vtitur exēplis. quare in hoc loco atrocitatē punitionis exprimens, sensibilē pœnam molæ ac submersionē in mediū adduxit. ¶ Scādalū ergo prohibuit dominus, adiecit pœnā, quę maneat trāsgressorē. Quū vero mūdus vniuersus scandalis abūdet, conque-
1. Ioan. 5. stus est super eo dominus cum cōmiseratione, clamās, Væ mundo à scandalis, quia mūdus vniuersus in maligno positus est, vnde & Esaias ait, Corruet populus, vir ad virum,
Esaiæ 3. vnusquisq; ad proximū suū. super eo cōtristatus est dominus, tantū nocere mūdo scandala. Væ væ hominibus mūdanis, qui scādala dant aut accipiunt. Oportet tamē fieri scandala, non quod necesse sit venire scādala absolute, alioquin sine culpa essent qui scādalū faciūt. sed quū necesse sit i isto mūdo scādala fieri, vnusquisq; suo vitio scādalis patet. Ne-
Hieron. cesse quidē est, inquit Theophylactus, vt veniāt scādala, sed
Theoph. non necesse vt nos perdāt: possumus enim & scādalis oblectari. (iuniores dicūt & pulchre, est necessitas ex suppositione. suppositā enim malitia hominum & corruptis moribus

ribus quibus viuitur, sequi necesse est scãdala.) talis necessitas est, qualis illa quũ Paulus ait, Oportet hæreses esse, si non essent, malignitas, superbia, peruersitas, ppria, auaritia, priuatũ cõmodũ, nõ oportet hæreses esse. vila autẽ prauitate mũdi, necessario hinc oritur hæresis. inde virgam Assur immittit deus, puniens omnia. 4 Adhuc pœnam ostendit eius qui dat scandalũ, dicens, Necesse est vt veniant scandala, væ aũt homini per quẽ scãdalũ venit. Sic Paulus ait, Peccantes in fratres, & percutientes cõscientiã eorũ infirmã, in Christũ peccatis. si manus tua scãdalizat te aut pes, prescinde & abiice abs te. hic dominus prohibet, ne quis in alio offendatur. Theophylactus per manũ, pedes & oculũ, amicos intelligit, qui alicui laborãt sicut manus, sustentãt instar pedũ, atq; vt oculi dirigũt. si quis illorũ te offendit, amoue eũ. Audisi quis seruus tuus neochristianorũ sequẽs errores blasphemus est aut sanctorũ & sacramentorũ impugnator, nihil iste tibi pderit, neq; meliorẽ reddet. sed aliquãto deteriorẽ, abiice eũ à te. Dicis, est quod labore & opera eius indigeã. Ecce quæstũ sectaris & cõmodum priuatũ. Quur id? nunquid melius fuerit te sine seruo aut hospite illo ingredi cœlũ, quã te cũ illo præcipitari in gehennã ignis? Ita dicendum est sacerdotibus tenẽtibus cõcubinas, & dicẽtibus se nõ posse gerere curã domus & rei familiaris absq; cõcubina. dicatur ei, Christus præcepit etiã oculũ eruẽdum si te scandalizet, manus & pedes præscindendos & abiiciendos, quanto magis concubina est ableganda & amouenda? ¶ Moraliter itaque intelligendũ hoc est, quia nemo mẽbra sibi sua præscindere debet, neq; ideo S. Marcũ laudant doctores, quod ipse sibi policẽ præsciderit, indignũ se ratus sacerdotio. Miraculose enim ille ei restitutus est in integrũ. Origenes ob nimiam luxuriæ tentationẽ genitalia sibi ipse amputãs, male vtiq; fecit, quũ magis debebat gratiã dei implorare. si quidem verba hæc Christi nõ sunt crudo intellectu accipiẽda. Videte ne cõtẽnatis aliquẽ ex pusillis istis. nõ est scandalizãda iuuentus, neq; offendẽdi paruuli. forte enim magni sunt ante deũ. nõ parui facienda est cuiuscunq; hominis anima, ideo & cauendũ ne cuiquã per nos occasio detur damnationis, quæ quũ sit acerbissima, adeo vt si animã ppetuo damnari oporteat, totũ illi mundũ conueniat cõdolere, eo quod anima tã preciosa ineffabili dolore & amarissime, & imper-

1. Cor. 11. *Esaiæ 10.* *1. Cor. 8.* *Theoph.* *Concubinarij.* *Marcus.* *Origen.*

petuũ debeat torqueri. Accedit ratio nõ contẽnẽdorũ paruulorũ, quia angeli eorũ semp videt faciẽ patris cœlestis. nemo hominũ cõtẽnendus est, ppter animã suã, quæ tãtę est nobilitatis, vt quelibet angelũ propriũ habeat sibi à deo deputatũ, qui illã ab insultib⁹ diaboli tueatur. Et idẽ illi benedicti, beatiq; angeli qui deũ cõtẽplãtur, custodiũt paruulos & homines miseros. quos ideo nemo despiceat, sed imaginẽ dei in eis colat, admiretur & amet, sicq; deus hic in tempore hoc gratiã, & in futuro gloriã nobis dabit æternam. Amen.

Hieron.

HOMILIA SECVNDA IN die sancti Michaëlis.

¶ *Hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.* *Rom.* 14.

QVANDOQVIDEM scandala succreuerunt in tam commune peccatũ, multumq; aduersentur deo & eũ offendant, sæpe etiã homines illa parũ recogitẽt, & ita vt par esse expendãt, operæpreciũ est paulo amplius rẽ hãc tractare, modo propicius nobis adsit & faueat Christus, cuius gratia sermoni nostro fructum addat, ita vt nos porro cautius à scandalis custodiatis. Ne tamen principio aliquis vestrũ erret, adhuc scire decet quid sit qua de re nobis suscipiatur sermo. scãdalũ actiuũ est dictũ vel factũ minus rectũ, præbẽs alteri occasionẽ ruinæ. Vis exẽplũ? vetus est prouerbiũ, abbate ponente tesseras, ludũt fratres. Positio ergo tesserarũ, vel quodcunq; aliud manifestũ abbatis peccatum, scandalũ est, quia per hoc ille fratribus occasionẽ præbet ruinę in ludum eis prohibitum. si principes & alij optimates Bacchanalia vsq; in mediũ quadragesimæ protrahãt, ecce hoc scãdalum est. Accipe similitudinẽ, si corporaliter loquamur, scãdalum vocamus, si cui lignum aut lapidẽ proponas in via, vbi impinguat. Ad eundem modum proximo tuo spiritualiter peccatum reponis in via, & hoc manifeste, per quod & ipse labatur in peccatum. hoc est quod scandalum dicimus. sic Dauid conqueſtus dixit, in via scãdalum posuerũt mihi, iuxta iter quo ingrediebar, in via bonorum operum, mali homines scandala mihi mouerunt malorum operum, exempla mala proponentes. Hinc constare potest. cuiusmodi opus quo alium offendamus, manifestum siquidem. nam quod quisque vel

Cloſſa.
Matthæi.
Pſal. 139.

corde

corde cogitat vel clam secũ reputat, eo ipso neminẽ offendit. Videte dilectissimi quantũ sit clã peccare, si cõferas ad eum qui palam & impudẽter offendit. inter duo igitur mala maius malum semper est fugiendum. si nec ieiunare nec caste vis viuere, attamẽ clam & occulte fac celes alios. neq; adeo iniquum est vulgo quod dici solet, si non caste, tamen caute. nam de iis qui palam peccant, sic ait propheta, Ruit Ierusalẽ & Iudas cõcidit, quia lingua eorum & adinuentiones eorum contra dominum, vt prouocarent oculos maiestatis suæ. Agnitio vultus eorum respondebit eis, & peccatum suum quasi Sodoma prædicauerũt, nec absconderunt. *Esa.3.*

2 Non tantum ex opere oritur scandalum, sed etiam si quod opus habeat speciem mali, vt quum matronæ & virgines purgare se volunt de turpi gestu vel indecoro habitu, aiunt se non facere hoc animo malo. Excusatio hęc cauta & ociosa est, quia non paruo tantum opere datur scandalũ, sed eo quoq;, qđ mali operis speciẽ gerit. Tu ad eiusmodi mulierẽ, dic, quę ex animo & affectu se excusare conatur, atq; impudẽtiæ suæ prætextũ quærit, dic inquã illud quod cõmuni prouerbio maiores nostri iactitarũt. Nõ depingi debet in foribꝰ diabolus, nisi aliquis sit in ędibus. Vel etiam hoc ei obiice, Vbicunq; vinum nõ vẽditur, quid opus ibi erit suspensa hedera? Id ideo Paulus etiã docuit, quando admonuit ab omni etiã specie mali nobis esse cauendum. nõ ergo malũ tantum, sed & mali species fugienda est: iuxta illud Pauli, Si esca scandalizat fratrẽ meum, non manducabo carnem in æternum. ¶ Iam igitur in eo res tota latet, quomodo scãdalum sit peccatum, & quidem cuiusmodi peccatum, atq; ibi materia hæc omnis versabitur. Omissis itaque omnibus ambagibus, rem aggredientes ipsam, permittamus tantum hoc, scandalum esse triplex. Vnum, quum quis directe proximum suum offendit. fit hoc, si aliquis malum committit, volens per hoc etiam alios in ruinam adducere, aut etiam si hoc in proposito nõ habeat, opus tamen ipsum sit eiusmodi, vt hominis inducat ad peccandum. Atq; scandalum hoc, doctores actiuũ vocant. ¶ Aliud est, si quãdo is qui facit, animũ offendi nõ habeat & homines perducendi ad peccãdum, sed nec opus in se sit eiusmodi, vt quis ex illo offendatur. Atqui is qui videt, male dispositus forsitan per inuidiam & propriam malignitatem, peccandi sibi adripit *1.Thes.5.* *1.Cor.8.* *Scandalum.*

occasionem. hoc ipsum scandalū pharisæorū vel passiuum tantum dicitur. 3 Scandalum vocatur, quum quis dat, & alius accipiens super hoc peccat. vtrunq; malum, & dare & accipere offensam. Sed nos iam, quando tandē scandalum sit peccatū, paulò accuratius consideremus. 3 A summo exordiendo, dico offendi eos, qui aliquid mali sibi proponūt ex alterius opere bono vel doctrina sana. Id aūt peccatū nō est vlli qui vel opus facit vel doctrinam docet, sed temerarie offensam hanc arripiētis, pharisaicum scandalum est, de quo dominus ait, quādo dixit, Nō quod intrat in os, coinquinat hominē, sed quod exit. Ibi tunc accesserunt discipuli ad dominū, dicentes, Scis quia pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt? respondit dominus, Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Scandalū istud abhorrere nemo debet, vt doctrinam veritatis intermittat vel opus iustitiæ. Nam quanuis perpetuo scandalizabantur Iudæi in doctrina & operi-
Lucæ 21. bus Christi, ille tamē nō desiit: ita enim Simeon de eo dixit
ad Mariā, Ecce hic positus est in ruinā & in resurrectionem
2. Pet. 2. multorum in Israēl. & de eodem sic loquitur Petrus, Factus est in caput anguli, lapis offensionis & petra scandali iis qui offendūt verbo, nec credūt in quo & positi sunt. sic in pas-
sione Christi offensi sunt discipuli, quib⁹ hoc ita forte ipse
Mat. 26. prędixerat, dicens, Omnes vos scandalū in me patiemini in ista nocte. videbāt enim dominū capi & indignis modis tractari. hinc fidē diuinitatis suæ amisērāt, quam ille in eis diligenter multis etiam miraculis confirmarat. sic offensi sunt Iudæi in prædicatione apostolorū, quādo Christū prædicabant, eo modo quo Paulus ait, Christū prędicamus, & hunc
1. Cor. 1. crucifixū, Iudæis scandalū, Gētibus autem stultitiam. Sic interdū & neochristiani offenduntur, dum eis Christiana veritas prædicatur. Scandalum hoc non quidē dedit Christus, sed isti tamen arripuerunt. (scandalum passiuum est, non actiuū.) sicque ipsi sibi causa fuere mali, non Christus, qui nec scandalum fuit, sed petra quā sequutum est scandalum, nō à petra datū, sed à malis hominibus acceptū, dicit Glossa. Hinc ad discipulos Ioannis ait dominus, Beatus qui non fuerit scādalizatus in me. ¶ Quærat aliquis, An nō vitandi
Mat. 11. in altero scandali causa quis opus bonum debeat intermittere, quum ob eam rem Christus quū non deberet, tributū
Mat. 17. soluerit. Huic respondebitur, per omnia hic regulum istam esse

esse seruandam, facilius scandala nasci permittuntur, quam vt veritas deseratur, vt ait Hieronymus, Intermittendū est opus scādali gratia, si modo omitti possit sine triplicis veritatis offensa, vitæ, doctrinę & iustitiæ. sicque scandalū vitauit dominus in persoluendo tributū, sic noluit Paulus perpetuo vesci carnibus, si hinc proximus suus offendatur. Super hoc fundamentū, iam responsum cōstituo iuxta sententiam doctorū. Quum quæris, An opus bonū intermitti possit scandali vitandi gratia, dico opera variam multámque habere differentiam. quædam enim quū præcepta sint nobis, etiam ad salutem cognoscuntur esse necessaria, hæc nullius scandali gratia debēt omitti, quia nemo animæ suæ salutem negligere debet ob salutem alterius. Et hinc ineptum simul ac stultum est, committere velle periurium propter alterius commodū siue salutem, vt pulchre ait Augustinus. Quum ad hoc ventum fuerit, vt tali saluti nisi peccando consulere non possit, iam se existimet non habere quid faciat, quum id reliquum esse prospexerit quod recte faciat 22. q. faciat. 1. Cor. 8. *Aug. lib. de mend.*

¶ Alia sunt opera bona non præcepta, sed tamen salutaria, vtilia & meritoria, opera supererogationis quæ in hominis cōsistunt arbitrio. ea si quis negligere possit scandali causa, quum proximus offendatur ex prauitate, scandalū nemo debet horrere, quia illud pharisaicum est, vt si quis offendatur ex ieiunio, eleemosyna, oblationib⁹, vel religionis ingressu, tunc dicetur offenso, Sinite eos, cæci sunt, & duces cæcorū. Alias enim occasio eis datur malignitatem istam confirmandi. sin autem iste vel ignorātia vel ex imbecillitate offendatur, quod scandalum dicitur pusillorū, in eo casu intermitti possunt opera bona nō tamen absolute, sed eo vsque, dum ignorans diligentius informetur de opere bono quod sit iustum. Quod si adhuc cōmoneri nolit, ipse quoque de numero cæcorū est & ducum eorum. Vis exemplū? Christus aliquandiu passus est se filiū Ioseph credi. quur id? scandali fugiendi gratia, vt ne castissima virgo mater in honore & castitate contemneretur, maluit homines ad tempus de sua generatione & progenie dubitare, quam de parentis virginitate & castitate ambigere, donec ad tempus reuelaretur.

¶ Adhuc reliqua sunt opera, quæ in se salutem nec promouent, nec impediunt, iudifferentia nimirum. ea quis tenetur scandali vitādi causa intermittere, nisi quis sufficienter eru-

ditus, nolit à ſcandalo ceſſare, vt ſi ex capite laborem, & in-
cidat dies ieiunij, egoque ingreſſus diuerſoriū, cupiam mihi
dari cœnam, dicámq; præſentibus ne ex me offendantur, eo
quod mā ducandi cauſam iuſtam habeā, vel morbū, vel diu-
turnam profectionē, ita vt hoc tandē mihi futurum ſit pran
dium. etiamſi iam reliqui poſt hanc admonitionem amplius
Gregorius. offendantur, ego coram deo abſolutus fuero. Sic Gregorius
ait, Si forſitan de aliquo fama mala ſuboriatur, vnde cæteri
offendātur, tenetur ille ſua innocentia prodita ſeſe excuſare
tollendi ſcandali gratia, quomodo ſe dominus expurgauit,
Ioan. 8. dicens ſe dæmoniū non habere 11. q. 3. inter verba. ¶ Et ſic
Ambroſ. aiunt doctores nō bene feciſſe Ambroſium, quāuis immen-
ſa eum humilitas excuſat, quādo miſſus Mediolanū, & à ple
be poſtulatus in epiſcopū, vt populum ab inſtituto deterre-
ret, admiſit palam meretrices, eáſque ingredi ad ſe & egredi
permiſit. Vbi tamen puidit dominus, ne plebs in ſancto ſuo
offenderetur. ipſis quoque diuino ſuo inſtinctu inſpirauit.
Ambroſium hoc nō malo animo facere. ideóq; populus cla
mare cœpit, peccatū tuum veniat ſuper nos. 4 Hinc iam
ſolutio ſequitur multarum quæſtionū, quæ hic ſuboriri poſ
ſunt: puta, An quis bona ſua iure poſſit repoſcere cū alterius
offenſa. Reſpondetur, ſi eum poſſit ſufficienter informare
quod inique hinc offendatur, debet hoc prius facere, quā ius
ſuum proſequatur, quoniam iniquius videretur, ſi quis res
ſuas non auderet iuxta præſcriptum iuris repetere, quod al-
ter ei iniuſte detineret. magnū enim hoc præberet peccandi
incitamentū, communem deſtrueret pacem, regionē latro-
nibus, furibus & mendacibus impleret hominibus, plus in
ſumma nociturū eſſet quam ipſum ſcandalum. Alia quæſtio
occurrit, an poſſit aliquis doctrinā ſanam negligere ſcanda-
li vitandi gratia ſane nunquā debet aliquis falſum docere.
facilius ſcandalum naſci permittitur, quā veritas ipſa relin-
quatur. (Præcepta negatiua obligāt ſemper & pro ſemper.
nullo tempore decet aliquē mentiri, & quum quis tenetur
veritatem dicere, non debet eam tacere, alias peccabit. Qua
Chryſoſt. de re Chryſoſtomus ait, Nō ſolum ille proditor eſt veritā-
tis, qui tranſgrediens veritatem, palam pro veritate menda-
cium loquitur, ſed etiam ille qui non libere veritatem pro-
nunciat, quam libere pronunciare oportebat, aut ſi quis ve-
ritatem tueri debebat, non tueatur 11. q. 3. nolite.

¶ Accedat

¶Accedat & exemplum, quod rem magis aperiat. Interrogatus aliquis de fide, siue neochristianis siue Turcis cohabitet, negare nō debet neq; tacere, quoniam inde offenderentur audientes, rati eum fidē veram non habere, vel etiam fidem iustam nō esse, aut saltem alij eius silentio auerterentur à fide. sic vbi quis assidet iis qui fidem nostram calūniantur, si ille vel doctor sit vel alias authoritate præditus etiam laicus, contradicere debet, ne assistentes offendantur, cogitantes eum non respōdentem, timere suæ parti. In hoc & similibus casibus tacere nemo debet, maxime vero prædicator, sed obsequi præcepto diuino, Clama, ne cesses, vt tuba exalta vocem tuam, annuncia populo meo scelera sua, & domui Iacob peccata sua. sic Christus veritatem semper prædicauit, quoadusque crucifixus est. sic Ioannes Baptista Herodi veritatem dixit, donec decollaretur. sic Chrysostomus Imperatrici Eudoxiæ veritatem loquutus est tantisper dum in exilium mitteretur. Sic Kilianus veritatem non reticuit duci Gorsprechto, donec mulier Geilana eum cum sociis suis faceret occidi. Atque hoc est quod inquit Nicolaus papa, Dispensatio nobis est cœlestis seminis iniuncta. Væ, si nō sparserimus: væ nobis, si tacuerimus. Et proinde sicut nō leue discrimen incumbit pōtificibus siluisse, quod cōgruit: ita iis (quod absit) non mediocre periculū est, qui quum parere debeant, despiciūt. dispensatio dist. 43. ¶Sin autē prædicator existimet ex suo sermone fructum nullum emendationis, sed scandala tantum enasci, inquietudines aut maiora peccata, ei satius est tacere ad tempus, vel etiam in illo casu semper, quā cum detrimento mouere scandala, Vt si magistratus aliquid iniquū perpetrant, etiamsi diu reclames, non facile mutabitur, sed omnia in deterius verturtur, ita vt illi aliquanto maligniores efficiantur, & hinc subditi offendantur, nolentes obedire, sed indignantes, nonnunquā seditionem mouētes. hoc vsque adeo inutile est, vt satius sit prædicatores tacere quū nihil potest efficere, nisi quod huiusmodi scandala exhibet, sicuti multis in locis neochristianorum prædicatores fecerunt, quorum peruersa prædicatione factum est, vt tot subditorum milia miserrime sint occisa.

Esa. 58.

Nicolaus.

¶Ex prædicto fundaméto patebit respōsio ad hoc, An qui magistratu fungitur, semper debeat rigide plectendo pgredi, aut nonnunquam conuiuere. in hoc enim casu iudex hac

regula vti debet, quod pœnalis mulcta non debet per se appeti, quia in se bona nō est, sed tantum vt remediū quo peccata caueantur, atque in declaratione iustitiæ. Ideoq; pœna mali tantū hic in terris sibi vendicat de iustitia, quantū peccata per hanc impediuntur, nō eius qui punitur, sed illorum qui istius exēplo moneri debeat & caueri à simili tum culpa tum pœna. Quod si ergo ex pœna malorum maius nascereturscandalum, satius est eam intermittere, iuxta illud quod vulgo dicitur, Parcendum est multitudini. De hac re pulchre inquit Augustinus, In huiusmodi rebus, vbi in vnitatis dissensione nō vnius tantum hominis, sed plurium mors & periculum timetur, insuper & factio & tumultus populi, adimendum est aliquid de rigore, vt pura sola que succurrat charitas ad maius malum medicandū. nam si propterea obiurgandis & corripiendis male agentibus quis parcit, quod opportunum sibi tēpus inquirit, vel eisdem ipsis metuit ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant, aliósque inferiores premant atque auertant à fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis. Adde plura quæ eleganter scripsit Augustinus lib 3. cōtra Parmenianum cap. 2. Huiusmodi quæstiones multæ ex vnico superiori fundamento dissolui possunt.

Augusti.

5 Simul atque iam audiuimus, vbi & vbi non, susceptum scandalum vitari debeat, porrò differamus de scandalo actiuo. sitque conclusio talis, Quum aliquis homo quippiam facit principaliter ad offendendos alios, & in peccata pertrahendos, scandalum hoc certe peccatum est mortale. sicut enim fraterna charitas eo ordinatur, vt quis proximi quærat salutem, ita illuc tendit scandalum, vt cupiat hominem contra animæ salutem ad peccandum inducere. puta, quum porci, interūncij amasij & amasiæ aliquem ad proditionem aut homicidium prouocant, quum nōnulli liberos suos furta docent, aut aliorum hominum filios siue seruos, vt subtrahant bona parentibus & dominis suis. quum homines ad hoc incitantur & vrgentur, vt eo quod falsum est vrantur, vel cum monetis, vel mensuris, vel ponderibus, vel literis & tabellis vel scripto, vel sigillo, iudiciis prauis aut decimis dandis, omnia hæc scandala sunt. sic vbicunque consilio aut auxilio aliena fouentur peccata, id quoque scandalum est. Is qui alterum ad peccandum inducit, in eodem peccato & ipse

ipſe ſit reus, ſed ue cum ipſo grauat & proximū ſuum. Eius rei figurale extat in lege præceptum, quod ſic habet, Si quis aperuerit ciſternam & foderit, & non operuerit eam ecciderítque bos aut aſinus in eam, reddet domin⁹ ciſternæ pretium iumentorum. Verba ea tractans Chryſoſtomus, inuehitur in laſciuiam mulierum, quæ ſcandaloſo ſuo faſtu animas capere conantur & ad prauas concupiſcentias allicere. ſic autē ait, Mulier ſi ſe ornauerit, & ad ſe oculos hominum prouocauerit, etſi plagam nullam intulerit, vindictam tamen dabit extremam. venenum enim obtulit, etſi nemo inuentus eſt qui biberit. Et ſic ſcandalum eſt ſpeciale peccatū, quia habet ſpecialem finem, ſcilicet ruinam proximi. ſic Balaam offendit filios Iſraël, vel magis proprie loquendo, docuit regem Balac, vt mulieres formoſas mitteret ad exercitum Iudæorū, quibus illecti peccarent, & aduerſus ſe prouocarent dominū. ſicut & Ioannes factū eſſe refert dicens, Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſraël edere & fornicari.

Exo.21.

Chryſoſt.

Num.25.

Apoc.2.

¶ Doctores omnes inducunt, quam magnum ſit hoc peccatum, quo tamen totus abundat vndique mundus, vt recte clamarit dominus, Væ mundo à ſcandalis. O quam magna, quámque horrenda & ineffabilia ſcandala præbent de ſe neochriſtiani, dum vbicunque poſſunt homines rudes impe ritos, puſillanimes, iam præceptis, iam minis, iam indignatione, iam exhortatione, alias etiam precibus vrgent ad manducationem carnium tempore prohibito, ad ſuſceptionem ſacramenti ſub vtraque ſpecie, vel etiam ad nihil omnino de ſacramento credendum, ad non confitendum, non orandum, nec inuocandum ſanctos, nec eorum feſta peragenda, ad non audiendam miſſam. Et quid denique non? imo ad omne malum conſummandum. Hæc nimirum ſcandala ſunt, & quidem blaſphema, qnia quum quis vſqueadeo ſcandalum fugere debeat, vt etiam non prohibita vitet ſaltem vitandi ſcandali gratia, vt Paulus ait, ſi propter cibum frater tuus contriſtatur, iam non ſecundum charitatem ambulas, noli cibo tuo illum perdere pro quo Chriſtus mortuus eſt. Omnia quidem ſunt munda, ſed tamen malum eſt homini qui per ſcandalū manducat: bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur aut ſcandalizatur. Ecce quam vehementer vetat &

Roma.1.

prohibet Paulus offendiculum, quod obiter incidit, quanto magis, si quis ex instituto homines offendit & ad malū prouocat? huic affinis est locus quem sæpius iam induximus, q̄ isti dū peccāt aduersus fratres, & debiles percutiunt cōscien
1.Cor.8. tias, in Christū peccāt si ergo esca scādalizat fratrē meū, nō manducabo carnem in æternū, ne fratrem meū scādalizem.

6 Loquendo autem de scandalo accidentario, potest illud quidē ex variis causis procedere, & ei qui facit & aliis. ipsi autem qui facit, scandalum fieri potest quod eum incitet ad peccandum, facileq̄ue potest præscindi: vt quum plurimi offenduntur ex aspectu alicuius personæ, vnde carnali concu
Mat.18. piscentia exardescit: ibi eruendus est oculus, vt hic Christus docuit, hoc est, visus euitandus. similiter si quando aliquo venias, statimq̄; ludo, gula & alia malignitate impeteris atq; tentaris, ecce hic amputa tibi pedē, non amplius illud abiēs. quod si dextera tua, hoc est, opera etiam spiritualia cœperint te offendere, desiste. (possent huiusmodi exempla simplices & pusillos offendere, mitto igitur.) Tu si multum & ardenter amas filium, cognatos, honorem, ecce huiusmodi tibi sunt scandalo, dum occasionem peccandi præbent. desi
Prou. 22. ne igitur. nanq; & Sapiens ait, Noli esse amicus homini iracundo, neq; ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Sic Sapiēs alius ait,
Eccles.7. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. In vniuersum quoq; rursus idē sic dicit, In via ruinæ non eas, nec credas te viæ laborioſę, ne ponas animę tuę
Eccle.32. scādalum. Quemlibet etiam accurare addecet, vt inter simplices prudenter agat, eos bene informet, ne hinc offendantur, sicut fecit dominus, quando discipulis suis futura prędi
Ioan.16. xit. tunc enim sic ait, Hæc loquutus sum vobis, vt non scandalizemini. ¶ Verùm de hoc genere scandali cōmuniter nō loquuntur doctores, sed scandalū hoc intelligunt, quo quis non instituit neq; cogitat alios ad peccandum allicere, volēs neminem se sequi in peccatis, sed tamen opus ipsius per se malum adeo est, vt homines alij hinc sibi sumant peccandi exemplum. Quum ea optimatibus quispiam, vel cōsul, vel prælatus, liberos habeat illegitimos, id per se scandalum est, etiamsi per hoc non cupiat alios ad peccandum prouocare, volens neminem in malo sese imitari. ibi iam conclusio ista locum habet, quod scandalum hoc non quidem speciale, est

peccatum

peccatum vltra illud quod cõmisit delictum, sed tamen circunstantia est aggrauans peccatum, quo pluribus peccandi exemplum, quoque digniores sunt qui sic publice peccant. Et est hoc sane magistratui multum graue, si sic malis exemplis offendãt subditos. Contra eos dictum est à domino per prophetam, Recessistis de via, scandalizastis plurimos. Grauе dictum est, quod superos eos dicit Grego. & citat ex eo Nicolaus papa, Scire prælati debent, quod si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quod ad subditos suos perditionis exempla transmittunt 11. q. 3. precipue. *Malac. 2.* *Gregor.*

¶ Hinc diligenter admonet nos Paulus, inquiens, Nemini dantes vllam offensionem ne vituperetur ministerium nostrum. Et inde clamat horrendum hic dominus, Væ mundo à scandalis. & alibi, Væ homini per quem scandalum venit. Quam autem vulgare nunc est scandalum, quam communi consuetudine mulieres gestu suo, vestitu, visu, sermone & cõuersatione tota plurimos misere offendunt, etiam quum non cogitant facere malum: ita tum procaces sunt & petulantes. ita gesticulantes spectatum veniunt, spectentur vt ipsæ. Quantum vero delinquunt hic iuuenes? quam multa temeraria deblaterant? Vsqueadeo scandalis sunt omnia plena: quocunque veneris, quicquid videris, nihil scandalo vocat. O domine Iesu Christe, noli nos secundum demerita nostra iudicare, inutiles enim sumus, pleni peccatis & scandalis. sed secundum magnam misericordiam tuam, dimitte nobis peccata, & in hoc tempore gratiam, in futuro gloriam largire sempiternam, Amen. *2. Cor. 6.* *Luc. 19.*

HOMILIA TERTIA IN DIE *sancti Michaëlis.*

¶ Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei qui in cœlis est. Matthæi 18.

QVVN hodie festum celebretur Michaëlis archangeli, visum est ipsam prius commemorare historiam, quæ huic solennitati dedit occasionem. deinde, quantum ex sacris literis constare potest, dicemus de angelis quam fieri poterit breuissime & commodissime, inuocata prius gratia diuina, &c.

IN FESTO
HISTORIA APPARITIONIS
S. Michaelis archangeli.

TER apparuit ſanctus Michael. Primum, quum diues quidem ex Siponto Campaniæ, nomine Garganæus amiſiſſet bouem, illumq; in monte quæreret qui in lõgitudine habet circiter duodecim milia pedum. & cum eum in ſummitate montis inueniſſet, irat⁹ ille, telo cœpit impetere boué. quod inuerſum, ipſum ſauciauit qui emiſerat. hinc territa ciuium vniuerſa communio, conſuluit epiſcopum, qui triduanum eis indixit ieiunium, veteri & laudata conſuetudine, ſi quando res ardua tractãda eſſet, quomodo & hodie fieri debet in proceſſionibus cõtra Turcam. ſed refriguit charitas, vnde ſicut oramus, ſcilicet tepide, imo frigide & negligenter, ita etiam exaudimur. Eo ipſo tempore apparuit ſanctus Michael epiſcopo, dicens, Ego ſum Michael archangelus, qui ſemper aſto in cõſpectu domini. hoc autem ſigno declarare volui, me huius ciuitatis eſſe cuſtodem, & ſpeculatorem omniũ quæcunq; hic fiunt. Hinc magna pietate moti ciues, conuenientes, orauerunt in loco iſto ante ſpecum, non audentes ingredi, quoniam in vertice montis in petra templum erectũ erat ſpecie quidem nõ magnifica, ſed tamen virtute diuina. Iam vero in ſpecu fores erant gemine, altera à meridie patebat, habens aliquot gradus verſus occaſum ſolis, eo conueniebat populus orans. Quo tempore factum eſt circa annum ſalutis 390. quo Neapolitani adhuc Gentiles, ſuſceperunt bellũ aduerſus Sipontinos & Beneuẽtanos, qui iam Chriſtiani erant. Epiſcopus Sipõtinus rurſus indicto ieiunio triduano, iuſsit ſubditos ſuos opem implorare S. Michaelis, qui ſe cuſtodem ciuitatis illi⁹ eſſe dixerat. Et in ea nocte prius quam bellum ſuſciperetur, ſequẽti die apparuit ſanctus Michael epiſcopo, dicens orationem ſubditorum ſuorum eſſe exauditam, ſibiq; victoriam promiſſam ex hoſtibus. cõmiſit etiã illi, vt facto mane, quarta hora diei cum hoſtibus congrederentur. Hinc cõfirmati Chriſtiani & animati, aggreſſi ſunt hoſtes, vbi mons Garganus plane concuſſus eſt, fulmina plurima apparuerunt, & caligo atra mõtis verticem occupauit, vnde exterriti Gentiles admodum ſunt, quoniam in eos plurimæ etiam ex monte ſagittæ vergebant. hinc aufugerunt, quod Sipõtini vſq; in Neapolim inſequuti ſunt, & ibi multi ex

ti ex Neapolitanis ad fidem Christi sunt cõuersi, ex hac tam miraculosa victoria, quæ facta est octaua Maij. vnde in vsq; diem eo tempore magnum festũ ibi celebrant in honorẽ sancti Michaelis. ¶ Sipontini porro & Beneuentani in montẽ progressi, inuenerunt ibi supra gradus versus septentrionẽ, vestigia pedum in lapidibus instar gressuum hominis hinc præsentiam sancti Michaelis cognouerunt, neq; tamen adhuc ausi sunt ingredi in specum. sacellum vero super vestigia extruxerunt, & apodoniam vocarunt, sicut adhuc clare cernitur. huic adiunxerunt aliud sacellum amplius. versus ortum solis, in honorẽ sancti Petri principis apostolorum. Episcopus delata re ad pontificem, qui tunc erat in mõte Serapti, qui modo dicitur mons Syluestri, miliaribus Italicis 40. distans ab vrbe, huiusmodi accepit responsum, si modo deceat ab homine consecrari hoc templum, conuenire vt hoc fiat in die victoriæ. quod si tamen aliter visum fecerit sancto custodi illius ciuitatis, hoc ipsum ab eo piis precibus esse postulandum vt reueletur. Atque sic rursus triduanos per episcopum indicto ieiunio vltima nocte apparuit ei sanctus Michaël, & dixit, Opus non est vos consecrare tẽplum quod ego extruxi. ego enim qui fabricaui, etiam cõsecraui. Cras autem ingrediẽs tu diuina celebrato mysteria, & hoc tibi declarabo. Mane facto, episcopus cũ omni populo ingressus in antrum, inuenit in eo excisam amplitudinem magnam, & in eo altaria tria, fontem quoq; cum stillante è petra aqua dulcissima, & vas vitreum pensile ex catena argentea. quo ascendẽtes iam homines in gradus, bibunt inde, vbi plurimi sæpe sanati sunt homines. Episcopus quod reliquũ erat, adiunxit & fabricari iussit, ministros etiam instituit ad cultum diuinum. nemo tamen ante lucem audet ingredi tẽplum. Quibus omnibus auditis, papa diẽ illum quo Sipontini & Beneuentani ingressi fuerant antrum, sanctum instituit, & religiosè obseruari præcepit in honorem sancti Michaelis & angelorum omnium.

DE SANCTIS ANGELIS.

DICTVRVS de angelis sanctis dei, dilectissimi in Christo fratres, supersedebo & intermitto vos multis defatigare subtilitatibus. Nam sicut angeli in sua substantia subtiles, nobiles, incorporei, inuisibiles, planeq; liberrimi sunt motus. ita non possu-

mus nos hæc omnia intellectus noſtri captu aſſequi, nec recte intelligere, tantũ abeſt vt proprie queamus comprehendere. & ideo ſubtilitates iſtas argutas omnes, ad ſcholas relegatas volumus. vobis tantum ea proponemus, quæ apertiora, magisq; manifeſtæ videbuntur eſſe intelligentiæ. Principio, nobilis & ſubtilis illa angelorum ſubſtantia, à deo primum ſtatim primoque die creata eſt, ſicut homo viciſsim in vltimo ſic vt deus, vtranq; hanc rationalẽ creaturam diſtinctim condiderit. Et hinc doctores quatuor quædam ponũt, quæ eiuſdem ſunt ætatis ſiue diuturnitatis temporalis, quia ſimul creata, de quibus Albertus magnus edidit propriũ librum inſcriptum de quatuor coæuis. ſunt autem angeli, cœlum, materia & tempus. tunc enim dies primus fuit. Vbi autem Moyſes angelorum deſcripſerit creationẽ, ſcholis relinquamus. quoniã ſunt qui volunt eũ huius rei plane non meminiſſe, eo quod rudibus tantum ſcripſerit Iudæis, & ideo corporalium tantum & viſibilium creaturarum deſcripſerit creationem. Auguſtinus ponit angelos tũc creatos, quãdo dixit dominus, Fiat lux. ſiquidem angeli in ſua ſubſtãtia nobiles ſunt & ſubtiles, planeq; lucidi, quippe radij & imago lucis æternæ. ¶ Alij putant creatos eſſe angelos, quando dixit Moyſes, In principio creauit deus cœlum & terram. ſicque nomine cœli, cœlum intelligi empyreum & immobile, in quo iam ſunt beati, & illud creatũ eſſe vna cum angelis: per terram autem, accipi materiam rerum corporalium omnium. nam cœlũ ſtellarum, ſol & luna, ſequentibus tandem diebus ex materia transfuſa ſunt. Et eo facit dictũ Auguſt. lib. 12. cõfeſſ. cap. 7. Tu eras, & aliud nihil. vnde feciſti cœlum & terram, duo quædam, vnum prope te, alterum prope nihil. vnum, quo ſuperior tu eſſes: alterum, quo inferius nihil eſſet. inde cap. 9. explicat eſſe angelũ materia proximum deo in ſubſtantia. Angelus eſt creatura vtiq; nobiliſsima, & ideo in eſſentiali perfectione deo ille proximus maximeque conformis eſt ex omnibus creaturis, etiam ſupra hominem. ſi eius conſideremus ſubſtantiam corporalem, cuius gratia ille angelo inferior eſt, iuxta illud Dauidis, Quid eſt homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulò minus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, &c. Attamen licet angelus in ſua natura perfectior eſt homine, poteſt adhuc homo

4. coæua.

Auguſti. Gene. 1.

Geneſ. 1.

mo per gratiã magis exaltari, & ſic humanitas Chriſti elevata ſedet ad dexterã dei patris, ſic & de virgine matre cõcinit eccleſia, Exaltata es ſancta dei genitrix ſup choros angelorũ ad cœleſtia regna. ſic Ioannes, Petrus & Laurentius ſine dubio per gratiam & gloriã ſupra multos angelos ſunt exaltati, &c. ¶ Vt autẽ rem hanc aliquãdo finiã, dico angelũ eſſe creaturã incorporeã, intellectualẽ & immortalẽ, deo in creatione proximã, atq; adeo in ipſo cœlo creatã, nõ vt Adam, extra paradiſum. angelꝰ enim quũ ſit creatura pure intellectualis & ſpiritualis, pertinet in nobilẽ illũ locũ cœli. ſed homo ex limo cõditus & craſsiſsimo elemẽto formatus, naturaliter ſibi non cœlũ, ſed locũ vendicat terrenũ, quum aduerſetur hoc naturæ, vt quod graue eſt, perueniat in ſubtilem cœli locũ. & ideo in die nouiſsimo deus corpus terrulentũ adhuc donis illuſtrabit & clarificabit vt ſit idoneũ cœlo. dona ea ſunt, immortalitas, incorruptibilitas, agilitas, ſubtilitas, impaſsibilitas, &c. vt Paulus docuit, manifeſte.

2 Quũ angeli creati ſint primi, vt ait Sapiens, prior omnium creata eſt ſapiẽtia, ſcilicet angelica, iam proximam eſt eorũ cõſiderare multitudinẽ. Vbi quãuis nõ ſimus dicturi, an omnes angeli ſint vnius ſpeciei, quod forſitan nõ eſt, etſi crediderit Bonauẽtura: fortaſsis etiã nõ omnes differũt ſpecie, cõtra Thomã: ſed alij quidẽ eiuſdẽ ſunt ſpeciei, alij vero nõ hoc tamen certũ eſt, quod deus de theſauro omnipotentiæ ſuæ angelos in magna creauit numeroſitate. neq; hic locũ habet quod vulgo dicitur, Quod bonũ, idẽ & paucũ ſiue modicũ eſt. Hinc Bachonis male ratiocinatus eſt per acceſſum ad primum & perfectionem, paucos eſſe angelos: id adeo Daniel confirmat, dicens, Milia milium miniſtrabant ei, & decies cẽtena milia aſsiſtebant ei. Vbi propheta numerum pro incerto certum poſuit iuxta conſuetudinem ſcripturæ. nam cõmuni hominũ more numerũ propoſuit omniũ maximũ millenarium. Supernorũ, inquit Gregorius, ciuium numerus infinitus & definitus exprimitur, vt qui deo eſt numerabilis, eſſe hominibus innumerabilis demonſtretur. ideo & Iob dicit, Nunquid eſt numerus militũ eius? de hac multitudine etiam Dauid ſic ait, Currus dei decem milibus multiplex, milia lætantium dominus in eis in Sinai in ſancto, loquens de angelis in quibus habitat deus. Et vt maxime nullum haberemus ſcripturæ teſtimonium,

Eccl. 1.

Dan. 7.

Libr. 17. mo. ca. 7.

Iob 25.

Pſal. 67.

possumus hoc ipsum ex sufficienti colligere ratione, magnã
Prou. 14. esse angelorum numerositatem, quia Sapiés dicit, In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis. Quum itaq; deus princeps sit altissimus, atq; adeo rex regũ, quur nõ habeat familiam amplam, multumq; comitatũ in aulstugali illa aula cœlesti? Ad hæc constat, plures angelos perseuerasse dominoq; adhæsisse quam qui ceciderint. nam vt constans est doctorum sententia, adhuc to-
Apo. 12. tidem perstiterunt quot ceciderunt, idque ex Ioanne colligitur, quando vidisse se scribit draconem magnum rufum, habentem capita 7. & cornua decẽ, caudam quoq; eius trahentẽ secum tertiã partẽ stellarũ cœli. draco is, Lucifer est, statim enim post hęc ait S. Michaëlẽ cum eo decertasse, qui tertiam detraxit partẽ stellarũ, hoc est, angelorum. Magnus autem vtiq; numerus est angelorum, quum vnicus iste dæ-
Luce 8. moniacus apud Lucam interrogatus à Christo de nomine, respondit se legionẽ dici. atqui ea plus quam sex milia continet, & adhuc quot fuisse putas in mundo dæmones reliquos? Vbi hoc quoque obseruãdũ venit, quod quanuis plures angeli seruati sunt quã ceciderũt, contrarium tamen fiet in hominibus, quorũ plures dãnabuntur quã qui seruentur:
Mat. 20. iuxta istud verbum domini, Multi sunt vocati, pauci vero
ca. 22. electi. Accedit huc ratio tertia: videmus enim quomodo superiora illa entia corpora in immensum crescant super magnitudinẽ eorum quæ corporalia etiã sunt, sed corruptibilia, quoniam multo sunt nobiliora, ideo & maiora. quanto enĩ sol tota terra maior est, imo minima stella firmanẽti quę videri queat, terrã superat magnitudine. consentaneũ ergo estrationi, qđ quemadmodũ corpora cœlestia multis modis superãt corpora elementorũ corruptibilia, ita angeli numerositate homines excedunt & hæc inferiora, imo & stellas cœli, animalia in terris, aues aëris & pisces aquarũ. nam de hominibus dubium esse nemini debet, quũ singulis illis sin-
Dionys. guli sint à deo angeli deputati. Id omne authoritate Dionysij roborari potest de cœlesti. hierar. cap. 14. sic dicẽtis, Spirituali discutione & magisterio dignũ puto hoc, quãobrem scripturæ sanctæ traditio de angelis loquẽs, milia miliũ esse dicat, & decies millies dena milia. supremos humanos numeros in seipsos inuoluent atque multiplicans, perque hos cœlestium subiectorum ordines nobis esse innumerabiles

apertis

apertis rationibus pádens. sunt enim profecto plurimæ cœlestiũ militiæ spirituũ, quæ mortaliũ nostrorũ numerorum infirmum breuemq; modum longe transcendant, atque ab sola sua eminentissima & cœlesti intelligẽtia atq; notione scitæ sint atque definitæ. Verisimile est, S. Dionysium mysterium hoc sanctum didicisse à Paulo apostolo, qui in tertium vsque raptus est cœlum. vnde fit vt plus fidei huic habeãt doctores, quam alij cuipiam. Supereßet adhuc alia ratio de multitudine angelorum, quæ quia innititur distinctioni chororum, eousque differenda est, dum de choris distinctis prius aliquid explicemus.

100000000	1000000
10000	10000
10000	1000

3 Non tantum numero magno creati sunt angeli, sed & multis donis illustrati, simul atq; sapientia & gratia dei ornati. id ita esse satis testatur propheta, de Lucifero sic dicens, Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore, in deliciis paradisi dei fuisti. omnis lapis pretiosus operimentum tuum sardius, topazius & iaspis, chrysolithus & onyx & beryllus, sapphirus & carbunculus & smaragdus, aurum opus decoris tui, & foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt. Tu Cherub extentus & protegens, & posui te in monte sancto dei in medio lapidum ignitorum, ambulasti perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuẽta est iniquitas in te, in multitudine negociationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, & eieci te de monte sancto dei, &c. Quod quid sibi vult propheta aliud, nisi per eiusmodi lapides pretiosos demonstrare immensa gratiæ dona, in quibus creatus est Lucifer? quodque angeli omnes in gratia dei sint creati, testatur Augustinus, contra Magistrum sententiarum, & ait, Deus creauit angelos cũ amore casto quo illi adhærerent, simul eis condens naturam & largiens gratiam. Subscribit & Damascenus libro 2. capite 2. Per verbum, inquiens, dei creati sunt omnes angeli, & à sancto spiritu per

Eze. 28.

Lib. 12. de ciuit. dei ca. 9.

ſanctificationem perfecti ſunt pro ſuæ dignitatis & ordinis ratione, illuminationē & gratiam participantes. ſic Hieronymus ſuper illud Oſeæ, diligunt, vinacea vuarū, ſicut dæmones qui lapſi de propria dignitate & nihil antiquæ gratiæ poſsidētes, aridi ſunt & veteri ſiccitate marcentes. Multum nobiles & admodū puri caſtiq́, fuerūt in creatione ſua angeli, vnde plurimum eis gratiæ contulit dominus. verum quo vberiorē, eam acceperunt, eo grauius peccarunt per ingratitudinem, qnando per inobedientiā dereliquerunt dominum deum. impletumq́; eſt in Luciſero atque ſociis ſuis iſtud Hieronymi, Quanto ſtatus altior, tanto caſus peior. Nonnihil etiā accedit grauitati trāſgreſsionis eorum, quod celeriter adeo peccauerunt, inſtabiles in gratia dei, ſicut Chriſtus ipſe ait, quia homicida fuit ab initio, & in veritate non ſtetit. cui conſonat illud Ioānis, ab initio diabolus peccat, nō quod malus à deo cōditus ſit, ſed quia non perſtitit in bonitate in qua creauit eū dominus. Ad hæc, nō volūtas inde angelorū exornata fuit, ſed & intellectualis eorum vis & potentia, quā à deo habent concreatam ſimilitudinē rerū, vt iam multo acriter valeant intelligētia ad cognoſcenda multa myſteria, quæ nos homines latent, omnem aëris cognoſcunt diſpoſitionem, omnē ſtellarū influxū, omnes corporū poſsibilitates, omnē virtutē tum herbarum tum lapidum. ideoq́; acrimoniam iſtam & ſubtilitatē adhuc habent, quāuis caliginoſam & obſcuram. Nā ſic inquit Dionyſius, Etiā neq; indulta illis angelica munera & īmutata dicimus, verū ſunt integra & lucidiſsima perſtant, licet ipſi non videāt, occluſis ſcilicet viribꝰ, quibꝰ bona ſua intueri poſſunt.

Oſeæ 3.

Hieron.

Ioan 8.

1. Ioan. 3.

C. 4. per 4. per di. no.

4 Sequitur ex ſuperiori declaratiōe, quū angeli ſint ſubſtantia ſpiritualis & incorporea, ita vt ratione ſuæ eſſentię locū nullum nec appetant, neq; eo in ſe opus habeant, attamen cum finiti ſint in ſua ſubſtantia, neq; in omnibus locis eſſe queant, in loco aliquo ſunt ſuæ virtuti accommodato, quanuis etiam in minori eſſe poſsint. eſt autem cœlum empyreum eorum tum beatitudini tum clarificationi conuenientius, quia illud beatorum eſt domicilium, ſicut dicturus eſt dominus in die nouiſsimo, Venite benedicti patris mei, percipite regnū quod paratū eſt vobis ab origine mundi. Et alibi, In domo patris mei māſiones multę ſunt. domus hęc, ipſum cœlum empyreum eſt. quia ſicuti dānatis locus com-

Mat. 25.

Ioan 14.

cõpetit vnus & obſcurus damnationis eternę, ita viciſsim decet beatos in loco ſereno & lucido eſſe, cuiuſmodi cœlũ eſt empyreũ, in quo lux perpetua lucebit. Etſi locus iſte nihil influet in angelos, quapropter proprie dici non poteſt, cœlũ naturalẽ eſſe angeli locũ, quia locus eſt conſeruatiuus locati, tamẽ competẽter & cõmode hoc ita dici ſolet. ¶ Sequitur rurſus inde, quod cũ angelus naturaliter loquendo, in loco ſit finito, ita vt non poſsit hic & alibi eſſe, neceſſariũ eſt, vt ſi quid ei agendũ incumbat eũ à deo emitti, ſicut & à loco in locũ moueri. verũ quidẽ eſt qđ ille tanquã ſpiritus, virtute agilitatis celeriter ſe mouere poteſt, & quidẽ homine velocius, neq; ſeipſum tantum, ſed & aliquorũ tamẽ penes eũ facultas eſt atq; poteſtas, ſicut angelus Abacuc capillis adreptũ, in aëre perduxit vſq; ad Danielẽ in lacũ leonũ, *Dan. 14.* ſicut angel⁹ multa hominũ milia occidit Sẽnacherib. ideoq; *2. Pa. 13.* tres virtutes habẽt angeli. primã, per quã habent intellectũ, per ſecundã habẽt voluntatem, & ea ſufficiens nõ eſt, quia ſiue bonus ſiue malus ſit angelus, ibi tamẽ vbi vult, nõ ſemper eſt. neceſſaria ergo adhuc eſt virtus motiua, per quã illi & ſe & alia à ſe mouere poſsint. eaq; multũ vehemens eſt & magna, ſi cõferatur ad hominẽ quem multis modis excedit, dicẽte Iob. Nõ eſt poteſtas ſuper terrã quæ cõparetur ei. & *Iob 41.* tamen poteſtas illa finita eſt. poſſet enim tantũ ſibi ſumere mouendum angelus vt nõ ſufficeret ſolus, ſicut cõmuniter boni & mali angeli ſeſe mutuo iuuant. ¶ Nõ ergo admirãdũ, quod diabolus & miniſtri eius tantũ poſſunt, atq; tam *2. Theſ. 2.* multa præſtãt ſtupẽda, atq; (vt Paulus ait) miracula faciũt mendaciorũ. nã quũ tantũ valeãt acrimonia intellectus, facile multa poſſunt ſcire ſecreta, furta, cõſilia, quidq; in diuerſis locis eueniat, ſciẽtiam callent naturaliũ operationum omniũ, vnde actiuis & paſsiuis poſſunt connectere pro ſuã cõditione ſingula. Hinc fit qđ tẽpeſtates, grãdines, fulmina & diluuia excitare queunt, animalibus nocere. homines offendere, afferre vina, homines huc illuc tranſportare, oſtendere quę magna locorũ intercapedine fiant, ſenſus fallere & vincire nequid videatur, aut certe in aliena figura. Quid multa? tãta eſt diaboli poteſtas, quãta alterius angeli creati. ita vt ſi ei à deo permittatur, neq; per bonos angelos impediatur, vniuerſum facile deciperet mũdum, aut pœna miſeranda bonos afficeret & excruciaret. 3 Adhuc ſequitur

prælium illud, quod S. Michaël in cœlo & alias habuit aduersus Luciferũt atq; angelos eius, nõ tantum fuisse phantasticũ aliquid in cogitatione. sed externũ quoddã. quando Michaël virtute sua motrice vna cum alijs angelis, Luciferũ vi & violẽtia è cœlo deturbauit ipsum manifesta verba cõtextus nostri arguunt, quum dicitur, Factũ est prælium magnum in cœlo, Michaël & angeli eius præliabantur cũ dracone, & draco pugnabat & angeli eius, & non valuerunt, (Ecce erant inferiores in potentia motiua seu exequutiua bonis angelis) neq; locus inuẽtus est eorũ amplius in cœlo. & proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & sathanas, qui seducit vniuersum orbem. & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo missi sunt. (non curamus quod alij plus mystice trahunt ad prælium apostolorũ contra idololatriã nos prosequimur sensum literalem.) Ita semper intelligendũ est, quãdo angeli aliquid opere consummarunt. vt supra diximus, quomodo angelus centum & octoginta quinq; hominũ Assyriorum milia occiderit, & quãdo interfecit primogenita AEgypti, adeo vt nõ relinqueretur domus, in qua nõ iaceret mortuus, à domo regis vsq; ad casam pastoritiã. Atq; hæc eorũ virtus & potestas semper durat, nobis etiã magno est solatio, quod diabolum impediunt, ne tantum nos tentet quantum cupit. Diligenter itaque sanctos angelos inuocare debemus atque orare, vt à deo gratiam nobis impetrent & gloriam, Amẽ.

4. Re. 19. Exod. 12.

HOMILIA QVARTA IN FERIIS S. Michaëlis archangeli.

¶ *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei qui in cœlis est.* Matthæi 18.

ANGELICAM naturam idem qui creauit deus optimus maximus, multis magnisq; muneribus exornauit. & eos qui in gratia perstiterunt angelos æterna beatitudine confirmauit, ita vt amplius peccare & labi non possint. Quãuis enim sint mutabiles natura, non tamen finit eos mutari contemplatio diuina per gratiam confirmationis, quam etiam sancti alij habebunt in æterna felicitate, sic, vt peccare amplius nequeãt: iuxta illud Augustini, Cuicunque creaturæ rationali præstatur vt peccare non possit, non tamen est hoc naturę propriæ,

Isidorus.

Auguſt.

priæ, sed dei gratiæ. Ea quoque gratia gloriæ sanctis angelis data est secundum meritum eorum, non quo iam nos adiuuant in ministerio suo & custodia nostri, sed quia fortiter restituerunt tentationi diaboli & malorũ angelorũ suorum, qui nitebantur ipsos quoque in ruinam adducere: quoniam hoc est casus in angelis, quod mors in hominibus. Et sicut homini deus instituit tempus in hac vita, quo operetur bonum vel malum vsq; in mortem, in qua qualis quisque inuentus fuerit, talis & diiudicabitur, teste Sapiente, quũ ait, Si ceciderit lignum ad austrũ aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. ideoq; dominus mortem noctem appellauit, inquiens, Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. venit nox, quando nemo potest operari. nox ea, mors ipsa est. Vide alibi latius. Sicut ergo homo post mortem nec bonũ quid facere, neque mœreri amplius potest, neque pœnitentiá agere de peccatis: ita & angeli tẽpus habuerũt sibi præfinitum, in quo boni gloriam meruerunt æternam, dum deum præ omnibus dilexerunt ex mente sua tota & cunctis viribus, Lucifero quoq; & suggestioni eius restiterunt, quódque ipsis multum aduersabatur, reliquorum angelorũ peccatum vicerunt: hinc vitam sibi meruerunt æternam (contra Magistrum, qui vult eos ab æuo fuisse beatos, & præmium præcessisse meritum, in quo à theologis merito nõ tenetur.) Et hoc est quod Augustinus dicit lib. de correp. & gratia. Angeli sancti qui cadentibus aliis steterũt, illíque vitæ mercedẽ recipere meruerũt. Quũ autem tempus à deo præscriptum iam esset terminatũ. (non curo nec morulas, nec moras, nec instantia imaginaria, quia fuit vna duratio liminata & determinata) ibi simul mors eorum fuit, resurrectio & dies nouissimus. Angeli qui ad deũ cõuersi sunt per liberum arbitriũ suum, cum cõstanti gratia dei saluati sunt. Auersi autem ab illo, simul etiam cœlo detrusi, in æternam præcipitati sunt damnationem. ¶ Quæras hic, Quum angeli in naturalibus donis & proprietatibus æquales nõ fuerit, sed alius alio nobilior, quomodo tandẽ gratiam gloriæ acceperint secundũ suum naturale meritum & dignitatẽ. Constat enim quod homo in naturali nobilitate infirmo angelo multo est inferior, & tamen homines singulis angelorũ choris inseruntur, imo Maria etiá super omnes eleuata est, difficilis hæc sane est quæstio, eámq; priusquam

Damasc. *Eccle. 1.* *Ioan. 9.* *Augusti.*

discutiamus, oportet antea differentem ponere angelorum distinctionem & separationem à se inuicé, vt sic meliori ordine pgrediamur. 2 Duobus igitur modis angeli inter se discernuntur. altero, quando in tres hierarchias: altero, dum in nouem choros rediguntur & distribuuntur. Quid quod in eodem etiã choro angeli sunt inæquales, sicut in vno senatu cõsiliarij, & senatores ordinati sunt, vt alius alio superior existat? nos principio de hierarchiis differemus, quam rem vt funditus intelligas, (nam & docti hic multũ impingunt, lege aliquos vigesies, & vacuus adhuc atque ieiunus abibis.) hierarchiã appellare solemus vniuersam aliquã angelorum cõgregationem. quibus facultas & potestas specialis data est cæteros quadã tenus gubernãdi. vox enim illa est ex Græco cõposita (hieros & arche) sacrum sonat principatum. Hoc vt accipiant etiã simpliciores, similitudine melius explicabimus. Imperator quoq; triplices habet optimates. alios, quibus in intimis vtitur cõsiliis super rebus se suumq; imperiũ concernẽtibus. Habet & alios qui etiam sũ quoddam peculiare habentes cõsilium, ad illud intimum & arcanum nõ pertinent. atque ex reliqua tamen prouincia admittunt & audiũt omnes præfectos, vicarios, locum, vicémque gerentes, & alios qui singulis officiis præsunt, eis cõmittunt omnia quæ facere operæpreciũ est. Adhuc alij supersunt officiales, qui in aula nõ viuunt semper, & tamen veniunt ad eam, rursus alio se cõferunt, ipsi quoque, aulici & ministri sunt Imperatoris. nam quod primi illi consulunt, & alij ex secundo cõsilio committunt vt fiat, hoc isti exequuntur per vniuersam prouinciam. Ita hic omnis hierarchia potestati & administrationi innititur, sed cum discrimine. alij enim semper adhærent deo, sicut intimi consiliarij cõiuncti sunt imperatori. alij committunt fieri nonnulla de creaturis, infima autem hierarchia exequitur id omne, emissa in diuersa loca. Et tamen hoc totum quicquid est, ad potestatẽ & ad-
Dan. 7. ministrationẽ pertinet. Vidit hoc discrimen Daniel edoctus à Gabriele, quum ait, Milia milium ministrabant ei. Ecce quomodo discernit ille inter angelos administratorios, qui exteris senatoribus similes essent, & assistentes, tanquã intimos & coniunctissimos. Gabriel igitur volens ostendere se ex intimis angelis vnum esse, dixit ad Zachariam, Ego sum
Luc. 1. Gabriel qui asto ante deum. Id omne manifestius fiet inde,

quum

quum ipſos angelorũ choros explicabimus. Quælibet enim hierarchia choros tres habet, qui ſi cõiungantur, nouẽ ſunt: ſtatim autẽ hic obiiceres, decem eſſe angelorũ choros. quoniam dixerit dominus in euangelio de decimo denario amiſſo, rurſuſq́ue inuento à muliere, ideoq́ue decem videri angelorum choros. Ad hæc, numerus ille beatitudinis abſolutus, eſt perfectio, numerorũ, quam eſſe cõuenit in aula fœlicitatis æternæ. Sed ad hoc reſpõdetur, verum quidem eſſe quod decem ſint chori beatorum, quod etiam decem denariis ſignificatum eſſe cõſtat. atqui nouem tantum ſunt chori angelorũ. quanuis enim Maria exaltata eſt ſuper omnes choros angelorum, vt canit eccleſia, tamen iuxta illud Ariſtotelis, Vna hirundo nõ facit ver, neque dies vna calida æſtatem. Affine huic eſt quod veteres dixerunt, Vnus homo nullus homo, Homo vnicus choream non facit. Verum alij homines communiter choris angelorum annumerantur. Et vltra hæc omnia eſt adhuc infimus beatorum chorus, in quo paruuli tantum ſunt. qui ſtatim à circunciſione ſiue baptiſmo demortui ſunt. illud etiã qui fatui & moriones hic fuerunt, perueniunt. ratio eſt, quia nullus angelus ex cauſa ſuperius aſſignata eſt, qui non proprio opere ſuo & charitatis merito, gratia dei aſſiſtente, meruerit vitam æternam. paruuli autem mortui, meritum proprium nõ habent, quia nõ peruenerunt adhuc ad vſum rationis. (niſi paruuli ſint peculiari gratia dei priuilegiati, vt ſunt innocẽtes illi pueri ſiue martyres.) Ideoq́ue infra omnes angelos ſingularem chorũ habebunt, forſitan etiam illi qui ſero à peccatis conuerſi, non admodum in dilectione dei feruent, cum paruulis iſtis manebunt, vt æqualiter ſe res habeat in beatitudine angelorum & hominum. ¶ Atque ſic numerus cõficitur denarius perfectus ille, (nõ loquitur arithmetice, quia ſic ſex eſſet numerus perfectus, non decem, quia deficit.) qui multum laudis habet in ſacris literis. Chorus hic infimus, plane perditus erat per peccatũ Adæ. Et reliqui chori ruinas magnas habebant ex ruina angelorum, quibus impoſiti ſunt in eorum locum homines beati, dicente Dauide de Chriſto, Implebit ruinas. Sic Gloſſa quædã habet ſuper Lucam, Nouem ordinibus angelorũ additus eſt homo decimus, qui fuit perditꝰ, & inuentus eſt per Chriſtum ad cõplendum numerum angelorum, ſicut & Anſelmus teſtatur in lib. de lapſu diaboli. *Luc. 15.* *Pſal. 109.*

3 Etsi dicendum hic nobis esset nonnihil de diuersa angelorũ per choros distinctione, attamen quod differtur, non aufertur. nec amittitur, quod bene seruatur, vt recte dixerunt maiores nostri. ideo antequam eo veniamus, alia nobis hic deducenda est quæstio, quæ ex prioribus iam dictis promanat. diximus enim homines quosdam in singulos angelorum ordines esse recipiendos iuxta merita ipsa, ibi quæras, quomodo homines impleturi essent ruinas angelorũ, & quot tandẽ eorũ futuri essent. Respõdeo quod equidem in cœlo non fui, neque istud satis scio. hoc tamen video quod *Gregorius.* ait Gregorius, superna illa ciuitas ex angelis & hominibus cõstat, ad quã tamen credimus humanũ genus ascendere, quantos illic cõtigit electos angelos remansisse: sicut scriptũ est, Statuit terminos gentium iuxta numerum angelorum.

¶ Cõperio & aliam sententiam, tot esse saluãdos, quot angeli ceciderunt. Iam vero tertia pars angelorũ corruit, sicuti diximus ex Apoca. 12. & Christus ruinas angelorum impleuit hominibus. sequitur ergo, tot homines peruenturos ad choros angelorũ, quot ex angelis fuerant lapsi. Potest idem *Augusti.* ex Augustino colligi, quum ait in Enchiridio, Superna Hierusalẽ mater nostra, nulla ciuium suorũ numerositate fraudabitur, aut vberiori forsitan copia regnabit. Hoc vltimum ideo fortassis addit Augustinus, mea quidem sententia, quia (vt supra dictũ est) in locum angelorum qui lapsi sunt, peruenient homines, sicuti putant Ioannem impleuisse locum Luciferi, deinde decimum chorum diximus ex solis esse hominibus cõstituendum. sequitur, tot homines peruenturos in cœlum, quot inde expulsi sunt angeli, & vltra hoc innocentes adhuc & fatui homines imperfecti. Hinc intelligi facile potest, vnde ortum sit vetus illud inter hominẽ & dia- *Sapien. 1.* bolum odiũ, de quo Sapiens ait, Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarũ. imitantur autẽ illum, qui sunt ex parte illius. Rationẽ hanc paucis cõprehendit Bernardus, tractans *Ionæ 1.* locum Ionæ, Propter me tempestas hæc venit: quum ait, Diabolus vidit & inuidit & tentauit. vidit cognitionẽ eorũ subtilem adeo & sublimẽ à deo creatam, quique loco suo exaltari deberet homo in cœlo, imo & super locũ suum extolli, ita vt etiam deus fieret homo. Postquam ergo à S. Michaële è cœlo expulsus est, vidit hominem in paradiso, cogitauit apud se illud quod antea in cœlo vidit & cognouit.

Fuit

Fuit hæc visio non facialis & beatifica, sed specularis) hinc cœpit homini inuidere, cogitando quomodo impediret illud ne homo perueniret in cœlũ, conatus est igitur illũ adducere ad lapsum, sicuti & cõtigit. ideo per serpentem eum tentauit, atque per ipsum loquutus Euam decepit. 4 Sequitur ex omnibus illis, quod angeli in cœlis admodũ gaudent ex hominum felicitate, non eo tantum quod conciues ipsorum fiunt, & ciuitas eorum hinc populosior redditur, sed etiam ob id quod eorum ruinæ in hierarchiis hoc modo implentur, sicuti vicissim gaudent dæmones ex hominum damnatione, iuxta illud Sapientis, Desiderium si cõpleatur, *Prou. 13.* delectat animã. ideoque cum aliquid mali fit quod cupiunt dæmones, multum inde gaudij cõcipiunt, vt ait Augustin⁹ *Augusti.* lib. 4. de ciuitate dei. Diaboli docent mala & gaudent turpibus, sicut in vitis patrum sæpenumero legitur, gauisos esse dæmones ex peccato, cuius ipsi fuerant authores. Vicissim si quando eis anima eripitur & beata efficitur, admodũ dolent, iuxta illud Dauidis, Superbia eorum qui se oderunt, a- *Psal. 73.* scendit semper. quãuis omne istud gaudiũ vanum est quod dæmones cõcipiunt, impurum etiam, multa cum tristitia & pœna cõiunctum. nam quo plures animas seducũt, eo grauior ipsorum pœna efficitur, quę semper accrescit vsque in nouissimum diem. Quæras autẽ, an etiã bonus angelus doleat ex dãnatione hominis cuius curam egerat. Solutio huius hinc pendet, vt sciamus differentiam angelorum secundum choros, & qui ex eis humanę deputentur custodiæ. hoc vero proxima homilia expediemus. hæc iam sufficiant.

HOMILIA QVINTA.

Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei qui in cœlis est. *Matthæi 18.*

PAVLVS de angelis loquens, sic ait. Nónne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis? non tamen omnes iuxta sunt nobis vtiles in ministrando, quoniam (vt supra dictum est) quidam ex illis semper cum deo manent vitam viuentes plane contemplatiuam: alij vero actiuam, qui administrationem dei in mũdo exequuntur. Quomodo autem id quoque cum discrimine fiat, iam porro dicturi sumus. Principio itaq; sicuti tres sunt hierarchiæ angelorũ, ita eorundem chori distincti nouem, *Hebr. 1.*

C. 9. cœle. hierarch. quorum tres ſemper hierarchiam vnam deficiunt. Sic Dionyſius inquit, Omnes ſimul cœleſtes immortaleſque ſubſtantias in nouem ordines diuinus ſermo diſtinxit, appriſq; ac ſignificantibus vocabulis appellauit. Quæres, quomodo illi nouem chori diſcernantur. Gregor. ſane in hac eſt ſententia, vt putet angelos vnius eſſe chori, qui conueniunt in vno aliquo dono ſiue dignitate eminentiori ſibi à deo collata, ita vt tandem finalis angelorum diſcretio perficiatur in aliquo diuinæ gratiæ dono. Eſtque hæc doctorum ſententia, quod ſicut in donis diſtincti ſunt angelorum chori, ita & in loco. Magna enim hæc eſſet confuſio, ſi omnes permixti eſſent, cum ſummis infimis, & viciſſim. Hinc contemplantur doctores cœlum empyreũ eſſe inſtar montis, inque ſummo apice ſit Maria, quam vndique chori ambiant angelorum deorſum verſus in monte ſecundũ ſingulos ordines. atque ii ſinde coniuncti ſint ſancti pro ſuo quiſque merito, ſicuti latius dicemus, volente & auxiliante deo, in die omnium ſanctorum. vide Bernardinum interea.

1	Seraphim	Prima & ſuprema hierarchia.
2	Cherubim	
3	Throni	
4	Dominationes	Secunda & media.
5	Virtutes	
6	Poteſtates	
7	Principatus	Tertia & poſtrema hierarchia.
8	Archangeli	
9	Angeli	

¶Non prodeſt populo recenſere, Gregorium diuerſe locaſſe & permutaſſe quintum & ſeptimum. quia omnes ſancti, dempto Bernardo, malunt ſequi in hoc Dionyſium, vt qui illa hauſerit ex traditione apoſtolica, potiſſimum ſancti Pauli, quod ipſe ſuit vnus de præcipuis, de quibus dixit Paulus, Sapientiam loquimur inter perfectos 1. Corint. 2.

2 Quãdo igitur iam cõſtat, quomodo diſcernãtur inter te angelorũ chori ſecũdũ donationes dei, adhuc paulò diutius huic rei immorandũ eſt. Supremus chorus eſt Seraphim, qui donũ ardẽtis habet charitas: ſicut enim illa virtus eſt ſuprema, ita & ſummꝰ angelorũ ordo virtutẽ hanc habet eminentiſſime. nam שרת idem eſt quod cõburere ſiue ſuccendere,

eo

eo quòd tantopere ferueant in charitate. Hinc Seraphim dicuntur. meminit huius ordinis, Esaias, dicés, Vidi dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & plena erat domus à maiestate eius, & ea quæ sub ipso erant, replebant templũ. Seraphim stabant super illud, sex alæ vni & sex alæ altari. Non tamen hoc ita intelligendũ est, quasi chorus iste sic donum habeat charitatis, vt non idem habeãt etiam alij. Sciendum enim omnes eos gratiam habere charitatis, quanuis non æqualiter: quia qui in choro sunt sublimiori. illam perfectius habent, & ideo ex ardẽtiori charitate ab aliis seiungitur hic chorus, vnde & nomẽ accepit. Secundus ordo Cherubim est, qui dono sapiẽtiæ cæteris illustrior habetur. Cherub porro multa significat, miliare, aratrum, pugnatorem, magistrũ, omnem formam, seu figuram rei, sed proprie ad propositum (secundum Hieronymum) significat multitudinem scientiæ & cognitionis. Kimhi dicit quod significet alatas formas, quales apud nos angeli pingũtur propter celeritatem motus. Multa de his in scriptura leguntur, vt quia Cherubim statuit deus ad ostium paradisi. Dauid etiã sic clamat ad dominũ, Qui sedes super Cherubim, manifestare corã Ephraim, Beniamin & Manasse, excita potentiam tuam & veni. Meminit & Ezechiel, dicens, Cherubim stabant à dextris dominus, quũ ingrederetur vir, & nubes impleuit atrium interius, & eleuata est gloria domini desuper Cherubim. Atq; hic secundus est angelorũ chorus, quia charitatem proxime sequitur sapientia & rerum diuinarum cognitio, donum supremum. Hi quoq; angeli in claritate cognitionis omnes se sequentes angelos superant. Sic Dionysius ait, Sãctorum Cherubim appellatione, illorum eximia scientia deiq; speculatio, summæq; & exuberantis lucis capacitas atq; contẽplatio (qua diuinam speciem nõ per traduces vllos, sed primaria vi sua intuẽtur) gratiæ quoq; copiosa traditio & cõmunicatio, qua indultam sibi sapiẽtiam in sequentia & inferiora transfundunt, designatur. Tertio loco thronos numeramus, qui etiam ardent in charitate, sicut Seraphim: intelligẽtes quoq; sunt diuinæ sapientiæ, sicut Cherubim, sed multo eis inferiores, quum in iis plurimis modis ab ipsis superãtur. Verum quia (vt Gregorius ait) supremus angelorum chorus proximum sub se vincit in omnibus donis, quorum etiam alia aliis sunt maiora: attamen à digniori

Esa. 6.

Cen. 3.

Exe. 10.

c. 8. cæles. hierar.

Gregor.

denominatur chorus ipſe vniuerſus: ideoque Seraphim & Cherubin illis in tertio choro præoccupauerunt iam donũ, & ipſis aliud nomen inditũ eſt, ita vt throni dicantur. Thronus porro ſedes magnifica & regia eſt, vbi rex in ſua reſidet maieſtate, ſic poſt charitatis & ſapientiæ donũ, virtus quietis & pacis ſequitur. eam qui habent, angeli throni dicũtur, quoniam in ipſis deus ſuauiter cõquieſcit in pace: & huiuſmodi ſufficientia mẽtis ſequitur ex præuia dilectione & ſapientia diuina, authore Bernardo. nosq; homines diſcamus hinc à Seraphim diligere deum & à Cherubim deum & diuina cognoſcere, à throno quietam habere & pacatam animi tranquillitatem. Doctores, quum de beatitudine loquuntur, conſtituunt eam in tribus in fruitione, viſione & tẽtione. alij ponũt delectationem. vide diſt. 1. primi, & 49. quarti. Ex hac fruitione diuinæ præſentiæ per ſummam charitatem, ex aſpectu & viſione eſſentiæ eius, & poſſeſſione ſiue tentione illius ſecura, neceſſe eſt delectationem hinc oriri, & exultationem ineffabilem (an autem tentio ſit diſtinctus actus ab aliis, remittimus ad ſcholas: nam communiter ſolet dici, charitati ſuccedit fruitio, fidei viſio, & ſpei tẽtio. exte de, vt lubet, quia eſt elegãs materia.) Sicut ergo tria hęc quę in beatitudine præcipua ſunt ita ſummi tres chori angelorũ diſcernuntur, & in ſuprema hierarchia reponuntur. nulla enim ſublimior dignitas puræ creaturę obuenire poteſt, niſi vt hæc tria conſequatur. imo & ipſa glorioſa humanitas Chriſti. quanuis verbo æterno vnita ſit in vnitate perſonæ. non tamen erit contenta niſi hæc tria haberet. Et horum ordinum meminit Paulus, dicẽs de Chriſto, quia eſt imago dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principat⁹, ſiue poteſtates. Ecce 4. ordines hic Paulus commemorat, vnũ ex ſuprema hierarchia, vnum ex infima, & duos ex media, volens per hoc docere, vnionẽ illam & cõnexionem quam inter ſe habent chori angelorum & hierarchiæ, non eo tantũ, quod in vnum finẽ tendunt omnes ad caput ſummum Chriſtum, ſed etiã ideo, quia ſemper hierarchia ſuprema cõmiſſionem dat iis, qui inferiores ſibi ſunt in choro proximo. Quod enĩ ſupremi citra mediũ vident & addiſcunt in eſſentia dei, idẽ chor⁹ throni reuelat mediæ hierarchiæ: quę in quo illuſtratur

Bernard.

Coloſſ. 1.

turà ſuperiori, idem demandat iubetq; exterius tranſigi & confici hic in terra officio ſeu miniſterio infimę hierarchię.

4 Expediti iam de ſuprema hierarchia, deſcendamus ad mediam. in ea tres quoq; ſunt chori. primus dominationũ. nam ſicuti ſupremi angeli deo tantum adhærent, & cum eo manent in diuina ipſius contemplatione, ita incipit 2. ſtatim hierarchia reſpicere ad gubernationem vniuerſi mundi. ſiquidé per illos angelos in choro dominationum regit deus mundum hunc, dum illi alios habent angelos ſibi ſubiectos, quibus vlterius agendi officium iniungũt, ſicuti deinceps in reliquis choris explicabimus. Sunt enim illi inſtar dominorum qui reliquis imperant angelis, quo ad mundũ hunc externum. Dionyſius arbitratur nomine dominationũ, intelligi ſtatum ſeu ordinem ſublimioré, omnis miniſterij expertem, totaq; mente conuerſum ad deum, participé quoq; eſſe ſemper dominantis diuinitatis. Secundus huius hierarchiæ. chorus, virtutũ eſt. id ita intelliges, ſi quando dominantium ordo demonſtraret ex viſione dei quid ſit in mundo faciendum: ibi virtutum ordo ſeu chorus adeſt, paratus implere illud & quicquid diuinæ ordinationi conſentaneum eſt exequi, & impedire ſi quid illi aduerſetur. Atq; hinc eſt quod præclara illa miracula per Chriſtũ facta & ſanctos dei, huic ordini virtutum tribuuntur cuius chori angeli, ſunt inſtar eorum qui in exercitu capitanei exiſtũt, quicquid enim per dominũ cum ſuis cõſiliariis cõcluditur, horum exequutioni demandatur. Atq; de iis putant nõnulli loquutũ eſſe Chriſtum apud Lucam, quũ dixit, Sol obſcurabitur & Luna non dabit lumé ſuum, & ſtellæ cadẽt de cœlo, & virtutes cœlorum cõmouebũtur. tunc patebit ſignum filij hominis. Hinc colligũt quidã, cœlos ab angelis moueri eſſetq; ea ratio euidens admodum de honorãdis diligentius angelis, quum tantum boni, imo quicquid vſquã creſcit, à cœli proficiſcatur influxu. Iã vero cœlum in hæc inferiora operatur per tria, lumé, motum, & influentiã. Vnde Ariſtoteles in lumine naturali hoc vidit, ſcilicet ſuprema corpora, hoc eſt cœleſtia, moueri ab intelligentiis aſsiſtentibus, & etiam numerauit illas ſubſtantias abſtractas ſecundum numerum mortuum, licet in hoc defecit, quod arbitratus eſt tam paruũ eſſe numerum illarum altiſsimarum cauſarum. Poſuit enim, vt ex verbis ſuis elici poteſt 49. licet aliqui plures, aliqui pauciores

Dionyſ.

Matt. 24.

apud eum faciant intelligentias, secundum quod variã opinantur de motibus cœlorum augis & deferétis augẽ & epycli, &c. (Videas cõmẽtarios nostros super librum de cœlo,
Picus. qui est liber sapiẽtia Aristotelis dignus, ait Ioãnes Picus comes Mirandule.) ¶ Quumq; angeli cœlum moueãt, solem & lunã, vtiq; omnis bonitatis nobis sunt authores, quæ quidem ab influentia cœli promanat: ideoq; pro omnibus naturalibus donis & fructibus terrę angelis dei gratias agere debemus, deumq; laudare & munificentiam ipsius cõmendare, qui tã nobiles nobis administratorios spiritus deputauit. (Videas super illo specialiter, quomodo virtutes, hoc est, ex choro virtutum moueant cœlum, sanctum Thomam in tra
Veneto. ctatib⁹, opusculo decimo, articulo decimooctauo. vbi respõdet quæstiunculis magistri Ioannis de Vercello. In quo opere multa pertractat de virtute motiua angelorũ: & in eo opere sequenti, vbi respõdet lectori Veneto. Vide doctores in secundo, distinctione prima, vbi sanctus Thomas, & meminit distinctione tricesima septima primi, quæstione quarta, articulo primo. Aliqui etiam mouent in distinctione octaua, secundi, vt Scotus. Sed vtcunq; sit, cum dignius nõ agat propter indignius, tenenda est beati Dionysij sentẽtia capite tertio cœlestis hierarchiæ, Quod angeli circa nos operantis, vltimus finis est, vt diuinã similitudinẽ consequatur, deo cooperãdo in reductione inferiorum in ipsum deum, & voluntate dei in hoc implendo.) Tertius mediæ hierarchiæ is est, quem potestatem nomine exprimimus. (Potestates sunt Galtheri) angeli ij potestatem habẽt dæmones eiiciendi, ho-
Tob.8. mines custodiẽdi à malo, dæmones vinciendi. Hinc sunt qui putent ex hoc ordine fuisse Raphaẽlẽ, quia cõprehẽdit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Aegypti.
Apo.20. sic quum legimus illud quod Ioannes ait, Vidi angelum descendentẽ de cœlo, habentẽ clauem abysi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentẽ antiquum, qui est diabolus & sathanas, & ligauit eũ per annos
Coloss.1. mille. ¶ Angelus hic ex potestatibus fuit. vbi si dicas, induxisse me iam supra Paulum, qui principatus collocat super potestates, atq; id ordinationi huic esse contrarium. Respondetur, quia quanuis Greg. & Bernard. ex hoc Pauli loco ordinem chororum desumpserunt, attamẽ quum eo loco Paulus nõ descripsit, sed alibi potius, vbi volẽs indicare Christũ exaltratum

exaltatũ esse super omnia, choros quoq; in suo ordine collocauit iusto, dicens, Suscitauit deus Christum à mortuis, constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum & potestatem & virtutẽ & dominationẽ. Ecce ibi incipiés ab imo, ascendit sursum versus, collocãdo angelos in eo ordine, quẽ ipsi quoq; supra constituimus. Nos iã sanctorum angelorum opem imploremus & auxilium, &c. *Ephes. 1.*

HOMILIA SEXTA IN DIE SANCTI Michaëlis archangeli.

¶ *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei qui in cœlis est. Matthæi 18.*

QVANDOQVIDEM angelica creatura & nobilissima sit & proxima deo, omnia autem quæcunq; à deo sunt ordinatissime fiant: iuxta dictũ Pauli, superiori homilia probauimus & ostẽdimus, quã ordinate deus angelos omnes per hierarchias & in singulis illis choros tres creauit, de eorum officiis & conditionibus disseruimus, quo ad supremam & mediã hierarchiam, nunc porro de infima quoque nonnihil agamus, quæ nobis eo magis aperta est, quo propior, quoque magis illa sine medio omnia mysteria sua nobiscũ exercet. In hac infima hierachia chorus primꝰ est principatuum. horũ officiũ existit, summos orbis principes & monarchas tueri, puta pontifices, imperatores, reges, magnosque principes. Secundus ordo ex archangelis constat, atque illorum officium est, vniuersam prouinciam defendere & tutari, ducatum integrum, diœceses, ciuitates, &c. Tertius chorus angelorum est, qui singulares regunt & custodiunt personas. de iis loquutus est dominus, dicens, Angeli eorũ in cœlis semper videt faciem patris mei qui est in cœlis. Aue Maria. ¶ Simul atq; ad infimã iam peruenimus hierachiam, cuius angeli à deo humanę deputari sunt custodiæ, iam porro de hac re dicturi, conclusionem principio ponimus huiusmodi, Deus ex suæ gratiæ immensa largitate ita ordinauit, vt angelus substantia nobilis & spiritualis, custodiẽdo homini deputetur, quod tamẽ nõ vergit in detrimentũ angeli, sed magna nostra requirit necessitas Testantur id sacræ literæ, quũ Dauid inquit, Angelis suis mandauit de te, vt custodiãt te in omnibus viis tuis. Loquutus est *Rom. 13.* *Psal. 90.*

hoc Dauid ad Christū, quanuis non de sua intellexerit persona, sed de membris & omnib⁹ hominibus. neq; enim hoc recte intellexerat diabolus, ratus de Christi hoc dictum esse persona, quando obiecit ei in deserto, verum is eius intellectus falsus erat. nam Christus angelum sui custodem non habuit, quia ab angelo illuminari non potuit. ad hæc ipse quoque fuit omniscius, eo quod in eo thesauri oēs sapientiæ & scientiæ dei erant reconditi. plenus etiam fuit gratia & veritate, ita vt non posset à via veritatis recedere, ideoque nec angelo indiguit. Præterea omnipotēs per se fuit, vnde præter suam voluntatem nulliusviolentiam potuit sustinere. nā quod in mortem oblatus est, hoc ipse voluit, atq; ideo angelica custodia opus non habuit. Quid quod nec decuit illud, quum dominus sit angelorum omnium, vt custodientem se haberet angelum? quia veluti iurisdictionem quandam habent angeli in hominem, cuius curam habent, sed in Christū habere nullam potuerunt, sed obediēter ei inseruierunt: iuxta illud quod scriptum est, Reliquit eum diabolus, & ecce angeli accesserunt & ministrabant ei. ¶ Diceres, atqui malum angelum habuit Christus, qui eum tentauit, quur ergo non etiā bonum sui custodē? Deinde Lucas, ait, in mōte oliueti veniisse angelum ad eum, & cōfortasse eum quum sudaret præ anguſtia sudoré sanguinis. cōfortare autem opus est angelicæ custodiæ. Respondetur ad primum, quod diabolus dominum tētauit, voluntate ipsius factum est, quod tentauit exterius, nā intrinsecus animam eius tētare nō potuit. neq; hoc in eo factum est ad ipsius probationē, quod in nobis fieri solet, sed tantum in confusionē diaboli & eruditionem nostram. atq; ideo proprie dicit euāgelista, Ductus est Iesus à spiritu (scilicet sancto) in desertū, vt tētaretur à diabolo. Vide homilias super hac re in parte prima. ¶ Ad alteram obiectionem de angelo qui dominum cōfortauit) licet dominus Antisiodoren. libr. 2. sit singularis, quod Christus proprie habuerit angelum custodē, & ita vere cōfortauerit Christum secundum humanitatē, at in hoc relinquas, quia anima Christi fuit beata ab instanti creationis. quomodo ergo angelus præfuisset ei?) respondemus quod angelus iste proprie loquendo dominum nō confortauit, sed se habuit in modum confortantis, seruiliter, tamen, non dominio angelico, quasi superior eo fuisset verum sicut sæpenumero

domino

Cloſſa. *Ioan. 1.* *Eſa. 53.* *Mat. 4.* *Luc. 22.*

domino dicit seruus in conflictu vt pugnet fortiter, ita hic angelus Christum confortauit. hoc est, fortitudinem ipsam Christi alloquendo gratulatus est ei, quoniã omnia illa superaturus & homines esset redempturus. Theophylactus pulchre hoc exponés, sic ait, Visus est ei angelus, confortans eum. idq; ad nostram cõsolationem, vt orationis virtutem discamus, eo quod confortet. quumq; didicerimus eam, in grauibus periculis non prætermittamus. Interea etiã contemplemur ea quæ dicta sunt à Moyse in magno cantico, Confortentur in eo omnes filij dei. (Cauticũ magnũ Moysi, est cãticum Deuteronomij 32. At illa verba nõ habentur in trãslatione nostra. recurri ad Hebræum, neq; ibi inueni. sed dum sumpsissem editionẽ Septuaginta in manus, sic reperi ibidem circa versum, vbi nos legimus, Laudate gentes populũ eius, quia sanguinẽ seruorum suorũ vlciscetur. Septuaginta legunt, Lætamini gentes cum populo eius, καὶ ἐνισχυσάτωσαν αὐτῷ πάντας υἱοὶ θεοῦ, hoc est, roborétur seu cõfortétur in eo omnes filij dei. Et cũ ꝓculdubio Theophylactus Græcus secutus sit editionẽ Septuaginta, confectariũ est, quã temere Oecolãpadius corruperit sententiã Theophylacti, versione sua. Ná cum textus habeat, quod filij dei confortẽtur in eo, totum mutauit hæreticus & vertit, quod filij dei cõfortent eum. Vereor eũ in multis locis vitiasse, ex deprauato animo suo & peruerso Theophylactũ. Vtinã aliquando prodeat, qui errata Oecolampadij nobis ex integreo cõmonstret in illo opere, quod Parrisinus quidã polliticus est. Deus faciat, vt præstet pollicita.) Porro, inquit Theophylactus, quod nonnulli illud sic explicarunt curosius, quia apparuit ei angelus, glorificãs eum & dicens, Tua est domine fortitudo: tu enim prævaluisti contra mortem & cõtra infernum, & liberasti genus humanum: in eandem pene sententiam audire me memini prædicari passionem Christi Romæ in die Parasceues, quod angelꝰ Christo omnem monstrarit plebem se expectantem & liberationẽ præstolantem: siquidẽ ipse solus fortis esset & potẽs in prælio, rex glorię, qui infernũ debellare posset. Quid multa? cõstat Christũ purum hominẽ, nullũ angelũ sui custodẽ habuisse, sed omnes angelos eius ministros fuisse. 2 Conquiescimus ergo nostra cõclusione, quod quilibet homo angelum habet custodientem se hanc cõclusionem fortius adhuc sa-

Theoph.

Deut. 32.

Oecolã.

Theoph.

crarũ literarũ teſtimoniis cõfirmemus. Sapiens enim ſic ait,
Eccle.17. In vnãquanq; gentem præpoſuit rectorem. ait Gloſſa, an-
Eſa.62. gelos illos eſſe. Et Eſaias inquit, ſuper muros tuos Ieruſalẽ conſtitui cuſtodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebũt. Muri, vt Gloſſa teſtatur, ſunt apoſtoli: cuſtodes autẽ, angeli. Ad hæc, in Actibus apoſtolorum legimus, quod
Act.11. pulſante Petro in ædibus Mariæ, quæ mater erat Ioannis, qui cognominabatur Marcus, iamque ancilla Rhode denũciaret eis Petrum præ foribus eſſe dixerũt, Angelus eius eſt. ¶ Et quid multas deſideramus ſuper hoc ſcripturas, quum dicat hic dominus, Angeli eorum in cœlis (loquens de paruulis) ſemper vident faciẽ patris mei qui eſt in cœlis? Ait
Hieron. ibi Hieronymus, Magna dignitas animarũ, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis ſuæ angelum ad cuſtodiam ſuam deputatam. Atque in hoc diuinæ ſapientiæ conſpicimus ordinem, quoniam illa ſecundum regulam Dionyſij ſic adminiſtrat res, vt infima per media ducat ad ſuprema. quis enim dubitet deum per ſe ſufficientem ſatis eſſe & potentẽ ad gubernandũ? ſicut & præcipue nos cuſtodit & protegit,
Pſal.120. & 26. dicente Dauide, Dominus cuſtodit te, dominus protectio tua. Et alibi, Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Abũdat eiuſmodi locis tota ſcriptura. Diceres autẽ, ordinẽ hunc ſapientiæ conſentaneum nõ eſſe vt creatura nobilior, cuiuſmodi eſt angel⁹, inferiori ſeruiat, puta homini. id enim ordinem peruerſum arguere videtur. Reſpondetur, quod angeli nos cuſtodiũt, miniſterium vtiq; eſt, quoniã ſic Pau-
Hebr.1. lus ait, omnes illos adminiſtratorios eſſe ſpiritus, in miniſterium miſſos propter eos qui hæreditatẽ capient ſalutis. veruntamen non ideo ordo iſte peruerſus eſt, ſed admiranda tum bonitas tum ſapientia dei, quum nihil per hoc angelicæ nobilitati decedat. Principio enim non facit hoc angelus in reuerentiam hominis ex ſe, ſed obedientia dei, non ſecus atque indies vſu venire ſolet in aula: vbi nobiles ſemper aſſiſtunt principi ſuo, ad quem ſi forte ſubditus quiſpiam veniat pauper, adiungit ei princeps nobilem aliquem, qui ipſum huc aut illuc deducat ad negocium ſuum exequendũ. ibi nobilis inſeruit pauperi, non propter ipſum, ſed quia iuſſit princeps. Sic angelus cuſtodia non eget, ſed homo miniſterio eius opus habet. Altera cauſa, quanuis angelus ratione

tione naturæ nobilior est homine, ipsos tamen charitas æquat: & ideo quum angeli diligant homines, cupientes vt & ipsi saluarentur, gaudent etiam super vno peccatore pœnitentiam agente. Ex charitatis igitur affectu inseruiũt nobis, nostramque studeñt promouere salutem. Ad hæc nihil per hoc angelorum dignitati decedit. nã per hoc quod angelus hominem custodit, non subditus est ei, nec subest, sed præest, potestatem quandam superiorem habens in eum. *Luc. 15.*

3 Quid quod rationi quoque multum consentanea est hæc angelorum custodia? quia hinc diuina sapientia elucescit, dum creaturas rationales ita inuicem connectit, vt terrena creatura, qualis homo est, per angelum deueniat ad deum. Nam quũ hic homo inter hostes suos versetur, diuina bonitas ei prospexit de adiutorio aduersus peccatũ, quia interius dedit ei liberum arbitrium cũ gratia assistente, exterius autẽ meritum Christi, adminiculum angelorum, quo multũ indigemus in ipso adhuc vtero matris, ne ibi statim suffocãdo nos interimat diabolus. vix dum natus infans, angelica vel maxime indiget custodia, ne pereat sine baptismo. baptizat⁹ adhuc magis eget angelo, ne in peccata pertrahatur à diabolo, vel in peccata collapsus ne perseueret. Morituri porro & extrema iã trahentem suspiria hominẽ, omnium maxime tentat diabolus, atq; conatus eum in desperationis barathrum præcipitare, vel in aliũ quemcunque malum finem adducere iuxta illud quod ait deus, Tu insidiaberis calcaneo, hoc est, vltimo eius fini. ideoque hinc etiam angelico indiget auxilio homo, vt queat diabolicæ tẽtationis resistere. ¶ Post morte quoq; adhuc adest accusator, deferens hominem apud deum, & commemorans opera eius mala omnia quæ vnquam commisit in vita. vnde accusatorẽ fratrum eum recte appellauit Ioannes. & ideo hic quoque homo angelo opus habet protectore & patrono, dicente Iob, Si fuerit pro eo angelus loquens vt annunciet hominis æquitatẽ, miserebitur eius. Multas hic volés prætereo quæstiones, an etiam primi parentes nostri in paradiso angelos habuerint, an idem angelus multos succesiue custodiat homines, an etiam animæ in purgatorio habeant custodientes se angelos, an multi vnum custodiant hominem angeli, an Maria quoq; angelũ habuerit custodem. nam ad ministerium nemo dubitat eam multos habuisse, vt Gabrielem & *Gene. 5.* *Apoc. 12.* *Iob 33.*

Can.5. alios: iuxtà illud Sapientis, En lectulũ Salomonis sexaginta fortes ambiũt ex fortissimis Israël. lectulus, Maria ipsa est. sexaginta fortes, multitudinẽ designãt angelorũ. ¶ Circa custodiã porro singulorũ hominũ secundũ est, quod necessariũ nõ est angelum semper præsto esse homini. vsu enim euenire potest, vt ipsa hominis exigat necessitas, angelum in alio loco esse ad prẽcauendum aliquid imminens malum, aut ad conuertendum illud in bonum, quomodo sæpius in ministerio nostro esse angelos certum est, vel dormientibus nobis. vel alias ignorantibus. & tamen tunc angelus hominem sine custodia nõ deserit, agnoscens in ipsa essentia diuina (semper enim videt faciẽ patris cœlestis) quãdo sua

Grego. custodia sit opus homini. nã, vt ait Gregorius, quid nõ videt. qui videntẽ omnia vident? Quãuis hoc quoq; fieri potest, vt angelus quispiã interdũ alio se conferens, ministerij

Zach.2. sui officium alteri cõmittat, qđ ex Zacharia colligi potest, quum ait, Ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur: & alius angelus egrediebatur in occursum eius, & dixit, Curre, loquere ad puerũ istum, &c. Hic angelus officium sunm tradit alteri. atq; sic huc illuc permeant, quũ sit in illa cœlesti Ierusalẽ multitudo multorũ milium angelorũ, qui om-

Heb.1. nes administratorij sunt spiritus, in ministeriũ missi propter eos qui hæreditatem capient salutis. 4 Vt aliquãdo finiamus, sequitur ex supradictis, fieri posse vt angeli duo boni sint sibi contrarij, si finalẽ nesciant voluntatem dei, sicut & homines sæpe sine peccato aduersantur sibi mutuũ. id adeo multa testantur sanctorum exempla. nanq; & Barnabas vo-

Act.15. luit aliquando assumere secũ Ioannẽ, qui cognominabatur Marcus, Paulus autem rogabat non debere eũ recipi, vt qui discessisset ab eis de Pamphylia, & nõ isset cum eis in opus. Facta ergo est dissensio, ita vt discederent ab inuicem. Ecce quomodo sine inuidia & odio boni etiã homines dissentire nonnũquã possunt. Arq; inter angelos quoq; similiter. Nã

Dan.10. Daniel refert angelũ ad se dixisse, Princeps regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus, & ecce Michaël vnus de principibus primus venit in adiutoriũ meum. Vult Gregorius angelos illos fuisse ei genti præfectos, quando quilibet

Grego. eorum pro suo populo dominũ rogauit. angelus enim Persarũ videbat ex cohabitatione Iudæorũ Persas suos meliores fieri, & quotidie ad cognitionem veri dei & fidei peruenire

nire magis, vnde cupiebat Iudæos diutius ibi manere, vt incolæ plures essent conuersi. Angelus autem Iudæorum nihil magis expetebat quam liberationem Iudæorum, vt sic cultus diuinus in Iudæa augeretur, & lex diligentius seruaretur. Atque id tamen totum non sic absolute debet intelligi, quasi angeli boni & beati contrarias habeant voluntates: sed quia interdum in futuris contingentibus ignorant, quæ sit certa dei voluntas, vtriusque partis meritum proponũt, tantisper dum eis voluntas diuina significatur. tunc amplius non repugnant, sed dicunt, Fiat voluntas tua. Eoque respexit Iob, quum dixit deum facere cõcordiam in sublimibus, hoc est, angelis suis. Merito itaque commendare & venerari debemus sanctos angelos, qui nos ab ipsis iam inde incunabulis vsque in mortem custodiunt, qui non malignis tantum dæmonibus, sed & omnibus inimicorum insultibus resistunt, nõnunquam etiam boni angelis, dum vltimam finalemque ignorant dei voluntatem. Deus gratiam suam concedere dignetur, vt & angeli nobiscum pro sua lætentur custodia, & nos pro exiguis & inutilibus per se meritoriis nostris operibus in æterna patria, Amen. *Iob 25.*

HOMILIA SEPTIMA, IN DIE sancti Michaëlis archangeli.

Ascendit angelus de Galgalis ad locum flentium, & ait, Eduxi vos de terra Aegypti. Iudic. 2.

DICENDVM hic est dilectissimi, quid nobis vtilitatis angelorum afferat custodia, & quid operationis atque virtutis illa in se habeat, vbi commodum se locus ille mihi obtulit ex historia Iudicum. Verum antequam progrediamur, nõnihil præmittendum est de multiplici multũmq; diuersa custodia. sicut enim in quadã superiori homilia cõmemorauimus, quemlibet hominem suum propriũ habere angelum, ita iam hic ex hoc loco apparet, angelum istum totius populi fuisse custodem, nõ vnius singulariter hominis. Constans igitur hęc doctorum sententia est, quod quanuis deus præcipue non hominum tantũ omnium, sed & totius mundi custos est, (iuxta illud Iob, Quid faciam tibi ô custos hominum?) Ille tamen per media quædam custodit. (non tamen excludendo quin deus sit causa immediata omnium rerum, vt in cõmentariis nostris super 2. Phys. latè deduximus) atque sic custodia ad *Iob 6.*

totam infimam hierarchiam pertinet, quod illi tres chori seu ordines angelorum, archangelorum & principatuum, officium habeant sibi iniunctum humanæ custodiæ. Et angeli quidem infimi ordinis, singulares & priuatos custodiunt homines, & alia quædam exigua, villas, vicos, arces, oppida. Archangeli autem principes & optimates, episcopos & archiepiscopos, ducatus, diœceses, regiones integras & amplas hominum congregationes. Principatus vero curam habent regum regnorúmque, imperatorum, pontificum, & totius
Eccle.17. Christianissimi. Id adeo Sapiens testatur, quum inquit, In
Esa.62. vnam quáque gentem posuit rectoré. & Esaias, dicens, Hierusalem super muros tuos posui custodes. Vtrinq; exponit Glossa angelos. Et de principatibus quod custodiant regna,
Dan.10. manifestum sit ex Daniele, apud quem multa narrat angelus de principibus Persarũ, Græcorum & Iudæorũ. Quod autem illi fuerint angeli, hinc liquet, quod principem synagogæ Iudæorum aperte commemorat S. Michaëlem, qui princeps est angelorum, sicut in sequenti dicemus homilia.
¶ Sequitur inde, quod quemadmodũ homo quispiam priuatus in dignitatibus ascendit, ita plures & excellentiores cõsequitur angelos. (vide theoricam Lyræ super Apocalypsim.) Sic nimirum, quum quis adhuc viuit vt priuatus, an-
Apoc.10. gelum habet sui custodem ex infimo angelorum ordine. si fiat ille princeps aut episcopus, tunc archãgelum babebit ex secũdo angelorum choro. Quod si adhuc rex fiat aut papa, ex principatibus vnus ei adiungitur. Vis exemplum? En tibi pontificem Pium, is quum primum secretarius esset, factus est inde episcop⁹, mox cardinalis, tandé papa. Nec est quod putes primum angelum ideo ipsum relinquere, quia quandiu dignitatem seruat. etiam angelum retinet eius custodiæ deputatum. Vnde sequitur, hominem vnum posse triginta aut plures habere angelos sui custodes. sic catholica Cæsarea maiestas multos habet angelos pro imperio, pro omnib⁹ suæ Cæsareæ maiestatis regnis, pro ducatibus cunctis, &c.

2 Quum iam satis diffuse custodias angelorum enarrauimus, porro dicamus quid in se custodia habeat, quid inde vtilitatis nobis proueniat, Quandoquidem ex cõmuni doctorũ sententia superiores angeli semper apud deũ manent, assidentes ei: illi autẽ ex inferiori hierarchia emittuntur ad
Deute.7. homines, iussu tamen & illuminatione superiorũ, à quibus com-

commissionem capiunt & virtutem, nonnunquã etiã nomen eorum sibi vsurpant, vt quũ supremi angeli qui virtutes dicuntur, officiũ habeant operãdi miracula, illud tamen inferioribus cõmittunt angelis, qui hoc opere ipso exequuntur? sic potestates officium habent dæmones arcendi, verum hoc interim inferioribus angelis iniungũt. Atque hinc propheta dicit, Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, nõ accipiendum est hoc authore Dionysio ca. 15. de cœlesti hierar. de ipso supremo ordine Seraphim, quasi ex illo vnus se demiserit ad pphetam, sed quia vnus ex eis qui humanæ sunt deputati custodiæ prophetã mundarit, & ratione officij nomen illud ei datum sit, quoniã prophetã in mente sua totum accenderit, à peccatis purificarit, planéq; abripuerit in feruore obedientiæ dei. Ad lõgum explicat ille, quomodo deus initiũ est omnis lucis & illuminationis, quã supremi angeli vberius recipiunt, & per illos diuinũ iubar deriuatur ac diffunditur in angelos inferiores. Hinc etiã nomina illuminatiua & perficientiũ suscipiunt. Atque hinc iam intelligitur, quomodo omnes angeli nobis sint spiritus administratorij, etsi nõ omnes ad nos demittãtur. ¶ Porro vt ad angelicæ custodiæ vtilitatẽ veniamus, primum occurrit hic mihi ex loco illo quẽ ab initio induximus, quod angeli hominem peccatorem ad pœnitentiã mouent. ita enim legitur, Angelus domini ascendit de Galgalis ad locũ flantium, & ait, Eduxi vos de terra AEgypti, & ita vt duntaxat nõ feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, & aras eorum subuerteretis, & noluistis audire vocẽ meam. Quur hoc feciſtis? Quumq; loqueretur angelus domini hæc verba ad omnes filios Israël, eleuauerũt vocem suam, & fleuerunt. Ecce quomodo angelus ad pœnitentiam eos adduxit. O quoties tibi quoque subit in animum cõuersio ad deum & pœnitentia. at quis hæc tibi suggerit? angelus sic tuus tecum loquitur, te de peccato corripit, volens te ad pietatem adducere & sanctam conuersationem. Extende ad placitum.

Esa. 6.

Diony.

Iud. 2.

3 Argumentum & hoc est in angelorũ custodia, quod illi à nobis ad deum ascendunt, rursusque ad nos descendũt, sicut vidit Iacob in scalis, quæ ad cœlum vsque porrectæ, angelis præbebãt ascendendi & descendendi locum. Ascensus ille vitam significat contemplatiuam, quam semper habent

Gene. 28.

angeli essentiam videntes diuinam, neque interim minue descendunt ad ministerium nostrum, ita vt simul viram viuant actiuam & cõtemplatiuam sine omni impedimento. id
Matth.1. etiam dominus hic declarauit, dicens, Angeli eorum (ecce, per hoc, ministeriũ eorum quod habent in terris, insinuat) in cœlis semper videns faciẽ patris mei qui est in cœlis. Vbi vita eorum cõtemplatiua quam habent in cœlis, declaratur, hoc enim nobis sciendum est, quod angeli iam essentialiter sunt beati, neque porro beatitudinẽ sua mœrentur, eo quod nobis ministrant. nam quãuis gaudium habeant accidentale ex beatitudine hominum, qua ruinæ ipsorum restaurantur & implentur, atque genus humanum rursus deo reconciliatur, & quia Christꝰ in membris suis exaltatur dicẽte domi-
Luc.15. no, Gaudium est angelis dei super vno peccatore pœnitentiam agente, nihil tamen hoc ad essentialem angelorũ facit beatitudinem. quam eis dat secundum merita sua. Vicissim nihil angeli decedit ex lapsu & damnatione quoque eorum quos custodiunt, nisi quod accidentale istud gaudium amittunt: ergo proprie loquendo, nõ dolent de damnatis neque tristantur, nisi quia admirantur profunditatem iudiciorum dei, sicque in opere tales se gerunt, quales qui mœrore affi-
Esa.33. ciuntur. sic Esaias prædixit fore, vt angeli pacis fleant amare. Et sic inualuit consuetudo pingendi dolentes & tristes angelos circa iudicium Christi, nullus autẽ beatus flere potest (in Christo fuit speciale, quod beatitudo nõ redundabat in portionem inferiorem) neque lugere. vnde neque angeli mœrent proprie, etiam si homo cuius curam habuerãt, non seruetur sed quum id dicitur, sermo est illi similis, quem re-
Gene.6. fert scriptura dixisse dominũ, Pœnitet me feciſſe hominem, nõ quod proprie pœnitere facti sui possit deum, sed quia in opere talem se exhibuit, vt solẽt quos pœnitet alicuius rei, quoniam etiam volebat eos delere de terra. Atqui moris est apud nos, vt si quis quod fecerat volens, rursus cõfringat, de eo dicamus quia pœnituit ipsum. vnde simile est de angelorum fletu iudiciũ. Non enim flent illi, sed tamẽ similes sunt (si opera eorum consideres) dolentibus. An autem à principio sciat angelus hominem quem custodit, saluandum esse vel non, scripturæ testimonium certum nõ extat, ideoq; in beneplacito illud diuino cõsistit. ¶ Rursus & hoc verũ est, quod maligni dæmones multum gaudent ne dãnatione hominum

minum, vicissim dolent animas sibi eripi & saluari. eo enim ipsos adigit odium dei & hominum, de quo psaltes diuinitus ait, Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. Quumque sic oderint deum, lætantur in perditione hominum, qui & ipsi in æternum deum blasphemabunt. Atq; in causa est gaudium, quando res eis ex sententia cadunt, iuxta illud Sapientis, Desiderium si compleatur, delectat animam. non quod dæmones dãnati gaudium verum habere possint, sed gaudium istud vanum, inane & immundum totum est, multa cum amaritudine & tristitia cõiunctum, nõ secus atque iratus gaudet data sibi occasione vindictæ, quæ res tamen ei pœne & supplicio est. 4 Tertium quod nobis angelica secum custodia affert, est quod hominem adiuuant in operando bonũ, eumque alias collapsurum retinent & confirmát. Statim enim quum in foribus esse ruina videtur, angelus præsto est, exhortans hominem ad perseuerandum in bono. Eius rei figuram habemus in historia Regum, quando angelus domini tetigit Eliam, & ait ad eum, Surge & comede. grandis enim tibi restat via. Qui quum surrexisset, comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsq; ad montẽ dei Oreb. sic consolatus est Raphael Tobiam, dicens, Forti animo esto, in proximo est vt à deo cureris. sic confortauit etiã angelus Iosue, Sicut fui, inquiẽs, cum Moyse, ita ero & tecum. non dimittam nec derelinquã te, confortare & esto robustus. Neq; hic te moueat quod dicitur, dominum esse loquutum. quandocunq; enim in veteri testamento scribitur, apparuisse dominum, dominum aliquid dixisse, non putandum est dominũ essentialiter apparuisse vel esse loquutum, sed angelum loco dei, sicut pulchre hoc declarat Aug. Id inde colligitur. quod descripturus legem sibi diuinitus datam Moyses, sic exorditur, Loquutus est dominus cũctos sermones hos. Ego sum dñs deus tuus, qui eduxi te de terra AEgypti, de domo seruitutis. atq; hinc sequuntur decem præcepta cum reliquis legibus Mosaïcis. Fuisse autem hunc angelum, non deum ipsum, testatur Stephanus dicens, Accepistis legem in dispositione angelorum, & nõ custodistis. Quæras, quum ille qui loquutus est ad Moysen, angelus fuerit, quur se deum vocat? Respondet Augustinus lib. 3. de Trini. cap. 11. Quia quum verba iudicis præco pronunciat, nõ scri

Psal. 103.

Prou. 13.

3. Reg. 19.

Tob. 5.

Iosue 1.

Exo. 20.

Act. 7.

Augustin.

bitur in gestis, Ille præco dixit, sed ille iudex. Ita etiam loquente propheta sancto, etsi dicamus, Propheta dixit, tamē nihil aliud quam, Dominus dixit, intelligi volumus. insuper, quum dicimus dominum dixisse, nihil prophetæ detrahimus. admonendo potius insinuamus, quisnam per eum sit loquutus. Atque hoc præcipuum quiddam est in angelica custodia, quod loco dei loquuti sunt angeli patribus antiquis. Quartum porro quod nobis angeli custodia præstat, illud est, quod hominē à peccato retrahit & prēmunit. Vtique enim longe grauius peccaret homo, nisi ab angelo suo
Num. 22. impediretur. Exemplo id hoc nobis esse poterit, quod quū abiret Balaam maledicturus populo Israël, in via stetit ei angelus gladio euaginato, prohibens asinā quo minus pergere posset, sed eam loqui fecit, & tamen ipsum tandē procedere iussit, vetans ne aliud quam præcepisset loqueretur, sic sæpe impediūt angeli profectionem, quę homini poterat esse impedimento ad salutē. Quinto loco numerabimus mi-
Dan. 3. tigationem tentationū. id nobis testatur Daniel, quia quum tres pueri essent in caminum ignis præcipitati, descēdit angelus domini cum Azaria & sociis eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventū roris flantem, & nō tetigit eos omnino ignis neque cōtristauit, nec quicquam molestiæ intulit eis. In eius rei argumentū quum angelus domini luctatus esset cum Ia-
Gene. 32. cob, post acceptam benedictionem cōfortatus est ille. & antea tetigerat angelus femur Iacob, & neruus eius emarcuit. sic marcescit tentatio carnis per tactū angeli. Multi sunt qui variis afficiuntur tentationibus, alij superbia, alij libidinis vexantur pruritu: iis vt tentatio mitigetur, tangit angelus carnem eorum, quatenus marcescat, debilitetur, & tentatio praua euanescat. Ideoque ægritudo per bonos & malos angelos immitti alicui potest. Ad hæc iam sufficiant, &c.

HOMILIA OCTAVA ET VLTIMA in feriis S. Michaëlis archangeli.

Michael & angeli eius præliabātur cum dracone. *Apoc. 12.*

MEMINI superiori homilia dilectissimi in Christo, cœpisse me de angelorum dicere custodia, neque tamen absoluisse. nunc ne res ea in suspenso maneat, ad finē deducemus illam, vbi tamen prius

prius de S. Michaële nonnulla dixerimus. quanuis enim dies hic sacer sit omnib⁹ angelis, tamẽ peculiariter dicitur sancto Michaëli esse sacratus, vnde & nomen habet. eius rei rationes plurimæ sunt, nos ex iis paucas consideremus quoniam præ aliis angelis præcipue deus S. Michaëlem multis donauit priuilegiis in hac militante ecclesia. Ac principio quidẽ princeps ille creditur omnium qui in terras emittuntur angelorum, ideoq́ue ex angelis infimis, neque ex archangelis, sed ex principatibus ille est omniũ supremus, & ex hoc fundamento princeps ille & custos fuit synagogę veteris testamenti, sicut angelus ad Danielem dixit, neminem sibi esse adiutorem nisi Michaëlem principem illum. nunc autem custos idem & princeps à deo constitutus est totius ecclesię, quæ ideo sic de ipso solenniter canit, Michaël præpositus paradisi, quem honorificant angelorum ciues. *Dan. 10.*

2 Quicquid & vbicunque opus fuit, vt pro fidelibus certaretur, ibi semper Michaël affuit atq; illud perfecit, & id quater, Primo pugnauit ille & angeli sui aduersus Luciferũ & angelos eius. ita enim de eo Ioannes ait, Factum est prælium magnum in cœlo, Michaël & angeli eius præliabãtur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius, & nõ valuerunt, neq; locus inuentus est eorum amplius in cœlo. de victoria quoq; sancti Michaëlis sequitur, Proiectus est draco ille magnus, serpẽs antiquus, qui vocatur diabolus & sathanas, qui seducit vniuersum orbẽ. Nec est quod mireris Michaëlem superasse Luciferum, qui tamen in naturalibus donis & viribus omnibus fuit angelis excellentior. deus enim per gratiam singulare dedit influxitq́; illis virtutem & potentiam qua victores fuerunt, sicut in hunc vsq; diẽ non raro iis qui multitudine & virib⁹ sunt inferiores, robur & fortitudinem confert deus, vt plures & potentiores euincant. *Apoc. 12.*

2 Pugnauit etiam sanctus Michaël in AEgypto pro filiis Israël ad redimendũ eos aduersus Pharaonẽ per multa signa & miracula, præcesit eos per desertum eo vsq;, dum venirent in terrã promissionis. AEgyptios submersit, eiecit Gẽtes. Ita nãq; legimus, Factũ est in noctis medio percussit dominus omnẽ primogenitum in terra AEgypti, à primogenito Pharaonis qui in solio eius sedebat, vsque ad primogenitum captiuæ quę erat in carcere. id autẽ ministerio angelorum fecisse dominum, ex sequentibus patet, Tollẽs se ange- *Exod. 12. Exo. 14. & 23.*

lus domini qui præcedebat castra Israël, stetit inter castra Egyptiorum & castra Israël. Ita dominus deinde promisit Moysi, Ecce ego mitto angelum meum, qui præcedat te & custodiat semper in via, & introducat in locum quē preparaui tibi. & rursus alibi idem pollicitus est ei. Quanuis autem in iis locis nomen Michaëlis non exprimitur, tamē quia princeps fuit synagogę, sicut ex Daniele patet, vtiq; vel angelus hic ipse fuit Michaël, vel certi faciendi hoc cōmissionem habuit à sancto Michaele. 3 Valide etiā aduersus diabolum certauit de corpore Moysi, quoniam sic ait Iudas Thaddæus, Quum Michaël archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysis corpore, nō est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit, Imperet tibi dominus. Pugna hęc inde orta est, quia diabolus modis omnib⁹ cupiebat Iudæos scire sepulchrum Moysi, ratus se eos per se pronos in idololatriā, facile huc adducturum vt Moysem pro deo coleret. Id ne fieret, Michaël effecit, vt sepulchrum illud non inueniretur. vnde & scriptum est, Mortuus est ibi Moyses seruus domini in terra Moab, iubente domino, & sepeliuit eū in valle terræ Moab contra Phogor, & nō cognouit homo sepulchrū eius vsq; in præsentē diē. De pugna siue certamine cum Principe Persarum & Græcorum, ex Daniele diximus iam antea. 4 Super hæc omnia bellum adhuc geret sanctus Michaël, aduersus Antichristum. qui quum se mortuum simulabit & resurrexisse, conabitur in mōte Oliueti ascēdere in cœlum, & tunc (vt Paulus ait) interficiet eū Christus spiritu oris sui. vult Glossa quod dominus eū iussu suo repercutiet instar fulminis per sanctū Michaëlem. Hinc iam liquet, quomodo sanctus Michaël pro ecclesia militet & cunctis fidelibus aduersus diabolum & omnes hostes ecclesiæ, vtique sæpius quam nos resciscamus, fortius etiam quam nos cogitare possimus.

Iudæ 1.

Deut. vlt.

2 Præ aliis insuper angelis Michaël ab ecclesia colitur. po testatem enim habet animas hominum suscipiendi in cuiuslibet morte, easq; iudicare iudicio saltem particulari, merita earum ponderare, sicuti plerunq; cum libra pingitur, vt per hoc etiam simplices illud intelligant. Vnde canit ecclesia, Archangele Michaël, constitui te principem super omnes animas suscipiendas. Et iterum, Data est potestas archangelo Michaëli super animas iustorum & peccatorum.

¶ Atque

¶ Atq; hinc potestas profluit, quæ data est sancto Michaëli super animabus referendis ad iudicem, & deducendis in cœlum, sicut canit ecclesia in officio missę pro defunctis, Sed signifer sanctus Michaël repræsentet eas in lucem sanctam. Queras, quur eum signiferum vocat ecclesia? Eo sane, quia sanctus Michaël portabit signũ passioni Christi, vexilla nostræ salutis in die iudicij, crucem, lãceã, clauos, coronã, &c. sicut de extremo iudicio diximus. Alia sancti Michaëlis prærogatiua hæc est, quoniã ille omnes homines vocabit, & inuitabit ad iudicium. Paulus enim ait dominum descẽsurum de cœlo invoce archangeli & in tuba dei. (vide vbi supra.) *Tom. 1.* Atque hæc ipsa doctorum sententia est, quod sanctus Mi- *1. Thes. 4.* chaël per angelos prouinciarum vniuersõ inclamabit orbi, Surgite mortui, venite ad iudicium. quanuis Hieronymus *Hieron.* putet Christum ipsum sic esse clamaturum eo quod dicat a- *Ioan. 5.* pud Ioannem, Mortui audient vocem filij dei, & qui audierint, viuẽt. Hinc aliud sequitur sancti Michaëlis priuilegiũ, quoniam ipse & qui sub eo sunt angeli, perficient iudicium Christi, quando damnatos præcipitabunt in gehennã ignis, sicut antea dæmones cœlo expulerunt. Quumq́ue Michaël datus sit ecclesiæ fidelium in principatum, tantumq́; hic in terra habet potestatis, vnde & angelus victorię dicitur, ideo nimirum ecclesia militãs dum aduersus tot hostes corporales & spirituales decertat, imo & homines omnes, qui Christiano gaudere volunt nomine, sanctum illum principemq́; angelum Michaëlem pie venerari debent & inuocare, vt eis per subiectos sibi angelos auxilium ferre dignetur contra omnes omnium hostium insultus, vtiq; impetrabit hoc sanctus Michaël apud dominum. ¶ Sed quia multa de sancto Michaële diximus, nõ sunt etiam reliqui angeli silẽtio pertranseundi, qui & ipsi satis sunt in ecclesia noti, vt sunt Gabriel & Raphael. quanuis etiam de illis dici multa possent, nolo tamen ea extendere, sed per trãscursum tantum ad informationem simplicium proponere. Quoniam sicut Michaëli victoria tribuitur in prælio spiritali & corporali, ita Gabrieli reuelatio mysteriorum dei, hoc inde apparet, quia summum illud arcanum dei reuelauit Mariæ, incarnationẽ Christi, natiuitatem quoque Ioannis Baptistæ, vnde pleri- *Luc. 1.* que colligunt doctores, eum etiam natiuitatem Isaac annunciasse, atq; in summa omnia hæc transegisse quę ad futuram *Gene. 18.*

Christi natiuitatem pertinere videntur. (vide supra in sermonibus de annunciatione beatæ Mariæ virginis factis.)

Quod autem Gabriel sic illuminet homines, & eis mysteria
Dan.7.8. dei reuelet, testis nobis est irrefragabilis Daniel, qui quū vidisset visionem stupendam, neq; sibi satis intellectam, quærens eius intelligentiam, audiuit vocem virumq; vocãtem, Gabriel, fac intelligere istam visionem & venit, & stetit iuxta vbi ego stabam. Præcipue igitur qui sacris literis student discernendis, venerari debẽt sanctum Gabrielem, ipsumq; inuocare pro illuminatione mentis & intellectus.

¶ Cæterùm Raphaël prærogatiuam magnam habet in medicandis ægritudinibus corporis & animi, in comitatu quoque & defensione viarum. eius rei argumentum nobis totus
Tob. 5. 6. 7.8.12. præbet liber Tobiæ. ille enim senioris Tobiæ filium comitatus est vsq; in Rages ciuitatem Medorum, quumq; ei piscis nocere vellet, liberauit ipsum. hic etiam matrimonium constrinxit inter Tobiam & Saram filiã Raguelis. dæmonium ligauit in desertis AEgypti, vetulo iam Tobiæ visum restituit, atq; tandem (nam ille in specie videbatur adolescentis, ita vt crederetur esse purus homo) se agnoscendũ præbuit, ostendens quod angelus dei esset, cum enumeratione ministeria sui in custodia angelica, sicuti latius adhuc audiemus. Videte dilectissimi quam admirabilis sit deus in sanctis angelis suis, vnde ecclesia in hodierna collecta sic orat, Deus qui miro ordine angelorum ministeria hominumq; dispensat, concede propitius, vt à quibus tibi ministrãtibus in cœlo semper assistitur, ab iis & in terra vita nostra muniatur.

3 Nũc deniq; isthuc vnde digressi sumus, reuertamur, ad vtilitatem scilicet angelicæ custodiæ, quæ hoc quoq; habet, quod interdum hominem docent & instituunt. Id ex multis scripturæ locis colligitur, atq; ex Daniele maxime. quoniam Gabriel volens tetigit Danielẽ, docens eum & loquẽs
Dan.9. cum ipso, Daniel, nunc egressus sum vt docerẽ te & intelligeres. De hac doctrina dici multa possent, sed eis supersedẽtes, vnum hoc adducemus, quod Dionysius testatur supre-
Dionys. mam hierarchiam in inferiores tres habere operatiões, illuminandi, purgandi & proficiendi. Atq; sicut illa possunt superiores præstare inferioribus, ita infimi eadem exhibẽt hominibus. Et ij quidem dicũtur actus hierarchici, hoc est prin-
Dionys. cipales & regitiui. Hinc Diony. docet iubetq; prælatos ec-

clesiæ

clesiæ eadem exercere in subditos suos. Hoc quoq; ad angelorum pertinet custodiũ, quod pro nobis orant, nostrasq́ue orationes & opera bona omnia deferũt in cõspectu domini. hoc pulchre Ioãnes insinuat, dicẽs, Stetit angel⁹ ante altare, habẽs thuribulum aureũ, & data sunt illi incẽsa multa, vt daret de orationib⁹ sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum, & ascẽdit fumus incẽsorum de orationibus sanctorum, de manu angeli coram deo. idẽ etiã indeliquet, quod Raphael ait Tobiæ, Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prãdium tuum, & mortuos abscõdebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuã domino. Similiter & Iob, inquit, Si fuerit pro eo angel⁹ loquẽs, vt annũciet hominis æquitatem: miserebitur eius & dicet, Libera eũ vt non descendat in corruptionem, Neq; tamen putet interim aliquis angelos sic deo offerre orationes nostras & opera, quasi nesciret antea ipse, quũ tamen omnia nuda & aperta sint oculis eius, sed humano more proponunt hæc angeli tantum, vt magis inquirant consilium & beneplacitum dei, quidq́; porro eos impẽdere oporteat & facere hominib⁹ in oratione perseuerantibus. sic Zacharias angelum inducit, orantẽ deum pro populo Iudæorum, vt ex captiuitate Babylonica liberaretur in hæc verba, Domine exercituũ, vsquequo tu non misereberis Ierusalem & vrbiũ Iuda quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est. & respõdit domin⁹ angelo q̃ loquebatur in me, verba bona, verba cõsolatoria.

Apoca. 8. *Tob. 11.* *Iob 33.* *Zachar. 1.*

4 Insuper & hoc nobis cõmodi ex angelorum prouenit custodia, quia nos à multis malis & periculis custodiunt, & ab inimicorum tuẽtur incursibus. id in Tobia videas, quem angelis eduxit, rursusq́; incolumẽ domum reduxit, à deuoratione piscis eripuit, à suffocatione dæmonis liberauit, ne sibi hoc accideret quod septem antea maritis Saræ cõtigerat, Dici non potest, ex quibus, quot & quantis non malis angeli eripiant, quum ipsi nesciamus. Vnde non inepta fuit hæc veterum loquutio, vt ex periculo aliquo liberati, dicerent se ab angelo esse creptos, angelum prohibuisse quo minus aliquid tentassent, vel aliquo se cõtulissent vnde periculum sequutum fuisset. Sic nimirum angelus custodiuit Iudæos ex Aegypto proficiscentes, quum eos Pharao persequeretur, ipsique metu correpti, clamarent ad Moysen, Forsitan

Tob. 7. 8. *Exo. 14.*

non erant sepulchra in AEgypto, & ideo tulisti nos vt moreremur in solitudine. Verũ ibi Pharao & omnis comitatus
Esaiæ 13. *4. Reg. 19.* suus submersus est in mari rubro. Præterea cũ Sennacherib expeditionem moueret in Iudæos, egressus angelus domini, occidit in castris Assyriorũ centũ & octogintaquinque milia virorũ. Atque id genus multa sine dubio quotidie fiunt,
Dan. 10. quanuis nos lateãt. Sæpe hactenus in Daniele vidimus, quã operose princeps ille angelus synagogæ, laborarit pro libe-
Act. 12. ratione populi Israël ex captiuitate Babylonica. Acta quoque apostolorũ testãtur, quod capto Petro ab Herode, astitit in vinculis angelus, percussoq; latere eius, ipsum surgere iussit. & ceciderunt catenæ de manibus eius. Non exiguum etiã hoc est, quod nobis angelica præstat custodia, quoniã impedimenta bonorũ quæ aliũde ingerũtur, nobis auferũt.
Exod. 33. sic dixit deus ad Moysen. Mittã præcursorẽ tui angelum, vt eiiciã Chananæũ & Amorrhæũ & Ethæum, &c. & intres in terrã fluentẽ lacte & melle. sic nõnunquã angelus peccatũ punit, vt porro euitetur, quomodo interfecit primogenita
Exo. 12. AEgypti & peste, interemit septuaginta milia virorum, eo
3. Reg. 24. qđ per superbiã Dauid iusserat numerari populũ, vbi tãdem dixit dominus ad angelũ, Sufficit, nunc cõtinue manũ tuam. Gregorius Romæ in peste vidit angelũ super ędificiũ Adriani rursus imponere gladiũ, vnde locus ille adhuc ab angelo nomẽ obtinet. sic sæpe fieri potest, quum quis te impetit in honore & cultu dei atque dilectione, vt eum angelus gladio pestis interimat. Postremũ est, qđ angeli animas
Luc. 16. piorum deducunt in vitam æternam, sicuti animam Lazari deportarunt in sinum Abrahæ. Deus det & concedat nobis gratiam suam, vt ipsi quoq; post hoc exilium manibus angelorum deferamur in patriam felicitatis æternæ, Amen.

DIE FESTO S. SIMONIS ET IVDAE APOSTOLORVM, EVANGELIVM Ioannis 15.

1. Ioan. 3.

IN ILLO tẽpore, *Dixit Iesus discipulis suis, Hæc mãdo vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia vero de mũdo non estis, sed ego elegi vos*

gi vos de mundo propterea odit vos mundus. Mementote sermonu mei quem ego dixi vobis, Non est seruus maior domino suo. Si me persequuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerut, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meū, quia nesciunt eum qui misit me. Si non venissem & loquutus eis non fuissem peccatum nō haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & patrem meum odit, Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit. peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt & oderunt & me & patrem meum. Sed vt adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis.

Mat. 10. Lucæ 6. Mat. 24. Mat. 13. Lucæ 11.

HOMILIA VNICA.

EVANGELIVM hoc quoq; particula est illius augustalis & præclari sermonis, quem Christus à nouissima cœna fecit discipulis suis. Et quâuis ad longū posset extēdi, quum multos locos habeat prolixa tractatione dignos, nos tamē breuitati studebimus, eo maxime quod iā antea integrā fecimus homiliam de charitate proximi. Hæc, inquit, mundo vobis, vt diligatis inuicem, commissionem hanc iam antea bis in hoc sermone dederat eis, quumq; paulò antè iussisset eos ire & fructum afferre, ait Augustinus, hic ipse fructus est vt diligatis inuicem. ideoq; & Paulus enumerās fructus spiritus, primo loco ponit charitatem. fructus, inquiēs, spiritus est charitas. Multum iam necessaria erat discipulis charitas, non tantum propter deum, sed & ipsum mūdum. vnde & subdit dominus, si mūdus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. odium enim illud mūdi quia charitati aduersatur, ideo hic à domino reiicitur, & primum quidem exemplo suo, quia ipsum quoque oderunt: deinde, quod ideo mundus odio habeat apostolos, quoniam eos dominus elegit de mūdo, vt sic omnis illa apostolorum persequutio propter Christū sit & iustitiā ipsam. postremo, ob peccata mundi & persequutorum, quia excusationem non habent. Ecce, quomodo charitas initium est bonitatis, ita odium persequutionis origo. Is itaque non vult esse in hoc corpore, qui recusat sustinere persequutionem cum capite Christo. Nemo tamen suspicetur Christū hic nos docere, odium nobis in mundo cōciliare, cū quemlibet pro sua virili curare deceat, vt ne sit odio dignus. neq; hæc ipsa Christi oratio ad acqui-

Tom. 2. *Galat. 5.* *Augusti.* *Cyrillus.*

rẽda odia nos horcatur, quoniã nõ ſimpliciter, ſed pro ſalutari doctrina conténendũ eſſe odiũ dicit. Vbi & iſtud Gregorij dictũ locũ habet, quod facilius ſcãdalũ naſci permittitur, quã quod veritas relinquatur. Voluit ergo hic dominus in apoſtolis libertatẽ põdicãdi euãgelij cõfirmare, vt ne quis hinc deterreatur, etiãſi mũdo odioſus & contẽptus habeatur. poſſem hoc pulchre fratribus obiicere, qui initio huius ſectæ nolebant offendere mundũ, nolebant ſimulantẽ cõciliare, nolebant aduerſus Lutherũ aliquid prædicare vel annunciare, ſed male, quoniã nemo debet veritatẽ reticere in hoc vt placeat mũdo. qui ſi Chriſtũ odio habuit, nemo porro Chriſtianus prędicator abhorrere debet, quominus propter veritatẽ in odiũ & contemptum mundi incidat. ſic nos Ioannes iubet nõ admirari, ſi mundus nos odio habeat, quũ ſciamus nos è morte veniſſe ad vitã eo quod diligimus fratres. Cui cõſpirat illud Iacobi, Neſcitis qđ amicitia huius mũdi inimicitia eſt dei? 2 Rationẽ odij huius addit dominus, quoniã ipſos elegerit de mũdo. ait Auguſtinus, ergo & ipſi inde erãt, vnde vt nõ eſſent, electi ſunt inde. potuerunt enĩ & ipſi dicere cũ Dauide, Ecce in iniquitatibus cõceptus ſum, & in peccatis cõcepit me mater mea. Gratia autẽ electionis apoſtolos ſegregauit de mundo, qui ideo illos odio habet, quũ ſuum tãtum diligat, hoc eſt, malitiã. Atq; in hoc recte dicit ſcriptura, quod mundus odio habeat ſeipſum, dũ quod ſibi nocet, hoc diligit. quilibet enim diligens vitia, in ſeipſo odit quod fecit deus per ſuam bonitatẽ. malũ autẽ diligit, quod ipſe fecit per arbitrij ſui libertatẽ, quũ tamẽ debeat homo odiſſe vitiũ, & diligere naturam cuius auctor eſt deus. Quid multa? quilibet magis deberet velle aduerſus ſe totum prouocare mũdum, quã vt deũ offendat, ſicut Apoſtolus ait, Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus noneſſem. ¶ Volens hic rationem illã prætereo, quur mũdus odio habeat miniſtros dei, quoniam magna vtrinq; conditionẽ inęqualitas eſt, magna multaq;, vitæ & cõuerſationis diuerſitas, ſicuti impij dicebant apud Sapientem, Circunueniamus iuſtum, quoniã inuitilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris. Grauis eſt nobis etiam ad vidẽdũ, quia diſſimilis eſt alijs vita illius. Tãquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris tãquã ab immunditiis. Quãuis hoc quoq; in cauſa eſt, quod increpationẽ tolerare nõ poſſunt.

Gregor.

1. *Ioan. 4.*

Auguſt.

Calat. 1.

Sap. 1.

ideóq;

ideoq; vbi primũ mundus cõpellatus fuerit de malitia, statim inflatur, iuxta illud prophetæ, Odio habuerunt corripientẽ in porta. & Sapiens quoq; ait, Qui odit increpationes, insipiens est. neque enim amat pestilens eũ qui se corripit. Sic quũ Ioannes mundũ corriperet, Herodem arguens quia nõ liceret ei vxorẽ fratris sui secum fouere, nõ potuit hoc ille sustinere. sed in vincula coniecit Ioannem, & tandẽ decollauit. ¶ Tertia causa quare mũdꝰ odio habeat bonos, peruersitas est inuidiæ, sicut & AEgyptij óderũt Iudæos, eo quod tantũ inualescebant & crescebant. Cõfirmans sermonem suum dominus, semet proponit in exemplo, iubens eos meminisse sermonis huius sui, quoniã nõ est maior seruus domino suo. Vbi duo docet, patientiã in persequutione, ad quã Paulus quoq; nos hortatur, dicens, Recogitate eũ qui talẽ sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum cõtradictionẽ. Si me, inquit, persequuti sunt, & vos persequẽtur. quasi diceret, si me persequuti sunt, vt ait Cyrilluꝰ, nónne quãdo vos persequẽtur, ad imitationẽ meam ferendum estis certe. nam similia pati debetis, si regnare mecum desideratis. sic Petrus quoq; ait, Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplũ, vt sequamini vestigia eius, &c. ¶ Alterum quod docet, hoc est, vt patientes sint etiã apostoli in doctrina sua, si non reciperetur, quũ dicit, si sermonem meum seruauerũt, & vestrũ seruabũt quasi dicere vellet, neq; meũ nec vestrum recipient. Discat hic prædicator patienter ferre, etiã si doctrina sua nõ statim locũ inuenias, quando & Christi verbum nõ semper ædificauit, neq; illud semper receperunt auditores. ideoque Cyrillus dicit, nemo putet amissum esse prædicationis laborem, si auditoribus nõ persuasit, nã an fructus sequatur, nécne, etsi sit illud petẽdum à deo, attamen gratiæ suæ relinquẽdum est. Et licet soli sterilitas noceat colonis. non tamen sic res habet in ædificatione spirituali, vbi semper paratus est deꝰ remunerecolonos prædicatores, non obstante etiam si prædicatio in audiẽtibus nihil efficiat. Inducit insuper ille, quomodo Paulus hoc in sermonibus suis obseruarit. Chrysostomus putat dominum sic dicere voluisse. Vidistis quomodo per omnem vitam meam mihi aduersati sunt Iudæi, iam cum ascendero ad cœlum, simili modo & aduersus eos pugnabunt. 3 Adhuc causam subiungit dominus,

Amos 5. *Prou. 11. & 15.* *Exod. 1.* *Hebr. 12.* *Cyrillus.* *1. Pet. 2.* *Cyrillus.* *Chryso.*

quur illi perſequuti eſſent apoſtolos & eorum doctrinã nõ recepturi, quum ait, Hæc omnia facient vobis propter nomen meũ, quia non nouerunt eũ qui miſit me, hoc eſt, vt ait
Auguſt. Auguſtinus, me in vobis perſequentur, me in vobis odio
Act.6. habebunt. ſic Paulo iã perculſo dixit dñs, Saule, Saule, quid
& 5. me perſequeris? at ille Chriſtianos pſequebatur, & Chriſtus ſibi hoc fieri prædicabat. quia propter nomen ſuũ fiebat. ideo Lucas alibi dicit, Ibant apoſtoli gaudentes à cõſpectu concilij, quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliã pati. 2 Ad hæc ratione aſsignat cæcitatis infideliũ, quia non norãt illum qui miſit eum. hoc eſt, deũ patrem. ſic ait, non veſtri tantũ erunt inimici, ſed & mei & patris mei. Ignorabãt iſti propenſam & clemẽtẽ dei volũtatẽ qua miſerat ille filium ſuum propter ſaluté noſtrã, de quorum in-
1.Cor. 15. ſcita ſic ait Paulus, ignorantiam dei habẽt. &c. Cogitare autem quis poſſet, ſi ignorarũt Iudæi, ipſa eos excuſabit ignorantia. præuenire hoc dominus voluit, quia nõ omnis ignorantia hominem ſufficit excuſare, quum poſsit adeo eſſe temeraria, vt etiã aggrauet peccatũ, vt ſi quis affectata ignorãtia noluita liquid ſcire, in eũ cõpetit iſtud Pauli, Ignorãs ignorabitur. Tales erãt Iudæorũ docti & ſapiẽtes, qui perueꝛſa voluntate nolebãt fidem habere manifeſtæ doctrinæ Chriſti. A it ergo, Si nõ veniſſem & loquutus eis non fuiſſem, peccatũ non haberent, ſcilicet infidelitatis. audita vero iam Chriſti doctrina, infidelitatis excuſationẽ nullã habent. diſcamus hic, Chriſtianorum peccata grauiora eſſe quã vel Gẽtilium vel Turcarũ. nos enim ſi ſcientes malum, non vitamus, ideo excuſationem non habemus. ſic ſi prædicationẽ non audis, & earum rerũ quæ ad ſalutem tuã pertinent, manes ignarus, nõ excuſabit te ignorantia tua. quur enim non
Act.20. vt debebas, verbũ dei audiſti? quur non inde neceſſaria tibi didiciſti? ſic Paulus ad ſeniores Epheſi dixit, Nihil ſubtraxi vobis vtilium, quo minus annunciarem vobis & docerem vos publice & per domos. Et inde, Conteſtor vos hodierna die, quod mundus ſum à ſanguine omnium. non enim ſubterfugi quo minus annunciarem omne cõſilium dei vobis.
Hebr.1. Non diſsimile eſt quod ad Hebræos ſcribit ille, Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſaluté, quæ cũ initium accepiſſet enarrari per dominũ, ab eis qui audierũt, in vos cõfirmata eſt, cõteſtãte deo ſignis & portentis & variis

virtu-

virtutibus & spiritus sancti distributionibus secundũ suam voluntatem? Hæc nobis quoque recogitãda sunt, nec facile à fide tot retro seculis diuinitus confirmata, deficiendum ad recens inuentam hæresim, quod nũc neochristiani faciunt aduersus venerabile sacramentũ & gloriam sanctorum tumultuantes, quorum tamen eminentem dignitatem deus tot signis & miraculis cõfirmauit. Inuenerunt isti quidem neochristiani fidem nouam, nouum baptismum, missam nouam & noua sacramenta, dũmodo & deum haberent nouũ, qui nouum eis cœlum fabricaret. Periculũ tamen est, imo certum, nisi pœnitentiã agant, quod in veteri isto inferno nimium satis habebũt supplicij. 4 Porro causam addit dominus, quur excusationé Iudæi habituri non sint, nam quia doctrinam ipsius non receperunt, ex inuidia factũ est. quisquis autẽ inuidia & odio Christum prosequitur, is odio habet & patrem, quũ non sit aliqua in Christo odij causa, nisi tum gloria tum virtus patris quam quærebat, cui Iudæi iam eum ex inuidia resistebãt sicuti locum hũc Cyrillus inducit contra Arrianos, quia iis verbis clare docuit dominus, se & patrem vnã habere essentiam diuinã, quũ ait, Qui me odit, & patrem meũ odit. atq, in hoc Iudæi refelluntur, putantes obsequiũ se facere legislatori, si legem aduersus legislatoris filium tuerentur, Mitto hic lubens, quod quidam põderant doctores, quoniã deus quum sit summũ bonum, odio haberi nequeat. Verũ est quidem in se & in essentia sua diuina, sed in opere & præceptis suis potest vtique odio haberi, sicuti dæmones ppter opus diuinæ iustitiæ, quod eos æternæ gehennæ supplicio addixit, oderunt illum, quando superbia eorum semper ascendit cõtra deum. ¶ Ad extremum sicuti superius edocuit & ostendit dominus Iudęos excusationem non habituros, ita nunc profitetur eos excusationé quoque nullam quærere posse in operibus suis, & ait, Si opera nõ fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum nõ haberent. Magnũ sane hoc fuit peccatum Iudæorũ, quod nec verbis nec operibus Christi crediderũt. Diceres, Atqui & alij miracula fecerunt, nam Elias & Eliseus mortuos resuscitarunt, Moyses multa mira exhibuit circa decẽ plagas A Egypti, Elias curru igneo raptus est in cœlum, Samson sitim suam cõpescuit ex asini mandibula, Pueri tres in camino ignis, &c. Repõdetur, quod sane etiã sancti aliquot veteris testamenti miracula fe-

Cyrillus.

Cyrillus.

3. Reg. 17. Exod. 6. 4. Reg. 4. & 13. Iudic. 15.

cerunt, sed & potestate tanta, & ea hominum multitudine,
Matt.14. nemo ante Christū signa tot operatus est, ideoque doctores concludūt, quod miracula Christi, alia aliorum sanctorum omnia superarunt tum in multitudine, tum magnitudine, tum forma quoque & modo operandi. Quo ad multitudinem, certum est, quotquot enim ad eum veniebant infirmi, eos ille curabat omnes vel solo fimbriæ cōtactu. In magnitu
Ioan.11. dine quoque parem non habuit Christus, siquidem & qua-
Ioan.9. triduanum Lazarum à morte suscitauit, & cæco nato visum restituit, quod à seculo auditum nō erat. In modo etiā quia alia miracula sua per modum petitionis fecerunt inuocantes deum, Christus autem propria virtute fecit, nō orando, sed
Mar.1. imperando. vnde admirabātur Iudæi & dicebāt, Quidnam est hoc? quæ doctrina hæc noua? quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediūt ei. In omnibus tam iis, quod salutarem audierūt Christi doctrinam, viderūt immensa & supernaturalia signa, adhuc oderūt & Christum & patrem eius, sicque impleuerunt querelam Christi, quam tot retro seculis proposuerat per Dauidem, Odio oderunt me gratis. Sane immerito id factū est, quia nulla fuit hic in Christo culpa, sicuti nec ipsi erga eū causam habuerunt, deinde neq; ali quod inde cōmodum euenit. nam sicut Aug. ait, is aliquem gratis odit, qui ex odio lucrū nō quærit, neque incōmodum per hoc fugit. Nos autē diligam⁹ dominū, illi gratias agam⁹ p ineffabili charitate & misericordia, quā ille erga nos miseros, p fugos & exules, deperditosq; hoies habuit, ipsum rogemus, quaten⁹ dilectionē p ximi nobis cōferat & gratiam suam, per quā in hac vita vitam mereamur æternā, Amen.

DE SANCTIS APOSTOLIS

Simone & Iuda & Thaddæo.



Actu.2. HIVS MODI dilectionem dei & proximi habuerūt sancti illi apostoli Simō & Iudas Thaddæus, qui consobrini fuerunt Christi domini, fratres Iacobi minoris & Ioseph iusti, qui Matthiæ adiunctus est in electione apostolatus, filij fuerunt Alphæi & Mariæ Cleophæ. Simon à Cana Cananæus dici solet, ad discrimen Simonis Petri, quare & Lucas eum Græco nomine Zelotem vocauit. Iudas vero cognominatur Thaddæus, ad differentiam Iudæ proditoris. Eu-
Eusebius. sebius refert Thaddæū missum ad Agabarū regem Ediss-

(æ

(at quia nō videtur constare sibi, quod Iudā & Thaddæum variat, & Thaddæum facit duntaxat vnum ex septuaginta, communiter non solet recipi. mitto illud) post diuisionem Iudas in Mesopotamia, Simon prædicauit in AEgypto. & tamen ambo tandem venerunt in Persiam: quia quod quidam volūt Simonem fratri successisse in episcopatu Hierosolymitano, nihil est, cum ille non Simon, sed Simeon dicatur, qui Hierosolymis sub Traiano imperatore martyrio coronatus est. Simon autē apostolus in Persia passus est (vide Natalem Bedam doctorem Parrhisinum cōtra Iacobum Stapulensem in apologia pro filiabus & nepotibus Annæ.) Quum ergo apostoli ij duo venissent in Persiam, idola noluerunt amplius dare respōsa, sicut ante cōsueuerant, quoniam tunc dæmonia respōdebant interrogantibus ex statuis & imaginibus idolorum, nunc per maleficos idem conātur. Baradach capitaneus regis cupiebat scire euentum belli aduersus Indos susceptī, ideoque idolum in alia vrbe interrogari curauit, quur sibi deus suus non responderet, vnde cognouit ex illo non responsurum sibi idolum suum, quādiu Simon & Iudas adessent. sic interrogauit de eis quos cum cō perisset, dixerunt se natalibus esse Iudæos, & fide Christianos, venisse quoque ad commodum & salutem eorum, vt deum verum discerent cognoscere. Baradach dixit, Ecce dij nostri silent, vos autē respondete nobis de futuri belli euentu. Simon subiunxit, Permittemus vt vobis respondeant dij vestri. Interrogati illi, omnia horrenda prędicarunt, pugnas cruentas, & cōgressus formidabiles, ita vt exhorresceret Baradach ipse: quem vicissim consolans Simon, dixit, Noli timere, cras Indorū veniet legatio, illi se subditos facient vobis & tributa resoluēt. Quod & factū est. Hinc Baradach cōminuere voluit & exuere simulachra omnia idolorum, sed vetuerunt id apostoli, pecuniā distribuentes pauperibus. Rem hāc ille totam aperuit regi. Vbi magi isti duo Zaroes & Arphaxat erant, quos Matthęus AEgypto expulerat. illi regem concitarunt aduersus apostolos, inque eorum præsentia fecerūt aduentare serpentes plurimos, ita vt horrore afficeretur populus totus. Apostoli autē præceperunt serpētibus, vt morsu maleficos ipsos impeterent, quod & fecerunt adeo, vt gemere & eiulare inciperent isti. Et quāuis rex vrgebat vt amaris morsibus serpentes occiderent

magos, attamen hoc apostoli non permiserunt, sed orationis efficacia serpentes abegerũt. Quo facto, rex & Baradach cum sexaginta milibus virorum baptizati sunt, ecclesiæ extructæ, diaconi & sacerdotes ordinati, Abdias episcopus cõstitutus, qui cum apostolis venerat ex Iudæa. Quum autem apostoli in regno illo vndique fidem plantarent, venerunt in ciuitatem magnam Samur, alias Suauir, qno cõfugerant malefici isti duo, & præmonuerant pontifices idolorum de apostolis. Sic ergo Simonem duxerunt in templum Solis, Iudam in fanum Lunæ ad adorãda idola, sed iussu apostolorum imagines idolorum, in frusta cõfracta & comminuta sunt, atque inde emigrarunt dæmones magno vlulatu, specie tamen & figura AEthiopum. Hinc irati Gentiles, apostolos cum eorũ hospite Senue occiderunt. Rex, occisis pontificibus, corpora apostolorum in sua ciuitate summis cum honoribus sepeliuit. Vos illos iam inuocate, eorúmq; opem implorate, &c. Abdias Babyloniorum episcopus, lingua Indica descripsit passionem apostolorũ. Eutropius inde transfudit in Græcam, eam rursus Latine vertit Aphricanus.

SOLENNI SANCTO'QVE DIE OMNIVM SANCTORVM, EVANGELIVM Matthæi 5.

Vide hoc supra in festo S. Mauricij.

SEQVENTEM homiliã habuit Ioannes Eckius theologꝰ in comitiis Augustanis, ipso die Omnium sanctorũ in choro summæ ædis virginis matris, præsente inuicto & glorioso imperatore nostro CAROLO V. semper Augusto, rege quoque Hungariæ & Boemiæ FERDINANDO & vtraque regina ANNA & MARIA, cum sequentibus principibus electoribus, aliisque principibus & oratoribus.

Interfuit VINCENTIVS PIMPINELLVS legatus apostolicus.

ALBERTVS marchio Brandenburgensis, archiepiscopus Maguntinus, cardinalis & elector.

ERARDVS de Marcha, cardinalis archiepiscopus Valentiæ, episcopus Leodiensis, dux de Bulion.

MATTHAEVS LANG, archiepiscopus Salzburgensis, & cardinalis.

BER-

BERNARDVS à Gloſſa, epiſcopus Tridentinus, cardinalis, Hungariæ & Boemiæ regis cancellarius magnus.

IOACHIM marchio Brandeburgenſis, dux Stettiniæ, &c. princeps elector.

Electoris archiepiſcopi Treuirēſis orator. D. IOANNES à METZENHA VSEN, præpoſitus Treuirenſis.

Comitis Palatini electoris orator, D. VALENTINVS pincerna, ab Erpach.

FRIDERICVS comes Palatinus, Bauariæ dux.

LVDOVICVS comes Palatinus, ſuperioris & inferioris Bauariæ dux.

ERICVS dux Brunſuicenſis & Lunemburgenſis.

OTHO HENRICVS comes Palatinus, inferioris & ſuperioris Bauariæ dux.

HENRICVS dux Brunſuicenſis & Lunemburgenſis.

PHILIPPVS comes Palatinus, inferioris & ſuperioris Bauariæ dux.

Multi alij principes Cæſareæ maieſtatis à ſecretis, vt marchio de Arſcoto, marchio de Villafranck, dominus de Roy, princeps Sulmonem, &c. nonnulli etiam ex Hiſpanis epiſcopi atque ex Italia, Germanorum quoque epiſcopi qui ſequuntur.

VVALTHERVS à KRONBERG, adminiſtrator ordinis fratrum Teutonicorum.

VVIGANDVS epiſcopus Bambergenſis.

CONRADVS epiſcopus Herbipolen. Francorum dux.

HENRICVS epiſcopus Vormatiēſis, comes Palatinus, &c.

PHILIPPVS à Flerſchaim, epiſcopus Spirenſis.

GVLIELMVS epiſcopus Argentinenſis, comes ab Honſtain.

CHRISTOPHORVS à Stadion, epiſcopus Auguſten.

ERNESTVS comes Palatinus, ſuperioris & inferioris Bauariæ dux, adminiſtrator Patauienſis.

GEORGIVS de Auſtria, adminiſtrator Bixnenſis.

¶ Eius homiliæ ſumma quædā capita lubet huc attexere, eo quòd fere fieri non poteſt, vt illam eo quo dicta eſt ordine, per ſingula verba proſequar. ſiquidē multo aliter pronunciaui quam animaduerterim ipſe: ſicut fieri ſolet, vt parum promoueat orator, niſi creſcat declamando. Quantū autem adhuc memoria teneo, fideliter & diligenter recenſebo.

IN FESTO
HOMILIA HABITA IN COMITIIS AVGVSTAE.

In nomine tuo dulcis Iesu.

Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matthæi 5.

DOMINVS noster Iesus Christus, idem qui creauit & redemit nos, dignetur cõferre nobis pacẽ suã sanctam, gratiã, benedictionẽ & virtutẽ, atque in vniuersum quicquid nobis necessariũ est ad cõsequẽdam omnium sanctorum communionem, vitam scilicet æternam. In eius desiderij signum, ex animo mecum dicite, Amen, fiat, fiat. ¶ Verba quæ principio vobis propo suimus, ex sermone Christi sunt desumpta, atq; in hodierno euãgelio lecta, quibus ille apostolos suos gaudere iubet & exultare. Quum autem, dilectissimi in domino, gaudiũ huius mundi, vanum sit, instabile, multaq; cum tristitia coniunctum, recte hic apostolos suos, & per eos vniuersam docet ecclesiam, qua in re quilibet Christianus verum ac solidum gaudium semperq; duraturum quærere debeat: ibi nimirum, si in hac vita quam plurima opera bona deoq; placita faciat, vnde tandẽ lætetur in messe remunerationis æternæ, vt inquit Dauid, Euntes ibant & flebant, mittẽtes semina sua. Venientes autem venient (secundum idioma linguę Hebraicæ) cum exultatione, portantes manipulos suos. Et quod vniuersum mundi huius gaudium vanum sit, satis magnus certusq; nobis testis est Sapiens ille Ecclesiastes, quum ait, Dixi in corde meo, Vadã & affluam deliciis, & fruar bonis. Et vidi quod hoc quoq; esset vanitas. Quumq; multam enumerasset voluptatem, circa hortos, arbores, piscinas & scaturigines aquarum, familiã amplam, greges magnos & armenta pecorum, ex auro, argento & gẽmis præ omnib⁹ qui vnquam regnarunt in Hierusalẽ, cum scyphis quoq; & vrceolis ad vina fundenda, cum cantoribus & cãtatricibus sequitur inde, Supergressus sum, opibus omnes qui ante me fuerunt in Hierusalẽ. Quumq; me conuertissem ad vniuersa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatẽ & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole. Quod autem huiusmodi gaudia mundi malum finem habeant, si à timore dei recedatur,

Psal. 125.

Eccle. 2.

datur, subscribit Iob, inquiens, Infantes eorum exultant lusibus, tenent tympanis & citharâ, gaudêt ad sonitum organi, ducunt in nobis dies suos, & in pũcto ad inferna descendunt. Accedit iis quotidiana experiẽtia, quod lusum damna sequuntur, nec aliquod est sine mœrore gaudium. Etiã quũ cantatur, saltatur, luditur, cõuiuia agũtur, aliquid mœroris simul se ingerit & immiscet, iuxta illud Sapiẽtis, Risus dolore miscetur, & extrema gaudij luctus occupat. Longe aliter se habet quodcunq; bonitatis, quod est mũdum, verũ, pulchrum, planeq; honestum & solide cõstans, ad illud inuitauit dominus apostolos & fideles omnes, dicẽs, Gaudete & exultate, &c. Super iis quæ iam cœpimus, vt plura liceat mihi dicere, vobisq; cum fructu audire, virginem matrem vna mecum celebrate, dicentes, Aue gratia plena, &c.

Iob 21.

Prou. 14.

Euangelium, Matthæi 5.

HOMILIA PRIMA.

IN hoc euangelio discimus initio, geminam esse beatitudinem: alterã viæ vel huius præsentis vitæ, ea in merito cõsistit, atque ideo beatitudinis nomẽ habet, quia per eam meremur illam verã beatitudinem & assequimur: altera patriæ est in vita æterna, atque ea demum solida est beatitudo, vbi præmium est eius quod hic quisque meruit. Dominus autẽ hic nõ de beatitudine loquitur æternæ remunerationis, quia dicit, Beati qui lugent, Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam. Atqui illi in vita æterna neque lugẽt neque persecutioni subiacẽt, dicẽte Ioãne, Absterget deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & iam amplius nõ erit neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor. Itaque de meritoria beatitudine loquitur hic dominus, qua quis meretur illam æternam. Atque hoc nõ infrequẽs est in sacris literis quum initio statim Psalmorum dixerit Dauid, Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Et inde, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum dominus. Et sicut de beatis diximus, ita se res de sanctis habet, interdũ enim sancti dicuntur, qui in hac adhuc via sunt ad patriam, & operibus sanctis studẽt. sic multa inuenies in Paulo, vt quum scribit ad Romanos, Omnibus qui sunt Romæ dilectis dei, vocatis sanctis. Ad extremum eius epistolæ salutat Philologum & Iuliam, &c. & omnes qui cũ eis sunt san-

Apoc. 21.

Psal. 1. & 40.

Roma. 1.

ctos. Ad Ephesios quoq; sic ait, Mihi omnium sanctorũ mi
nimo data est gratia hæc, vt gentibus euangelizarem inuesti
gabiles diuitias Christi. Sancti alias plerunq; dicuntur, qui
Hebr.11. iam sunt in vita æterna, de quibus Paulus loquẽs, sic ait, San
cti per fidẽ vicerunt regna, operati sunt iustitiã, adepti sunt
repromissiones in Christo Iesu. ¶ Sequitur hinc primo, q̃
non omnia opera nostra sunt peccata, vt neochristiani con
tendunt. quanuis enim opera in sẽ nihil sint, attamẽ aliquid
sunt per gratiam & misericordiam dei, qui etiam haustum
aquæ frigidæ non sinet irremuneratum. Atq; ideo nõ om
nia opera nostra sunt peccata. Id testantur literæ sacræ de
Iob 1. Iob, In omnibus iis nõ peccauit Iob labiis suis, neq; stultum
quid contra dominum loquutus est, seruans adhuc innocen
Luc. 1. tiam. De Zacharia quoq; & Elizabeth ait Lucas, quod erãt
ambo iusti, incedentes in omnibus mandatis & iustifica
tionibus domini sine querela. Quomodo ergo potuerũt in
omnibus operibus peccare, vt neochristiani sanctis omnibus
exprobrant? 2 Deinde sequitur hinc, quod etiam nostra
opera bona hominẽ iustificant, quia saluant, ergo & iustifi
cant, quum plus sit saluare quàm iustificare, sicut ex Paulo
colligitur. Quos prædestinauit, hos vocauit, quos vocauit,
Roma.8. hos & iustificauit: quos iustificauit, hos & magnificauit. per
magnificationẽ, saluationẽ intellige. Reclamat neochristia
nus, quoniam opera sine gratia dei hominem nõ iustificãt.
sane neq; id nos inficias imus, quũ sine eadẽ etiã non saluẽt,
Coloss. 3. quia charitas est vinculum perfectionis, vt ait Paulus, neque
1. Cor. 13. excidit in morte hominis, imo vestis illa est nuptialis, sine
qua nec homo neque opera eius possunt placere deo.

3 Ad hæc vlterius sequitur, quoniã opera bona non tan
tum sunt à deo præcepta, eo q̃ placeant deo & hominẽ iu
stum faciant, sed etiã æternæ mercedi sunt meritoria. postre
mum hoc neochristiani hic noluerunt concedere, repugnan
tes per hoc manifeste sacris literis & rationabili intelligen
tiæ, quia opera ex euangelio saluant, nõ formaliter, sed me
ritoriæ. Etiã hic mercedis meminit dominꝰ, quæ copiosa sit
in cœlis, remuneratio autem respicit meritum, quũ sint rela
tiua, ideoq; sunt simul natura, hoc est, naturali intelligẽtiæ
quia præmiũ refertur ad meritũ, neq; potest alterũ sine alte
Gene.15. ro intelligi. Sic quũ dixit dominus ad Abrahã, Ego merces
tua magna nimis. voluit itaq; mercedẽ meriti sui insinuare.

Atque

Atq; ideo etiã dominus regnum cœlorum cõparat homini patrifamilias, qui exiit conducere operarios in vineam suã, factaq; de diurno denario conuentione cõmisit eis laborẽ. Ecce quomodo luce meridiana clarius est, quod dominusve lit operarios habere in vinea sua, non operis omnis vacuos Christianos istos, sed operarios illos constituit, ipsiq; iuxta pactionem factam merentur denarium diurnum, hoc est vi tam æternam, vt inquit Grego. Et ne aduersarij fidei nostrę oblatra re amplius possint, ecce obiicio eis verba Sapiẽtis apertissima, quum ait, Omnis misericordia faciet locum vnicuiq; secundum meritum operum suorum, Quid is expressius? quid clarius dici queat? 4 Insuper sequitur & imperfectam & falsam esse neochristianorum doctrinam, quando seducunt simplices & ad nudam fidem solummodo relegãt sine operibus. quia si sola sufficeret fides, vtiq; dominus etiã dixisset, Beati qui credunt. sed aliquid vltra fide requiritur, ideo hic dominus opera recensẽt quæ saluant hominem, nõ sola fides. imo & in extremo iudicio commemorabit Christus opera misericordiæ quæ boni fecerint, mali autem neglexerint. Atque id omnes nobis testantur scripturæ sacræ, quibus nunc volens supersedeo, vt liceat nonnihil de omnibus sanctis disserere. Interim ipsas appello neochristianorum omnium conscientias, an virum bonum credant esse qui boni nihil faciat. penes honestatẽ pro improbo & inutili censentur, dum fructum bonum non affert. Ex iis omnibus primam huius homiliæ partem concludo, quod opera bona cum gratia dei hic hominem & sanctum & beatũ reddunt, ita vt tandem in vita æterna perfecte saluetur.

Gregor.

Eccl. 16.

Mat. 25.

Matt. 5.

Altera pars huius homiliæ.

DE omnibus sanctis quorum hodie pervniuersam ecclesiam festiuitas multis ceremoniis solenniter peragitur, dicturus, inuenio tria quædam in quibus ecclesiæ vsus & consuetudo consistit erga electos dei. Principio, in veneratione sanctorum: deinde in eorum intercessione pro nobis: postremo, in illorum inuocatione. Tria enim hæc discernere conantes ecccesiæ aduersarij, alij quidem nullum horum, alij primum tantum, alij prima duo sine tertio admittunt & concedunt, sicut in iis comitiis fecerũt. Verum catholici cũ ecclesia sancta tria hæc firmiter permittunt. Primo omnium quomodo vene-

ratio ſanctorum ſit habenda, pio Chriſtiano vt perſuadere, ita intelligere facile eſt. nam quum dignatus eos magnis ſit honoribus deus, cuius illi ſunt amici, cur non honorabimus eos? Dauid inquit, Mihi nimis honorati ſunt amici tui deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Sic vtique habent etiam res hominum, vt miniſter vel conſiliarius domini ob ipſum dominum honoretur. Quur nō miniſtros etiam & amicos dei venerabimur, quum tamen docuerit id nos dominus, affirmans ſibi impenſum eſſe quicquid factum fuerit minimo ex fratribus ſuis? Ecce quòd honorem ſanctis illatum Chriſtus ipſe acceptat tāquam ſibi factum, vnde ſonium eſt & cōmentum merū, quod blaterant iſti, honore & veneratione ſanctorum diminui gloriam Chriſti, quum tamen hinc augeatur. nam ſancti niſi in Chriſto non honorantur, & de⁹ ipſe ſanctos ſuos honore dignatur, iuxta id quod ait dominus, Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus. Quod ſi ſanctos honorificat pater cœleſtis miniſtros Chriſti, quid præſumit vermis iſte vilisſimus, neochriſtianus impudens, ſanctis debitū ſubtrahere honorem? nónne cæcitas & excæcatio hæc mera eſt, qua homines intel lectu etiam ſuo per abuſum priuantur, ita vt etiam corā Cæſarea maieſtate & ordinib⁹ imperij quidam eorum dubitarint ſe inclinare, quādo glorioſum nomen Ieſu expreſſum, vel corpus eius ſanctiſsimum circūlatum, vel ipſa cœlorum regina Maria ex nomine eſſet appellata. de⁹ ipſos illuminare dignetur, nobis progrediendum eſt. 2 De interceſſione ſanctorū iam porro nobis incumbit dicere. illā enim ſortius aliquāto impugnarunt, quidā etiam omnino reiecerūt. At contra iſtos cuiq; catholico & Chriſtiano homini ſatis eſſe debet eccleſiæ cōſuetudo, per vniuerſum mundū & pie & conſtanter obſeruata. ſed quia non deſunt etiam ſcripturæ fundamenta, libeat ea quoque proſequi. Et vt omne faſtidium lōgioriſq; ſermonis moleſtiam euitemus, placet illud triplici fundaméto probare, ita vt etiam aduerſari tergi uerſari nequeāt. Nam & Chriſtus pro nobis orat, & angeli intercedūt, & nos qui in terris adhuc viuimus, viciſsim alius pro alio oramus. Principio Chriſtus ipſe pro nobis orat. ita enim Paul⁹, Chriſtus ſempiternum habet ſacerdotium, vnde & ſaluare in perpetuū poteſt, accedens per ſeipſum ad deum, ſemper viuens ad interpellandū pro nobis. Conſen-

Pſal. 138.

Mat. 25.

Ioan. 12.

Hebr. 7.

tit

tit & Ioannes, inquiens, Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrẽ Iesum Christũ iustũ, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris. nõ pro nostris autẽ tãtũ, sed etiam pro totius mundi. Ideo videant noui Capharnaitæ, quid eorũ Zuinglius asserat contra apostolos illos, Christum iam non intercedere pro nobis.) Quod si ergo Christus pro nobis interpellat, qui caput est sanctorũ omniũ, quur non & sancti qui sunt ipsius mẽbra nobilissima, pro nobis intercedẽt, quũ tamẽ ille exempla de se præbeat in operibus suis, quid nos omnes ab eo discere debeamus? Quilibet igitur Christianus firmiter credere debet, quod sancti voluntatẽ suam cõforment volũtati Christi, quũq; pro nobis miseris peccatoribus Christus interpellet, ipsi quoq; pro nobis orant, sequẽtes caput suum, sicut ait Ioãnes, quia sequuntur agnum quocunq; ierit. Vigintiquatuor itaq; seniores qui sederunt super sedes ante thronũ dei, aperiente agno librũ, cecidẽrũt corã agno, habentes singuli citharas & phialas aureas, plenas odoramẽtorum quæ sunt orationes sanctorũ. Videat etiam quisque rationẽ, quur Christus oret pro nobis. Fit enim illud ex magna quã erga nos gerit, charitate. Quur autem nõ & sancti mutua nos charitate prosequãtur sicut Christ⁹, & pro nobis orent? Alterũ intercessionis sanctorũ fundamentũ est, quod & angeli pro nobis orant, quur non idẽ faciant cõciues eorũ, apostoli, martyres cõfessores? Et angelos quidẽ intercessores nostros nemo negare potest, qui modo sacris literis fidẽ habeat. equidẽ aliquot inde locos adducã (vt vide plura in die sancti Michaëlis.) Zacharias enĩ refert angelũ clamasse ad dominũ, Domine exercituũ, vsquequo non misereberis Ierusalẽ & vrbiũ Iuda, quib⁹ irat⁹ es? Et respõdis dominus angelo verba bona & cõsolatoria. Idẽ de angelo Tobiæ Raphaële, & de angelo Danielis scriptũ est. Manifeste etiã testatur idẽ Ioãnes, dicẽs. Stetit angelus iuxta arã templi, habẽs thuribulũ aureum in manu sua, & data sunt illi incẽsa multa, vt daret de orationibus sanctorũ omniũ super altare aureũ quod est ante thronum. ¶ Quũ itaq; sancti angeli pro nobis orent in cœlis, quur nõ etiã alij sancti, quũ vtriq; sint beati videntes & contẽplantes essentiam dei. Imo si naturã cõsiderem⁹, sancti multo sunt nobis propinquiores angeli: si affectũ & cõuersationẽ, longe deuinctiores: si charitatẽ, æque omnes desiderant nostrã salutem.

1. Ioan. 2.

Apo. 14. & 5.

Zach. 1.

Tob. 12.

Dan. 10.

Apoc. 8.

Insignis igitur ista neochristianorũ temeritas est, quod concedentes etiã coacti, sicut oportet eos facere à scriptura cõpulsos, quia angeli pro nobis orant, nolũt tamen admittere idem de sanctis. Quod si parentũ aut auorũ meorũ aliquis esset in cœlo, quomodo nõ magis deũ pro me oraret quam angelus quispiam? ¶ Fundamentum porro tertium de sanctorũ intercessione, est quod etiã viuentes tenentur pro se
Iaco.5. mutuo orare, sic docẽte & monente Iacobo, Orate pro inuicẽ, vt saluemini. quod ille exemplo cõfirmat Elię, qui homo mortalis nostri similis, quũ orasset ne plueret super terrã, nõ pluit triennio toto & sex mensibus. Rursus orauit, &
3.Reg.17. *Exo. 17.* cœlum dedit pluuiam, terra fructus suos. Sic Moyses orauit
Roma.15. pro populo ne deleret illũ dominꝰ, sic Paulus sæpe rogat & cupit adiuuari precibus eorũ ad quos scribit. nam ad Romanos sic ait, Adiuuate me in orationibꝰ pro me ad deũ. (Nota quod hoc loco desiit in prædicãdo, & tamẽ hic animus est cõtinuare materiã sicut proposuerã facere. neq; enim licebat diutius protrahere in tãtis principũ magnorumq; viro-
Philip.1. rũ occupationibus.) Alibi quoq; Paulus sic ait, Gratias ago deo meo in omni memoria vestri semper, in cũctis orationibus meis pro vobis cũ gaudio deprecationẽ faciẽs. Idẽ scribit ille in multis aliis locis, quibus omnibus enumerãdis hic
Luca 7. studio breuitatis supersedeo. sic Cẽturio ꝓ puero suo, mulier Chananæa ꝓ filia sua orauit, &c. ¶ Quod si igitur qui adhuc viuunt, pro se mutuo orãt, quur idẽ faciãt sancti iam demortui, qui tamen & charitate perfectiores, & apud deũ multo potẽtiores, & animo lõge sunt puriores? Causam hic mihi cõsidera, quur viui pro se mutuo orent, nũquid nõ ex charitate fit? Hãc ergo quũ habeãt etiã sancti nõ paulò maiorẽ quã qui hic in terra viuunt, quid prohibeat quo minus
1.Cor.13. vrgente ea & ipsi pro nobis intercedãt apud dominũ? atqui
Hieron. nõ temere est qđ Paulus ait charitatẽ nõ excidere, sed semper manere. Nõ absimili fundamẽto Hieronymus refellit hæresim Heluidij & Vigilantij, vbi inter cætera sic ait, Si apostoli & martyres adhuc in corpore cõstituti possunt ora re pro cæteris, quãdo pro se adhuc debẽt esse soliciti, quãto magis post coronas, victorias & triũphos? Et huiusmodi etiã aliis pluribus rationibus multi neochristiani cõpulsi, iã admittũt sanctorũ intercessionẽ, quã mordicꝰ antea negarũt. Atq; sic iã declaratũ satis est, ex tribus illis causis quas etiam

aduersa-

aduersarij inficiari nō possunt, sanctos dei orare & intercedere pro nobis. 3 Quū iam audiuimus ex primo articulo, quod honorare & venerari debeamus sanctos dei, ex secundo quod etiā ipsi orent pro nobis, idq; triplici fundamēto, tres adhuc alias rationes adducemus pro intercessione illorū. Et quāuis hinc abhorrent aduersarij, eas tamen apud catholicos omnes existimo multū ponderis habituras, tātumq; cōclusuras, vt à fide sua nullis queāt modis deterreri. Et primū quidē retinere quēlibet Christianum debent in fide catholica immensa illa, quæ deus p vniuersum mundū operatur, miracula per sanctorū intercessionē, sicuti norūt Christiani omnes de beata virgine, de sancto Ioāne, de sancto Iacobo, de glorioso martyre magnoq; omniū patrono sancto Sebastiano, de sancta Anna, de sancto Leonardo, Iodoco, Volffgāgo, Barbara, &c. quādo miracula aliud nō sunt, nisi fidei nostrę quędā corroboramēta & cōfortamēta, vt Christus ipse ait, Signa eos qui crediderint, hæc sequētur: dęmonia eiiciēt, linguis loquentur nouis, &c. quia diuina omnipotētia errori & falsitati non auxiliabitur: sicut & falsa veneratio ad lucē statim venit, neq; diu latuit. Si enim sanctus Martinus vanā cadaueris cuiusdā latronis veneratione statim manifestauit. Coloniæ quoq; adhuc hominū memoria testatur, quomodo signa quędā circa crucifixū ad S. Gereonem contigerint. ¶ Vicissim oblatrant neochristiani, quod sancti in vita sua fecerūt miracula, post mortē non item. deinde quū referūtur signa quæ circa memoriā sanctorū acciderunt, conātur illa dæmoni tribuere, qui hominibus fucū faciat & imponat. Quanuis hæc omnia præter quam quod temeraria sunt, etiā blasphemiā sapiūt, nos tamen cōstanter ea refutabimus. Nā primū omniū dictu mirū est, quod sanctis adhuc viuentibus miracula faciēdi potestatem tribuūt, mortuis autē adimunt, quū tamē in hac vita peccatores adhuc sint, multis subiecti miseris, illic non ité. Quod si vmbra Petri in hac vita homines sanauit infirmos, quur nō plus iam valeat apud deū? quur non maiora iam faciat miracula, & immortalis existens, & peccatis carens? Simile de S. Paulo iudiciū est, cuius si semicincta & sudaria sanarunt ægrotos, quare tādē plus potuerint eius strophiola in hoc exilio, quā nunc preces ipsius in cœlo? O vesanum qui vel credat, vel affirmet talia. ¶ Vt autē neochristiano etiā prætextus nul-

Mar. vlt.

Actu. 5.

Act. 19.

lus aliquis sit fucando suo errori, iam porro manifestis scripturę testimoniis iam dicta cõfirmabim⁹, quia de Eliseo sic
Eccl.48. ait Sapiens, Mortuũ prophetauit corpus eius, in vita sua fecit mõstra, & in morte mirabilia operatus est. Vbi Sapiens multa mirabilia refert eũ fecisse, neque tamẽ ea enumerat.
4.Re.13. Sed in historia Regũ legimus, quomodo mortuo Eliseo & sepulto, venerũt eodẽ anno latrones Moab in illã ipsãm regionẽ: & quidam volentes sepelire hominem mortuũ, visis latronibus, proiecerunt cadauer in sepulchrum Elisei, cuius ossa quũ cõtigisset cadauer putre & exanime, reuixit & surrexit in pedes suos. Quũ itaq; ossa Elisei hominẽ mortuum resuscitarint quãdo nõdum Eliseus venisset in cœlũ, quanto plus iã sancti possunt apud deũ operari miracula? quę quod neochristiani dæmoniis tribuũt, manifeste maiores suos arguunt Iudæos fuisse, qui dño miracula sua eleuare volẽtes,
Mat.12. dicebant qđ in potestate Beelzebub ciiceret dæmonia. Sic iam neochristiani sanctorũ miracula scelerate tribuunt dæmoni, quasi non adeo deus honoraret Mariã & Petrũ, vt Eliseũ, imo decepisset ille p signa sanctorũ mũdũ vniuersum: qđ nemo Christianus cogitare debet. 2 Retinere quẽlibet Christianũ in fide catholica debet etiã ipsa authoritas scripturæ. Sic enĩ legimus in libro Iob, Ite ad seruũ meũ Iob, &
Iob 42. offerte holocaustũ pro vobis. facié ei⁹ suscipiã: vt nõ imputetur vobis stultitia. & inde sequitur, Cõuersus est dominus ad pœnitẽtiã Iob, quum oraret & ille, p amicis suis. In alio etiã loco sic ait, Voca si est qui tibi respõdeat, & ad aliquem sanctorum cõuertere. Ecce hic dominus quum nolet audire
Iob.5. amicos Iob, ipsius tamẽ Iob intercessionem admisit, & Iob cõsuluit Elihu, vt ad aliquẽ sanctorum cõuertatur. Præterea
Baruc.3. Baruch sic precatur, Domine omnipotens, deus Israël, audi nunc orationẽ mortuorũ Israël & filiorum ipsorum. Ecce quòd & mortui orauerunt, nõ vtiq; pro seipsis, sed pro vi-
1.Mac.15. uis. Adhæc in historia Machabæorum legimus, quomodo Iudas viderit Oniã extensis manibus orantẽ pro omni populo Iudæorum: deinde vidit ille alium virũ ætate & gloria admirãdum, de quo dixit Onias, Hic est fratrum amator & populi Israël, hic est qui multũ orat pro populo & tota ciuitate sancta, Ieremias propheta. Loci ij tres cõstãter probant sanctorũ intercessionẽ, atq; etiamsi recusent neochristiani illos acceptare, clamantes libros istos nõ esse in canone: at-

ne: attamẽ de errore cõuincuntur, quoniam illis vtitur ecclesia in Cãticis, lectionibus & precibus sanctis, in sacrificio missæ, & omnibus diuinis officiis. deinde memorãtur etiam in canone scripturarum in consilio Carthaginensi & Innocẽtij primi. Quid quod ipse Augustꝰ. satis magnus nobis in testis, librum Machabæorum iam olim suo tẽpore fuisse in canone, lib. 18. ca. 36. de ciuit. dei. 4 Nunc tandem de inuocatione sanctorum disseramus, qui articulus ex superiori pẽdet. nã pro nobis orãt, sancti, tamq; sunt erga nos mites & benigni, quur nos illos non inuocabimus, vt hoc faciant quod faciunt nõ inuiti, hoc est, vt orent pro nobis? Quum etiã pro nobis orant sancti, nõ faciunt hoc nisi cũ voluntate dei. docuit autẽ nos dominus quotidie orare illud, Fiat voluntas tua. Quomodo ergo iniquũ fuerit nos pro intercessione clamare ad sanctos, vt voluntas dei impleatur, quãdo & Iob cõsuluit ipsi Elihu, vt ad aliquẽ sanctorũ conuertatur? Conuersio autẽ hæc, nihil aliud est quã ipsa inuocatio, quod ex superioribus liquet, Voca si est qui tibi respõdeat. Accepit inuocationis huius robur, quod Iacob dixit ille patriarcha, Inuocetur super eos nomẽ meũ, & nomina patrũ meorum Abrahã & Isaac, &c. Sãctus Dionysius Pauli apostoli discipulus, testatur apostolorum tẽpore morẽ fuisse illum, vt inuocẽtur sancti. sic enim ait, Hãc si quis spernat sanctã disciplinã, atq; infelici elatione seductus, dignum se diuina arbitretur familiaritate, sanctosq; despiciat, hic certe si petitiones indignas deo neque sacras postularit, intentoq; careat diuinorũ desiderio, sibiq; ipsi cõsentaneo, impetita postulatione per seipsum nunquã potietur. Vult hic Dionysius, ne quis se iudicet tã esse bonum, vt priuata temeritate, spretis sanctis, ad deum petiturus irrumpat.

Augustꝰ.

Mat. 6.

Dionysius de cœle. hiera. cap. 7.

¶ Pulchre etiam Cyprianus scribit ad Corneliũ papam. Si quis hinc nostrũ prior diuinæ dignatiõis celeritate præcesserit, perseueret apud deũ nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiã patris nõ cesset oratio. Præterea Leo in homilia de S. Laurentio, sic inquit, Cuius oratu & patrocinio adiuuari nos sine cessatione cõfidimus. Et Augustꝰ. in sermone de sanctis apostolis Petro & Paulo, præclare dicit, Qui honorat martyrem, honorat Christum. & qui spernit martyrẽ, spernit Christum. Libro quoque 22. de ciuit. dei Augustinus plurima enarrat miracula,

Libro 1. epi. 1.

Leo.

Augustꝰ.

quæ facta sint & exhibita à reliquiis, etiam cõmemoratiõe
Beda. sanctorũ martyrũ, Stephani, Geruasij & Prothasij. Atq; ea
semp fuit ecclesiæ cõsuetudo, vt ad sanctos dei clamet, inter
cessionẽ eorum petens apud deum. Populus etiã hinc Chri-
Lib. 20. de ciuit. dei. c. 21. stianus, vt ait Augustinus, memorias martyrũ religiosa so-
lennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt
meritis eorũ consocietur, orationibus adiuuetur. Et vos igi-
tur in Christo dilectissimi diligẽtius hodie veneremini om-
nes sanctos dei, solicite deprecantes vt vos quoque ipsorum
gaudiis coniungamini, sicq; post exilium merces & retri-
butio vestra copiosa sit in cœlis, Amen.

HOMILIA II.

QVOMODO, quaq; occasione factũ sit, vt hunc
sermonẽ habuerit dominus conscenso monte,
diximus in die sancti Mauricij, similiter in ge-
nere de octo beatitudinibus disseruimus. nunc
lubet ad honorẽ & gloriã omnium sanctorũ de singulis il-
lis peculiariter pertractare. Principio itaq; sic orditur do-
minus, Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorũ est regnũ cœ-
lorũ. Vbi ante omnia solerter cõsiderandũ nobis est, quam
breuiter, acute, & artificiose summa dei sapiẽtia octo bea-
titudines percẽsuerit. semper enim laudat, dum beatos pro-
nũciat. deinde exprimit id, in quo sita est beatitudo. postre-
mo cuiusmodi illã maneat præmiũ. Quãtũ ad primũ, sic ait
Hieron. dominus, Beati pauperes spiritu. Vbi Hieron. Ne, inquit,
quis putaret paupertatẽ, quæ nõnunquã necessitate porta-
tur, à domino prędicari, adiunxit spiritu, vt humilitatẽ in-
telligeres, nõ penuriã: ita vt loquatur hic dominus de iis qui
pauperes sunt spiritu, qui vltro propter spiritũ sanctũ sunt
Esaiæ 63. pauperes, de quibus dixit dominus, Et ad euangelizandum
Psal. 33. pauperibus misit me. Quo facit illud Dauidicum, Humiles
Theop. spiritu saluabit. In eũ quoq; sensum Theophylactus accipit
hęc verba saluatoris, & ait, Cõtritianimo, sunt pauperes spi
ritu. Primo enĩ dominus molestiã & humilitatẽ animi ceu
fundamentũ iacit, vt quia Adã per superbiã cecidi, Christus
per humilitatẽ rursus nos erigeret. Eadẽ est & sententia Au-
August. gustini, dicentis, Vulgo etiã magnũ spiritũ habere dicuntur
superbi, quapropter recte hic intelligũtur pauperes spiritu,
humiles & timẽtes deum, id est, nõ habẽtes inflantem spiri-
tum, quia spiritus sic Latinis & Hebræis etiam ventũ

signi-

significat. Sunt autem superbi, inflati admodum & turgidi, pleni vento non sic faciunt, qui beati esse cupiunt. Nam ita ait Esaias, Spiritus robustorũ quasi turbo impellens parietem. quisquis sic pauper est spiritu, vt fastu careat & superbia, is iam beatus est, atque dicere potest cum Dauide, Vide domine humilitatẽ meam & laborem meũ, & dimitte vniuersa delicta mea. In eum competit istud propheticum, Ad quem respiciã nisi ad pauperculũ & contritũ spiritu & trementem sermones meos? ¶ Sequitur iam beatitudinis huius merces, quoniã ipsorum est regnũ cœlorum. A Equissimum hoc est, vt qui hic multis subiecti sunt ærumnis & miseriis, tandẽ satientur in æterna felicitate. vicissim quoque, vt qui hic bonis tẽporalibus se impleuerũt, nihil etiam cogitantes de iis quæ sunt æterna, ij tandẽ miseri permaneant in paupertate & egestate perpetua. Sic Ioan. ait, Dicis, diues sum & locupletatus, & nullius egeo, sed nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper & cæcus & nudus. Multũ quoque cõuenit merces illa iis, quia pauperes sunt spiritu: quia vt supra diximus, hic dominus humilitatẽ istam docet contra superbiam Adæ. Non poterat autẽ superbia manere in cœlo, vnde expulsus est Lucifer. neque magis perdurare potuit in paradiso, vnde exacti sunt primi parentes nostri. tantũ iste locum habet apud inferos. sicut dicit propheta, Detracta est ad inferos, superbia tua. Ecõtra igitur humilitas locũ suum in cœlo obtinet antiquũ, quia angusta est via quæ illuc adducit, quo nec turgidi præ superbia, neq; inuitati auari pertingere possunt. Regnũ itaque cœlorum, humiliũ est & eorũ qui pauperes sunt spiritu. Multa hic dici possent copiosius, sed iis omnibus vltro supersedebimus. 2 Beati mites, inquit dominus, Qui mites? quærit Augustinus. & respõdet, illi qui cedunt improbitatibus, & nõ resistunt malo, sed vincũt in bono malũ. Mites etiã ait Theophylactus, sunt non qui prorsus nõ irascuntur, tales enim insipientes sunt & insensati, sed qui iræ vim habent, cõtinet autẽ, & quando oportet irascẽtur. Huiusmodi homini miti cohabitare bonũ est, & cum eo conuersari, sicut de Dauide ait scriptura, Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus. Sic Moyses vir fuit mitissimus ex omnibus qui tunc fuerunt super terram. Christus quoque seipsum proposuit exemplũ meritoriæ huius beatitudinis, quãdo dixit ad discipulos suos, Discite à me, quia

Esa.25. *Psal.23.* *Esa.66.* *Apoc.3.* *Augustin.* *Theophyl.* *2. Reg.23.* *Num.12.* *Matt.11.*

Tit. 3. mitis sum & humilis corde. Sic Paulus ad Titum ait, Admone illos modestos esse, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. ¶ Sequitur muneratio, quia possidebunt terram. Vbi pulchre ait Augusti. Rixentur immites & dimicens pro terrenis & temporalib⁹ rebus: sed beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram, de qua auelli nō pos-

August.

Psal. 14. sunt: illam inquam terram, de qua in Psalmo dicitur, Portio mea in terra viuentiū. Firma per hoc æternæ hæreditatis significatur possessio, in qua sic requiescit animus, vt corpus

Hierony. in terra. Nō terram Iudææ, inquit Hierony. nec terrā istius mundi, nō terram maledictā, spinas & tribulos afferentem, quam crudelissimus quisque ac bellator magis possidet, sed

Psal. 26. terram quam Psalmista desiderat, dicens, Credo videre bo-

Chrysosto. Theoph. na domini in terra viuentium. Cōsentit plane Chrysostomus, qui tamen plures adhuc sententias enumerat. Theoph. sic ait, Aliqui spiritualem terram dicunt, cœlum videlicet. verum tu & hanc terram intellige, quoniam enim mites putantur despecti & inopes, dicit quod hi magis omnia habeāt. Sic Chrysostomus inquit, Nec in scripturis vspiam reperimus intelligibilē terram. Alij per terram corpus nostrum accipiunt, quod hic est de terra morientium, illic futurum de terra viuentium. Tu hic interim expende, quam copiosē mansuetudinem remuneraturus sit dominus, siue in terra hac quam conculcas pedibus, siue quem circungestas in corpore, siue in terra beatorum quam desideras & inquiras. Non igitur debemus esse furiosi, inuidi, ira & odio pleni.

3 Tertia hinc beatitudo sequitur, quum ait, Beati qui lu-

Hierony. gent. Luctus hic, vt ait Hierony. non mortuorum ponitur cum lege naturæ, sed vitiis & peccatis mortuorum, sicut Sa-

1. Reg. 15. muel luxit & planxit super Saul, quum audisset pœnitudine ductum dominū quod ipsum vnxisset regem super popu

2. Cor. 12. lum suū. Sic Paulus ait, Timeo ne cum iterū venero ad vos, humiliet me deus apud vos, & lugeam multos ex iis qui ante peccauerunt, & nō egerunt pœnitentiā super immundi-

Theoph. tia & fornicatione. Theophylactus hic quoq; dicit, Qui propter peccata lugent, nō propter temporalia. lugentes autem dixit semper & nō semel: & non pro peccatis nostris, tantū, sed & pro peccatis proximorū. Huiusmodi beatitudiné ha-

S. Paulinus. buit Ambrosius, in cuius vita sic ait Paulinus, Quotiescūq; illi aliquis ob percipiendā pœnitentiam lapsus suos confes-

sus

ſus eſſet, ita flebat, vt & illum flere compelleret videbatur etiam ſibi cum iacente iacere. ſic ipſe inquit ſuper hæc verba Ambroſius, Quũ hoc feceris ſcilicet vt ſis pauper & mitis, memẽto quia peccator es & lugeto peccata. Addit Chryſoſtomus, Beatus qui ſua luget peccata, beatior autem qui etiam aliena. Facere hoc debent doctores, quæ cõmunis omnium & veterum & iuniorũ ſententia eſt. Neque me latet quomodo hoc exponi poſſet, ſi cũ monaſticis perſonis agerem, ſed tranſeat illud. Et tamen ad materiæ huius explanationem, puto diuerſum in ſacris literis luctum inueniri qui huc applicari poſſit. Principio enim luctus eſt de peccato. Sic Petrus, abnegato domino, exiuit & fleuit amare. Sic Maria Magdalena peccata ſua planxit, & lachrymis ſuis pedes lauit dominicos. Et illi quidem hoc luctu meruerunt beatitudinem, quia reſpexit eos dominꝰ oculis miſericordiæ ſuę. Alij flent deſiderio vitæ æternæ. Sic Paulus ait, Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Sic Dauid inclamat, Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, hoc eſt, cum iis qui tenebras incolunt errorum & peccatorũ, cum hæreticis & peccatoribus. Sic flere ſolitus eſt S. Ambroſius, quoties audiuit pium aliquẽ ſacerdotum eſſe defunctorum, eo quòd ante ſe mortuus eſſet. Sic Dauid prolongationem huiuſmodi moleſte tulit, inquiens, Quid mihi eſt in cœlo? & à te quid volui ſuper terram? quaſi diceret, Nihil eſt in terra quod mihi ſine te placeat.

Ambroſ. *Chryſoſt.* *Matt. 26.* *Luc. 7.* *Philip. 2.* *Pſal. 119.* *Ambroſ.* *Pſal. 72.*

¶Tertio lugere quis poteſt ideo, quod videt iuſtitię dei nullum eſſe locũ in terris reliquũ. ſic dolenter dixit Dauid, Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei. ſic cũ zelo doluit Phinees, quũ videret Zamri filium Salunij peccare coram omni populi cũ muliercula Madianita. Et Matathias, videns idololatriam creſcere in Iſraël.

Pſal. 118. *Nume. 25.* *1. Mac. 2.*

¶Quicunque igitur aliquo illorum modorũ lugent, ſicut populus Iſraël ſuper flumina Babylonis ſedens & fluens, quũ recordaretur Sion, ij nimirũ conſolationem accipient, quæ meritoriæ huius beatitudinis remuneratio eſt, cõſolatio ſcilicet ſpiritus ſancti, quem ideo dominus toties cõſolatorem vocat. decet enim vt qui tẽporalia gaudia cõtemnũt, æterna conſequantur, ſicut Eſaias ait, Gaudete cum ea vniuerſi qui lugetis ſuper eam. Huiuſmodi conſolationem accepit Pſalmiſta, dicens, Secundum multitudiné dolorum

Pſal. 139. *Ioan. 16.* *Auguſti.* *Eſa. vlt.* *Pſal. 93.*

in corde meo cõsolationes tuæ lætificauerunt animã meam. Quarto loco beatitudinum illarum numeratur hic istud, quod dicitur, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Bonum vtique est iustitiam velle, sed longe beatius eam esurire & sitire. neque enim, vt ait Hieronymus, sufficit nobis velle iustitiam, nisi iustitiæ famem patiamur, vt sub hoc exemplo nunquam nos satis iustos, sed semper esurire iustitiæ opera intelligamus. Ambrosius signum hoc esse bonum putat, vbi quis esurit iustitiam & sitit, eo quod æger quum in graui morbo est, non esurit: fames autem sanitatis indicium est. Is quoque (authore Chrysostomo) esurit iustitiam, qui ex animo cupit secundum iustitiam dei viuere. is vero sitit illam, qui scire desiderat eam. Dicturus ergo dominus de misericordia & eleemosyna, recte præmisit iustitiã. quia quisquis bona iniusto titulo sibi arrogat aut possidet, is frustra sperat eleemosynã suam deo fore acceptam, vt qui iam cœnobia & templa diruunt, atque pecuniam in vsum pauperum se cõferre dicunt, actum agunt. de substantia quisque sua iubetur honorare deum, & eleemosynam dare pauperibus. (Nimis subtile est pro populo, quomodo esuries referatur ad desiderium animæ ad iusta. sitis vero ad rationes & iura iustitiæ. nam sicut cibus qui esuritur, cibat & restaurat vitam, sed quia cibus per se nõ fluit & currit ad membra nutrienda, nisi habeat vehens humidum, cuius desiderium est sitis, ita sunt etiam rationes iuris & sapientiæ, quæ vehunt & dirigunt iusta. alioquin si nescit per sapientiã dirigere iustitiam, summum ius summa erat iniustitia. quod si sciat & possit, & nõ velit per iniustitiam, tunc sæuissima est in iustitia, habens arma.) ¶ Beatitudinis huius merces est, quia saturabuntur scilicet largitate remunerantis dei, quoniam maiora erunt dei præmia, quam sanctorum desideria. Vel, vt inquit Augustinus, illo verbo saturabuntur, de quo dominus ait, Meus cibus est vt faciam voluntatẽ patris mei. hæc illa iustitia est, hic ipse potus, quando dicit, Omnis qui bibit ex aqua hac, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternã. Theophylactus quoq; ad temporalia refert, quia mundus putat saturari diuites, sed hic dominus docet magis iustos saturari quoniam bona iniuste parta, sæpe vix tertium sequuntur hæredem, nonnunquam vix secundum.

Hierony.
Ambros.
Chrysost.
Theophy.
Chrysost.
Augusti.
Ioan. 4.

certum

certum est autem iustos saturari in vita æterna. Sic Psalte cecinit, Satiabor cum apparuerit gloria tua. Siquidē quum damnati inopes erunt bonorum omnium, beati omnium bonorum affluentia abundabunt. Idipsum manifeste prædixit dominus per prophetam, Vocaui vos, & non respondistis: loquutus sum, & non audistis. & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis. propter hoc hæc, dicit dominus deus, Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: Ecce serui mei bibent, & vos sitietis: Ecce serui mei lætabuntur, & vos cōfundemini, &c. ¶ Quinta porro beatitudo sic proponitur, Beati misericordes. Misericordiam hic intellige non tantū in dando eleemosynam, sed in quolibet proximorum peccato, in portando cuiuslibet onere, quia misericors aliquis esse potest etiā in verbo cōsolatorio, & in vnica lachrymula, si aliud nō habeat. Misericordia quoque & iustitia ita coniunctæ sunt, vt altera ab altera debeat temperari. Iustitia enim sine misericordia, crudelitas est: misericordia sine iustitia, dissolutio. De huiusmodi misericordia erga proximum habenda, multa diximus Tom. 2. Sequitur hinc merces, quia misericordes misericordiā consequentur. id quum hic sit in ista vita, tum vero maxime in vita æterna, iuxta illud Sapientis, Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundū meritum operum suorum. Eo nos hortatur etiam Christus, dicens, Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est, qui solē suū oriri finit super bonos & malos. ¶ Sextam beatitudinē ita refert dominus, Beati mundo corde. Ij autē, vt ait Hierony. sunt mūdo corde, quos non arguit cōscientia vlla peccati. sic in vniuersum intelligit Chrysosto. de munditia cordis ab omnibus peccatis. & Ambros. præclare dicit, Qui misericordiā defert, misericordiā amittit, nisi mundo corde misereatur. Quidam etiam de munditia siue continentia intelligunt, quasi hic virtutem illam cōmendare voluerit dominus. Sic enim ait Theophylactus, Multi sunt non rapientes, sed & misericordes, veruntamen scortantur, & alias immūdi sunt, atque ij deum nō videbūt. Quapropter præcipit hic dominꝰ, vt simul cū aliis virtutibꝰ homines etiā munditiē corporis custodiāt & cōtinentiā, eo ꝙ qui mūdissimus est dominus, nisi mūdis oculis cōspici nō potest, templumq; adeo dei nō potest esse pollutū. vnde & Paulus ait, Pacē sequimini cū omnibus, & sanctimoniā sine

Psal. 16.

Esa. 65.

Eccle. 16.

Matth. 6.

Hierony.

Chrysost.

Ambros.

Theophy.

Hebr. 11.

qua nemo videbit deum, quia nihil coinquinatũ intrabit in regnum cœlorum, & speculũ si sit sordibus infectum, impurã quoq; repræsentat imaginẽ. Vnde & Psaltes ille diuinus sic ait, Quis ascendet in mõtem domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde, &c. *Psal. 23.*

¶ Septimo, Beati etiam commemorantur pacifici. Pacem illam non tantum intelligere debemus erga proximum nostrum, sed & cum deo & conscientia nostra. sicut dicit propheta, Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua. In eadem sententia est Hieronymus, quum ait, Pacifici sunt, qui primum in corde suo, deinde & inter fratres dissidentes pacem faciunt. Quorsum enim proderit alios per te pacem habere, quum interim in pectore tuo dissidia & bella sæuiant vitiorum? hinc ait Theophylactus, quod pacifici sint, & qui per doctrinam inimicos dei conuertunt. Augustinus in sermone domini in monte, sic inquit, Pacifici in semetipsis sunt, qui omnes motus animi sui componentes & subiicientes rationi, carnalésque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum dei, ita vt quæ in homine facultas omnium nobilissima est, dominetur ratio, illique vires aliæ omnes subiectæ sint. Atque ea demum est pax, quæ hominibus datur bonæ voluntatis. de seruanda & custodienda pace, plura alias diximus. Pacem hanc Paulus optauit Philippensibus, dicens, Pax dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras. similiter & Colossensibus, Pax Christi exultet in cordibus vestris. Et Ephesiis iniunxit eandem, quum iussit eos esse solicitos seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.

Hieronym. *Theoph.* *Auguſt.* *Tom. 2.* *Philip. 4.* *Coloſ. 4.* *Epheſ. 4.*

¶ Merces beatitudinis illius hæc est, quia pacifici filij dei vocabuntur. sic enim vnigenitus dei deo nos reconciliauit pace facta, vt iam magnum quid sit, filium dei vocari & esse. Contentiosi igitur & seditiosi qui dissidia seminant & iurgia, filij sunt diaboli, qui omni charitate destitutus est, pace caret, nec vnitatem sustinere potest, sed dissidia tantum contentionésque mouet & seditiones. vnde & in cœlo manere non potuit, vbi pax summa est, quæ etiam cœlesti Hierusalem nomen indidit, quia visionem pacis sonat.

¶ Poltremo loco harum beatitudinum numerat dominus illam, & dicit, Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiã. Proprie & expresse ait ille, propter iustitiam.

multi

multi enim quum iusti non sint, persequutionem sustinent propter peccata sua, quomodo fures & homicidæ capitale obeunt supplicium, infelices ob id & iniqui. Atque non incommode beatitudo hæc priorem sequitur, quod significare voluit dominus, non semper esse bonum, inquirere pacē: quoniam sic antiquum locum obtinet vetus illud prouerbium, Bellum honestum, turpi pace præstantius est. sic ecclesia nūquam pacem habet cum hæreticis. imo potest incidere casus, quo imperator etiam aut rex inique faceret, intermittens vel negligens bellum. vicissim bellādo bene & meritorie ageret, sicuti iusto sermone alibi docuimus ad longum. Augustinus non recedens ab ordine reliquarum beatitudinum sic exponit, Pace intrinsecus constituta ac firmata, quascunq; persecutiones ille qui foras missus est, forinsecus concitauerit, auget gloriam quæ secundum deum est. Non dixit inquit Chrysosto. beati qui à Gentilibus persequutionē patiūtur, ne putes illū solum beatū qui persequutionem patitur propter idola nō colenda. ideo & qui ab hæreticis persequutionē patitur propter veritatē nō relinquēdam, beatus est, quia propter iustitiam patitur, sed & si quis ex potentibus qui Christiani videntur, forsitan propter sua peccata correctus à te, fuerit te persequutus, beatus es cum Ioanne Baptista. Sic prophetæ martyres fuerunt, qui à suis passi sunt & occisi. sine dubio enim qui propter deum patitur, mercedem martyrum habet, etiamsi martyrium sustineat à suis. Atque ob hanc causam scriptura rationem persequutionis, non personas ostendit persequutorum. Remuneratio meritoriæ huius beatitudinis est, quia ipsorum sit regnum cœlorum. Diuinam hic contemplare sapiētiam, quomodo veluti per orbem redeat ad principium. siquidem & primæ beatitudinis ea assignata est merces, quod sic beati habituri sint regnum cœlorum. sic pusillū gregem confirmans dominus, ait. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Sic etiam ad apostol. dicit, Vos estis qui permansistis mecum in tētationibus meis, ideo dispono vobis regnum, sicus disposuit mihi pater meus, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. ¶ Ad extremum iam vltimam beatitudinem hanc cōcludit dominus cōmuni illa omnium beatorum remuneratione, dicens, Beati estis cū maledixerint vobis homines, & persequuti vos

Chryso.

Tom. 1. Augustin.

Chrysosto.

Luc. 12.

Luc. 22.

Theophi.

fuerint, hoc proprie ad apostolos pertinet, quos hic confirmare conatur dominus, per hoc quòd commune sit illud omnibus veritatis doctoribus, male audire & calumnias sustinere non meritas. Illud enim maledictum (vt ait Hieronymus) contemnendum est, quod beatitudinem creat, quod falso maledicentis ore profertur. Ecce duo ad beatitudinem illam pertinent, male audire propter Christum, & maledicendo errari. Quoniam sic ait Augustinus, Hoc de mendacio propter illos additum puto, qui volunt de persequutionibus & de fama suæ turpitudinis gloriari, & ideo dicere ad se pertinere Christū, quod multa de illis dicuntur mala, quū & vera de illorum errore dicantur. Qui boni piiq; sunt, & tamen contumelias sustinent patienter, illorum est regnum cœlorum. Sic Christiani fecerunt initio nascentis ecclesiæ, vt ait Paulus, Maledicimur, & benedicimus: persequutionē patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus. Sic ille Romanos docuit, ne cui maledictum reddant pro maledicto. Et Dauid ille sanctus ait ad dominum, Propter tē sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.

Hieron.

Augustī.

1. Cor. 4.

Roma. 12.

Psal. 68.

2 Deinde in vniuersum communem omnium pro Christo patientium mercedem insinuat dominus, dicens, Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis. Durum sane & arduum est, calumnias sustinere & iisdem gaudere propter dominum, sed vicissim, inquit dominus, grauiter illud remunerabo. Iob multis modis persequutiones sustulit graues, sed tum omnium maxime turbabatur, quum exprobrarent ei amici, quo propter peccata sua pateretur. Verba porro hæc Christi quilibet qui animo est perturbato, semper in memoria habere debet, quod si forte iniuste opprimitur à proximis suis vi sibi illata, si ægrotat, si periculum incumbit de ædibus, agris aliis bonis, ferat patienter? quia magna & copiosa erit merces sua in cœlo. patientia & spes hæc, quicquid alias ei molestum est faciet leue, sicut Iob contigit, quum diceret, Non perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo. Mercedem hanc copiosam affatim receperunt omnes sancti dei, dum iam ineffabiliter lætantur & exultant in cœlo, perpetuo aspicientes essentiam dei in æterna patria, ad quam nos quoque perducere dignetur ipse sanctus sanctorum, in omnia secula benedictus, Amen.

Theoph.

Iob 23.

IN

IN DIE COMMEMORATIONIS OMNIVM ANIMARVM, EVANGEL.

Ioannis 5.

IN illo tempore, dixit Iesus turbis Iudæorum, Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij dei: & qui audierint, viuent. Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso. Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.

HOMILIA PRIMA.

EVANGELIVM hoc breui transcursu explicabimus, deinde dicere aggrediemur, quomodo iuuari possint & debeant miseræ animæ in purgatorij carceribus detētæ. Inter cętera sic ait dominus ad Iudæos, Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocē filij dei. Hora hęc veniet in die nouissimo, quādo omnes mortui voce Christi & virtute dei resuscitati resurgēt viui, sicut in homiliis aduentus dominici disseruimus. Verū hic iam quæstio oritur, quomodo intelligi debeat quod addit dominus, & nunc est hora. Alij ex patribus alias hic sentētias tuentur, nos potiora dispiciamus. sunt enim qui hoc ad euangelij auscultationem referāt & fidē: quia homines qui ante euangeliū in peccatis mortui erāt, annunciato euangelio, iam tūc credere statim cœperunt, fore aliquādo tēpus vt resurrecturi sint mortui, ideoq; hic dominus geminū tēpus assignat: alterū, quum ait, Venit hora in qua mortui audient vocem filij dei. hora ea est, in qua rationē reddere debebimus pro suis quisq; factis, quādo resurgemus omnes in nouissimo die ad vocē, vo lūtatē & potestatē resuscitātis nos Christi. Tēpus hoc illud est, quo recipietur præmiū meriti nostri. Alterum tempus quo iam creditur huiusmodi quid esse futurum, atque illud iam prędsto est, tēpus meritorum, quāuis Aug. hoc quicquid est eo tēdit, vt intelligatur de resurrectiōe animi, quæ facta sit quū homines audierunt Christū prædicantē verba vitæ, *Augusti.*

& deinceps demum loquatur dominus de resurrectione car
Damasce. nis. Alij, sicut & Damascenus, accipiunt verba illa sic, vt do
minus dixerit primum de vniuersali resurrectione, inquiẽs,
Venit hora. Reliqua autem particula, (& nunc est: intelli-
gatur de præuia quorundam hominum resurrectione, quæ
nouissimam confirmat. quod si enim potuit Christus qua-
Ioan. 11. triduanum Lazarum de morte resuscitare voce sua quũ cla-
maret, Lazare, veni foras, similiter & filiam Iairi, & adole-
scentem viduæ illius in Naim, quomodo credere recusabi-
mus vniuersalẽ illam mortuorum omnium resurrectionẽ:
sicut Paulus fidẽ illius astruere conatur & persuadere Co-
1. Cor. 15. rinthiis, quia si Christꝰ resurrexit, & nos resurgemus? Vult
Theoph. ergo Theophy. dominũ per hoc quod ait, nunc, intellexisse
eos quos tunc à morte resuscitauit. Atq; hinc discrimen pa
tet, quod primi volunt Christum hic esse loquutum de vni-
uersali resurrectione carnis, atque ad probationẽ illius pro-
posuisse resurrectionem mẽtis, per quam assequamur illam
carnis. sic enim ait, Mortui audient vocem. nihil autem au-
diũt qui mortui sunt carne, sed qui animo mortui sunt pec-
catores. vnde absolute hic ait quod audient, deinde vero in
vniuersum dicit, quia omnes qui in monumẽtis sunt, resur-
gent. deus nobis quoq; gratiã suã largiri dignetur, vt hic au
dientes vocẽ eius, resurgamus à peccatis, resurrecturi etiam
die nouissimo in carne ad gaudia felicitatis æternæ, Amen.

2 Admiraris forsitã, quomodo qui mortui sunt, ad vocẽ
filij dei reuiuiscãt. desine mirari, & rationẽ audi quã domi-
nus reddit, inquiens, Sicut pater habet vitã in semetipso, sic
dedit & filio vitã habere in semetipso. quasi dicere vellet,
Anima nõ habet vitã à seipsa, neq; in seipsa, quũ tã sit insta-
bilis, incõstans, & cõtinuæ mutationi obnoxia, nunc bona,
nũc vicissim malariã alicuius rei sciẽs, paulò pòst eiusdẽ obli
ta, ideoq́; oportet vitã suã aliunde habeat, sicut & oculus lu
men suum ex se nõ habet. lõge aliter se res habet circa filiũ
dei, qui vitã in semetipso essentialiter habet, vnde & mirũ
non est quomodo animas ille viuificet. (filius in semetipso
habet vitã, licet nõ à semetipso, sed à patre. ideo non debet
dici particeps vitæ filius, sicut quidẽ literatores dicũt. Crea-
Cõ. Eras. turæ vero, quia non habẽt vitã in semetipsis, dicũtur partici
Aug. lib. pare vitam. Ideo Aug. hic inquit de filio dei, non participa
2. c. 144. tione viuit. Idem testatur Cyrillus.) ¶ Etiã quum viuit ani
ma,

ma, vitã in ſe non habet, ſed in Chriſto, cuiuſmodi erat anima Pauli quũ diceret, Viuo iã nõ ego, ſed viuit in me Chriſtus. Quantum enim in Chriſto viuimus, bene viuimus. vbi primum dicere inceperimus in nobis, iã male viuimus & in peccatis, quia ex nobis ipſis nihil niſi tenebræ ſumus, ſed à Chriſto lucẽ habemus, ſicut ait Paulus, Eratis quondam tenebræ, nunc autem lux in domino. Hæc omnia & credere & intelligere, contrarium erat Iudæis intuentibus tantum perſonam hominis, neque conſidere volentibus perſonam diuinam. quomodo filius ille ab æterno exit à deo patre genitus, & quod duæ naturæ in Chriſto perſona vnica eſſent. Ne tamen cogitaret quis, non etiã humanitaté Chriſti peculiari quadã virtute donatam, ſequitur, Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt. Ecce, inquit Auguſtinus, quomodo filius dei habet vitam in ſemetipſo, & quia filius hominis eſt, dedit ei poteſtatem & iudicium facere. Animas ergo ſuſcitat deus per Chriſtũ filiũ dei, corpora ſuſcitat deꝰ per eundẽ Chriſtum filiũ hominis. Et hinc reſoluunt atq; explicãt ſe doctores, cõcludẽtes quod Chriſtus in nouiſſimo die iudicaturus ſit ſpecie humana & natura, quoniã hoc priuilegium & munus proprium eſt, quod deus pater glorioſæ humanitati Chriſti tradidit. idq; adeo in ſpiritu præuidit Eſaias, quũ ait, Præparabitur in miſericordia ſoliũ, & ſedebit ſuper illud iudicãs in veritate in tabernaculo Dauid, hoc eſt, in humana natura, quærens iudiciũ & velociter reddẽs quod iuſtũ eſt. Vidit hoc ipſum etiã Daniel, inquiens, Ecce cũ nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, & vſq; ad antiquũ dierũ peruenit, & in conſpectu eius obtulerũt eũ, & dedit ei poteſtatẽ & honorẽ & regnũ, & omnes populi, tribꝰ & linguæ ſeruiẽt ei. Neq; latuit hoc Ioannẽ, quin & ipſe viderit illud quũ dicit, Ecce venit cum nubibus, & videbit eũ omnis oculus, & qui eũ pupugerunt.

Calat. 2.

Epheſ. 5.

Auguſti.

Eſa. 16.

Dan. 7.

3 Et ſi illud quod Chriſtus in humana ſpecie ſit iudicaturus, ex abſoluta dei volũtate libere proficiſcatur, neq; nobis licet diuinæ maieſtatis inquirere voluntatẽ, attamen rationẽ indagare poſſumus illis, quur hoc ita viſum ſit diuinæ volũtati, & quur hoc ita decuerit. Primũ conueniebat hoc ſane, vt ea in forma Chriſtus eſſet & veniret iudex, in qua ipſe cõſtituerat ante iudicẽ, & vt illos iudicaret, à quibꝰ inique hic fuerat iudicatus. 2 Deinde eum qui iudicio ſiſti-

Apoc. 1.

Mat. 5.

tur, siue bonus siue malus existat, videre iudicem. mali autẽ speciem diuinam videre non possunt, quoniam beati, inquit dominus, mundo corde, ipsi enim deum videbunt. ideoque iudicem illum natura & species magis decet humana, quę à bonis & malis conspici possit, vt ait euangelista, Videbũt in
Ioan. 19. quem transfixerunt. 3 Quia iam ante dixerat Christus, pater non iudicat quẽquam, sed omne iudicium dedit filio, qui si in diuina natura sit iudicaturus, ipse etiã iudicaret pater, quoniam naturam & essentiam diuinam habẽt vnicam, atq; trinitatis opera (vt ille ait) sunt indiuisa, ita vt quod v-
Damasce. na persona operatur, etiam aliã operari recte dicatur. Quũ autem singulariter ad filium pertineat iudicium, ipse quoq; peculiari quadam specie, humana scilicet, iudicabit. Porro sic ait dominus, Nolite mirari hoc. In quo consistat hæc admiratio, missum facimus. nã & doctores hinc variam eliciũt
Augusti. intellectum. Augus. refert admirationem hanc ad proxime sequentia, licet Chrysostomus aliter nectat & solum præcedẽtibus, quia Paulus Samosatenus ita distinxerit, sicut mihi apparet Augu. distinxisse. Vide ambos, quia plus pertinet
Cyrillus. ad scholas, & parũ ædificat in plebe. Cyrillus refert ad clau dum illum paralyticum quẽ sanauerat dominus. Quid mul ta? quum non intelligerent turbæ virtutẽ & potentiã Christi, quod voce sua mortuos resuscitare deberet. sed admirentur super illo sermone, vetat hoc fieri dominus, iubens verba sua attentius considerari, missa incredulitate, eo quod non tantum hominis, sed & dei filius esset. vnde tantum vir
Rom. 4. tutis voci suæ accesit, vt recte dixit Paulus, Qui viuificat
Tomo 1. mortuos, & qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. Multa super iis dicta per nos sunt in homiliis de die & iudicio nouissimo. Vnum hoc scitote dilectissimi quod quanuis Christus officium iudicis in humana forma cõsummabit, viuificatio tamen mortuorum, virtute fiet diuina.

4 Sequitur, Venit hora in qua omnes qui in monumẽtis sunt, audient vocem filij dei: & procedent qui bona fecerũt
Eze. 37. in resurrectionem vitæ. prædixit hoc idem Ezechiel, Ecce ego, inquiens, aperiam tumultos vestros, & educam vos de sepulchris vestris. Errauit igitur secta Sadducæorum, quum hic manifeste pareat, homines in corporibus suis resurrecturos. At vbi interim deliteſcunt neochristiani nostrates cum fide sua nuda, quam solã extollunt reiectis operibus bonis?

&

& tamen hic audiunt palam Christū dicere, quod qui bona fecerunt, procedent in resurrectionem vitæ. Quod si igitur neochristiani nolint facere opera bona, nō resurgent in vitam, sed in iudicium & cōdemnationē. At de iis quoq; alias *Tomo I.* sæpe diximus. ¶ Sic iam audiuimus Christum iudicē in humana natura, vocationem quoq; & citationem ad iudicium, vocem filij dei & iudicium ipsum. nam qui male fecerunt, sustinebūt iudiciū damnationis. (ita enim hic vsurpatur iudiciū pro iudicio cōdēnationis, nō discretionis) sic per pro- *Dan.12.* phetam dicit dominus. Multi de iis qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitā æternam, alij in opprobriū vt videāt semper. Qui autē docti fuerint, fulgebunt quasi *Mat.3.* splendor firmamenti. Simili modo prædicauit & Ioannes, Cuius vētilabrū in manu sua, & permundabit areā suam, & cōgregabit triticū in horreū suum, paleas autē cōburet igni *Luce 3.* inextinguibili. Vbi Ioānes de Christo loquitur, qui in manus accipit vētilabrū iudicij & purgat areā ecclesiæ, triticū congregans in horreum vitæ æternæ, paleas autem tritico commixtas antea, nūc vero per vētilabrū segregatas, proiicit in ignem. sic mali bonis permixti sunt in hac vita, illic autem secluſi, abiicientur in ignem æternum, à quo nos custodiat deus per magnam misericordiam suam, Amen.

HOMILIA II.

¶ *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus domini tetigit me. Iob 19.*

VERBA hæc quoad literam, loquutus est Iob rex Edom (vt affirmat Gregorius) ad amicos suos, qui in necessitate & afflictione sua visitabāt ipsum. Sācta autem mater ecclesia, quæ magisterio regitur spiritus sancti, cuius etiā instinctu liber hic conscriptus est, intelligit clare Iob non tātū personam Christi gestasse in corpore suo omniumq; hominum afflictorum, sed etiā animarum illarum, quæ transacta hac vita, misere torquentur in purgatorio. Hinc & instituit lectiones vigiliarū ex libro Iob desumptas, & responsoria atque cantica alia. (& hoc communiter obseruatur, maxime secundum consuetudinē ecclesiæ Romanæ, licet in aliquibus ecclesiis sumantur lectiones ex libro Ecclesiastis, Melius est ire ad domum luctus quam conuiuij. in aliis ex enchiridio Augustini, Tempus quod inter hominis mortem, in aliis miscentur

ex Prouer. 5. 6. Eccl. 7. a. 12. a. Esa. 26. d. Oseæ 13. c. Dan. 12. a. 1. Corin. 15. & 1. Thess. vlt.) ¶ Quorsum enī opus esset, tantum librū scribere spiritū sanctū pro diuersa ecclesia, si tātum patiētiā Iob hinc discere deberemus, qui multis malis afflictus fuit in terra Hus, quoniā illud ipsum exēplū paucis poterat verbis proponi, sicut & exemplū pœnitētiæ Dauidis, Petri & Magdalenæ? nemo itaque rationabiliter existimare potest, spiritum sanctum librum tā prolixum 42. capitibus cōprehensum, scripsisse ad designādam solummodo patientiam Iob, quum tamē multa in ea sint verba, quę simplicioribus & rudibus hominibus impatientiā sapere videri poterant, vt quum maledicit ille diē natiuitatis suæ & noctē cōceptionis, quod cupit disputare cū deo, neq; vult à quoquā considerari patientiam suā, quod sint omnia ea frustra, dum etiā conqueritur vt intelligāt amici eius, deum nō iusto iudicio ipsum corripuisse, suisq; eū flagellis circundedisse. Quibus accedit quod dolet impios viuere, tātumq; succesſum feliciter habere in terra. A dea omnia & similia multa, longe aliter intelliguntur sicut eadē patres spiritus sancti instinctu exposuerunt. Ita etiā hic quāuis Iob expresse non meminerit neque significet se de mortuis loqui, satis tamen est, ecclesiā sanctā à spiritu sancto edoctā esse, illa de mortuis intelligi debere. hoc inde colliges, quia manifeste declarat Iob miseriam hominis, qui tot malis & ærumnis expositus est, maxime vero hoc suo etiam ipsius exemplo ostēdit. Quid autem homini morte amarius est? vbi homo pœnas acerbiores sustinet, quam in purgatorio, vt statim dicemus? Ad hoc cōtinue iudicium dei cōmemorat Iob super vita & peccatis hominum, atque quod non sit homo mundus ante cōspectū dei, vnde quilibet homo timere debet deū. recenset idem peruersitatē diaboli, & quomodo insidietur ille animabus hominū ad perdendū eas. fatetur quoque aperte resurrectionem carnis, Quæ omnia iugiter in memoria habere debemus pro defunctis, illisq; gratiā petere à domino sicut ecclesia clamorē animarum proponit verbis illis Iob, Miseremini mei miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus domini tetigit me, quānuis animę in tormētis & cruciatibus magnis detinentur, hoc tamē eis bonū est, quod manus domini tetigit illas. Væ autē dānatis, quas tetigit manus diaboli: quia animæ illæ quas tetigit manus domini, iuuari

Iob 3. 23. 17. 19.

Iob 13. 14. 17.

Iob 6. *Iob* 9. 10. 23. *Iob* 9. 19.

adhuc

adhuc possunt, sicut & ipsæ iuuamen implorant in verbis Iob, à quibus sermonem hunc exorsi sumus. Aue Maria.

¶ Priusquã vobis incipiã dicere charissimi, qua re animę in purgatorio iuuari queãt, operæ preciũ est hac homilia errorẽ declinare quorundã, qui plane negant esse purgatorium. hinc colligũt necessariũ nõ esse pro defunctis orare, ideoq; illi instinctu diaboli, qui cultũ dei impedire conatur & salutẽ animarũ, missas pro defunctis, vigilias & alias commemorationes intermittunt atq; anniuersarios dies, &c. Atq; id vt est peruersum & seductoriũ, ita diabolo cõmodo, animabus autẽ magnæ miseriæ est & calamitati, quæ ideo diutius in tormentis detinẽtur, priuatæ vita æterna. ideoq; hæresis hæc animarum pernicies est & exitium, neq; consuetudini tantum catholicæ ecclesiæ aduersatur, sed & vtriusq; testamentis manifestissimis locis id iam tractare animus est.

1 Principio fundamenta aliquot ponemus, quibus Christianum hominem armatum esse conuenit in hoc & similibus à ridiculis. Quicquid enim ecclesia recipit catholica, reiicere nemo debet. ipsa enim corpus & sponsa Christi est columna & firmamentum veritatis, omniumq; ue nostrum vnica mater, quum per baptismum & euangelium nos regenerarit. nam nõ de carnali matre, sed matre sancta ecclesia præcepit Sapiens, ne quis relinquat legem matris suæ. *Ephe. 1. & 5. 1. Ti. 4. 1. Co. 4. Prou. 1.*

2 Deinde, quisquis non credit ecclesiæ catholicæ, firmiter etiã nõ potest credere scripturæ. in causa est, quia extra ecclesiã esse nõ potest firmitas vlla fidei & vnitatis. id eoq; quũ hæretici quondã nunc hunc, nunc illum reiecerint librũ, nos quoq; de scriptura certitudinem nõ haberemo, nisi ecclesia decreuisset, simulque nos certos reddidisset. Manichæi enim vniuersum vetus testamentum reiecerunt, ecclesia vero recepit. & sicut iã Lutherus aliquot epistolas Pauli, Petri & Iacobi reiicit, ita olim fuerũt hæretici, qui nonnulla euangelia nolebãt acceptare. Vnde & Augustinus ait, Nõ crederẽ euãgelio, nisi ecclesię authoritas me cõmoneret. *Contra epi. fundamenti.*

3 Sequitur hinc, quod verus scripturarum intellectus penes ecclesiã inquiri debet, & apud veteres receptosque ecclesiæ doctores. nam si ecclesia gratiã hanc & priuilegium habet à deo, vt cognoscere posit & diiudicare qui libri instinctu spiritus sancti sint cõscripti, quis dubitet eam quoq; gratiam habere intelligẽdi verũ scripturarũ sensum, idem-

Deut.23. que posse electos illius doctores? Vnde nos dominus docet,
Psal.77. dicens, Interroga patrē tuum, & dicet tibi: maiores tuos, & annunciabunt tibi. Cō sentit Dauid, inquiēs, Quāta mādauit patrib⁹ nostris nota facere filiis suis, vt cognoscat generatio altera? filij qui nascētur & exurgēt, narrabūt filiis suis. Certumq; adeo est proficiscī illud ex superbia dæmonis, vt persuadeat aliquis plura se scire, quā vniuersam ecclesiam omnesq; ecclesiæ doctores. Qua arrogantia istiusmodi homines dānationē sibi parant æternā: iuxta illud prophetę,
Esaiæ 5. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & corā vobismetipsis prudentes. 4 Porro in remissione peccatorum non æqualiter dimittuntur pœna & culpa. hæc enim vere pœnitenti tota dimittitur, illa autē quum sit æterna, cōmutatur in pœnam temporalē, quę satisfactione pēsatur aut alio supplicio. satis aūt esse pro peccato faciendū per pœnitentiam tota vndiq; abundat scriptura: quoniā sic Ioānes prædicauit, Facite fructus dignos pœnitētiæ. & de Tyro atque Sidone ita inquit dominus, Quia si ibi factæ essent virtutes quę factę sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiā egissent. Et quod pœna peccati maneat cōmuniter loquendo, quum culpa remittatur, hinc patet, quia quum peccasset
2.Re.12. Dauid, venissetq; ad eū Nathā propheta, corripiens ipsum de peccato adulterij & homicidij, pœnitentiā egit, & gratiā dei rursus emeruit, ita vt diceret ei propheta, Trāstulit dominus peccatum tuū, nō morieris. ibi Psalmum quinquagesimum edidit. Translatio porro peccati fieri non potest ratione culpę, quia sic nō portat filius iniquitatē patris,
Ezc.18. ergo intelligi debet de pœna, & hoc modo filius ille Dauidis pœnam sustulit commeritā, quia mortuus est. docet nos
Rom.6. idem & Paulus, quod satis nō sit peccati culpā dimitti, nisi insuper pro pœna satisfiat, quum ait, Sicut exhibuistis mēbra vestra seruire immūditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete mēbra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Nolunt autē satisfacere neochristiani, nec aliquid sustinere, scilicet quia eis culpa & pœna simul dimittūtur, quod manifestis scripturæ locis iam adductis repugnat, &
Deut.25. plurib⁹ qui citari in hoc possunt. nam sic & Moyses ait, Se-
Apo.18. cundū mensuram delicti erit & plagarū modus. Cui cōsentit Ioannes, dicens, Quantū fuit in deliciis, tātum date ei & torméti. Imo vniuersa scriptura pœnitētiā clamat & satisfactio

factionem, quodq; peccata dimittantur per eleemosynam, orationē, ieiunia, vestitum, cilicij, visitationē sanctorū locorum. ideoq; vita inæqualis inæqualē sortitur remunerationem. iustus enim dominus & iustitia dilexit, Nō errat autem neq; nos fallit Christus. quacūque mēsura quilibet hic mensus fuerit. eadē remetietur ei. Possent hæc ad longū extendi, sed nos iis cōtenti, quod in purgatorio præcipuū est aggrediamur. 2 Etsi multa scripturæ testimonia hic adduci possent, nos tamen summa tantū sectabimur. & primo omniū constat, purgatoriū confirmari ex eo quod scriptum est in historia Machabæorum, quoniā cum multi ex iis qui cum Iuda Machabæo fuerunt, periissent in acie, sequitur in textu, Vir fortissimus Iudas hortabatur populū conseruare se sine peccato, sub oculis videntes quæ facta sunt pro peccatis eorū qui prostrati sunt. & facta collatione duodecim milia dragmas argenti misit Hierosolymā offerre ea ibi pro peccatis mortuorū, iuste & religiose de resurrectione cogitatis. Nisi enim eos qui crediderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vacuū orare pro mortuis, sed quia cōsiderabat, quod ij qui cum pietate dormitionē acceperāt, optimum haberent repositā gratiam. sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Quid iis apertius esse posset pro purgatorij defensione & interceſſione defunctorum? legit hoc idem & sancte textum hūc obseruat ecclesia in missa pro defunctis. Hierony. quoque librum hūc recipit in 2. præfatione, similiter & Augu. de ciui. dei lib. 18. cap. 36. & de doctr. Christiana lib. 2. ca. 8. Ambros. quoq; de patriarchis, Cassiodorus, Isidorus, Innocentius primus & cōcilium Aphricanū. Confessus est idem Lutherus mihi in disputatione Lipsica, scire se librum hunc ab ecclesia recipi. Impudentem quoq; oportet eum esse hominem, qui nolit credere hoc ita à Machabæo factū esse, sicut scriptura cōmemorat. Quū tantum fidei sit & habeatur Romanis historiis, quur non plus dandum est sacris literis?

Psal. 10. *Luc. 6.* *2. Mac. 12* *Hierony.* *Augusti.* *Cassiod.* *Isidorus.*

¶ Accedat huc & alius testis sanctissimus, Dauid: qui cum plura huic rei deseruientia habeat in Psalmis suis, tum vero illud apertissimū est quod ait, Circundederunt me gemitus mortis, dolores inferni circundederunt me, in tribulatione mea inuocaui te. Non est autē hoc intelligendū de inferno damnatorū, in quo nemo clamat ad dominū, sicut idem ait,

Psal. 17.

Pſal. 6. In inferno quis confitebitur tibi? Alio etiam in loco ſic in-
Pſal.29. quit, Domine deus meus, clamaui ad te, & ſanaſti me, eduxi-
ſti ab inferno animam meam, liberaſti me à deſcendentibus
in lacum. Neque vero eduxit eum ab inferno damnatorum,
vbi nulla eſt redemptio. Iterum alibi dicit, Sicut oues in in-
ferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. Veruntamen deus re-
dimet animã meam de manu inferi, quum acceperit me, Ne
timueritis cum diues factus fuerit homo, & cum multipli-
Pſal.48. cata fuerit gloria domus eius. Introibit vſque in progenies
patrum ſuorũ, vſque in æternum nõ videbit lumen. En hic
tibi diſcrimen mortuorum, quoniam alius ex inferno eripi-
tur, alius in eo manet perpetuo damnatus. 3 Diceres, Au
dio hic in illis locis multa de inferno dici, ſed interim pur-
gatorij nulla fit mentio, vnde veriſimile non eſt hic purga-
toriũ aſtrui. Reſpondetur, quod multo plus in re ipſa quam
in verbis poſitũ eſt. Quum autẽ ſit infernus in ſacris literis,
vnde nunquã quiſquam eripitur, ex cõmuni illa regula, qua
illuc ablegaturus eſt deus impios omnes & dicturus, Ite ma
ledicti in ignem æternũ: ſit inſuper alius adhuc infernus, in
quo ſupplicia quidẽ ſuſtinent animæ, ſed temporalia tan-
tum, hunc ipſum quoque infernum appellat ſcriptura. nos
ad diſcernendũ eam ab inferno damnatorum, purgatorium
dicimus. Quocunque nomine vocent neochriſtiani, nõ la-
boramus, nihil volentes de verbis contendere, quod prohi-
buit etiam Paulus. Vnum hoc & nobis dari volumus, &
2.Tim.2. ſacris literis confirmamus, eſſe poſt hanc vitam locum, in quo
animæ temporaliter cruciantur quæ hic peccarũt, & pœni-
tentia ſuper peccatis acta, non tamen perfecte ſatisfecerunt.
¶ Verum quod nomine inferni ſcriptura purgatoriũ quo-
que cõprehendat, ne miretur neochriſtianus, quoniã illa in-
terdũ omnes illas partes inferiores, in quibus animæ detin-
ctur, inferni nomine appellat, ſicut & viciſſim cœlũ dicitur
quicquid ſupra nos eſt. neq; tantũ cœlũ ſanctorũ & vitæ æ-
ternæ, ſed & orbes ſolis & lunæ, ipſumq; interdũ aërem cœ
lum vocam⁹, ſicut de ſemine loquitur in euãgelio dominus,
quod volucres cœli (hoc eſt, aëris) venerũt & abripuerũt il-
Matt.13. lud. ſic ſcriptura infernũ vocat omnem illum, locũ, qui ani-
Pſal.8. mas poſt mortẽ accipit, limbum, purgatorium, locũ paruo-
Matth.6. lorum, &c. Id ita eſſe audite teſtem Iacob patriarcham, qui
venditio à fratribus Ioſeph, ipſiusq; veſte ſi monſtrata con-

ſperſa

sperſa ſanguine, quum cogitaret, feram peſſimã deuoraſſe illum, dixit, Deſcendã ad filium meũ lugens in infernũ. Nemo autẽ ſuſpicari debet, patriarchã illum ſanctũ & prophetam voluiſſe deſcendere ad infernũ damnatorum, ſed neque credidiſſe filiũ ſuum in eo eſſe, ſed quia limbum vel purgatoriũ intellexit. & ſicut ibi limbꝰ inferni nomine accipitur, ita in ſuperioribus locis pſalmorũ purgatorium. quod inde colligi poteſt, quia pœna ibi acerba memoratur, quæ in limbo non fuit, quoniam iſte veluti ſinus quidam requiei fuit, ſicut eum ſinũ Abrahæ vocauit in euangelio dominus. *Gene. 37.* *Luc. 16.*

¶ De huiuſmodi inferno loquutus etiã eſt Iob, dicẽs, Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcõdas me donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus in quo recorderis mei? Non hoc vtique de inferno dictum eſt damnatorũ, ſed de purgatorio, in quo ſui meminiſſe rogat ille dominũ. ſibique peccatum (hoc eſt, peccati pœnam) dimitti. ſtatim enĩ ſequitur, Parce peccatis meis, ſignaſti quaſi in ſacculo delicta mea, ſed curaſti iniquitatem meam. Non autem curari poteſt peccatum in inferno damnatorum, vbi nec remittitur, ergo de inferno purgatorij loquitur. Sic de illo etiam Dauid inquit, Clamauerũt ad dominũ quũ tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos, & eduxit eos de tenebris & vmbra mortis, & vincula eorum diſrupit. *Iob 14.* *Pſal. 106.*

¶ Quænã aliæ tenebræ ſunt, & quæ mortis vmbra, niſi purgatorium? quanuis enim & limbus vmbra mortis dici ſolet, multo magis tamen purgatorium ſic appellandum eſt, quoniam ibi ꝓprie de tribulatione narrat & anguſtia de iis qui vincti erant in mendicitate & ferro. tales autẽ non erant iſti in limbo. qui velut in quieto ſinu Abrahæ ſeſſitabant. itaque illi accipiuntur qui in purgatorio ſunt, de quibus alibi ait Iob, Dimitte me vt plangã paululum dolorem meũ antequã vadam & non reuertar ad terrã tenebroſam & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarũ, vbi vmbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternꝰ horror inhabitat. *Eſa. 9.*

¶ Purgatorium ſane id eſt. neque enim vir ille pius deſcendere ad infernũ voluit, ſed in purgatoriũ, vt ſatisfaceret diuinæ iuſtitiæ. Et quod de ſempiterno horrore cõmemorat, nõ intelligi ſic debet, quaſi perpetuo duret. ſed quãdiu aliquis ibi detinetur. Hi loci ſufficere debẽt homini Chriſtiano cum catholica eccleſia, ad credendũ animas, quæ hic pro

peccatis ſuis non ſatisfecerunt, amariſſime & miſerrime cruciari in purgatorio. Ita in ſolatium & ſuffragiū piarum animarum orationem dominicam vna mecum perorate, &c.

HOMILIA TERTIA.

Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. 2. *Machab.* 12.

QVVM iam multis locis inualuerit error iſte quorūdam peruerſiſſimus, quo omnis diuinꝰ cultus promiſeris animabus oppreſſus iacet, quo ſimul neochriſtiani iſti nos ſanctorum interceſſione in cœlo priuare conatur, & animas in purgatorio ſuffragiis viuentiū in terra, ſuntq; tyrāni omniū crudeliſſimi, ex iis qui vnquā vixerunt ſuper terram, quod nolunt iuuari animas in ſumma neceſſitate cōſtitutas, quāta nō eſt in vniuerſa terra. vnde & omniū maxime opus habet miſericordia, quā eis tyranni iſti amicidæ ſubtrahunt, quoniā (vt ait Auguſtinus) purgatorij ignis etſi æternus nō ſit, miro tamen modo grauis eſt, excedens omnē pœnam, quam vnquā paſſus eſt aliquis in hac vita. ¶ Etſi enim hic in terris ſancti martyres admiranda paſſi ſunt tormenta, nō eſt tamen aliqua pœna inuenta, quæ cōparari poſſit illi in purgatorio. Hinc occaſio nobis datur adducendi alios locos fortiſſimos plures, ad ſuperabundantē purgatorij ꝓbationē. Et primo quidē ſe nobis offert Micheas, ſic dicens, Ego aſpiciam dominū, expectabo deum ſaluatorē meum, audiet me deus meus. ne lætēris inimica mea ſuper me, quia cecidi. cōſurgam. cum ſedero in tenebris, dominꝰ lux mea eſt. Iram domini portabo, quoniā peccaui ei, donec cauſam meā iudicet, & faciat iudicium meū, educet me in lucem. An non ſunt hæc manifeſta verba prophetæ, quod quū ſedet anima in tenebris purgatorij, cō ſolator adhuc eius eſt dominus, quia ipſum expectāt omnes, dum impleatur tempus purgationis? ideóque ne lætetur ciuitas malorum ſuper eam, quod propter peccata ſua excrucietur. vnde ait Gloſſa, Ciuitas impiorū, noli inſultare contra me, quia etſi cecidi peccando, deo erigente conſurgam, ideo patiēter tolero flagella domini quibus purgor. Et rurſus Gloſſa ſic habet, Scio quod educta de tenebris in lucem, videbo iuſtitiam eius, Chriſtum ipſum, qui eſt nobis præpoſitus forma iuſtitiæ & ſanctificationis. Sic locum illum intelligit Hieronymus, & cōcordat Gloſſa ſuper purgatorio.

De verb. & ſal. pœnit.

Mich. 4.

Gloſſa.

Gloſſa.

2 Ve-

2 Veniamus iam porro etiam ad nouum testamentum, vbi quum multa nobis occurrant pro purgatorio, tum illud quoque grauiter asserit fortissimus propugnator Paulꝰ, qui quum dixisset, quomodo Christus fundamẽtum sit, subdit, Si quis superædificat super fundamentum hoc aurum, argẽtum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestũ erit. dies enim domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit, si cuius opus manserit quod superẽdificauit, mercedẽ accipiet: si cuius opus arserit, detrimentũ patietur. ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. ¶ Verba hæc Pauli sunt de purgatorio, quibus ostendit nonnullos homines superædificare opera bona, meliora, & optima: alios autem, habito fundamento, hoc est, credentes in Christum, opera tamen mala facere, quæ ad ignem pertinẽt, sicut & ipsum dies domini in igne diuini iudicij probabit. quisquis ibi manserit, saluabitur. Quod si autem opus reiectum fuerit, ille detrimẽtum patietur, ita vt beatitudo eius protrahatur, & tamen ei tandem contingat, per ignem vero quo purgatur, quia nihil coinquinatũ intrare potest in ciuitatem sanctam Hierusalẽ. Igne hunc quo peccata expurgantur, in ecclesia catholica purgatorium dicimus. Atq; verum illũ esse verborum Pauli intellectum, testantur patres sancti diuinitus illuminati, vt Aug. lib. 21. de ciuit. dei. cap. 15. qui & vndiq; testimonia præbet purgatorij, de 8. Dulcitij quæstionibus super Genesim ad literam lib. 12. ca. 33. in enchiridio, cap. 68. 69. 71. scripsit idem iustum librum de cura pro mortuis agenda. sic verba illa Pauli de purgatorio intellexerunt Ambr. super eandem epistolam, & super Psal. 118. & in sermone quem fecit sub mortem Theodosij imperatoris. Hiero. quoq; exponens hanc epistolam Pauli. & libr. 2. contra Iouinianum, & lib. 18. super Esaiam in fine. Glossa quoque ordinaria sic Pauli verba exponit, & Grego. qui multa scripta reliquit, quomodo animæ patiantur post hanc vitam, & precibus adiuuentur viuentium, testatur hoc plurimis multorum hominum factis, quorum ille & nomen & patriam & conuictum enumerat. Ad extremum ille pro purgatorio citat hunc Pauli locum lib. 4. dial. cap. 39. Alcuinus Caroli Magni præceptor, simili modo verba ista Pauli interpretatur, & Chrys. scribẽs super epistolam Pauli ad Corinthios.

1. Cor. 3.

Apoc. 12.

Augustin.

Ambro.

Hieron.

Grego.

Alcuinus

Chryso.

¶Quum itaque manifesta habeamus Pauli verba, quæ in hoc sensu concorditer intellexerũt præcipui doctores ecclesiæ, nónne præsumptio stolida est & inepta arrogantia neochristianorum diuersum sentientium? S. Clemens iam olim docuit nos regulam præclaram, in hæc verba, Lex dei quum legitur, non secundum propriam ingenij virtutem vel intelligentiam legatur aut doceatur. sunt enim multa in scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisq; sponte præsumpserit, sed non oportet. Et ideo oportet scientiam scripturarũ ab eo discere, qui eam à maioribus secundũ veritatem sibi traditã seruat, vt & ipse possit eam quã recte susceperit, cõpetenter asserere. Ideóq; & vos dilectissimi ne moueamini ab iis, qui propria sua commenta & omnia sacris literis immiscent, neque suum intellectum accõmodant ad scripturam sacram, sed contra laniando scripturas pertrahunt ad propriam intelligentiam, sicut de Lesbia regula ait Aristoteles. Aliter plane sentiunt doctores sancti à deo illuminati. ca. relatum distinctione 37.

Clementis regula pulchra.

Lesbia regula.

3 Testis quoq; magnus nobis hic adest Ioánes, valide confirmans purgatorium, quũ ait, Nemo poterat neque in cœlo neque in terra, neque subtus terram, aperire librũ neque respicere illum. Et inde, Audiui omnẽ creaturã quæ in cœlo est & super terrã & sub terra, & quæ sunt in mari & quę in eo, omnes audiui dicẽtes sedẽti in throno & agno, Benedictio & honor & gloria & potestas in secula seculorũ, Amẽ. ¶Hic iam neochristianos compellans, quæro quænam illæ sint creaturæ, quæ deum laudant & agnũ Christum, nõ vtique damnati, quoniã isti maledicũt deum in perpetuũ, sicut ait ppheta, Corruet & esuriet. & cum esurierit, irascetur & maledicet regi suo & deo suo. suspiciet sursum, & ad terrã intuetur, & ecce tribulatio & tenebræ & dissolutio & angustia, caligo persequẽs, & nõ poterit auolare de angustia sua. Maledicunt ergo damnati deum patrem, qui eos creauit: filium, qui redemit quantũ in ipso erat: & spiritum sanctum, qui super eos in baptismo diffusus est. Et sicut superbia eorum ascẽdit semper, ita cõtinuo blasphemãt deum. ideóque de ipsis hoc intelligi nõ potest, sed de animabus quæ sunt in purgatorio. illæ quum iustæ sint, in charitate & gratia dei, quãuis magna ferant torméta, tamen deũ laudãt & Christũ qui ipsos redemit, siquidem certi sunt de sua beatitudine.

Apoc. 25.

Esa. 8.

Psal. 84.

¶Con-

¶ Concordant cũ hoc loco verba Pauli dicentis, Propter q̃ deus exaltauit Christũ, & dedit ei nomẽ ſuper omne nomẽ, vt in nomine eius omne genu flectatur, cœleſtiũ terreſtriũ & infernorum. non flectuntur autem genua eorum qui in inferno ſunt damnatorum, in gloriam & honorem Chriſti, ſed tantũ in inferno purgatorij. Sufficiát hi loci ad probãdũ purgatoriũ, quod iam olim ante decẽ annos fortiter aſſeruimus ab erroribus hæreticorũ, multoq; plures locos induximus ſcripſerunt conſimili argumento plures etiam alij contra hunc errorem. ¶ Poſtremo teſtimonium præbet vniuerſa eccleſia catholica, eſſe purgatorium, eo quòd in hoc ordinauit cultum peculiarẽ diuinũ, quo ſuccurratur miſeris animabus. idq; ſuperuacuum foret, ſi purgatorium non eſſet. Nõ hic aggredior dicere de fletu & plãctu ſuper mortuos, quoniam eam rẽ alibi abſoluimus. Tantum hic ponderãdo officium benefaciendi mortuis, id vero ſerio affirmo, cuilibet pio Chriſtiano ſatis eſſe debere ad credendum quia ſit purgatorium, quodq; mortuis bene ſit faciendum, iuxta generalem illam catholicæ eccleſiæ conſuetudinem, cui etiam Aug. innititur, qui integrum deſcripſit librum de cura pro mortuis agenda. nã quũ ſcripta patrũ expendimus, videmus tẽporib⁹ ſtatim apoſtolorũ cœptum eſſe orari pro mortuis, ſicut teſtatur Damaſce. quum dicit, Modũ orandi pro mortuis tradiderunt nobis apoſtoli, Atq; hoc ita eſſe vt ſcribit Damaſcenus, legimus etiam apud Dionyſium, qui diſcipulus Pauli extitit, ceremonias cum mortuis obſeruari ſolitas, atq; inter cætera ſic ait, Poſtea accedens venerabilis præſul, precem ſuper eo ſanctiſſimam peragit, & poſt orationem ipſe quoq; põtifex defunctum ſalutat, & omnes poſt illum qui aſtant. Precatur oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatẽ humanã admiſſa peccata defuncto, eumq; in luce ſtatuat & regione viuorum, in ſinub⁹ Abrahæ, Iſaac & Iacob, in loco vbi aufugit dolor, triſtitia & gemit⁹. Multa reliquit idẽ ſcripta de ceremoniis cũ mortuis obſeruatis. ¶ Meminit inſuper & Tertullian⁹ orationis pro mortuis, qui & ipſe nõ lõge ſequutus eſt tẽpora apoſtolorũ vixitq; poſt Chriſtum annos circiter 160. is quoq; inter cætera ſic ait, Oblationes pro defunctis pro natalitij annua die facimus. Idem de monogamia col. 10. ſic ait de vxore mortua. Enimvero marit⁹ pro anima ei⁹ orat. poſtulat enĩ & in

Philip. 2.

Tom. 2.

Damaſce. Act. 6.

De eccleſ. hier. ca. 7.

De coron. milit. Tertull.

prima resurrectione consortiũ, & offert annuis diebus dormitionis eius. Inuehitur ille ibidem acriter contra maritos, qui nullam agunt vxorum suarum memoriam post mortẽ.

Aug. lib. 9. confess. Augu. mater sancta monica iamiam moritura, filio suo commisit Augu. vt sui memoria fieret ad altare domini in sacrificio missæ, quãdo corpus Christi offertur. ipse quoque testatur, quomodo matri suæ exequias pie celebrarit eo modo, vt nunc apud multos est moris. Ambro. quoq; in homilia de trãsitu Theodosij docet, quur in ecclesia primus dies peragatur, septimus & tricesimus pro mortuis. sed hoc in alium sermonem differemus. Ex iis interim omnibus cõstat, quod quilibet Christianus cum ecclesia credere debet, post hanc vitam esse purgatorium, in quo miseræ animæ immẽsos sustinẽt cruciatus, à quibus tamẽ per suffragia viuorum liberantur, requié opitulante gratia dei consequantur æternam. hanc nobis Christus concedere dignetur, qui cum deo patre in vnitate spiritꝰ sanctiviuit & regnat in secula, Amẽ.

Ambros.

HOMILIA QVARTA IN *die omnium animarum.*

Mortuo ne prohibeas gratiam. Eccle. 7.

DO CEMVR hic à Sapiente non prohibere gratiã mortuo, quamobrẽ ecclesia missam pro defunctis instituit, vigilias quoq; & nõnullos quosdã alios ritus, imo in omnibus missis, ordinauit fieri debere à sacerdote memoriã mortuorum, quos in orationem suam sibi quisq; habet commissos, & tandem in vniuersum defunctorum omnium. illa enim firmiter credit, non tantum pro viuis effusum esse sanguinem Christi, sed & ad liberationem mortuorum, quoniam sic cõstituit cõcilio Cabilionen. c. visum. de consc. dist. 1. vt in omnibꝰ offiis missę oretur ad dominum pro spiritibus mortuorũ. atq; is semper fuit in ecclesia mos, vt testatur Augu. monens nos intermitti debere orationem pro defunctis. vtiq; omnibus illis qui in fidelium sunt cõgregatione, sicut à sanctis patribꝰ profectum vniuersa iam credit ecclesia. In eius rei figuram stetit Aaron inter viuos & mortuos cum thuribulo, orans pro populo, & cessauit plaga. sic sacerdos euangelicus in officio missæ medius stat inter homines, supplicans deo pro viuis & mortuis, vt Augu. ser. 146. tradit, qui quum affirmet fuisse hanc generalem totius ecclesiæ consuetudinem, quomodo

Cabil.

Augusti.

Num. 16.

Augusti.

modo iam dubitare quis poteſt, niſi qui nihil penitus nẽque de Chriſto credit. neq; de ſponſa eius eccleſia? ideoq; in lib. de cura. pro mor. agen. ca. 2. ſic ait, In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium. ſed etſi nuſquam in ſcripturis veteribus omnino legeretur, non parua hac cõſuetudine claret authoritas, vbi in precibus ſacerdotũ quæ domino deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum. Iſidorus etiam lib. 1. de officiis credet apoſtolos cœpiſſe offerre pro requie defunctorum, quando illud conſtanter adeo affirmat vniuerſa per totum orbẽ eccleſia. Laudabile ergo eſt obſeruare memoriam mortuorum in ſacrificio miſſæ, ne deleantur de libro viuentium cum damnatis, quorum nulla habetur memoria niſi in maledictione, de quibus & propheta dicit, Nominum eorũ non recordabor amplius: & nõ de famulis famulabusq; dei, qui nos præceſſerunt in ſigno fidei, & iam dormiunt in ſomno pacis. Hi nimirũ illi ſunt, qui in gratia dei mortui ſunt, & quanuis iam ſint in pœna purgatorij, attamen pacem habent animi & cordis, ſecuri expectantes pœnarum finem, ſimulq; redemptionem à tormento & loco tormentorum, quoniam non poſſunt eis nocere dæmones. ſicut pro ipſis orat Pſalmiſta, Ne tradas domine beſtiis animas confitentium tibi, hoc eſt dæmonibus, & animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem. 2 Quanuis igitur quotidie pro defunctis in ſacrificio miſſæ orat eccleſia, adhuc tamen hodiernum illa diẽ inſtituit, quo vniuerſalis omnium animarum in purgatorio exiſtentium cõmemoratio fiat & habeatur, ſicq; communi ſuffragio illæ iuuentur, quæ ſpeciales interceſsiones non habent, quibus ſingulariter bona opera poſt mortẽ non impenduntur, atque hæ ſane plurimæ ſunt. (ſupra allegato capite, viſum, diſt. 1. in concilio Cabilionẽ.) Quanuis veteres commemorant quod quidam ſanctus abbas Edibo, quum comperiſſet in ardente illo Siciliæ monte AEtna vlulatus dæmonum eſſe auditos, eo quòd animę per orationes & eleemoſynas à pœnis liberarentur, in omnibus cœnobiis quibus ille viſitator præerat, ordinauit proximo die ab omnium ſanctorum feſtiuitate commemorationẽ animarum peragi debere. id inde in generali concilio ab vniuerſa receptum eſt eccleſia. Quod autem ad ſingulas diuini cultus cæremonias, quę Chriſtiano ritu fiunt, attinere vide-

Pſal. 15.

Pſal. 73.

Petrus Damaſ.

tur circa defunctos. quáuis non eodem modo vndiq; obſeruentur, quum ſuo quælibet prouincia ſenſu abundet, cõmune quidem hoc eſt, quod primus dies exequiarũ peragitur, ſimiliter & ſeptimus & triceſimus, in nonnullis locis ſeptimus dies & quadrageſimus, ſicut teſtatur Amb. quod impe-
Lib. 5. epi. rator Honorius paréti ſuo Theodoſio quadrageſimum diẽ obitus ſui peregerit. Alij continuum triduum obſeruant in iugi peractione, ſicut & apud nos in exequiis epiſcoporum obſeruari ſolet. Alij etiã ſeptẽ dies ex ordine totos in peragendis exequiis conficiunt, quem aiunt eſſe morem quorundam magnorum principum in Gallia. Nonnullorũ exequię in nonum vſque diem prorogantur, ſicuti ſummorum pontificum, ſic mortuo Leone decimo anno 1521. & defuncto Hadriano ſexto, anno 1523. factum eſt. ſimiliter & cardinalium exequiæ nouem diebus peraguntur. ¶ Quarundam
Ambro. iſtarum viciſſitudinum rationes reddit Ambroſius in oratione funebri pro imperatore Theodoſio habita. Vnde manifeſte datur intelligi, exequias illas mortuorum iam olim in vſu & more fuiſſe eccleſiaſtico. Nos omnium cauſas inueſtigemus, & diſpiciamus diligẽter. Triduanæ enim exequiæ ad ipſam Chriſti reſurrectionem referri poſſunt, quaſi ſic viuentes mortuis precẽtur reſurrectionem primam lætam: & ſicut illi peccauerũt, hic trifariam, cogitatione, verbo, & opere, ita triduano illo cultu diuino oretur deus pro gratia & miſericordia eis conferenda. De ſeptimo habemus etiam
Gene. 50. exempla patriarcharũ. Mortuo enim Iacob, filiis eius duodecim profecti ſunt in terram Chanaan vltra Iordanẽ, ibiq́ue ſeptem diebus magno omnium planctu peregerunt, paren-
Eccl. 22. talia, quoniam ſic & Sapiens ait, Modicum plura ſuper mortuum, ſupra mortuum plora, quoniã requieuit. Luctus mor-
Nume 19. tui ſeptem dies. In eius rei figuram ſeptem dieb⁹ habebatur immundus in veteri lege, quiſquis tetigerat mortuũ. Quod ad nouum diẽ exequiarũ, confirmari poteſt fides noſtra hoc modo, quod orent viui petantq́; animas mortuorum à pœnis eripi & ſociari nouem choris angelorum. Porro de triceſima die exẽplum nobis eſſe poteſt, quod in lege legimus fi-
Deut. 24. lios Iſraël plãxiſſe ſuper Moyſen triginta diebus. Ioſeph au-
Gene. 50. tem patrem ſuum perũgi curauit in AEgypto per dies 40. & planxit. Quandiu durent dies luctus, nõ eſt noſtrum hic docere, quoniamvt alibi, ita hic locũ habet prouerbiũ iſtud,

lex

lex & regio. neq; enim eadem vbique est consuetudo: honestum tamen & decorū foret, ante 70. dies luctui non imponere finem, quoniam AEgyptus 70. diebus planxit Iacob.

3 Abunde satis hic consequitur, in vtroque testamēto cōsuetudinem hanc fuisse orandi pro mortuis, & tamen hæreticus Aerius negauit turpiter, de quo Aug. in lib. de hær. ad Quod vult deum perag. 53. sic ait, Aerius quū esset presbyter, doluisse fertur quod episcopus non potuit ordinari, & in Arrianorum hæresim lapsus, propria quoq; dogmata addidisse fertur nonnulla, dicens, Orare vel afferre pro mortuis oblationes non oportere, nec statuta soleniter celebranda esse ieiunia, sed quum quisq; voluerit, ieiunandum, ne videatur esse sub lege. dicebat etiam presbyterum ab episcopo nulla differentia debere discerni. ¶ Ecce quod Lutherus nihil nouum in hoc errore proposuit, sed inueteratam tantum & peruersam damnatamq; hæresim innouauit, non curans quod contrarium semper est in ecclesia obseruatum, sicuti pulchre & manifeste ex euāgeliis argumētatur B. Gregor. quando dominus de peccato loquitur in spiritum sanctū, quod neq; hic remititur neq; in futuro. Vnde patet etiā in futuro seculo remitti peccata, idq; tātum in purgatorio. nam quod de vno negatur, consequens intellectus liquet, quia de quibusdam conceditur. lib. 4. dialo. c. 39. ¶ Atq; ob eam rem diligēter adeo petiit B. Aug. vt presbyteri pro parentibus suis dominum orarent. sic enim ait lib. 9. confess. Inspira dominedeus meus, inspira seruis tuis fratribus meis. filiis tuis, dominis meis, quib⁹ & voce & corde & literis seruio, vt quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monycæ famulæ tuæ cum Patritio quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, quēadmodum, &c. ¶ Et mirum hic fieri solet in neochristianis, q̄ circa purgatorium tā sunt obstinati, quum tamen fidei, imo perfidiæ suæ Lutherū cōmendent authorem, tāquam à deo missum Eliam & Danielem, spiritu sancto plenū, veri euangelij præconem. Quur autem cui tantum tribuunt, nō etiā ei credunt valide adeo confirmāti purgatorium? sic enim ait in resolutione indulgentiarum cōclu. 15. Mihi certissimum est purgatorium esse, nec me multum mouēt hæretici, quoniam iā mille & plus centū anni sunt, quod B. Aug. in suarū confes. libro pro matre & patre suo orat, orandumq; petit.

Gene. 50.

Augusti.

Gregor. Mat. 12.

Augusti.

Lutherus.

Et eadē ſancta mater eius moriens, vt ibi ſcribit, memoriam ſui optauerit ad altare domini. Sed & ab Ambroſio id factū narrat. Quod ſi etiā tēpore apoſtolorū non fuiſſet purgatorium, vt ſuperbit faſtidioſus Pickardus, nūquid ideo credēdum eſt hæretico vix quinquaginta annos nuper nato, & fidem tot ſanctorū falſam fuiſſe credendum, maxime cū ipſe nil aliud faciat, quā quod dicit, nō credo: & ſic probauit omnia ſua, & improbauit omnia noſtra, quaſi nō & lapis & lignum nō credāt? En hęc vobis verba Lutheri prophetę veſtri, quid vos ad hæc? Neq; ille tantū ſæpiꝰ ſcripſit eſſe purgatoriū, ſed & in publica diſputatione Lipſiæ anno 1519. ſic palā dixit, vti verba ea notarij iurati cōſignarūt, Ego qui credo fortiter, imo auſim dicere, ſcio purgatoriū eſſe, facile perſuadeor in ſcripturis de eo fieri mentionē. Et infra, Nolo mihi ſuſpicionem fieri quod fauerem Boemis & Grecis. Rurſus, Nihil de purgatorio noui, niſi animas ibi pati iuuandas operibus & orationibus noſtris. Ecce confitetur hoc propheta veſter, Daniel & Elias veſter, quur ergo vos ab eo diſceditis? quur diuerſum à catholica eccleſia ſentitis? ſed nos ad ceremonias eccleſiæ reuertamur. 2 Eſt & hæc eccleſię cōſuetudo, vt annui dies defunctorū celebrentur, nōnunquā etiam inſtituti hoc modo. Quod ne putes tanquam nouum à monachorū auaritia eſſe inuentum, iam ante Tertullianū induximus de Chriſtiano milite & demonogamia, quod anniuerſarij dies ante 1350. annos ſint obſeruati. Eſt in comitatu Hohenburg in monte VVurmligen, iuxta Tubingā, dies anniuerſarius lōge antiquiſimꝰ comitis cuiuſdā Kaluu, qui inſtitutus eſt quādo eo loco vinum adhuc nullū creſcebat, quū tamen iam mons ille pene totus vitibus abūdet. Anniuerſariorū porro dierum ratio reddi talis poteſt, quia (vt Auguſt. teſtatur) neſcimus quomodo mortuis ſuccedāt res in futuro ſeculo, itaq; ſatius eſt abūdare eis aliquid bonorū operū noſtrorū quā vt deficerēt. ad hæc, annuatim ſanctos veneramur & deū in ipſis, ad gloriam illorū & commodum noſtrum. ſic quoq; anniuerſarios mortuorum dies peragimus in diuino cultu ad eorum vtilitatē, atq; vt in nobis creſcat pietas, & ipſi ſucceſſoribus occaſionē demus deū pro nobis orādi: quia ſicut nos pro mortuis oramus, ita nobis quoque vſuueniet & cōtinget idem. Eſt adhuc alia fideliū cōſuetudo, quod in vita ſua diſponūt exequias ſibi peragi

Tertul.

agi debere nondũ sepultis, ita vt proposito cadauere decanterur missa pro defunctis, sicut fecit Augustinus in morte matris suæ Monicæ, & tẽpore illo cõmunis fuit cõsuetudo. sic enim ait, Quũ ecce corpus elatũ est, imus & redimus sine lachrymis. nam neq; in eis precibus quas ibi fundimus, quũ offerretur pro ea sacrificiũ precij nostri, corporis iã iuxta sepulchrũ posito cadauere, priusquã deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego fleui, sed toto die grauiter in occulto mœstus erã. factũ hoc est in via Hostiẽsi ad mare, nõ procul à Roma. Eadẽ quoq; consuetudo est in Bauaria inferiori. (vltimum vale) alias non memini me hoc sæpiꝰ videre, nisi quũ defuncti sunt magni nominis homines, aut si quãdo corpora erant alio deuehenda ad sepulturam. Tam in vsu cõmuni fuit quondam illa cõsuetudo peragẽdi exequias ante depositionẽ, vt neminem sine missæ sacrificio sepelirẽt, vt testatur Guillermus Durãdus. Et hinc promanauit, qđ in die parasceues & paschæ nemo sepeliebatur, eo quod illis duobus diebus nõ licet missam defunctis celebrare. Omnia hæc supra dicta, per multam variamq; cõfirmantur experientiã, cuius plurima exempla recensẽt Gregorius in lib. dialogorũ partim de iis quos nouerat ipse (si placet, recita vnã vel duas historias ex ipso) vtiq; nõ indoctus fuit Gregorius, cui & locus est inter præcipuos ecclesiæ doctores. neq; vero ambitiosus extitit, qui primꝰ se seruũ scripsit seruorũ Christi. ad hęc auarus nõ fuit. quãuis enĩ multa bona à parẽtibus suis hæreditario acceperat, affatim tamen ea distribuit in cultũ dei. quia 6. cœnobia instituit in Sicilia, & eis tantũ elargitus est, quantũ ad quotidiani conuictus sustẽtationẽ sat erat. septimũ extruxit Romæ super propriũ suũ fundamentũ. ideoq; quæ narrat, neq; à piis hominibus contemni, nec in suspicionẽ verti debẽt. Refert ille monachum sui cœnobij quẽdam, triginta diebus per suffragia fratrum esse ex purgatorio liberatũ. scripsit epistolã pietate plenam Theodelindæ Lombardorũ reginæ, fuit ea regis filia ex Bauaria. Quid multa? omnia affatim plena sunt experiẽtiis de animabus mortuorũ, quæ apparuerũt & adiutæ sunt suffragiis viuorũ. An igitur mẽtiatur orbis vniuersus tot hactenus seculis, & neochristiani veritatem cõstantem sola negatione expugnabunt? Ioannes beatũ prædicat eum, qui partẽ habet in prima resurrectiõe, quoniã super eum mors secunda po-

Durãdus.

Gregor.

Apo. 20.

teſtatē non habebit. Quæ eſt autem reſurrectio prima niſi
Apoc. 21. quū anima liberatur à purgatorij pœna? quæ ſecunda? quā-
do corpus & anima reſurgent in nouiſsimo die. Quæ mors
prima? quum homo migrat ex hoc ſeculo. Quæ vero ſecun-
da? ipſa damnatio animæ, ſicut ſequitur in Ioanne, Timidis
& incredulis, & execratis & homicidis, & fornicatorib⁹ &
veneficis & idololatris & omnibus mendacibus, pars illorū
erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecū-
da. Quū itaq; mors hęc ſecūda nō corripit animas in purga-
torio, orate pro eis, vt veniant ad primam reſurrectionem.
Orate liberi pro parētibus veſtris, pro maioribus omnibus.
Memētote & recogitate quod illi forſitā propter vos pec-
carunt, iamq; patiuntur propter vos in purgatorio. (Extē-
de de nimis diligentibus prolem, & eis nimirū parcentibus,
1. *Re. 2.* ſicut Eli, aut diuitias pro eis nimis ſolicite colligētib⁹.) O-
rate pro omnibus benefactorib⁹ veſtris & fautorib⁹ bonis,
pro omnibus p quibus vos vult deus velle & debere orare,
pro animabus fideliū defunctorum omnium, vt requiem eis
æternam det deus, & lux ipſis luceſcat perpetua, Amen.

HOMILIA V.

¶ *Beati mortui qui in domino moriuntur. Apoc.* 14.

BEATI mortui qui in domino moriūtur. In do-
mino aūt moriuntur, qui in charitate dei dece-
dunt, atque vt maximæ pœnæ alicui ſubiaceāt,
quaſi ex fœno & ſtipula, beati tamen ſunt in ſe-
cura ſpe, ita quod beatitudo ab eis auferri nō poteſt. ideoq;
nos eis ſuccurrere debemus, vt citius liberentur. ſicq; nos
viuos habebimus ſanctos corā deo, qui pro nobis orabunt.
Neq; hoc aliquis temerarie omittere debet, quaſi neſciens
Auguſt. vtrum animæ auxilio indigeāt an non. Nam vt ait Auguſti.
in Enchirid. cap. cx. quū ſacrificia ſiue altaris, ſiue quarūcūq;
eleemoſynarū pro baptizatis defunctis omnibus offerūtur,
pro valde bonis, gratiarū actiones ſunt: pro nō valde malis,
propiciationes: pro valde malis, etſi nulla ſunt adiumenta
mortuorū, quale ſcunq; cōſolationes viuorum ſunt. Hoc
Mat. 10. enim credere quiſq; debet, quod deus opus bonum irremu-
neratum nō permittit, qui etiā hauſtū aquæ frigidæ remu-
neraturū ſe promiſit. ideoq; vt maxime opus bonum tuum
nihil proſit mortuis, attamē oratio tua, vt inquit Dauid, in
ſinum tuū reuertetur, & ſic tibi proueniet in bonum. ideoq;

oratio

oratio beatis non prodeſt, neque damnatis, ſed iis qui in purgatorio ſunt, quoniã illi (vt inquit Auguſtinus) meruerunt in hac vita, vt poſt mortẽ participes eſſent ſuffragij viuorum. Meritum hoc eſt con ditione & accidentale, de quo vide doctores in quarto. ¶ Veniamus iam ad illud quod præcipuum eſt in hac re, quo tandem modo animæ iuuari poſsint in purgatorio. Vbi conſtanter reſpondent doctores, in quatuor rebus conſiſtere ſuffragia mortorũ. eas enumerat Ambroſius ad Bonifacium 13. quæſt. 2. animæ. *Auguſt.* *Ambro.*

Animæ defunctorum quatuor modis ſoluuntur, aut oblationibus ſacerdotum, aut precibus ſanctorũ, aut charorum eleemoſynis, aut ieiunio cognatorum. Quanuis communiter loquendo verum eſt, omnia opera bona quæ per viuos impenduntur mortuis, eſſe eis adiumento, eo quod & ipſi viuentibus ſunt coniuncti in dilectione, alia tamen opera bona ſub iis quatuor comprehenduntur & includuntur. Eiuſdem ſententiæ eſt & Auguſtinus, ſic dicens, Orationibus ſanctę eccleſię & ſacrificio ſalutari & eleemoſynis, quę pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis miſericordius agatur à domino, quam eorum peccata meruerunt. hoc enim à patribus traditum vniuerſa obſeruat eccleſia, vt pro eis qui in corporibus & ſanguinis communione defuncti ſunt, ad ipſum ſacrificium commemorentur, oreturque pro illis, ac id offerri commemoretur. Hæc ille ſermone quadrageſimoſexto tertiæ partis, de celebritate defunctorum. *Auguſt.*

¶ Sacrificium altaris prodeſſe defunctis nemo dubitare præſumat, ſicut ſuperius in quadã homilia docuimus, quod in omni miſſa pro defunctis orari, eorumq; memoria debet haberi. Ideo enim duo hęc feſta inſtituit eccleſia, omnium ſanctorum & animarum. Inſuper Germanæ teſtantur hiſtoriæ, quomodo S. Laurentius interceſsione ſua Henricum imperatorem liberauit, quum diabolus calicem confregiſſet. Eleemoſynæ & ieiunia viuis proſunt & defunctis, Ideoque ad multos hæc eſt conſuetudo, vt in die animarum ieiunent, ſi eo anno ipſis amicus aut charus aliquis ſit defunctus. hoc alij faciunt ſub commemoratione diei ſeptimæ. 2 Etſi opera bona omnia defunctis deſtinata, eis proſunt, ſimulque auxiliaria exiſtunt & conſolatoria, potiſsimum tamen ex iis eſt ſacrificiũ miſſæ, in quo meritum paſsionis Chriſti effica-

cius operatur. hoc ex ipso ordine literæ colligitur, quoniã Augustꝰ. & Ambrosiꝰ dũ opera quæ prosunt defunctis, cõmemorãt, sicut iam supra induximus, primo omniũ sacrificium altaris enumerãt. Hoc enim sacramentũ signũ efficax est Christianæ cõmuniõis & participatiõis, estq; hic Christus essentialiter, in quo tota vnitur ecclesia, deinde pignus est diuinę charitatis & amoris erga nos: quãobrẽ & hostia in tres partes frãgitur in missa, quia hic gratiæ agũtur deo pro beatis, oratur ꝓ iis qui sunt in purgatorio vt liberẽtur, & ꝓ viuẽtibus vt eis salutaria corpori & animæ cõcedat. similiter in sacramẽto ordinis potestas cõfertur presbytero offerẽdi ꝓ viuis & mortuis. Quũ itaq; Christus essentialiter sit in sacramẽto, qui est clauis Dauid, claudẽs, & nemo aperit, aperiẽs ita vt nemo claudat, fons est omnis gratiæ, caput ecclesiæ, à cuius perfectione oẽs accepimus. is est quẽ deus pater ꝓ nobis facit peccatũ, hoc est, hostiã ꝓ peccatis. Ille ipse est, per quẽ placuit deo patri reconciliare omnia, omnia in eo pacificare p sanguinẽ crucis sue, quę in cœlo erãt, & quę in terris: ideoq; ex omnibꝰ operibꝰ bonis nõ est aliud quod magis placet deo, quã quum passio & mors vnigeniti sui, quã ille in ara crucis obtulit patri, offertur in manus dei sub mysterio, tunc sane summũ habet inde deus beneplacitum. (Extẽde illa ad placitũ, quia habes cãpũ patẽtissimũ.) Estq; hoc omniũ efficacissimũ ad liberãdas & saluãdas animas. pã & sacrificiũ missæ prę alijs operibus est priuilegiatum, puta ab ipso Christo institutũ, ab apostolis vsurpatũ, & nũc quoque totius ecclesiæ nomine exhibitum, fieriq; solitum. Aut enim verba Christi vel ecclesiæ loquitur ibi sacerdos. vnde & orat, sic dicẽs, Domine Iesu Christe, ne respicias peccata mea, sed fidem ecclesiæ tuę. In omnibus etiã officiis sacris, pietas nusquã est maior neq; affectꝰ sanctior, q̃ in sacrificio missæ, neq; aliud deuotiõe maior iperagit sacerdos, neque ardẽtiori audit homo Christianꝰ. atq; ideo corruẽte missa, omnis Christianorũ deuotio simul cõcidit. Hinc sequitur qđ quũ in missa pręcipuũ sit ipsa oblatio, quã prędcedunt & sequũtur oratiões admodũ piæ, velut appẽdices quædã ipsius principalis, quũ oblatio in omnibꝰ missis sit eadẽ, Christus ipse, corpusq; eius & sanguis preciosus, neq; in eo multum sitũ est, an quis pro defuncto aliquo missam defunctorum, vel de tẽpore, vel de aliquo sancto legat pro sua deuotione,

Fractio hostiæ.

Apoc. 5.

Ephe. 1. 5

Ioan. 1.

Colos. 1.

tione attamen propter assistentes, vt & iis maior accedat oc casio omnem affectum defuncti memoriã referendi, satius est maxime aperte & clare legi missam pro defunctis ab ecclesia cõstitutam: nisi forte vel mortuus, vel viuus ille qui missam ordinauit, tantam haberet fiduciã in aliquẽ sanctũ, vt eius intercessione speraret animã posse redimi. Esset iam dicendũ, quomodo valeant suffragia quæ sunt vi testamenti per exequutores qui sunt in peccato mortali. ¶ Porrò quomodo ordinare quis debeat, vt sibi demortuo aliquid boni impẽdatur, missis ambagibus, hęc duo apponimus cõsiderãda. Principio, tutius est ordinare aliquẽ, vt post mortem sibi officia exhibeat & peragat ecclesiastica, puta missas, vigilias, psalterium, beatæ virginis cursum, &c. quoniã hæc meritum suũ habent corã deo ex persona ecclesiæ, in qua præcipue ista homines exequuntur ad hoc cõstituti. 2 Deinde curet quisque, vt si post mortem instituere cupit eleemosynas, erigere beneficium in aliquo tẽplo, anniuersarios dies vestes sacras parare, aut simile quid in animo habet constituere, faciat hoc aut saltem renouet quãdo est in gratia dei, hoc est, contritus & cõfessus, per pœnitentiæ sacramentum expurgans. tunc sane nõ emerget ei inde detrimentũ, neque aliquid conatui suo decedet etiã si qui testamẽto satisfaciũt, fuerint in peccatis, nisi forte illi testamentum plane intermitterent, quod fit non raro, licet etiam tunc mortuus merito suo in vita æterna non priuaretur, sed tantum ei pœna non diminuitur, quæ ex parte aut etiã tota ei dimitteretur, si testamentum cõficeretur. Sed valeant hæc. cõstat magnam infidelitatem esse coniunctam cum testamentis cõficiendis, sæpẽque tũc infideliter agit, quẽ defunctus crediderat amicissimum. 3 Ad hæc, super ista opera quæ præcipue prosunt defunctis, alia multa sunt accidentalia, quæ & ipsa cõsolantur, & iuuant mortuos. nam & lucernæ accenduntur, & morituro in manus datur lumen ardens, quod ipsi sit testimonio, & viuentibus argumento, eum emori in lumine veræ fidei. tenebræ enim plusquã cimmeriæ sunt extra ecclesiam. Admoneri debent eo ipso homines alij ad orãdum deum, vt morienti lucem perpetuã concedat, sicut sperans ait Psalmista, In lumine tuo videbimus lumen, scilicet beatitudinis. In multis locis cõsuetudo est, panes & vinum pheretro imponere, quod indiciũ est, cupere eos vt mortuus à *Psal. 36.*

Tob. 4. deo ſatietur cibo cœleſti, eſtq; hoc deſumptum ex Tobia, qui docuit filios ſuos inter cætera in hunc modum, Panem tuum & vinum tuũ ſuper ſepulturã iuſti cõſtitue. Moriturus quoq; crucifixi imaginẽ habeat ad pedes erectam, à cuius cõtemplatione admoneatur ad recordandũ paſſionis & mortis Ieſu Chriſti, dilectionis ſuæ & miſericordiæ ſummæ. Sunt qui ex lectiſterniis ſinant ſe collocari humi, quod fecit S. Martinus, vt ſic in memoriã reuocetur ſentẽtia lata à *Gen. 3.* deo, Puluis es, & in puluerẽ reuerteris. Eſt & hæc conſuetudo nõ mala, vt homo moriturus reponatur in tergo, facie ad cœlũ verſa, quo cupiat ille ſpiritũ ſuum pertingere ad patrẽ ſuum cœleſtẽ. Alij cadauera mortuorũ abluũt, ad deſignandum cupere eos animã eſſe quam puriſſimã, ſicut ipſi corpus lauant. Præterea cadauer aqua benedicta conſpergi ſolet, quo ſignificatur deſideriũ noſtrum, quo velimus animã mortui rore cœleſti perfundi. Accedit & ſuffitus thuris, vt deus animam odore cœleſti ſatiare dignetur. nam in veteri quoque teſtamento ſacrificia omnia thurificatione perficiebatur. Pulſu etiam campanarũ & titinnabulorum admonentur homines orare pro mortuo, arcentur dæmones, ſimúlq; ſancti ad orandũ dum pro defuncto incitantur. Omnia hæc collationibus ſcripturarum ad longũ induci poſſent, ſiquidem & angelus per fumum docuit Tobiã arcere & profligare dæmones. Etſi reliquæ ceremoniæ legis iam deſierint, thuris tamen crematio in eccleſia nõ ceſſauit: quoniã, quam illa repræſentauit orationis efficaciam & pietatẽ, ea ſemper manet. ideoq; quilibet Chriſtianus annitatur ſedulo cum *Gen. 27.* Paulo, vt odor Chriſti ſit bene redolens. Sic Iſaac dixit, Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni. Sic dominus dilexit Andreã in odorẽ ſuauitatis. De aqua benedicta, quoniã pellat dæmones, conſtat eam ſalubriter vſurpari, ſed hæc alias. Quiſquis mortuo aquam ſpargit benedictam, meminerit is *Luc. 16.* ſimúlq; deũ oret, pelli & fugari inde dæmones. Atq; quod ſicut aqua extinguit ignẽ, ita miſericordia dei liberat animã, & refrigerium facit. Nam ſic & diues ille refrigeriũ petiit in inferno, etiam ex gutta aquæ frigidæ, neque tamen impetrauit, nec impetrabit vnquam. ſed qui in purgatorio ſunt aſſequuntur, quum quis eis aquam aſpergit benedictam.

¶ Merito etiam pulſantur nolæ & tintinnabula, vnde abhorrent & contremiſcunt dæmones ad pietatem & oratio-

nem

nem cõmouentur. Mortuo Romæ S. Alexio, campanæ omnes vltro pulsatæ sunt, nemine trahente. Audiens autem quis pulsari mortuo, animã eius misericordiæ diuinæ committat: ipse vero toto pectore contremiscens, cogitet: Huic hodie, cras mihi. Cãpanæ, tubæ sunt militãtis ecclesiæ. ideóque in tempestatibus aëris pulsantur, vt si forte illæ per dæmones ad hominũ detrimentum essent cõcitatę, sedarentur. nam & campanæ illæ cõsecratæ sunt in efficaci, præpotenti & tremendo nomine dei. Memini me videre prunas ardentes iniici prius in sepulchrum defuncti, ad insinuendũ quod ille in se ardorem cõcupiscentiæ & tentationum extinxerit, quod restiterit aduersus prunas tentationis inflictæ, quæ proueniunt à fabro diabolo. de eo sic ait Iob, Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. hic iste lebetem fert cum carbone tentationũ per vniuersum orbẽ. & quis est qui nõ sit hinc adustus? Sic ait Sapiens, Nunquid potest homo ignem abscõdere in sinu suo, vt vestimenta illius nõ ardeant? aut ambulare super prunas vt non cõburantur plantæ eius? Multi sane astant carbonibus illis, tantisper dum ad intima penetret incendium. Laudabile est, si quis iniunctam mortuo pœnitentiã sibi assumat, & apponat adimplendam. similiter, si aliquis peregrinationes pro eo spõdeat se cõfecturum, indulgentias pro ipso consequuturum. Honestum est & nullũ pecuniæ aut similis rei debitum morituros relinquere, quo prematur & solicitetur. Crucis signum imponatur capiti, qui mos in Germania inferiori frequẽs est, vt cruces ferreæ & magnæ erigãtur. Maiores quõdam nostri, homines vtique pij, magnas imagines siue signa crucis solebant insculpere saxis. verum ea consuetudo annis centum propemodũ defecit, forte ex non aut male intellecta. licet sit nobis, nemini liceat signum sal. Christi humo vel silice vel in marmore sculpere aut pingere. Decuit enim quondam, crucem Christi lapidibus nó insculpi, quãdo infideles adhuc Christianis conuersantes, ad ignominiã Christi, crucem turpiter & impudenter conculcabant. Quę causa iam sublata est, quando non amplius inimici crucis Christi nobis cohabitãt, nisi quæ exigua quędam est pars Iudęorum. vnde fit vt mihi quidem adhuc non displicere consuetudo illa antiqua, afficiendis hominum mentibus aptissima. siquidem per vniuersum Christianismũ mos hic est, vt

Iosue 6.

Iob 41.

Prou. 6.

ſepulchris cruces infigãtur, vt author eſt Magiſter in Rationali diuinorũ, ad deſignandũ illum qui ibi iacet demortuus, fuiſſe Chriſtianũ, quando etiam imperator Cõſtantinus voluit in omni numiſmate militum ſuorũ arma, crucẽ Chriſti ſignari debere. Eo ſigno omnes oues Chriſti ſunt conſignatæ, atque inde à paſtore cœleſti dignoſcuntur. Quid enim aliud cogitemus, videtes crucẽ Chriſti ſuper aliquod ſepulchrum, niſi quod & mortuus ille ſperauit, & nos oẽs cõfidimus, ipſum virtute crucis & paſſionis Chriſti peruẽturũ ad cœlos? quaſi ſic mortuus iſte cum Paulo diceret. Abſit mihi gloriari niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti. Adhæc tremulus admodũ horret diabol⁹ ſignũ crucis, quo etiã S. Antonius dæmones vndiq; ſe varia ſpecie ei ingerentes profligauit, vnde & in manib⁹ ipſius crux pingi ſolet. Et quid amplius hic multis immoramur? Omne id peragere & exequi debent viui pro mortuis, quod putant & credũt tendere in gloriam dei, animarũ ſalutem & cõſolationem. atque viuorum emendationem, gratię quoque & pietatis incruentum, vt ſic omnes nos tantem poſt hanc vitam miſeriis, & calamitatibus plenam, gaudia conſequamur æterna, Amen.

Cui. Diu.

Ioan. 10.

HOMILIA SEXTA.

Fili, in mortuum produc lachrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & ſecundum iudicium cõtege corpus illius, non deſpicias ſepulturam eius. *Eccle. 38.*

VERBA hæc dilectiſſimi, quiſq; ſibi à Sapiente dicta eſſe credat. Et quãuis alicubi duabus homiliis copioſe diſſeruim⁹ cõtra neochriſtianos de ſepultura, attamen hic rem penitus adhuc introſpiciemus, auxiliante dei gratia, ad informationẽ & emendationẽ veſtrã, ne rem ſanctã maximiq; faciendam cõtemnatis (vide Auguſtinum toto lib. de cura. pro mortuis agenda, & lib. 1. cap. 12. & 13. de ciuitate dei. & beatũ Gregoriũ in dialogo.)

Tom. 1.

¶ Principio omnem decet honeſtarem, ipſaque humana docet ratio, & ſcriptura monet, quod congruum, honeſtum & decentiſſimum ſit homines ſepelire. ſiquidem & Gentiles naturali ratione ducti, multum ei rei tribuerunt, ipſam inter officia pietatis recenſuerunt. Hinc laudatur Cimon, cuius patrem in vinculis mortuum quum nolent Athenienſes ſepelire, ipſe ſemet carceribus mancipari permiſit loco patris, vt ille ſepeliretur. (Valerius lib. 5. de ingratis. Ethnici quoque

quoque hostes suos sepelierũt diligenter, vt Hannibal tres illos Romanorũ duces quos occiderat, Paulum, Gracilium, & Marcellum. sic C. Iulius Cæsar caput Pompeij cum quo multis annis de totius orbis principatu certauerat, honeste sepeliuit, & super eo fleuit. Quamobrem de sepulturis multa statuta sunt ab ethnicis Imperatoribus in ciuili iure. (Vide toto titulo. ff. de relig. & sump. funebr. Et titulo sequ. ff. de mort. infort. Adde etiam. ff. de sepu. viol. Vide etiã tit. ff. de cadaueribus punitis, vbi præcipitur quod corpora eorum etiam qui capitali crimine damnati sunt, cognatis & quibuslibet petentibus ad sepulturã danda sunt, & non neganda. ex codice multa possent adduci. Vide etiã. l. Quidam. ff. de condit. instit.) ¶ Etsi iam Ethnici ceremonias multas obseruarint in sepeliẽdis mortuis, sicut pulchre Cicero refert lib. 1. Tusc. q. quoniã AEgyptij vngunt mortuos suos & recondunt in domibus, Persæ circunlinunt cera. Vide & & libro 2. de leg. vbi inquit, Mihi quidẽ antiquissimũ sepulturæ genus id fuisse videtur, quo apud Xenophõtem Cyrus vtitur. Redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac situm quasi operimento motus obducitur. Eodémq; ritu in eo sepulchro quo procul ad fontis aras regem nostrum Numam cõditum accepimus, gentémq; Corneliam vsq; ad memoriã nostrã hac sepultura scimus vsam esse. In sacris literis manifestum hoc idem est, quod Abraham patriarcha ille laudatur ob magnifice sepultã vxorem suã Saram in Ebron, empta in hoc spelũca duplici versus Mambre quadringentis siclis. Eodẽ deinde in loco Isaac & Ismael sepelierunt patrem suum Abrahã. Porro quoque refert scriptura Iacob sepeliuisse Rachelem vxorẽ suam in via versus Bethleem, quũ reuerteretur ex Mesopotamia. Esau etiã & Iacob sepelierunt Isaac ad auum suum Abrahamum. Iacob patriarcha plenus spiritu sancto & prophetia, cõmisit filiis suis in hæc verba, Ego cõgregor ad populũ meum, hoc est, ego morior. sepelire me cũ patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron. ibi sepelierunt Abrahã & Saram vxorem eius, ibi quoque sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua, ibi & Lia condita iacet. Sicque Iacob mortuus ex AEgypto deuectus est vsque in terrã Chanaan, itinere sane longo & molesto, vltra quam quatuordecim diebus liceat proficisci.

Cicero.

Gene. 23.

Gene. 25.

Gene. 49.

¶ Hinc colligitur, iniquum non esse si quis cupiat iacere

cum parentibus & maioribus ſuis, atq; interdũ alio ſe mortuum transferri ſinat, quoniam hoc ipſum etiam Iacob petiit, vtique non ex ſuperbia, qui amicus dei magnus fuit. Ioſeph quanuis in AEgypto ſepultus, fratres tamen ſuos adiurauit dicẽs, Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto ſicut fecit id ipſum Moyſes. Si nulla nobis eſſe deberet cura ſepulchri, quur etiam hæc tam diligẽter nobis in ſacris literis prodita eſſent, quandoquidã ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt omnia? Accedit iis, quod filij Iſraël ſepelierunt oſſa Ioſeph in Sichem, eo agro, quem Iacob pater ſuus emerat à filiis Emor centum tenellis agnis. & poſſeſſus eſt ille à filiis Ioſeph. Ideoq; non temere ad illum locum venit Chriſtus, & ibidem requieuit ad fontem, locutus plurima cum muliere Samaritana. Sic legimus & Tobiam præcepiſſe filiis ſuis, Quum acceperit deus animam meam, corpus meum ſepeli, quum autẽ & ipſa cõpleuerit tẽpus vitę ſuæ, ſepelias eam circa me. Quamobrem honeſtum & pium eſt, coniuges eodem ſepulchro cupere recondi. Mitto hic breuitatis cauſa ſepulturam Aaron, Moyſi, Ioſue, Eleazari, Sãſonis, Samuelis, Matathiæ, qui parens fuit Machabæorum,

2 Quemadmodum iam de ſepultura audiuimus in ſe, ita iam accommodemus ipſa ſcripturarum teſtimonia, conſideraturi quantis laudibus commendata ſemper ſit ſepultura. Et primo quidẽ loco ſe nobis offert regius ille propheta Dauid, cui cum annunciatum eſſet viros in Iabes Galaad ſepeliiſſe Saulem, miſit ad eos nuncium, & dixit, Benedicti vos à domino, qui feciſtis miſericordiam hãc cum domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum. & nunc retribuet vobis quidem dominus miſericordiam & veritatem, ſed ego reddam gratiã, eo quod feciſtis verbum iſtud. Laudatur etiã Tobias quod Iudæos defunctos ſepelhebat, quos rex Sennacherib occiderat, cum eum afflixiſſet deus in Iudęa, ideoq; ad eum dixit angelus Raphaël, quando orabas cum lachrymis & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam domino. Neque minus laudis mœretur & Iudas Machabęus, quod interfectos Iudęos ſepeliri fecit, & pro eis pecuniam miſit Hieroſolymã in templum. Commendatur etiã frater eius Simõ, quod patri ſuo & fratribus ſepulchrũ precioſum erexit, vt mox audiemus.

Gene.50. *Exo.13.* *Roma.15.* *Ioſue vlt.* *Ioan.4.* *Tob.4.* *1.Mac.2.* *2.Reg.2.* *Tob.1.2.* *Tob.12.* *1.Mac.12.*

¶ In

¶ In nouo quoq; testamento laudi tribuitur hoc discipulis Ioannis, quod magistrum suum sepelierint iam ab Herode decollatum. Simili modo & laudem meruerunt & à deo peculiariter sunt remunerati, qui Christum sepelierunt. mulieres enim quia venerunt ad vngendum dominum, factæ sunt apostolæ, primum eis apparuit post resurrectionẽ dominus, ipsasq; misit ad apostolos, vt eis se resurrexisse nunciarent. omnes etiam qui affuerunt sepulto domino, finem assequuti sunt felicissimum, quoniam Ioseph & Nicodemo qui à Iudeis capti fuerant, eo quod sepeliuissent Christum, apparuit ille in die resurrectionis suæ. ipsosq; è carceribus liberauit. Maria virgo mater sine doloribus mortua, maximo cum tripudio assumpta est in cœlum. Ioannes euangelista iam grãdæuus, prius à Christo vocatus effosum sibi sepulchrũ Ephesi ingressus, citra corporis corruptelã & mortis acerbitatem demortuus est. Maria Magdalena ante mortem duobus cubitis eleuata à terra, suscepto eucharistiæ sacramento, inter angelorum choros euecta est in cœlum. Et Maria Salomæ, Cleophę quoq; & Ioãna, Ioseph insuper & Nicodemus sine dubio singularem consolationẽ habuerunt ante mortem. ideoq; nemo grauetur adesse morientibus, ipsisq; ministerium competens exhibere, prout res & necessitas exigunt, vt & ipsum in morte sua non derelinquant homines, quia iudicium sine misericordia fiet illi, qui nõ fecit misericordiam. Et sicut iam hactenus diximus, quantum laudis emercuerint qui alios sepelierũt, ita Christianus nullus contemnere debet ceremonias quæ circa sepulturam fiunt, neq; proximum suũ per hoc iudicare temere, quod sepultu ram suam exornet decenter. quanuis enim hoc si fieret ex superbia, deo põ placeret, ipsum tamẽ in se opus bonũ & laudabile est. alias propheta de Christo dicturus nõ esset, quia erit sepulchrũ eius gloriosum. & rursus, quoniã in pace erit sepultura eius. Quur nõ & membra Christi sepultura habe rent honestiores & peractiores? Principio tamen hic cõtesta tum volo, nõ me tueri fastum istum arrogantẽ & turgidam quorundã superbiã, qui equum velatum circum altaria ducunt, rursusq; inde domũ deducunt, nec pro eo quicquã ecclesiæ aut ei ad quẽ pertinent oblationes, relinquunt, simili modo in ciuitatibus amplis fieri solet, vt vestis preciosa defuncti imposita pheretro, relinquatur ibi vsq; ad tricesimũ

Matth. 6.

Mar. 16.

Iacob. 2.

Esa. 11.

diem, deinde rursus vno atq; altero aureo redimatur. Neq; magis laudandum est quod quidã circa sepulchrum insignia nescio quot, clypeos ité & imagines leonum, canum & vrsorum depingunt, nihil loci relinquétes cruci Christi. Abusus iste nimius in omni re execrabilis est pauoninã istiusmodi superbiã quis laudet? Verum vbi affectus pius est & pietas sancta, quis rursus non laudet? vt si post pheretrum defertur pannus, qui deinde in vsum pauperum vel vestitum conuertatur monachorum. Siquidé eleemosynas dare bonũ est, pauperes deinde pro defuncti anima orare, perinde bonũ est: atq; huiusmodi exẽplo alios ad similia legata incitari, id quoq; salubre est. Similiter si cõfiteretur hic templorũ ornatus, vt quum pheretro imponuntur, vt alias deferũtur pãni precioſi, vnde habitus & ornat⁹ ecclesiastici parétur, cultusq; diuinus exornetur, etiã id deo placitũ est, quando per hoc templum suũ ornatur, sicut infra dicturi sumus in dedicatione tẽpli. Idé quoq; de lucernarum accensionibus iudicium est, sicut exequiæ põtificis Romani aliquot milibus librarum ceræ peragũtur: quæ res & diuinum testatur honorem, & homines ad gratiam animæ defuncti cõmouet. deinde exteriores illæ ceremoniæ, alios homines ad orandũ pro defunctis admonent. Vnde & Gerson Christianissimus ille cancellarius inquit in tract. de soli. Ecclesiarum, par. 22. Videbis circum personam affiné conferétis referre quam plurimum, si viderit per successiones tẽporum & generationũ, quod talis parens eius vel affinis talis piæ fuit solicitudinis, vt pro se & suis talia fieri cõstitueret pietatis officia, Nõnne mouetur ac cõmonetur perinde preces cũ gratiarũactione & laudibus deo referre? nónne probabile est eundé animandum fore, vt quéadmodum ille fecit, sic & ipse faciat: atq; vt minimum, commouetur inde ad orandum pro eo & omnibus maioribus suis. Discat hinc quilibet homo affectũ suum dirigere, rectũq; habere in eiusmodi apparatu sepulturę, in erigẽdis tabulis, in ornãdis sepulchris, in cõmemorationibus instituendis, vt omnia hæc fiant secũdum spiritum non carnem, ne occasio detur hominib⁹ deridendi magis & indignandi, quam pro defunctis orandi, illisq; compatiẽdi. nam vbi primum quis se vltra status sui cõditionẽ extollit, nihil inde nisi calumnia sequitur. ¶ De ornatu sepulturę ex sacris literis iam ante audiuimus, quanti mercatus sit Abraham

3. Reg. 8.

Gerson.

ham sepulturam cõiugis suæ, Christus dominus quanuis in paupertate natus, educatus, cõuersatus & mortuus, honeste tamẽ voluit sepeliri, in præsentia magnorum hominum, in monumẽto nouo, & eiusmodi quidẽ, in quo ipse Ioseph ab Arimathia voluit sepeliri. In historia Machabęorũ legitur, quomodo Simõ Machabęus super monumẽtũ patris & fratrum suorum, ædificium extruxit amplum & visu cõspicuũ atq; sublime, ex lapidibus politis ante & retro, erexit desuper pyramides septẽ, semper vnam contra vnã, patri & matri & quatuor fratribus. Atq; iis circũposuit columnas magnas, & super columnas arma ad memoriã æternã, & iuxta arma naues sculptas, &c. Hoc est sepulchrum quod fecit in Modin vsq; in hunc diem. O homines illos religiosos, ó sanctam pietatẽ, quæ nunc æuo est rarissima nostro. 3 Priusquam ad vilitates sepulturæ peruenia, dicendũ nõnihil est de modo, quo reponẽdum est corpus in sepulchrum. neque hic nos intromittimus ad illa quæ veteres habuerunt invsu, sicut ea recenset Hiero. lib. 2. contra Iouinianum, quoniam Massagetæ & Derbites miserrimos putant qui ægrotatione moriantur. vnde & parẽtes & cognatos & propinquos, quũ ad senectam venerint, iugulatos deuorant rectius esse dicentes, vt à se potius q̃ à vermibus comedantur. Tibareni quos dilexerint, senes suspendunt in patibulis. Hyrcani volucribus & canibus semiuiuos proiiciunt. Caspij iisdem bestiis, sed mortuos. Scythæ eos qui à defunctis amati sunt, viuos infodiunt cum ossibus mortuorum. Bactri canibus ad hoc ipsum nutritis obiiciũt senes. Romani cadauera cõburebãt, cineres autẽ repositos in vrnis condebãt in editis monumẽtis. aliosq; mores varios obseruarunt circa sepulturam mortuorum. ¶ Aiunt Iudæos quõdam defunctorum suorũ corpora erecta cõstituisse in sepulchris, vnde Abrahã sepulturam suam speluncam vocat duplicẽ, Magister in historia patat in superiori spelunca iacuisse viros, in inferiori condita fuisse corpora mulierum. Alij existimant suprema partem instar scanni fuisse compositam, vbi superiores corporum partes velut insederint, dependentibus pedibus super inferiorem partem correctiorem. Atque id ita ordinasse Adamum inquiunt, qui ibidem sit sepultus, vt multi affirmant. Vide Hieronymum & quæ annotauimus ipsi Tomo 1. Vetus ea est Christianorum cõsuetudo, vt reposito capite ver-

Matt. 27. *Ioan. 19.* *1. Mac. 13.* *Hieron.* *Historia scholastica.*

ſus occidentē, pedes porrigātur ad ortū ſolis, quo ſignificetur cupere defunctū ab occidēte mortis pertingere ad orientem reſurrectiōis, à terra peruenire ad cœlum. quāuis enim id totum in anima ſitum eſt, interim tamen malum nō eſt, hoc etiam ipſum repræſentari in corpore exterius, ſicuti S. Antonius inuenit B. Paulum primum eremitam in genubus procumbentē, erectisq; manibus ſic reclinantē, quaſi in oratione poſitus eſſet, tandem vero vidit eum mortuū eſſe. Atque eodē modo volunt doctores etiā Chriſtū iacuiſſe in ſepulchro, ſicut in homi. die paſchæ diſſeruimus. ¶ Nunc tandem ad illud quod in hac re præcipuū eſt, peruenīamus, dicturi de vtilitatibus ſepulturæ: quæ quum plurimæ ſint, primo loco numerabimus hanc, quod non parum facit ad confirmandam vitæ reſurrectionis. Sic Daniel inquit, Multi de iis qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternā, alij in opprobrium. Atq; ideo nōnulli epitaphij loco aſcribunt iſtud Iob, Scio q redēptor meus viuit, & in nouiſſimo die reſurgam. Vnde & ſcriptura mortuos dormiſſe aſſerit, vt ait Paulus, Nolo vos ignorare de dormientib⁹, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habēt. Tam enim facile eſt deo ſuſcitare mortuum, quam nobis dormitem. Eaq; ſententia eſt Aug. in lib. de cu. pro mor. agen. Et lib. 1. de ciui. dei. c. 13. Corpora etiā defunctorum ſub prouidentiam dei cadunt, nō quod in eis ſit intellectus, ſed ad cōfirmādam reſurrectionis fidem. Ideo enim & patriarchæ in terra promiſionis voluerunt ſepeliri, vbi credebant Chriſtum & naſciturum & moriturum, cuius reſurrectio reſurrectionis noſtræ cauſa eſt, vt affirmat Paulus.

Dan. 12. *Iob 19.* *1. Theſſ. 4* *Auguſti.* *1. Cor. 15.*

2 Neq; parum conducit ſepultura etiam mortuis, quoniā per eam amici illorum admonentur ad recordandum ipſorum, & deum pro eis orandū. nā ob id monumētum dici ſoler, quod mentem noſtram moneat alicuius, ſicut Aug. teſtatur cap. 4. de cu. pro mor. agen. Et conſentit Grego. dicens, Quem grauia peccata non deprimunt, hoc prodeſt mortuis ſi in eccleſia ſepeliantur, quod eorū proximi quoties ad eadem ſacra loca conueniunt, ſuorum quorum ſepulchra conſpiciunt, recordantur, & pro eis domino preces fundūt 13. q. 2. cùm grauia. Vide illum li. 4. dial. quoniam ſic quilibet amicus cogitare debet, quaſi dicat iſte ſepultus, Memor eſto iudicij mei. ſic enim erit & tuum. mihi heri, tibi hodie.

Auguſti. *Gregor.* *Eccle. 38.*

3 Prodeſt

3 Prodeſt etiam ſepultura ratione loci ſacri in quo quiſque ſepultus eſt. nã & ſancti, quorũ honori templũ aliquod dedicatum eſt, pro mortuis ibi ſepultis deum orant diligentius. qua de re præclare inquit Auguſti. vbi ſupra. Profecto prouiſus ſepeliẽdis corporibus ad memoriam ſanctorũ locus, bonæ affectionis humanæ eſt erga funera ſuorũ, vt dum recolunt vbi ſint poſita eorũ quos diligunt corpora eiſdem ſanctis illos tanquã patronis ſuſceptos, apud dominum adiuuandos orando cõmendent. Quapropter vult Auguſtinus non tantũ prodeſſe mortuis ipſa ſe in loca ſancta, quantum quum cõmendãtur illi interceſsioni ſanctorum, quorũ nomini & honori eiuſmodi templa ſunt ſacrata. Diſce hinc tu, quotieſcunque pertranſis cœmeterium aliquod, aut pro tuis parentibus oras, implorare deum, vt eis requiem donet æternam. inuoca & patronũ eius loci. dic, Regina cœli Maria, S. Bartholomeæ, (Huic enim apoſtolo dicatũ eſt templũ, vbi parentes mei Michael & Anna fel. memoriæ, tubã archangeli expectant) S. Martine, ora pro animabus hic & vbique ſepultis, &c. c. non æſtimemus 13. q. 2. 4 Multa adhuc ſuper ſunt cõmoda, quæ ex Chriſtiana ſepultura proueniunt. nos receptui canemus, vbi vnũ aut alterum adhuc recenſuerimus. Magnum enim & hoc eſt, quod animæ defunctorũ minus affliguntur à ſpiritibus immũdis, corpora eorũ fiũt minus idonea præſtigiis diabolicis exequendis. Plurima enim moliũtur malefici per mẽbra cadauerum humanorum, per quæ diabolus eos decipit. Quod ſi corpus in terrã ſacrã recõditũ fuerit, neq; cũ iis, neq; cũ animab⁹ ipſis diabolus poteſt amplius ſua maleficia exercere. ideoq; cœmeteriũ locus dicitur ſacer quieti mortuorũ. Idẽ preces eccleſiæ habẽt in cõſecrationibus tẽplorum. & cœmeteriorũ, vt inde recedãt ſpiritus immũdi, &c. ¶ Poſtremo cõfert ſepultura etiã & prodeſt nõ parũ propter oratiões miniſtrorũ eius eccleſiæ, circa quã corpora defunctorũ requieſcunt. quãuis enim ſacerdotes oés debeãt pro omnibus vniuerſum defunctis dominum rogare, atq; adeo Chriſtiani oés, præcipue tñ pro iis qui circa eccleſiã ſuã ſepulti: hinc mos ille ꝓmanauit, vt ſingulis diebus dominicis ꝓ iis fiant obſecrationes. q. in ipſo cœmeterio ſunt ſepulti. ſimiliter in vigiliis & veſperis mortuorũ collecta hæc vſurpari ſolet, De⁹ in cui⁹ miſeratione animæ fideliũ requieſcũt, famulis & famulab⁹

omnibus hic & vbiq; in Christo quiescẽtibus, da propicius
suorũ veniã delictorũ, vt à cunctis reatibus absoluti, tecũ si-
ne fine lætentur. Ex hoc fundamẽto testatur Glossa quẽdã,
melius esse sepeliri in tẽplo qđ plures habeat ministros sa-
cerdotes in cultu diuino, quoniã & opus misericordiæ est
3. Re. 14. sepelire mortuos. ¶ Omnes itaque vos admoneo, imo adiu-
rando exhortor, vt diligẽter pro animabus defunctorũ ore-
2. Pa. 34. tis, quãdo ipsi etiã adepti beatitudinem pro nobis orãt. Cu-
rã quoque habere sepulturę vestrę in loco sacro. siquidẽ &
in sacris literis pro beneficio promissa est sepultura, sicut ait
vir dei, Solus ille in sepulchrum deportabitur ex filius Iero-
3. Re. 13. boã. Regi quoq; Iosiæ promissum est quod in pace veniret
Iere. 22. in sepulchrũ. inobediens etiam propheta sepultus est, & qui
cum eo seductus erat. Rursus pro plaga dei habitum est, si
quis non sepeliebatur, sicut Ioachim filio Iosiæ dictum est,
quod sepultura asini sepeliẽdus esset. sic aliis minabatur Ie-
Iere. 8. remias, quod eiicient ossa regis Iuda & ossa principum. Sa-
piens quoque dum in commoda commemorat diuitis, qui
diuitiis suis vti non audet, quum tamen hæredes veros non
habeat, ait enim sepultura quoque cariturum. Vos autem
orate dominũ pro felici fine impetrãdo pro Christiana se-
pultura, pro omnibus fidelibus defunctis, qui detinentur in
carceribus purgatorij. Dominus deus dignetur eis requiem
æternam, & lucem donare perpetuam, Amen.
¶ Sunt qui hoc festo legant euãgelium, Homo quidam no-
bilis, Luc. 19. Atqui illud ex parte enarrauim⁹ in die S. Ni-
colai. Quia ergo pleræq; diœceses nostræ vsurpant euan-
gelium, Sint lumbi vestri præcincti, & illud iam explicabi-
mus. Augustæ vtuntur euangelio, Homo quidam peregre
proficiscens, Matth. 25. quod conuenit cum illo Lucæ 19.

IN FESTO DIVI MARTINI EPISCOPI TVRONENSIS, EVANGELIVM Lucæ 12.

IN ILLO tẽpore *Dixit Iesus discipulis suis, Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis, vt quũ venerit & pulsauerit, confestim aperiant*

aperiant ei. Beati serui illi, quos quum venerit dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discubere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia. & si in tertia vigilia venerit & ita inuenerit, beati sunt serui illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Mat. 24. Mat. 24. Mar. 13.

HOMILIA PRIMA.

SI introspiciamus euangelium Pauli siue Lucæ, videmus ante hunc cõtextũ docuisse dominum discipulos suos, fugere auaritiã, solicitudinẽ nimiam de quotidiano conuictu, fastum quoque & superbiam. Iã porrò monet eos semper esse paratos, quãdocunque visitarit ipsos dominus per mortẽ. Ad id autem duo præcipue requirũtur, castitas corporis, & iustitia operum. neq; enim libidinosus Christũ expectat, sed voluntatem turpẽ, quũ nõ possit etiã iniustus iustũ manere iudicẽ. itaq; dominus dicit, Sint lumbi vestri præcincti, scilicet per pudicitiam, & lucernæ ardentes, scilicet iustitiæ, in manibus vestris, patientes sicut serui expectantes dominos suos. Quãdo autẽ S. Martinus & alij quoq; cõfessores in manibus suis portarunt trium harum virtutum exempla, castitatis, iustitiæ & patiẽtiæ, merito instituit ecclesia euangelium hoc legi debere de sanctis confessoribus. Sint, ait dominus, lũbi vestri præcincti, hoc est, sancti & mũdi viuite. nam luxuriã viris in lumbis esse sitã, probat Gregorius ex isto Iob, Virtus eius in lũbis eius, & fortitudo eius in vmbilico ventris eius (quo ad mulieres.) lũbos enim præcingimus. quãdo carnis luxuriam per cõtinentiã coarctamus, quum lumbi instrumenta sint prauæ cõmotionis & concupiscentiæ carnalis, atque adeo vasa libidinis. Quamobrem & scriptura Salomonẽ redarguit, Inclinasti femora tua mulieribus, potestatem habuisti in corpore tuo, dedisti maculam in gloria tua, prophanasti semẽtuum inducens iracundiam ad liberos tuos, & in cæteris stultitiam tuam. Præterea esse ibi sedem luxuriæ, satis persensit qui dixit, Lũbi mei repleti sunt illusionibus, scilicet diabolicis, & non est sanitas in carne mea. Hinc enim & cogitatiões turpes inter diu, & impura somnia proueniunt in nocte. Contra hoc malum armauerat se *Cregor. Iob* 38. *Eccl.* 47. *Psal.* 37. *Matth.* 3.

ſanctus Ioānes Baptiſta in caſtitate, vnde & Iūbos ſuos præcinxit zona pellicea. Sic præcinct⁹ fuit magnus ille prophe-
4. Reg. 1. ta domini Elias, ſicut eum legati Ochoziæ regis deſignabāt agnoſcendū. Atque ob id præcepit deus in veteri teſtamento, nō niſi ſubcinctis renibus māducari debere agnū paſchalem. Ea cinctura ſignificat caſtitatem eſſe ſeruandam iis, qui
Exod. 12. agnum immaculatum Chriſtum ſuſcipere volunt. ¶ Hæc etiam cauſa eſt, quur ſuppliciū & pœna putredinis lumborum & femorum manebat quondā adulteras. Sic enim præ-
Num. 5. cepit deus in veteri lege, vt ſi latente adulterio ſpiritus zelotypiæ concitauerit virum cōtra vxorem ſuam, offerat ille oblationem pro ea, oblationem zelotypiæ, ſacerdos autē aſſumat aquam ſanctam, eā execrationibus maximis repletam, atque iam antea amariſſimam exhibeat mulieri bibendam. quæ ſi pudica erat, nihil ei nocebant aquæ, ſed laudabatur ab omnibus. ſin autem clam polluta eſſet & trāſgreſſa leges coniugij, pertranſibant eā aquæ maledictionis, & inflato ventre, cōputreſcebat femur ipſius. Graue hoc erat olim & durū muliebri ſexui, nunc deſit eſſe in vſu, quū lex gratiæ regnet. Atqui hoc illud eſt, quod dominus hic nos iubet cingere lumbos, vt mūdi viuamus corpore & animo. Multa in ſacris literis ſunt, quæ nos cinctos eſſe iubēt & admonent. præcingimur autē diſciplinam bonam, cuſtodiendo nos ab omnibus quæ incitant ad peccādum, ſicut in cœ-
1. Pet. 1. nobiis peculiaris ad hoc eſt inſtituta diſciplina. Sic Petr⁹ ait, Propter quod ſuccincti lumbos mētis veſtræ, ſobrij, perfe-
Eſa. 15. cte ſperate, &c. Sic Eſaias prædixit, Erit iuſtitia cingulum
Iob 38. lumborum eius, & fides cinctoriū renū eius, Et Iob inquit, Accinge ſicut vir lumbos tuos interrogabo te, & reſponde mihi. 2 Sequitur, Et lucernæ ardentes in manibus veſtris.
Grego. Ait Gregori⁹, Quia minus eſt, mala nō agere, niſi etiā quiſque ſtudeat & bonis operibus inſudare, protinus ſubdit ur, Et lucernæ ardētes in manibus veſtris. Lucernas quippe ardētes in manibus tenemus, quū per bona opera proximis no-
Mat. 5. ſtris lucis exempla mōſtramus, de quibus profecto operibus dominus dicit, Luceat lux veſtra corā hominibus, vt videāt opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrū qui in cœlis eſt. duo autē ſunt quę iubētur, & lumbos reſtringere, & lucernas tenere, vt & munditia ſit caſtitatis in corpore, & lumen veritātis in operatione. Siquidem redēptori noſtro alterum

terum sine altero placere non potest, neq; magna est sine bonis operibus castitas, neq; sine castitate opus esse bonum potest. ¶ Theophylactus aliter hæc verba exponens, Sint, inquit, lumbi vestri præcincti, hoc est, parati estote ad operandum in cultu & ministerio meo. lucernas quoq; gestare, id est, non in tenebris neq; sine intelligentia ambulate, quia lucernâ verbi gestare debetis, vnde discatis quid vos oporteat facere. Putat idē intelligi hic vitam actiuam. ij enim qui illam viuunt, succincti ambulant, & ideo lucernis opus habent. Quoniā vita actiua dono iudicij eget & intellectus, vt quisque sciat, quid & quomodo agere debeat ac possit. nanque multi quum multa bona fecerint, neq; in manibus suis lucernas habuerint, minus recte fecerunt, eo quod per ipsos factum bonum quidem est, sed factum tamen non bene. Video nōnullos alios per lumborum præcinctionem intelligere omnium mundanorum impedimentorū abiectionem, vt in via mandatorum dei firmius posimus mentium nostrarū infigere pedes: quia quisquis discinctus ingreditur, iam impedimentum habet quò minus liber incedat. Miles ad bællū instruēs se, præcingitur, assumēs gladium super femur suū. Et tu qui miles cupis esse Christi, lumbos quoque tuos succinge, omnia transitoria & impedimēta mundi sermone, vt pugnare possis non aduersus carnem & sanguinē, sed contra principes & potestates tenebrarū mundi huius. Sic nimirum militē suum instruit Paulus, quum iubet eum succinctū stare lumbos suos in veritate, indutum lorica iustitiæ, & calceatū pedibus in præparationem euangelij pacis. Quisquis talis est, vt sanctus Martinus, S. Vuolffgangus, sanctus Vdalricus, & alij quidā, illi cū lucernis suis sunt in exemplū aliis pręponendi, sicut dominus ait, Nemo lucernam accendit & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. ¶ Diceres autē, Video docere dominū, quod lucernæ sint in manib⁹ gestādæ, hoc est, opera bona palam facienda ad ædificationem & exemplum proximorū. quur ergo idem alibi prohibet, iubens eum qui orare velit, ingredi cubiculum, & clauso ostio orare patrem suum cœlestē? Respondetur, quod imperfecti homines, quos facile extollit & titillat laus hominū, quic; opus bonum conuertunt in superbiam & ambitionem, illi nimirū debēt hoc facere occulte: qui autem perfecti sunt,

Theoph.

Ephe. 6.

Mat. 5.

Mat. 6.

vel in ſtatu perfectionis cõſtituti, opera ſua bona videntibus
alijs facere debẽs, vt eis præbeant exemplaa virtutũ, ſicut de
Dionyſ. hierarchiis eccleſiæ teſtatur Dionyſius, quod lucere debeãt
per gratiã doctrinæ & prædicationis erga rudes & ignaros,
per correptionem & conſilium erga errãtes, per gratiam &
Ioan.8. virtutem in peccatores. Sic lumen verum & ardens habuit
Chriſtus, qui dixit, Ego ſum lux mũdi, qui ſequitur me, nõ
ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Multa hic dici
poſſent de lumine verbi diuini, de quo Dauid inquit verbũ
tuum. Lumen ſemitis meis. Extẽdi poſſet de lãpade & om-
nibus iis quæ pertinẽt ad illud, ſed volens prætermitto. V-
num hoc cõſtat, quod quiſquis verũ lumen fidei ſuæ accen-
derit in eccleſia Chriſti, ei non delebitur vel per infidelita-
Pro.vlt. tem, vel hæreſim, vel quemlibet errorem: ſed vt Sapiens in-
quit, Lumẽ eius nõ extinguetur in nocte. Poſſet inſuper ex
Luca 15. eo qđ ait dominus, Lucerna corporis tui eſt oculus tuus, nõ
Mat.25. nihil dici de lumine intẽtionis & effectus. Atq; ex parabo-
la illa de decem virginibus poſſet inferri aliquid de lumine
honeſtæ cõuerſationis. Quãuis autẽ omnia hæc affatim ha-
buerit S. Martinus, ſicut ex vita ſua manifeſte cernitur, ſu-
perſedemus tamẽ omnibus iis cõmemorandis, cauſa breui-
tatis. ¶ Porro inquit dominus, Et vos ſimiles hominibus
expectãtibus dominũ ſuũ, quãdo reuertamus à nuptiis. Ex-
Gregor. plicãs hæc Gregorius, ſic ait, Ad nuptias dominus abiit, quia
reſurgens à mortuis, & aſcendẽs in cœlũ, ſuperna ſibi ange-
lorum multitudinẽ nouus homo ſibi copulauit, qui tunc re-
uertitur, quũ nobis iam per iudiciũ manifeſtatur. Paulo ali-
Theoph. ter exponẽs hoc idẽ Theophylactus, dicit, Quis hic eſt do-
minus, quã Chriſtus Ieſus? qui humanã quidẽ aſſumpſit na-
turã, & ſicut ſponſum copulauit ſibi & nuptias fecit in car-
nem vnã ei adiungendo, imo nõ vnas fecit nuptias, ſed mul-
tas. quotidie enim nuptiæ fiũt in cœlo ſanctarum animarũ,
2.Co.11. quum ei commendat Paulus, vel ſi quis ſimilis Paulo, virgi-
nem caſtam. Ab ipſis cœleſtibus nuptiis reuertitur ille vel
in conſummatione ſeculi, vel inſperato in cuiuſlibet homi-
nis morte. Beatus autẽ ſeruus quẽ inuenerit dominus lum-
bis ſuis præcinctum, paratũ ſeruire deo, & qui habeat lucer-
nam rationis & iudicij & contemplationis in manibus ſuis.
¶ Poteſt etiam ille domini aduentus intelligi hoc modo, vt
veniat dominus cõſcientias noſtras per gratiã viſitare, & vi-
ſitando

ſitando purificare. tunc autē ille pulſat, quando per tormenta morborum ſignificat morte præ foribus imminere. Quiſquis ergo vixit ſecundū voluntatē dei & legis ſuæ præſcriptum, lætus ex hoc ſeculo migrat, ſed qui male vixit, cum timore & tremore moritur, ſicut ad iudicis aduentū, quū gaudeant boni, trepidant tamē & horrent mali. Sic lętus fuit & gaudio plenus Paulus, cum dixit, Ego iam delibor, & tēpus reſolutionis meæ inſtat. bonū certamen certaui, curſum cōſummaui, fidem ſeruaui. in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iuſtus iudex. 2. Tim. 4.

Talis fuit S. Martinus, qui graui infirmitate preſſus, flentibus fratribus ſuis, dixit, Domine, ſi autē adhuc populo tuo ſum neceſſarius, nō recuſo laborem, fiat voluntas tua. Enumerari hic poſſent bonorū ſeruorum cōditiones, atque deinde myſtice referri ad pium & Chriſtianum hominē, quoniam ſerui fideles multū ſunt ſoliciti, meticuloſi, & deſiderium habent magnū dominorū ſuorum. Mali autē leues admodum ſunt & faciles, neq; magnopere curant, etiamſi domini tardiſſime aut nunquam redeant. De aduentu domini multa diximus tēpore aduentus, de pulſu dei & noſtro, &c. Tom. 1.

¶ Beati ſerui quos quū venerit dominus, inuenerit vigilantes, ij nimirum, qui vigilant in cordibus & cōſcientiis ſuis, quotidie cogitantes ſe eſſe morituros, ſicut de eis inquit Sapiens, Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo. ad dominū qui fecit illū, & in cōſpectu altiſſimi deprecabitur. Sic Dauid facere cōſueuit, vti clamitat ad dominū, Deus de⁹ meus ad te de luce vigilo. Vigilat autem, qui ad aſpectum veri luminis oculos apertos tenet. Vigilat, qui ſeruat operando quod credit. Vigilat, qui à ſe corporis & negligētię tenebras repellit. Beatus ergo ſeruus ille vigil, cuiuſmodi ſeruis Paulus ait, Euigilate iuſti, & nolite peccare. 4 Quum iam recenſuit dominus quidnam diſcipulis ſit facto opus, & quod beati ſint futuri, ſi ſic vigilātes inueniantur: iam porro beatitudinem illam eis inſinuat, oſtendens quid eis facere velit, & ait, Amen dico vobis quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Verba hęc ſimpliciter intelligit Gregorius. præcinget ſe, id eſt, ad retributionē præparabit, & faciet illos diſcūbere, hoc eſt, in æterna quiete refoueri. Tranſiens miniſtrabit eis, quia ſatiat ipſos luminis ſui ſaturitate, dum eos extollit forma humanitatis ſuę Eccle. 21. Gregorius. 1. Cor. 15. Gregorius.

ad contemplationē diuinitatis. Tranſitus igitur ille ſuus ipſam adductionē ſignificat noſtram ad aſpectū claritatis ſuæ.

Theophy. Theophylactus in præcingendo accipit hoc, quod non omnem ſuam excellentiam cognoſcimus: per diſcubitum, beatitudinem intelligit corporis & animæ, in qua tantum iam ſunt illi beati. Quæres quoniam præcincturus ſe ſit dominus? (nam differunt cingi, ſuccingi & præcingi, ſicut miniſtraturi menſæ aliquid præcingunt, quū accingi ſit pugnare volentium.) Reſpōdetur, quia hic in terra præcinxit ſe dominꝰ faſcia humanitatis, ſicuti mos eſt vt operarij præcingāt ſe aliquo velamine: ita filius Ioſeph fabri, fabricator mundi Chriſtus Ieſus, huiuſmodi quiddā præcinxit. Nam ſic Paulus ait, Quum eſſet in forma dei, &c. habitu eſt inuentus vt homo. Ille per omnem quoque vitam ſuam crucem præparauit, quam tandem ſuis ipſe humeris geſtauit, omnibuſque Chriſtianis geſtandam reliquit. Quum autē Chriſtus morte ſua, mortem, inferos & diabolū ſubegit, ibi aliud quoddam produxit ſuccinctorium gloriæ, de quo Dauid, Dominus, inquit, regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt dominus fortitudinem, & præcinxit ſe, quoniam illi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, Sic præcinxit ſe dominus gloria angelorum & ſanctorū omnium. Hac tanta gloria decoratꝰ ille, facit diſcumbere ad cœnā agni beatos, ſeque ipſum, panem cœleſté eis præbet māducandum & veſcendum. Quæ cœna eſt nunquā deficiens, in qua pro ſuo quiſq; merito collocatur, iuxta illud quod ait dominus, Vado parare vobis locum, quem vbi parauero vobis, veniam & aſſumā vos ad meipſum. ¶ Tranſiens hic dominus miniſtrat ſuis, quod miniſterium in eo ſitum eſt, quod beatos illos ſatiat, ſicut inquit Pſalmiſta, Satiabor quum apparuerit gloria tua. Ipſe etiam dominus ait, Si quis per me intrauerit, ſaluabitur, & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet. De tranſitu Chriſti ſiue reditu potius in cœlum poſt diē iudicij, conſtat ex multis locis ſcripturæ. Tranſitū quoque hunc dominicū intelligunt, qui in vita cōtemplatiua ſeſe exercent, illi etiam eum explicant fere hoc modo, Quum deus in eſſentia ſua ſit infinitus & incōprehenſibilis, interim tamen diuinitatis ſuæ radium quendā & fulgorem exhibeat beatis, ij ſi quando funditus bonitaté ſuam, ſapientiam & potentiā ſcrutari atque intelligere volunt, iam tunc tranſit eis dominus, ita vt

Phil. 2.

Pſal. 92.

Matt. 28.

Matt. vlt.

Luc. 14.

Ioan. 14.

Pſal. 16.

Ioan. 10.

nulla

nulla creatura indagare possit. Transitus hic sublimis est & arduus, quoniam spiritus hominis beati semper ex vno gradu contemplationis in alium deducitur cõtinue: sicque dominus, qui supra quam dici aut intelligi potest, bonus, sapiens quoque est & potens, semper transit, omnem humanum excedens intellectum. (Hoc est theologiæ negatiuæ opus, sicut etiam applicuimus in cõmentariis nostris super Dionysium, de mystica theologia in fine. De recubitu autem beatorum, & tota mensa mystica beatorum, vide elegantissimũ, spiritu dei plenũ, S. Dionysiũ ad Titum cõdiscipulum suũ, licet nõ sit pro rudi plebe, tamen vel coram clero, religiosis, aut monialibꝰ appositissime posset adaptari.) *Dionys.*

5 Sequitur, Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, Inquit Hieronymus, stationes & vigiliæ militares in terna horarum spatia diuiduntur, ita vt toti nocti custodiæ quatuor tribuantur. Eo ergo quod plures hic custodias proponit dominus, incertam vult significare sui aduentus horam, sicut & illi qui ciuitatis mœnia custodiunt, incerti sunt qua hora irruent hostes. Gregorius putat per has tres custodias designari tres hominis ætates, infantiam, pueritiã & senectutem, hoc modo, quod qui bonum operari non vult in prima ætate, at vbi adoleuerit, incipiat esse frugi: id si non facit, saltem grandæuus cõuertatur ad dominum. ¶ Quur autẽ hic dominus primam custodiam cõmemorat tantum, & in Marco quatuor recensẽt, dicens. Vigilate nescitis enim quando dominus domus veniat, sero an media nocte, an gallicantu, an manè? prima siquidem vigilia est intempesta nocte, secunda dura vsque ad conticinium, tertia à medio noctis per tres horas, quãdo homines incipiunt somniare, solque ab angulo noctis moueri versus diem nostrum, tunc etiam paulatim aues garriunt & cantillãt, sub ea vigilia Petrus negauit dominum. Postrema porro vigilia protenditur ad tempus antelucanũ, illucescente iam die, quando placidissimus est somnus, quo tempore Christus venit ad discipulos in mari. Hic autẽ duas tantum vigilias quur tandem commemorat? Respõdetur, quia primæ ideo non meminit, quod primam rudémque adhuc ætatem significat. de ea sic ait dominus, Filij vestri qui boni ac mali ignorant distantiam. Quarta etiã vigilia hic à domino non numeratur, quia ætas decrepita ac delirium tendens, *Hieronym.* *Gregorius.* *Mar. 13.* *Matt. 26.* *Deut. 1.*

virtute omni destituitur. Addit hinc parabolam, si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset. Attendant hæc tepidi Christiani, tardi existentes ad omne opus bonũ, discant imitari patremfamilias: quoniam fur subito irruens, mors est inopinato superueniens. furem hunc obseruaturi, vigilemus solerter omni hora mortem præ oculis habentes, iuxta consilium Sapientis, In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Cõcludendo igitur admonet nos dominꝰ, iubẽs nos esse paratos, quia qua minime putamus hora filius hominis veniet. recte filius hominis, siquidem in specie humana iudicaturus, secundum illud, Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Quando autem venturus sit Christus, nósque morituri simus, id sane nos latet: quoniam vt nihil nobis morte certius, sic hora mortis nihil est incertius. sed & illud quod ignotum nobis voluit esse deus mortis tempus, eo factũ est, vt semper simus parati. Vnde insignis illa stultitia est non parare se morti, quum tamen ipsa mors paratissima sit semper in capita nostra. sequamur itaque etiam hic S. Martinum, qui per omnem vitam suam talem se gessit, quasi quotidie sistendus esset iudicio Christi, &c.

Eccle.5.

Ioan.5.

ALTERA HOMILIA IN *festo sancti Martini.*

QVANDOQVIDEM in nonnullis locis euangelium hoc legitur, Homo quidã peregre proficiscens, illudq; cum eo cõspirat multũ, quod Lucas habet cap.19. & in die S. Nicolai legitur, cõsultũ visum est illud paulò diligentius latiúsq; explicare, eo loco incipiẽdo, vbi in feriis S. Nicolai subſtitimus, quanuis inter vtrũque hoc euangelium nõnulla sit differentia, quia apud Matthæum dominus tres tantũmodo seruos cõmemorat, quibus octo concredita sunt talenta, hic vero decem numerat seruos, totidémq; talenta. alias eadẽ vtrinque fere & expositio & significatio est, sicut in scholis latius visseri solet, nos ipsum Lucã aggrediamur. Factum, inquit ille, est vt rediret accepto regno. Vbi Beda sic ait, Significat tempus quãdo in manifestissima & eminentissima claritate venturus est, qui eis humilis apparuit, quũ diceret, Regnũ meum non est de hoc mundo. Quum autẽ secundario vẽturus est chorus comitatus angelorum, in gloria dei patris, à quo ille regnum

Matt.25.

Beda.

Ioan.19.

regnum iudicãdi accepit ecclesiã vt Paulus inquit, quod re- 1.Cor.15.
gnare eũ oportet donec ponat inimicos suos scabellũ pedũ
suorum: tunc sane rationẽ ille ponet cum seruis, qualem se
quisq; gesserit circa dona diuinitus accepta, vbi rigidæ per-
agentur omnia Iam sibi quisque diues videtur, & possidere
hæreditatẽ amplam, ratus sua isthæc esse bona, cum quibus
etiã pro suo arbitrio possit agere omnia. aliter autẽ contin-
get in die nouissimo. Sic etiã qui mercimoniis multa conse-
quutus est bona, vel qui ex sacerdotiis corrasit, vel dominus
aliquis qui è subditis suis collegit, in iis quilibet pro suo nu
tu versatur, tanq; vere suis & ꝓpriis bonis. Alius eruditione
valet, alius prudentia eminet, iste potentia quadã turget in-
flatus, quisq; iam pro sua voluntate agit omnia, sed tamẽ in-
terim pro omnib⁹ illis reddent rationẽ deo vsq; ad minimũ
verbum ociosum. O horã duri iudicij, meméto homo, quia Matt.12.
rationẽ redditurus es pro omnib⁹ illis quæ habes, quoniam
omnia habes à deo, sicut inquit Paul⁹, Quid habes quod nõ 1.Cor.4.
accepisti? ¶ Atque ideo hic dicit quod vocarit seruos suos.
Citatio hæc est, qua omnes homines ad iudiciũ vocabuntur 1 The.4.
per angelos, iussu tamẽ Christi, sic dicẽte Apostolo, Domi-
nus in iussu & in voce archãgeli & in tuba dei descender de
cœlo, & mortui qui in Christo sunt, resurgẽt primi. Hęc il- Ioan.18.
la erit vocatio à 4. partibus orbis, quando clamabũt angeli, Beda.
Surgite mortui, venite ad iudiciũ, Atq; hoc, ait dominus, fa-
ciet, vt sciat quantũ quisq; sit negociatus, nõ quasi non præ-
sciat illud qui nouit omnia, sed sic scire dicitur, quoniam sic
scire etiã alios omnes facit. aut loquitur more humano, quia
rationẽ ponentes cũ seruis, volunt scire quã gnauiter nego-
ciati fuerunt, sic Moyses dixit ad populũ, Tentat vos domi- Deut.13.
nus deus vester, vt palã fiat vtrum diligatis eum. 2 Venit
ergo prim⁹, & ait, Domine, mna tua decẽ mnas acquisiuit.
Primus hic seruus, vt inquit Beda, est ordo doctorũ in cir- Beda.
cumcisiõe missorũ, qui Iudæos adduxit ad Christũ. ille mnã
vnicã accepit, dominũ vnum, vnũ quoque deum fidẽ vnam,
vnúmq; baptismum, & acquisiuit decẽ, hoc est, Iudæos legi
Mosaicæ subiectos. Et hic operationem liberi arbitrij vide-
mus, quia iste vnicã tantũ mnam acquisiuerat, lucratus per
eam alias decẽ, vt ait Paulus, nõ ego, sed gratia dei mecũ. & 1.Cor.15.
tamẽ fatetur primã illã mnã nõ esse suã, sed domini sui, quũ
dicit, Domine, mna tua. Vsqueadeo in omnib⁹ deo debemus

deferre honorem. Sed & lucrū ille aſcribit domino, dicens, Mna tua decem mnas acquiſiuit. Huiuſmodi ſeruus & Pau-
1.Cor.15. lus fuit, quoniā ſic ait, Gratia dei ſum id quod ſum, & gratia eius vacua in me nō fuit: Intellectus hic magis ſpiritū ſapit, quū interim alij ad literā propius accedentes, intelligant hoc de eo qui gratiā dei accepit & exercet, vt perfectus efficiatur. ſiquidē denarius numer⁹ eſt perfectionis, ideóq; illi homines perfectiſſimi ſunt, quales fuerūt apoſtoli & eorum ſucceſſores, ſicut de S. Martino canit eccleſia, Hic eſt Martinus elect⁹ dei pōtifex, cui dominus poſt apoſtolos tantum gratiam cōferre dignatus eſt, vt in virtute deificæ trinitatis mœreretur fieri trium mortuorū ſuſcitator magnificus. Seruo huic reſpōdit domin⁹, Euge ſerue bone, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtate habens ſuper decē ciuitates. Mul-
Rom.8. tum hoc placet deo, ſi quis in ſeruitio ſuo ſancto ſit fidelis, maxime circa curā animarū & lucrū. vſqueadeo eas diligit deus. In modico, inquit, fuiſti fidelis, quia modicū eſt quicquid eſt ſuper terrā, ſi referas ad gloriā fœlicitatis æternæ,
1.Cor.1. vt ait Paulus, Exiſtimo quod nō ſunt cōdignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. & alibi, Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Quum autem venerit quod perfectū eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Idem dominus ait in modico fuiſſe fidelem.

Beda. ¶ Ciuitates autē decem, vt dicit Beda, ſunt animæ per legis verbum ad gratiam euangelij venientes. ſic Paulus ait ad ci-
1.Theſ.1. uitates quas aſſequut⁹ eſt, Quæ eſt ſpes noſtra, vel gaudium aut corona gloriæ nōne vos ante dominum noſtrum Ieſum Chriſtum? ſi nolimus à litera diſcedere longius, videbimus facilem intellectum, quod per decem ciuitates, decem accipiantur chori beatorum, nouem angelorū, & decimus paruulorum. Voluit ergo dominus inſinuare homines in hac vita perfectos, vt patriarchas, pphetas & apoſtolos, peruenturos in ſupremum chorum angelorum, ſicut in feſto S. Michaēlis dici ſolet, ſingulis angelorum choris homines inſeri.

¶ Aduenit deinde & alius ſeruus, qui vna quoque mna quinque alias eſt lucratus, & illum dominus cōſtituit ſuper quinq; ciuitates. fideles ſeruos omnes laudat domin⁹. Quo exemplo diſcant domini ſeruos ſuos ob fidelitatem tractare benignius, non ſuccenſere ſemper & indignari. ſic enim ait
Eccle.7. Sapiens, Non lædas ſeruum in veritate operantem, neque

merce-

mercenarium dantē animā suā. Seruus hic quanuis non tantum lucratus, neq; tā fidelis fuerat vt primus, tamen laudatur à domino. sic cuiq; nouit deus dare iuxta meritū suum, quia in domo patris sui mansiones multæ sunt, & remunerationes distinctæ. Augustinus exponit mnas illas de intellectu & operatione, intellectum docet diffundi in sensus quinq;. Expositio pulchra est, & ad sensum spiritualem plurimum accommoda, sed quia nimis recedit à litera, supersedeo. *Ioan. 14. Augustin.*

3 Iam tandem ignauus procedit seruus, ferens mnam suā in sudario. Vbi Augustinus ait libr. 2. de quæst. euang. capi. 46. quia sudario imponere est cum torpore & ignauia infirmari, neq; velle seruire verbo. sunt enim homines quidā adeo peruersi, vt sibiipsis blandiantur, rati satis hoc esse, si de se quisque reddat rationem, nec vltra requiri, aliis vel prædicari vel ministrare: quum tamen apud dominum etiam illi sint inexcusabiles, quibus lex data non est, neq; audito euangelio dormierunt, quia per creaturam poterant cognoscere creatorem. ¶ Concordat Beda, quoniam pecuniam in sudario ligare, est percepta dona sub ocio lenti torporis abscondere. Theoph. porro, dominus, inquit, mortuus sudario inuolutus fuit, & Lazari facies in sepulchro sudario obuoluta fuit, merito igitur ignauus ille sudario inquit reconditum fuisse donum. Mortuum enim illud fecerat & inefficax, nō euoluens, neq; lucrū faciens. Huiusmodi homo per fatuum istum & solidum Nabal designatur, qui panem suum & carnem soli sibi seruare cupiebat, nihil volēs Dauidi & seruis eius in extrema etiam necessitate communicare. Quumque seruus in se inutilis esset, adhuc tamen astute & callide agit, fucum quærens atque prætextum malitiæ. malum id omne coniicit in dominum, (homines ij peruersissimi sunt) & illi quatuor hæc intētat. Primo, quod sibi fuerit occasio metus, respectu tam strictæ & arduæ rationis: deinde quia homo durus sit & austerus: insuper, tollens quod non posuerit: postremo, quod metat vbi nō seminarit. Talia multi prætexūt, nolentes enim vllis prodesse, dicunt q̄ vbi non seminauerit deus bonam indolem & aptitudinem, illinc ne requirat messem, Me, inquiunt, non fecit industrium, & ad docendū idoneum, & quid à me exigitur, vt in fructum faciam? Aug. putat hoc ipsum esse metere, quod non seminarit ille, impietatis reos etiam eos tenere, quibus verbum legis aut euangelij *Beda. Theophy. Ioā. 9. 10. 1. Reg. 25. Theophyl. Augustin.*

non eſt miniſtratũ. neq; enim ij quibus lex data nõ eſt, excũ ſati ideo ſunt, quia ex creaturis ęternã creatoris ſuivirtutem
Rom. 1. & diuinitatẽ poterant cognoſcere, vt teſtatur Paulus. Quidam peccatores incuſant deũ quaſi nimis aſperũ & durum,
Matt. 15. eo quod propter voluptatẽ temporalẽ ipſos puniat ſupplicio æterno, quodq; ex ſingulis verbis ocioſis rationẽ expoſcat. ſic ignaui exẽplum Lot prætexunt, quod & ipſi nõ poſſint aſcẽdere in montẽ perfectionis. tantũ venire cupiunt in Segor, quod ſonat puſillum, vnde nullũ ſubire volunt labo
Chryſoſto. rem paulò grauiorem. Chryſo. egregie defendit dominum aduerſus fraudentam & mẽdacem ſerui huius accuſationẽ, dicens eum in ſingulis iſtis quatuor eſſe mentitũ: quia ſi dominũ timuiſſet, mãdata eius cuſtodiuiſſet. Aut ſi ſciebat dominum ſuum auſterũ eſſe, ſeueritatem eius non debebat cõtemnere. Et quia dixit ſeruus tollere dominũ quod non poſuiſſet, quanto magis oportebat eum cogitare, quod tolleret ille vbi poſuiſſet? ſed nouerat, quia metebat dominus vbi nõ ſeminaſſet, quur non magis meteret. vbi ſeminauerat ipſe?

¶ Audite igitur ſententiam, quam tulit dominus ſuper ſeruum iſtum, Ex ore tuo iudico te ſerue nequã. ſic Eliphaz di-
Iob 15. xit ad Iob, Condẽnabit te os tuum. & non ego, & labia tua reſpõdebunt tibi. Quare nõ dediſti pecuniam meã ad menſam?
Theoph. Omnis homo, inquit Theoph. mẽſarius à deo ordinatus eſt, vt in huius mũdi officina magna negocietur. ſic cum
2. Cor. 12. donis dei lucrũ fecit Paulus, dicens, Omnibus omnia factus ſum vt omnes lucrifacerem. Beda ait pecuniã hanc eſſe verbum dei. ſicut dicit Pſalmiſta, Eloquia domini eloquia caſta
Pſal. 11. argẽtum igne examinatũ. Verbũ igitur dei cõmitti debet nũ mulariis ad mẽſam, hoc eſt, paratis & voluntariis fideliũ mẽtibus annunciari, ſuper quã mẽſam, hoc eſt, mentẽ primam audientum. nihil niſi pecunia domini, numiſma exoticũ nullum reponi debet, vt ſic omnis ſermo docẽtis, ſenſum ſequatur ſcripturæ diuinæ, non proprium aliquod ſomnium.

4 Tunc ait dominus, aſtãtibus, Auferte ab illo mnam & date illi qui decem mnas habet. Quiſquis dono diuino abutitur, ab eo aufertur. ſic multos videas qui diuitiis & honoribus abundarunt, periiſſe, eo forſitan quod erant abuſi, & ideo ſubtraxit illis dominus. Pleriq; prouincias totas easq; populoſas, immẽſos ducatus & dominia habuere, nunc miſeri in exitium profligati nihil habent. ita deus huic mnã ſuſtulit

ſtulit & dedit ei qui decē mnas habebat. Per hoc ait Aug. ſignificari & illum poſſe amittere munus dei, qui habens non habet, id eſt, eo non vtitur: & in eo augeri, qui habēs habet, hoc eſt, bene vtitur, ſic ſcriptum eſt angelo Epheſi, Niſi pœnitentiam egeris, mouebo candelabrū tuum de loco ſuo. ſic factum eſt, & cōtigit Sauli, qui quum gratiā dei per ſuperbiā & inobediētiā amiſiſſet, data ea eſt Dauidi, ſicut regum teſtatur hiſtoria, directus eſt domini ſpiritꝰ in Dauid, & inde ſpiritus receſsit à Saul. ſic angelo Philadelphiæ dicitur, Tene quod habes, vt nemo accipiat coronā tuā. ſic Eſauiuſtiā primo genituræ amiſit, & frater eius Iacobus conſequutus eſt eā: ſic eandem Rubē perdidit, & Ioſeph adeptus eſt. Atq; ideo cōmutauit manus ſuas Iacob ſuper duos filios Ioſeph Ephraim & Manaſſe. hinc admirantur multi, vnde fiat ꝙ qui antea multis donis abundāt, ea ipſis augētur, quū interim pleriq; alij in paupertate deſordeſcāt. ¶ Eius rei ratione reddit dominus, oſtendēs iniquū hoc nō eſſe. Quū enim habēti dabitur & abūdabit, ei qui dona dei habet in vſu pio & ſancto, augebitur gratia dei in ipſo & erga ꝓximos ſuos. Qui autē nihil habet, hoc eſt, qui donis dei nō vtitur, ab eo etiā id quod habet, donum auferetur: ſicuti Ioannes inquit. Nomē habes, quod viuas, & mortuꝰ es. Quot obſecro ſunt qui præclarā in iuuentute ſpem de ſe præbēt, dum videntur ingenui & induſtrij, ita vt putes eos eſſe quantiuis pręcij, ſi paulū attēdas, actū eſt ſcilicet, perierunt? Sic multi præcocē promittētes fructū, nimis cito erūpunt: quumq; ſublimi gradu cōſtiterint, præcipites ruunt, verſa ſimul cum ipſis rota fortunę. ideoq; deus fortuitorum iſtorum bonorū elargitor eſt, qui qa nouit aliquē donis ſibi collatis eſſe abuſum, abla ta illi cōfert in alium. Sanctus autē Martinus quū multa accepiſſet à deo dona, in tam pium vſum ea cōtulit, vt ſemper aucta ſint illi, acceperitq; ſubinde gratiam pro gratia, &c.

Auguſti.

Apoca. 2.

1. Reg. 16.

Apoca. 3.

Ge. 25. 48

Apoc. 3.

DE SANCTO MARTINO

pontifice inclyto.

SANCTVS Martinus Sabaria Pānonię natꝰ, quę ad fluuium Raab ſita eſt, nō procul ab Auſtria, parētes habuit infideles, nobiles tamē, ſi ſtēmata mundi conſideres. pater enim eius ſupremus equitum ductor fuit ſub imperatoribus Conſtantino & Iuliano, ideoq; in Italia educatus eſt Papiæ. inſtinctu autem

diuino cõuersus ille fuerat ad Christũ, decimoq; ætatis anno cõfugit ad templum, & parétibus inuitis factus est catho cumenus, hoc est, in fide erudiri se permisit. Iam vero duodennis cupiebat habitare in deserto, si per corpusculi fragilitatẽ sustinere potuisset, quod deinde tamẽ deuote studuit adimplere. Cæterùm quũ imperatores edicto præcepissent, vt militum veteranorum filij militarent, compulsus est à patre suo etiam resistens sanctus Martinus ad militiam annum agens decimum quintum. atq; in ea triennium permãsit, viuens in magna continentia & eleemosynarum largitione. Quodam tempore sub porta ciuitatis Ambianẽsium occurrit illi mẽdicus, cui quod daret quum nihil iam haberet amplius, chlamydem quoq; in duas partes correpto gladio discidit, alterã pauperi exhibuit, alterã sibi reseruauit qua tegeretur. proxima nocte vidit Christum ea chlamyde opertum, dicere angelis suis, Martinus adhuc cathecumenus hac me veste cõtexit, ibi tamẽ ille baptizatus anno decimooctauo. atq; orante & vrgẽte duce suo, bienniũ in militia perstitit. ¶ Irruẽtibus autẽ Germanis, vt erant ferociſsimi, in Galliam, imperator Iulianus Vormatiæ militibus suis stipẽdia soluit, vbi recusans Martinus quicquam accipere, dixit militem se esse Christi, ideoq; nõ licere sibi pugnare, & cruenta gerere bella. Imperator ratus est Martinum id facere metu perculsum. dixit autem ei Martinus, Si timori hoc, non fidei ascribitur, age cras prima luce inermis, solo tamen crucis signo munitus, hostium cuneos penetrabo securus. Sequenti die hostes vltro porrectis manibus dediderunt se imperatori, vtiq; per meritum sancti Martini, qui deinde relicta militia, profectus est ad sanctum Hilarium Pictauiẽsem episcopum in Aquitaniã, qui ipsum ordinauit exorcistã, vbi reuelauit ei deus vt domũ rediret. reuersus illuc, matrẽ suã ad fidẽ cõuertit, patre in infidelitate perdurante. In via à latronibus misere cæsus est. Quumq; tunc in Sclauonia hæresis Arrianorũ inualescerẽt, & eis sanctus Martinus valide resisteret. percussus simul & profligat⁹ est ab illis. profectus ergo Mediolanũ, occupauit cœnobium cum fratribus, sed ibi quoque ab hæreticis Arrianis est repulsus. Inde reuersus in Galliã, prædicauit ibi, fidemq; Christi sedulo plantauit, authore Greg. qui ait, Tunc iam & lumen nostrum exoritur, *Gregor.* nouisq; lãpadum radiis Gallia perlustratur: hoc est, eo tẽpore

re beatissimus Martinꝰ in Galliis prędicare exorsus est, qui Christũ dei filiũ per multa miracula verũ deum in populis declarás, Gentilitũ incredulitatẽ auertit. hic fana destruxit, hæresim oppressit, ecclesias ædificauit. & cũ alijs multis virtutibus refulgeret, ad cõsummandũ laudis suæ titulum tres mortuos vitæ restituit. ¶ Quum aũt cõperissẽt sanctũ Hilarium iã ab exilio rediisse in diœcesim suam, Martinus se ei coniunxit, atq; ne esset ab eo remotior, cœnobium erexit non procul ab vrbe, vbi tãtis inclaruit virtutibus, vt sanctis precibus suis cõplures sanaret ægrotos, mortuos resuscitaret. in oratione continuus, peccatores qui pœnitẽtiam egerãt, suscipiebat. Eodẽ tempore mortuo episcopo Turonẽsi Litorio, sanctus Martinus tertius episcopus eligitur anno 9 imperatoris Valentis. is resuscitauit ibi mortuũ in diœcesi, multaq; alia operatus est miracula, ita vt authoritatis suæ eminentia dignitatẽ sustineret episcopalẽ: pietate tamen, oratione, ieiunio & omni humilitate, viueret vt monachus. Tẽpla plurima extruxit, magnumq; & illustre monasteriũ in honore Petri & Pauli. Tribꝰ quoq; in vicis, Almaganẽsi, Torinagẽsi & Cõdacẽsi, idolorũ templa destruxit & ecclesias ibi erexit. Quumque aliquãdo veniisset ad sepulchrum anteceſſoris sui Gatiani, primi episcopi Turonẽsis, atq; inter cætera suæ orationis verba diceret, Vir dei, benedic mihi, audiui vocẽ dicentẽ sibi, Imo te oro cultor dei, vt mihi benedicere digneris. Multa quoq; miracula fecit Arthonis in Auernia. Ad hæc Gregorius ille Turonensis, quẽ ante citauimus, refert in libro de gloria cõfessorũ p multa capita, de arbore quadã per signum sanctæ crucis à Martino erecta, è cuius cortice promanans aqua, sanauit infirmos. simile est quod de palmite scribitur, confito à S. Martino. ¶ Multas tentationes & afflictiones passus est à diabolo, in quẽ tantũ ille preualuit, vt quacunq; specie sibi oblatũ agnosceret exacte. Vnde quodã tẽpore apparuit ei habitu & cultu regio, purpura & diademate exornatus, dixitq; se esse Christũ. neque vero Martinus eũ adorare voluit, sed dixit, Aduentum suũ dominus noster Iesus Christus nõ prędixit fore purpura & diademate cõspicuũ. atq; ideo quũ nollet in eũ credere, nisi in hac specie appareret qua passus fuerat, euanuit diabolꝰ, & cellulã sancti Martini grauissimo fœtore impleuit. ¶ Quũ igitur S. Martinꝰ magna cũ vitæ sanctimonia pluri-

Turon. lib. hist. cap. 36.

Gregor. Turonen.

mos annos in diœceſi ſua cõfeciſſet, orta eſt diſſentio inter presbyteros eccleſiæ Cõdacenſis. & quãuis iã diu antea præ dixerat fratribus ſuis imminere tempus reſolutionis ſuæ, ta men illuc profectus eſt cũ multis fratribus, ad reſtituẽdã pa cem & concordiã. Re iſta pacate cõfecta, volens donũ redire, incidit in aduerſam corporis valetudinem. iamq; proxi mam mortẽ ſuam diſcipulis ſignificauit, qui flẽtes, dixerũt, Quur nos pater deſeris? aut cui nos deſolatos relinquis? inuadent enim gregem tuum lupi rapaces. S. Martinus cõuerſus ad parietẽ ait, Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, nõ recuſo laborẽ. Quumq; ardentiſsimis vexaretur ſe
Gerſon. bribus, ab oratione tamẽ nõ ceſſauit. Hinc Gerſon in tracta tu de nõ eſu carnium, Martinus, inquit, ſuadẽtes corpus in vltimo agone conſtitutum, ſtramentis mollioribus cõfoueri, magna grauitate cõpeſcuit, dicẽs, ſinite fratres, ſinite. ego ſi vobis aliud exemplum relinquo, peccaui: quia ſeruum dei miniſtrum Chriſti, decet in terra mori. Presbyteri acceden tes, hortabãtur eũ in aliud latus ſe reclinare, vt iaceret quietius. verum ille reſpõdit, Sinite fratres vt cœlum potius intuear quã terrã. ſicq; ſpiritus meus q̃ iã ingreſſurus eſt iter, ei aſſueſcat. Hoc modo oculis ac manibus in cœlum ſemper intẽtis, inuictum ab oratione ſpiritum non relaxabat. Vidit inſuper & diabolum ſibi aſsiſtentẽ, cui dixit, Quid hic tibi rei eſt? quid agis cruẽta beſtia? nihil in me inuenies homicidia, ſinus Abrahæ me ſuſcipiet. Sic ergo ſpiritum ſuũ bonis operib⁹ elaboratum deo reddidit, quum iã vixiſſet annis 81. & in epiſcopatu ſediſſet annis 26. mẽſibus 4. diebus 17. an-
Gregor. no Archadaij & Honorij ſecũdo, ſalutis autẽ 443. (Greg. in libro hiſtoriarum.) Multi ſub tẽpus mortis ſuæ audierũt cantãtes angelos, præcipue vero S. Seuerinus epiſcopus Co
Sulpitius. lonien. (vt ſcribit Sulpitius Seuerus, qui tres libros ſcripſit de vita S. Martini, vt Grego. Turonen. teſtatur is enim cum peractis matutinis precibus ex more altaria viſitaret orans, audiuit cantantes angelos: archidiaconus autẽ audire nõ potuit, tãtiſper dum pro eo oraret S. Seuerinus, qui & ipſe tandem audiens voces ſonoras admodum, cognouit ex Seuerino mortuum eſſe B. Martinum Turonen. epiſcopum, cuius
Auguſti. animã angeli tũc deferrẽt in cœlum. Aug. in libello de ſpeculo peccatorum, ſi ſaltẽ titul⁹ nõ mẽtitur authorẽ. Serpẽs, inquit, ille venenoſus diabolus & ſathanas, auſus fuit cũ furore

rore impetum facere in ſanctiſsimã B. Martini animã, quã erat, vt dicitur, gemma ſacerdotũ, quã felicẽ animã præſentibus angelis euntem in cœlũ imp edire tẽtabat. ¶ Poſt diſceſſum S. Martini in oppido Cõdacenſi cõuenerant Pictauienſes & Turones, de corpore B. Martini cõtendẽtes, dicẽtibus illis eũ monachũ & abbatẽ ibi ipſorũ fuiſſe, Turonẽſibus ſatis extitiſſe, quod viuũ eũ habuerint epiſcopũ. Verũ Turones cõtra volebãt. nã, vbi quis cõſecratus fuiſſet & ſediſſet epiſcopus, ibidẽ eum ſepeliri debere. Quumq; contentionẽ illorũ nos dirimeret, Pictauienſes inſtituerunt & propoſuerunt ſe altero mane corpus B. Martini vi & impetu ablaturos. Atqui conatũ hunc impediuit deus, diſponens vt profunda nocte, quũ altũ ſilentiũ tenerent omnia, cunctis etiam ſopitis, Turonẽſes corpus viri ſancti per feneſtrã exẽptum, nauiq; impoſitum, deueherent per flumina vſque in ciuitatem ſuã, vbi deus multa per eum operatus eſt miracula. In eius rei argumentũ fluxit oleum ex tũba ipſius, quo Aridius presbyter pluresq; alij cæci liniti, viſum receperunt, atque infirmi multi ſanati ſunt. De miraculis quæ S. Martinus in vita ſua & poſt mortẽ operat⁹ eſt, iuſta cõſcripta ſunt volumina. mortuus eſt autẽ vir ſanctus à paſſione Chriſti anno 412. à nato vero ſaluatore, anno 445. Ad huius ſepulturã quomodo miraculoſe venerit S. Ambroſius, alibi diximus. qũ ſub officio miſſæ raptus ad duas horas fuit circa ſepulchrũ Martini, donec eũ diaconus excitaret, ad ſe deinde reuerſus, dixit mortuũ eſſe S. Martinũ, ſicut ipſe rei docuit euẽtus. S. Gregori⁹ etiã XVI. poſt B. Martinũ epiſcopus Turonẽſis, 4. libros ſcripſit de miraculis S. Martini. ¶ Videat qui velit, quę S. Paulinus Nolæ epiſcop⁹ ſcripſit. quãdo Sulpitius Seuerus presbyter depinxerat ſanctũ Martinum & ſanctum Paulinũ in baptiſterio, imaginibus addidit verſus. Paulinus epiſtola 12. inquit inter alia, Martinus pingitur recte in loco refectionis humanæ, qui cœleſtis hominis imaginem perfecta Chriſti imitatione portauit, vt deponentibus in lauacro terrenę imaginis vetuſtatem, imitãda cœleſtis animæ occurrat effigies. vocat Martinum formam iuſtitiæ, ſummam virtutum, ſpeculum fortitudinis.

Abluitis quicunque animas & membra lauacris,
Cernite propoſitas ad bona facta vias.
Adſtat perfectæ Martinus regula vitæ,

Paulinus veniam quo mereare, docet.
Hunc peccatores, illum ſpectate beati.
Exempla ſanctis ille ſit, iſte reis.
Et infra,
Martinum veneranda viri teſtatur imago,
Altera Paulinum forma refert humilem.
Ille fidem exemplis & dictis fortibus armat,
Vt meriti palmas intemerata ferat.
Iſte docet fuſis redimens ſua crimina nummis,
Vilior vt ſit res, quam ſua cuique ſalus.
Martinus epiſcopus migrauit à ſeculo, viuit in Chriſto, gemma ſacerdotum.

IN DIE FESTO S. CATHARINAE

virginis & martyris ſtudiorum ſtudioſorumq; omnium præſidis, Euangelium. Matthæi 13.

HOMILIA VNICA.

EVANGELIVM hoc require ſupra in feſto ſanctæ Margaretæ, vbi illud expoſuimus partim, nũc reliquã ei⁹ particulã explicabimus. Regnũ, inquit dominus, cœlorũ ſimile eſt ſagenæ miſſę in mare. ait Hieronymus, impleto Ieremię vaticinio, Ecce ego mitto ad vos piſcatores multos, poſtquã audierunt Petrus & Andreas, Iacob⁹ & Ioãnes filij Zebedæi, ſequimini, & faciã vos piſcatores hominũ, cõtexuerũt ſibi ex veteri & nouo teſtamẽto ſagenã euangeliorũ dogmatũ, & miſerũt eã in mare huius ſeculi, quę vſq; hodie in mediis fluctibus tenditur, capiens de amaris & falſis gurgitib⁹ quicquid inciderit, id eſt, bonos homines & malos. Quũ aũt venerit cõſummatio & finis mũdi, tunc ſagena extrahetur ad littus, ad ſecernendũ piſces. boni mittentur in vaſa cœleſtiũ manſionũ, malos vero torrẽdos & exiccãdos gehennæ flãma ſuſcipiet. Conueniũt in hac expoſitione etiã alij doctores. commode enĩ eccleſia ſagenæ cõparatur, quæ piſcatori cõmiſſa eſt Petro, ipſaq; cũ reti fidei quotidie capit homines, & ſicut piſcatores ex pfudo aquarũ piſces attrahunt ad littus, ſic eccleſia per prędicatores adducit peccatores ex amariſimis aquis mundanarũ voluptatũ. ¶ Audiant hæc neochriſtiani, qui cõtẽdũt bonos tantũ eſſe in eccleſia. Aliter hic docet Chriſtus bonos & malos eſſe in ſagena eccleſię. ſi enim boni omnes

Hieron. Mat. 4.

nes essent, quorsum attineret quosdam à piscatoribus reiici? In cœlo soli sunt boni, in inferno mali tantū: in ecclesia quæ locū medium occupat, boni sunt & mali cōmixti vsque in diem iudicij, quando exibunt angeli & segregabunt malos de medio iustorum, ipsosq; proiicient in caminum ignis, sicut hic dominus exponit. Neq; vero mali tantum sunt in ecclesia, sed & plures quā boni, qđ significare volens Christus, ait, Multi sunt vocati, pauci vero electi. Conqueritur idipsum & Dauid, inquiens, Annunciaui & loquutus sum, multiplicati sunt super numerum. Ecce quod multiplicati sint mali super numerum iustorū. Rudis admodum est intellectus eorum, qui dicunt bonos tātum esse in ecclesia cōtra tam manifesta Christi verba, quando etiam in hoc cap. declarat mundū hunc agrum esse quendam spatiosum, in quo triticum crescat & simul zizania. Ne putes autē ipsum in vniuersum de mundo toto loqui, & nō tantum de ecclesia, affirmat messores esse angelos, quos missurus sit filiꝰ hominis, vt tollant de regno suo omnia scandala. Regnum itaque Christi, præsens est ecclesia, hoc ille post diem nouissimum traditurus est deo patri. Quamobrem Theophylactus inquit super hoc euāgeliū, Terribilis est hæc parabola. ostendit enim quod licet credamus, nō habeamus autē vitam bonam, in ignē proiiciemur. Ait idem sagenā hāc ex doctrina prophetarum contextā esse & miraculis apostolorū. sicut ergo officium est apostolorum eiicere rete & capere pisces: ita munus est angelorū, segregare bonos & malos. quanuis idipsum facturi sint angeli iussu & loco Christi, quoniā ipse ille est qui præcipue hircos separabit ab agnis. 2 Deinceps interrogat discipulos dominus, an hæc omnia intellexerint. qua interrogatione attentiores ipsos facit in obseruanda parabola. neq; enim contentus erat dominus in eo, quod quę ipse docebat audirēt discipuli, sed voluit eos tanquā futuros magistros intelligere illa sic, vt & alios possent docere. Vnde discant prælati, qđ & intelligere debent verbum dei, sicut communiter dici solet, duos illos apices mitrę episcopalis significare duo testamenta, quorum perfecta cognitio esse debeat penes episcopos, quos etiam exhortatur in hoc Dauid, dicens, Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. ¶ Respondentibus apostolis & intelligere se affirmantibus, subiungit domi-

Mat. 22. *Psal. 39.*

Mat. 13.

1. Cor. 15. *Theoph.*

Mat. 25.

Hieron.

Psal. 118.

nus, Omnis scriba doctus in regno dei, profert de thesauro suo noua & vetera. Ecce hic apostolos dominus scribas suos & notarios vocat, propterea quod verba saluatoris conscribunt in membranis mentis suæ cum sacramentis regni cœlorum, protulerunt illi inde noua & vetera, quia quicquid in euangelio prædicabant lege & prophetis confirmarunt. Nouum adhuc erat euangelium, recens etiam incarnatio Christi, mors & resurrectio eiusdem. Veteres tamen hæc agnouerãt, sed in figuris & obumbrationibus typicis per reuelationes tantum, atqui oculis ea videbant apostoli, quibus
Luc.10. ideo dixit dominus, Multi reges & prophetę voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Atque hoc opus & officium est docti, vt noua caleat & vetera. id designare vo-
Cant.7. lens, inquit, sponsã in Canticis, Omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi. Ideoq; dominꝰ eos nõ scribas tãtum vocat & simpliciter doctos, quales fuerãt etiã prophetæ, sed doctos in regno cœlorũ, cuiusmodi erant apostoli, dissimiles in hoc patriarchis & prophetis. ¶ Alij contextum hũc paulò aliter accipiunt, nõ tamẽ cõtrarij superioribus, sic vt per noua intelligatur gratia & remuneratio, per vetera autem iracundia & suppliciũ. gratia enim & ve-
Ioan.1. ritas per Iesum Christum facta est: vetus autem in homine
Rom.3. est peccatum, cognitio peccati & iræ dei: quia per legem est cognitio peccati, sicut per euangelium cognitio charitatis & gratiæ dei. Atq; eo forsitan respexit Augustinus lib. 20. de ciuit. dei cap. 4. qui ꝓbaturꝰ iudiciũ extremũ, affert primo testimonia noui testamẽti. quãuis enim vetera præcedãt tẽpore, noua tamẽ eis sunt præferenda dignitate. & hunc ordinẽ seruãdũ esse dominus ipse docuit, dicẽs, Omnis scriba doctus de thesauro suo profert noua & vetera. qui si nõ maluisset prę ferre ordinẽ meriti seriei tẽporis, dixisset vtique, vetera & noua, quum tamen inuersõ modo dixerit.
Colos.3. ¶ Neque paulò apertius Paulus ipse nos docuit idem, quũ ait, Expoliate vos veterẽ hominẽ cũ actibus suis, & induite nouũ eũ, qui renouatur in agnitionẽ secundũ imaginẽ eius
Haymo. qui creauit illũ. Quur id? quia vetꝰ ad pœnã nouus ad gratiã & gloriã dei pertinet. nusquã enim cœlũ promittit vetus lex tota, minatur tantũ, & omnino lex est timoris. ideoq; ea est sẽtẽtia Christi, quod apostoli & omnes scribę sui siue prædicatores, ꝓferre debent ex lege scripturæ sacrę noua de

ua de ꝓmissione pręmij, & vetera de supplicio quod manet malos. atq; ideo qui ex charitate venire recusat, solũ timore cõpellatur: qué nõ inuitat gratia, vrgeat pœna. hunc prędicãdi modũ ipse etiã dñs obseruauit in parabolis istis, quoniã prius de bonis, deinde de malis disseruit. sic ꝓmittere debẽt prædicatores bonis gloriã, malis minari supplicium. Vetus est, quicquid à veteri Adamo ꝓficiscitur: noua est omnis gratia Adæ cœlestis. Adam primus terrenus, paradisum pro se & nobis amisit. Adã nouus ille cœlestis, cœlũ ipsum nobis emeruit. Itaq; doctus in regno dei, ꝓferre de thesauro scientiæ suæ debet noua & vetera. sic Paulus fecit, scribẽs Ephesiis, Deponite vos secundũ pristinam cõuersationem veterem hominẽ, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autẽ spiritu mentis vestræ, & induite nouũ hominem, qui secundum deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. In eadem sententia est & Chrysostomus, qui dicit, vetus est, vt pro culpa humanum genus in æterna pœna intereat: & nouum, vt conuersus in regnum viuat. ideo etiam hic præmisit dominus parabolam diuitis. & aliam de thesauro inuento atq; margarita, inde enumerauit supplicia inferni, hinc sequitur, Omnis scriba doctus, &c. Quasi dicturus esset, Is vere doctus est prædicator in ecclesia, qui nouum proferre potest de dulcedine regni, & vetera de horrore pœnarum, vt qui virtutis amore & desiderio præmiorum nõ mouetur, oderint saltem peccare formidine pœnæ. *Ephe. 4.* *Chrysost.*

4 Audiuimus iam superius, quomodo tres illæ parabolæ, de thesauro abscondito, de inuenta margarita, & de sagena, doceant omnes homines seruire deo, in cultu dei nõ extolli, verbũ dei nõ audire tantũ, sed & operibus implere: quoniã est thesaurus absconditus, illa preciosa margarita, ea demum vera est sagena. Et tamen ecclesia euangelio hoc vtitur in festiuitatibus sanctarũ virginum, idq́, ideo, quia istæ thesauros mundi huius omnes cõtempserunt ꝓpter dominum, vt thesaurum absconditum cõsequerentur in cœlis gloriam æternam, atq; ob id dimiserunt & reliquerũt omnia quibus gaudet mũdus. quoq; imbecilior est sexus fœmineus, eo gratius est quod desideria sua, carnẽ quoq; ipsam voluptatem & diuitiarum illecebras vicerunt, quumq́ue alias fœminæ sint ad cultum mundiorẽ proniores, & rerum preciosarum appetentiores, magnã laudem meruerunt virgines sanctæ,

quod illa omnia cõtemp ſerunt, ſolúmque dilexerũt domi-
num margaritã precioſiſſimam, cuius reſpectu obſorduerunt eis mundana omnia. ſic beata Agnes dixit, dexterã meã & collum meum cinxit lapidibus precioſis, dedit auribus meis inæſtimabiles margaritas. Apoſtoli vero & viri apoſtolici quũ iam retia ſuę prædicationis eieciſſent, captę ſunt virgines ſanctę tanq̃ piſciculi optimi ſancta Catharina, Barbara, Margareta, Vrſula, Agnes, Lucia, Agatha, Dorothea, Apollonia, Kunegundis, Brigitta, Otilia, & aliæ pleræque, quæ tã ardentes fuerũt in charitate dei, vt alia omnia relinquerẽt, ſolámq; hãc ſeruarẽt margaritã, ſicut Agnes ait, Ei ſum deſpõſata, cui ſeruiũt angeli, cuius pulchritudinem ſol & luna mirãtur, ei ſoli ſeruo fidẽ, ipſi me tota deuotione cõmitto. doctæ illæ vtiq; fuerunt, in myſteriis fidei noſtræ bene eruditæ, præcipue vero ſancta Catharina, quæ rhetores quinquaginta diſputãdo ſuperauit, ipſoſq; ad fidem Chriſti conuertit, proferens illis de theſauro ſcientiæ qua diuinitus erat illuſtrata, noua & vetera, ita vt ipſi quoq; baptizati, pro nomine Chriſti ſanguinem funderent vſque ad mortem.

DE SANCTA CATHARINA.

CATHARINA Coſti regis nata, ex familia Lagidarum, in Alexandria à primis ætatis ſuæ rudimentis, diſciplinis liberalibus erudita eſt, quas præ cæteris calluit ſubtilius, ſimul tamen credidit in Chriſtum & vtriuſque teſtamenti ſcripta reuoluit. Quum autem Maxentius ab imperatore Conſtantino profligatus, veniſſet in Alexandriam, nuptiale ſacrum inſtituit, & Chriſtianos ſacrificare nolentes affixit, ita vt multi iam ſupplicij metu ſacra facerent. Videns id Catharina, prudenter increpauit imperatorem, cui Maxentius reſpõdere non potuit, ideoq; rhetores cõuocauit quinquaginta, qui audientes virginem ex ſpiritu dei loquentem, per doctrinam eius conuerſi ſunt ad fidem. eos omnes combuſſit tyrannus, ſicuti reuelatũ fuerat Catharinæ in carceribus ab angelo Michaële, qui ipſam cõſolatus vetuit timere.

2 Quum autẽ non poſſet tyrannus Catharinam nec blanditiis neque minis à fide deterrere, flagris cæſum rurſus detruſit in carceres, qui adhuc monſtrantur peregrinis in Alexandria, vbi duodecim dieb⁹ ſine vllo cibo corporali virgo ſancta eſt detenta. Ipſe autem in Caſium mõtem profectus

eſt,

est, ad exercēda ludicra & maleficia simul quę tractabat. Eo tempore Faustina imperatoris cōiunx, & Porphyrius Cyrenensis cohortis præfectus, viderunt lumen apud sanctā Catharinam. ad quā venientes, fidem quoq; receperunt, & baptizati sunt cum aliis hominibus ducentis. Tyrannus reuersus, rotas quatuor sibi oppositas parauit, acutissimus clauis & ferreis machinamētis instructas. quas cōspicata virgo sancta, timore perculsa, dominū inuocauit vt ipsam à tam diro supplicio custodiret. ¶ Veniēs ergo angelus de cœlo, rotas diiecit & cōminuit, multáque Gentilium milia simul occidit, sicut columnæ adhuc videntur. quod quū Faustina conspexisset ad imperatorem veniens, ipsum increpauit. qui audiens eam esse Christianā, mamillas ei præscindi fecit, deinde decollari, præcepit etiā de quis ipsam sepeliret. Porphyrius autē eam noctu sepeliuit, & proximo statim die imperator multos coniecit in carcerem, extorquere volens quis imperatricem sepeliuisset. Porphyrius est spōte cōfessus se fecisse, quē vbi cognouit imperator esse Christianum cum ducentis aliis decollauit. Postea Catharinā aduocauit multa ei promittens si negaret Christum. quumq; videret se ab ipsa cōtemni, Christum vero super omnes reges ab ea laudari sententiam tulit vt & ipsa decollaretur. quę adducta ad locum supplicij, deū rogauit pro omnibus qui ipsam in necessitatibus suis essent imploraturi. vbi vox audita est de cœlo, Veni electa mea, quod petisti, impetrasti. sicque decollata est, & in signum virginalis castitatis, ex collo eius lac emanauit pro sanguine. ¶ Quærat aliquis, quur tandē quū sancti multa sustinuerint supplicia, feras, ignem, aquas, oleū ardens, &c. vbi tandem ad gladium ventum est, simul quoque actum est de eorū vita. Respondetur (vide tamen Bonauenturā dist. 4. quali in 2. parte. art. 1. q. 3.) quod pœna ista gladij ex mala proficiscitur voluntate, quū gladius sit res non naturalis, sed artificialis. ideóque mirū non est, quando praua tyrannorū voluntas deo resistit, quod gladius ipsam exatiat, non impediente deo. reliqua autē supplicia proueniunt à naturali operatione, sicuti cuiusque rei natura à deo dispo sita est, ideo non decet naturam creatori suo repugnare. Quum sanctus diuinę voluntati se cōformet, ad designandā bonitatem dei, & in testimonium virtutis & potentiæ diuinæ, rerum natura operationes suas remisit erga sanctos dei.

¶ Rationem hanc assignant doctores, quur ita mortuus sit Christꝰ in cruce, nō in igne, nō in aquis, neq; lapidibꝰ obrutus, quia nō decebat creaturam aliquā in sua naturali operatione quā à deo accepit, aduersus ipsum armari ad intentandam mortem. peruersæ autē voluntati locum suum reliquit deus, quæ Christū clauis cruci affixit, vt sic sola illa occiderit eum, nō natura, non elementū aliquod, quia illa etiā condoluerunt Christo. sol enim & luna tunc obscurabātur, petræ scindebantur, terra mouebatur moriente Christo. Catharina decollata, deus quidē operatus est supra naturam, ad confirmandam ipsius sanctimoniam, quoniā angeli corpus eius sanctum ab Alexandria transtulerūt vsque in mōtem Sinai, & ibi sepelierunt, sicut petra imagines hominum multas habet impressas, ab homine tamen non factas sed ille testimonium præbent custodiæ angelorū. ¶ Eodem in loco requieuit corpus annis trecentis, donec ipsa reuelaret abbati qui illud in cœnobiū reposuit, vbi adhuc conquiescit. Imago autē virginis sanctæ etiā nunc videtur in petra. Cōcurritur illuc per vniuersum Christianismū, imò & à Sarra cenis, qui multū tribuūt S. Catharinæ visitatur, multa etiam ibi deus operatus est miracula per interceſſionem sanctissimæ virginis, quam & vos hodie implorate diligentius, vt aduocata vestra sit apud sponsum suum Christum dominum, &c.

SEQVETVR INDE COMMVNE sanctorum, & primo de Apostolis.

Constitues eos principes super omnē terram. Psal. 44. Vel, Ciues apostolorum & domestici dei aduenerunt hodie portantes pacem & illuminãres patriam, &c. Vel, Isti sunt sancti qui viuentes in carne, plantauerūt ecclesiā sanguine suo. Ecclesia.

HOMILIA PRIMA.

CONSVMMARE volens dominꝰ synagogam, & erigere ecclesiam suam legémq; euangelicam, quáuis ipse supremus esset eius operis architectus, dicēte Paulo, quia nemo potest aliud
1. *Cor.* 3. *Ioan.* 15. *Deut.* 32. *Dionys.* fundamentū ponere præter id quod positū est Christus Iesus, vnde & ipse dixit ad apostolos, Sine me nihil potestis facere, attamen quum hoc sit proprium deo, vt omnia opera eius perfecta sint & absolura, quamobrē etiam creaturam vnam per aliam gubernat, infima deducens per media

media ad ſuprema, ſic eccleſia primum ſtatim perfecta non fuit, ſed oportuit eam habere infantiã, quando gentes quę à longe erant, ſimulq; Iudæos decebat adduci per apoſtolos, ſicut gloriatur Paulus de ſe & ſui ſimilibus, quia dei ſint co adiutores, & eccleſia ipſa ſic clamat ad dominum, Te ſuppli citer exorare, vt gregem tuum paſtor æternę nõ deſeras, ſed per beatos apoſtolos tuos cõtinua protectione cuſtodias, vt eiſdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem cõtuliſti præeſſe paſtores. ¶ Et ſicut in veteri teſtamento ſaluté hominum operatus erat domin⁹ per patriarchas & prophetas, ita in eccleſia per apoſtolos, qui ideo filij dicuntur prophetarum, quanuis illis & perfectiores & ſanctiores fuerint, & à deo magis illuminati. vnde & dominus dixit ad eos, Beati oculi qui vidẽt quæ vos videtis. dico enim vobis, quod multi reges & prophetæ voluerũt videre quæ vos videtis, & nõ viderunt, & audire quæ vos auditis, & nõ audierunt, quanuis hoc quoque intereſt, quod prophetæ ad ſolos Iudæos miſsi ſunt, & ad ea loca in quibus Iudæi habitabant: apoſtoli autem miſsi ſunt in vniuerſum orbem terrarum. quumq; ſynagoga Iudæos tantum haberet, in eccleſiã cõuocati ſunt etiam Gentiles ab ortu vſq; in occaſum. Quod intendens Dauid, conſtitues, inquit, eos principes, &c.

1. Cor. 3.

Luc. 10.

EVANGELIVM SVPRA IN DIE

S. Simonis & Iudæ, vel S. Bartholomæi, vel aliud de apoſtolis.

ANIMVS eſt hic de principatu, dignitate & honore apoſtolorum nonnulla differere, auxiliante gratia Chriſti. Nam quum ipſi prẽcipui ſint in eccleſia poſt Chriſtum & Mariam, retulerit plurimum ſcire, quidnam ſit apoſtolus, quod eius officium, quæq; poteſtas. faciei id ad venerationem apoſtolorum augendam, ad excitandos animos erga honorem ipſis impendendum. Vt autem commodiori ordine hoc fiat, voſq; melius intelligatis, & firmius retineatis, tria hæc principio dicemus, de vocatione, electione & cõfirmatione eorũ. Quoad vocationem, conſtat quod neq; eodem modo, neq; ſimul omnes vocati ſunt apoſtoli, imo quorundam vocatio omnino deſcripta non eſt. nam de Petro, Andrea, Iacobo & Ioãne ſcriptum eſt, quia primi vocati ſunt à Chriſto, nõ quidẽ tanq; apoſtoli, ſed quaſi ad familiaritatem coniunctioré. ſic

Ioan. 1. quãdo ſtatim poſt baptiſmũ Chriſti Ioannes Baptiſta oſten-
dit & digito monſtrauit illum, dicens, Ecce agnus dei qui
tollit peccata mũdi, tunc cõtinuo ſecutus eſt eum Andreas,
qui deinde adduxit Petrũ, & proxime ſequenti die vocauit
Luc. 5. dominus Philippum. ſic quatuor illos vocauit, quando ma-
gnam piſciũ multitudinẽ cœperunt, & horrente Petro, di-
xit dominus ſe facturũ eos piſcatores hominũ, qui deinde re
lictis omnibus, ſequuti ſunt dominũ. ſine dubio autẽ deinde
Matt. 4. domum reuerſi, ad priſtinas etiam redierunt occupationes.

3 Quum audiſſet dominus Ioãnem cõiectum eſſe in vin-
cula, ſeceſſit in Galilæã, & decollato Ioanne, cœpit prædi-
care. ambulans etiã ibi iuxta mare Galilææ, vocauit 4. apo-
ſtolos. quæ dæmũ vera extitit vocatio, quia tunc adhęſerunt
domino, & ſequuti ipſum mãſerunt cũ eo. Vide ſupra plu-
Matth. 9. ra. De S. Matthęo etiã ſatis conſtat, quomodo ſit vocatus ad
Actu. 1. teloneũ ſedens, cui dixit dominꝰ, Sequere me. & ſurgẽs ille,
ſequutus eſt eum. Matthias tandẽ electus eſt in locum Iudæ
poſt aſcenſionẽ Chriſti de aliorum vocatione ex euangelio
Matt. 10. non ſatis cõſtat. Porro de apoſtolorũ electione tres ſcripſe-
runt euangeliſtæ. Matthæus ſic ait, Conuocatis duodecim
diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituũ immundorũ,
vt eiicerent eos & curarent omnẽ languorem & omnẽ in-
firmitatem. duodecim autẽ apoſtolorum nomina ſunt hæc,
Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius.
Mar. 3. Expreſſus aliquãto ait Marcus, Aſcendens in mõtem, voca-
uit ad ſe quos voluit ipſe, & venerunt ad eum. Et fecit vt eſ
ſent duodecim cũ illo, & vt mitteret eos prędicare, &c. Ele-
Luc. 6. & 10. ctionis huius meminit & Lucas. Atque aliquãto poſt, quum
1. Cor. 12. diu prædicaſſet, deſcribit & vocationem 72. diſcipulorum,
Ephe. 4. Meminit & Paulus, Dedit, inquiens, deus in eccleſia quoſdã
Chryſoſto. apoſtolos, quoſdã prophetas, alios autem doctores. Et alibi
non diſſimile ſcribit Chryſoſt. hoc magnificat, & tanquam
magnificũ quid extollit, ſicuti & eſt, quod ex tam vaſto mũ-
do, ex tot hominũ milibus duodecim illos elegit dominus,
quos vtique oportuit eſſe viros multum admirandos. Tot
erant in mũdo reges, principes, optimates, tanta doctorum,
ſapientum & eloquentiũ hominum turba, atque præ iis om
nibus tamen ſimplices illos elegit dominus, ſed non dimiſit
ſimplices, imo per ſpiritum ſanctum à patre miſſum, edocti
ſunt in omnibus. De hac electione loquutus eſt dñs, dicens,

Non

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis & fructũ afferatis, & fructus vester maneat. Capharnaitis quoque nonnullis à Christo deficientibus, propter sermonem ab eo de sacramento habitum (vt nunc prohdolor, aliquot ciuitates à Christo & ecclesia recedunt) dixit ille ad duodecim, Nunquid & vos vultis abire? Nónne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vn⁹ diabolus est? dicebat autem de Iuda Simonis Iscariote, qui traditurus erat illum. *Ioan. 16.* *Ioan. 15.* *Ioan. 6.*

2 Expedita iam hactenus vocatione & electione apostolorum, reliquum est de eorum confirmatione nonnihil disserere. nam hoc etiã nũc sic obseruatur, vt episcopus primũ eligatur, deinde cõfirmetur. Sic etiã apostoli in sua dignitate cõfirmati sunt à Christo post resurrectioné, quãdo apparuit eis in die sancto Paschę, dicés, Sicut misit me pater me⁹, & ego mitto vos. Summus ille apostolus & prim⁹, imo apostolorum omniũ, vt ait Cyrillus, erat apostolus. apostolus enim, missum sonat. sic Christus dei filius in hunc mundum missus est. Qui etiã missurus à se apostolos, cõfirmauit eos tradita in hoc officij exequutione, de misióe apostolorum plura dicẽtur infra. ¶ Vnum hic cõmemorãdũ est, quod & alibi legimus, quoniã extra apostolatũ dominus adhuc plus potestatis dedit apostolis, quãdo eos sacerdotes ordinauit in cœna. tunc enim potestatẽ ipsis cõtulit super corpus suũ verum, ad cõficiendum illud in sacrificio missæ: super corpus suum mysticũ potestatẽ dedit eis in die resurrectióis, vt absoluerẽt fideles in cõfessione à peccatis suis, quę potestas est clauium, de qua plura ibidẽ dicta sunt. ¶ Tertia potestas singulariter data est Petro iurisdictionis super omnẽ ecclesiã ad regendũ illã. sed nos iam missa potestate, de dignitate tantum officij apostolici, ita vt cœpimus dicere peragam⁹. Oportet enim vere præclarum quid & exemium esse in eo, vt sit aliquis apostolus. Magna ea gratia est, præ vniuerso mundo electum esse ad cõuersandum domino, ipsiusq; faciẽ omni gratia plenã videndã, semper doctrinam salutarem continuo audiendã, ad opera illius perfecta intuenda, ad ministerium eius exequẽdum, ad amicitiæ & familiaritatis eius consortium assumi, magnum re vera est & præclarũ quoddam, ministrum Christi effici & plane domesticũ, semper ad eius mensam sedere, & diuina mysteria audire, tantaq; potestate valere, quis non summe putet admirandum? profecto enim *Luc. 12.* *Tom. 2.* *Tom. 2.*

idcirco apostoli iamdudum in veteri testamẽto multis sunt modis præfigurati, sicuti iam recensebimus, vt deinceps apostolicæ potestatis officia plenius intelligantur. (quia ordine naturæ deberet præcedere quid est, &c.)

3 Primum igitur omnium constat, eos typice præsignari
Gen. 35. in duodecim patriarchis. siquidem Iacob duodecim habuit filios, vt sacræ nobis testantur historiæ, qui quemadmodum carnaliter vniuersam ex se propagarunt gẽtem Iudæorum, ita apostolici omnes fideles genuerũt Christo in spiritu. Sic
2. Cor. 4. Paulus inquit ad Corinthios, In Christo Iesu per euange-
Galat. 4. lium ego vos genui. Et ad Galatas, Filioli, inquit, mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Sic ille
Deut. 25. Onesimum genuit, pro quo & rogat Philemonem, Significator hoc idẽ in lege, vbi legitur, Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui: & primogenitum ex ea filium, nomine illius appellabit, vt non deleatur nomẽ eius ex Israël. Hoc itaque iam exponunt doctores de Christo, qui cum apostolis tanquam fratribus suis cõuersatus est, sicut ait Pau-
Heb. 2. lus, Propter quam causam (loquitur autem de Christo) nõ confunditur fratres eos vocare. Dici vero potest, Bene sine liberis mortuum esse Christum, quoniam perquam pauci in eum crediderunt tunc temporis, apostoli autẽ fratres Christi susceperunt officium illud hæredes producẽdi Christo, quos tamẽ non ex se, sed ipso Christo nuncuparunt tanquã fratre. Quisquis igitur es qui Christiano gaudes titulo, sic gloriare de spiritualibus patriarchis apostolis, vt Iudęi suos iactant patriarchas. 2 Deinde præfigurati sunt etiam apo-
Exo. 18. stoli p duodecim principes populi Israël, quos elegit Moyses ex consilio soceri sui, eosdem quoq; acceptauit dominus
Num. 1. deus, sicut Numerorum liber testatur, quoniã isti duxerunt
Num. 2. populum per desertum, atq; oportebat eos castrametari in
Nume. 7. circuitu tabernaculi & arcæ domini circũcirca, alios versus oriẽtẽ, ad occidentẽ alios, alios item ad austrum, &c. In dedicatione quoq; tabernaculi magna munera obtulerunt super altare. Sic plane & duodecim illi apostoli non à Moyse, sed nouo legislatore Christo electi, circũiacent in custodia ecclesiastica cum doctrina sua salutari, cum orationibus piis, per vniuersum circuitum orbis terrarum, ab ortu in occasum

casum vsq; , & oblationes immensas meritorum suorum, magna sacrificia orationum sanctarum & martyrij sui obtulerunt domino deo. (vide gloss. ordinar. Num. 1. 2.)

3 Ad hæc figurati antea sunt apostoli in 12. fontibus, qui inuenti sunt è populo Israël in Helim in deserto, quum ante peruenissent ad amaras aquas Marat. neq; enim sat est bibisse ex amaris aquis veteris testamenti, nisi insuper peruenias ad aquam dulcé gratiæ euangelicæ. qua duodecim illi fontes apostolorum vniuersum irrigauerunt mundū. Vnde & Isidorus inquit, quod non soli duodecim apostoli fidem Christi prædicauerūt, sed & alij septuaginta discipuli, per quos palmas victoriæ Christi mundus cognouit. *Exod. 15.* *Isidorus.*

4 Significati etiam olim sunt apostoli per duodecim lapides preciosos, qui fuerūt in rationali summi sacerdotis. (aliqui Iudæi in Germania, illud quod Hebraice dicitur interpretati sunt idiomate vernaculo, ain syrspang.) Sic nimirum summus ille sacerdos & pontifex Christus, duodecim illos apostolos defert in ornatu suo ecclesiæ catholicæ, qui idcirco multum sunt spectosi, coruscantes instar gémarum, exemplo sanctimoniæ suæ. 5 In panib⁹ quoq; duodecim propositionis (velut in Hebræo habetur, facierum) figuram cernimus apostolorum, quia panibus illis apostolorum deus vniuersum pauit orbem terrarum, pane. s. verbi euangelici. 6 Similiter illos repræsentarunt etiā duodecim isti speculatores, (oportet contrahere, alioquin sermo creseeret in immensum: vide in loci allegatis cōmuniter gl. ord. adde si vis, Hierony. Tom. 4. & 5.) qui à Moyse missi sunt in terram promissionis, vt perlustrarent illā. quoniam sic & apostoli & speculātur ipsi, & denunciāt nobis terram promissam viuētiū. Designātur insuper & per lapides duodecim in Iordane erectos: sic enim apostoli duodecim articulos fidei nostræ præscripserūt. Duodecim lapides altaris, eosdem quoq; typice figurant, ob firmitatem & constātiam fidei quam prædicarunt. Duodecim ærei boues subter mare & luteres quos fecit Salomō in figuram baptismi sanguinis Christi. Duodecim portæ, nominibus duodecim patriarcharum inscriptæ, illos quoq; designāt, quia per eos magna Gētium & Iudæorum multitudo ingressa est in ecclesiam. Duodecim vituli quos obtulit Moyses, etiam apostolos significant, siquidem in singulis illis Christus ipse occisus & *Exo. 28.* *Exo. 25.* *Num. 13.* *Iosue 3.* *Exo. 29.* *3. Reg. 7.* *Exe. 48.* *Exo. 24.*

3. Reg. 10. oblatus est domino deo. Duodecim leunculi in throno Salomonis, eosdē quoq; figurarunt, qui fortiter restiterunt per-
Apoc. 12. sequutoribus fidei nostrę. Ad hæc duodecim stellæ quas vidit Ioannes in corona, apostolos quoq; demonstrant, quoniam illi specie exempli boni illustrarunt ecclesiam vniuer-
Apoc. 21. sam. Duodecim fundamēta quæ vidit idē in ciuitate sancta & noua Ierusalem, quæ descendit de cœlo, ea quoq; respiciunt apostolos: siquidem ij doctrina sua suffulserunt & fun-
Hiero. darunt ecclesiā. Hiero. addit eos quoq; duodecim mensibus anni significari, & duodecim cophinis qui pleni fragmentis
Esa. 6. sunt seruati: isuper duodecim aliis duorū Seraphin, & duo-
3. Reg. 4. decim supremis præfectis frumētorum Salomonis super omnem prouinciā. Quorum omnium explicationē ampliorem hic volēs omitto. Audistis ergo numerū illum sanctum apostolorum, diuinitus esse ordinatū ab æterno, toties præfiguratū à spiritu sancto in scripturis veteris testamēti. Ternarius etenim & quaternarius numeri, sunt sacri & mystici. tria aūt in quatuor ducta, duodecim producūt. Obiicias plures esse apostolos q̄ duodecim. sed hāc interrogationē proxime sequenti homilia dissoluemus. Hæc nunc sufficiant, &c.

HOMILIA II. IN COMMVNI
de duodecim apostolis dei.

Constitues eos principes super omnem terrā, &c. Psal. 44.

INSTITVI nonnulla vobis dicere de dignitate apostolatus. rem hanc vt apertius & dilucidius proponerem, iam antea apostolorum ostēdi vocationem primo ad qualēcūq; saltem notitiam, deinde ad familiaritatem mox ad apostolatum. de electione quoq; & confirmatione eorundem differui, similiter de figuris & typicis significationibus. Nunc tandem propius ad dignitatem apostolicam accessurus, & de ea disserere aggressurus, agnosco sane indignum esse me tāto munere propter peccata mea, neque satis posse præstare ob intelligentiæ ruditatem. Et tamen inuocemus gratiam dei, vt ille aperiat ostium sermonis mei cum S. Paulo. omnes igitur illius opem
Coloss. 4. imploremus, dicentes, Pater noster qui es, &c. ¶ De immēsa apostolorum dignitate & magnificentia dicere, omnē superat humani intellectus capacitatē. tanti enim est esse apostolum, vt licet homines possint reges, principes etiā creare & ipsos quoque summos imperatores, similiter eligere epi-

scopos

ſcopos, cardinales & pontifices maximos, attamen etiam ſi mundus hic conueniat vniuerſus, & omnes coeant optimates, nō queant adhuc vel vnicum creare apoſtolum, ſed potestas ea penes deum tantum eſt: ideoq; quum cōgregatio illa ſancta vndecim apoſtolorum cōueniſſet, & alij inſuper homines plures cētum, auſi nō ſunt alium apoſtolum creare in locum præuaricatoris Iudæ, quāuis ibi erat ſanctiſſima virgo Maria, ſed inſtinctu ſpiritus ſancti ſtatuerūt duos, & inuocarunt deum, petētes ab eo dari ſignum quemnam vellet eligi in locū Iudæ. Atq; ideo Diony. putat ſortē illā quam tunc dederunt apoſtoli, non fuiſſe caſum aut ſignū fortuitū, ſed ſignum cœlitus datum, quod dedit deus ad deſignādum ſe iam dignitatem illam contuliſſe Matthiæ. Vide in Primatu noſtro ſententiam illorum, qui ſancto Petro id tribuunt. *Act. 1.* *Dionyſ.*

¶ Quur autem nullus homo nec mundus vniuerſus poſsit creare apoſtolum, collectu facile eſt, ſi modo perpendatur, quid in ſe contineat officium apoſtolicum. Prima dignitas apoſtolatus eſt, quod habuerunt illi authoritatem & iuriſdictionem regēdi eccleſiam, quam eis promiſit dominus, poſt cœnam, iuxta vnā, expoſitionē, Diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnū. Sic Paulus ait ad Epheſios, Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos, regere eccleſiam dei quā acquiſiuit ſangui ne ſuo. Meminit eiuſdem & in epiſtola ad Epheſios ſcripta, quum ait, Ipſe dedit quoſdam quidem apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios vero euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad conſummationē ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationē corporis Chriſti. Et alibi ſic inquit, Et ſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, q̄ dedit nobis dominus in ædificationē, & non in deſtructionē veſtram nō erubeſcam. Atq; ad finē epiſtolæ dicit: ideo hæc abſens ſcribo, vt nō præſens durius agam ſecundum poteſtatem quam dominus dedit mihi. Quod autē huiuſmodi poteſtatem habeat, ipſe teſtatur, inquiens, Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & ſpiritu māſuetudinis? ¶ In hac adminiſtratione videm⁹ ſingulos apoſtolos ſuas habuiſſe prouincias certas & regna ſibi deputata. Iacobus enim maior, princeps fuit Hiſpaniæ. is etiam ſiquid minus habuit honoris hic in terra (quia primus ex apoſtolis propter fidem Chriſti ſupplicium ſuſtinuit & mortem) id ei penſauit deus *Act. 20.* *Ephe. 4.* *2. Cor. 5.* *2. Cor. 13.* *1. Cor. 4.* *Act. 11.*

post obitum. quoniam corpus illius & sepultura magna colitur veneratione, & maiore quidem quam vllius apostoli. Iacobus minor rexit Hierosolymis, vbi fuit episcopus, primus etiam qui celebrauit sanctum missæ sacrificium, sicut S. Synodus testatur. (c. Iacobus, de consec. distin. 2.) Philippus Scythiam gubernauit, Thomas Indiã. is enim vt durissimus fuit ad credendum, ita cæteris remotius ablegatus est. Matthæus Aethiopiam sibi vendicauit, Bartholomæus Armeniam & Lycaonyam. Simon primo Mesopotamiã, Iudas frater eius Aegyptũ, deinde vterque simul Persidẽ, Ioannes illustrauit Asiam, Matthias permãsit in Iudæa, Petrus Põtum vsque peruenit, hinc Bithyniam, Galatiã peragrauit & Cappadociam, ipsamque adeo Romam asseruit. Paulus quocunque locorum peruenit, ibi prædicauit Christum, nihil autem pene fecit reliquum ex vniuerso orbe, vbi nõ plantarit semina fidei, sicuti eius peregrinationes & profectiones supra in sua festiuitate satis luculenter explicauimus. ¶ Hic tamẽ duo præmonere visum est: alterum, quod quanuis apostoli omnes in apostolatu fuerunt æquales, potestatem tamen regendi non habuerunt æqualiter, sed Petrus in omni perfectione & plane vniuersaliter eã habuit, quam & accepit, quando à Christo pascere oues iussus est. *Ioh 20.* qua de re multa diximus in festo S. Petri. alij autem apostoli regiminis sui officium & potestatẽ habuerunt insingulis regionibus, vbi suã quisq; habuit diœcesim quemadmodum eis fuit inspiratũ diuinitus, sed adhuc tamen tanquam apostoli potestatem hanc vbiq; habuerunt quocunq; deuenissent. *c. ita domi nus dist. 19.* Sic Leo inquit ad episcopos prouinciæ, Huius muneris sacramentum, scilicet prædicare euãgeliũ in toto mũdo, ita domin⁹ voluit ad omniũ officiũ pertinere, & in beatissimo Petro omniũ apostolorũ summo principaliter collocare. vt ab ipso quasi à quodã capite dona sua velut in corpus diffunderet, vt exortẽ se mysterij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à soliditate Petri recedere. Non diuersum est qđ inquit Hieronymus cõtra Iouinianũ li. primo, *Hieron.* Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite cõstituto, schismatis tollatur occasio. ¶ Alterũ qđ hic diximus obseruãdũ, est, quod quãuis sicut potestas hæc spiritualis regiminis apostolatui est annexa, nõ tamen alligata illi, quoniã & successores apostolorũ habẽt eandẽ. sic papa tanquã successor

ſor Petri poteſtaté habet ſuper omnem eccleſiam, epiſcopi quoq; cæteri ſuper ſuã quiſq; diœceſim. Quãuis in apoſtolis fuerit gemina poteſtas regiminis, vna conſequés apoſtolatum, & illam exercebãt, in quemcunq; locum declinabãt: altera conſequens epiſcopatum, & ea erat certi loci, in qua ſuccedũt iam epiſcopi. Vide primatũ Petri, Eckij libro tertio cap. 43. Eadem eſt & ſententia Bedæ, apoſtolorũ ſucceſſores eſſe epiſcopos. ſic enim ait, Sicut duodecim apoſtolos formã epiſcoporum exhibere ſimul & prçmonſtrare nemo eſt qui dubitat, ſic & hos ſeptuaginta duos figurã presbyterorum, id eſt, ſecundi ordinis ſacerdotum, geſsiſſe ſciẽdum eſt. Atque ſic etiam Anacletus ait, In nouo teſtaméto poſt Chriſtũ dominum à Petro ſacerdotalis cœpit ordo. quia ipſi primo põtificatus in eccleſia Chriſti deus eſt. Et inde, Cęteri vero apoſtoli cum eodẽ pari cõſortio honorem & poteſtatem acceperũt, ipſumq; principem eorum eſſe voluerunt, qui etiam iubẽte domino in toto orbe terrarũ diſperſi, euangelium prædicauerũt. ipſis quoq; decedẽtibus, in locum eorum ſurrexerunt epiſcopi. Infra, Videntes apoſtoli meſſem eſſe multum, rogauerũt dominũ meſsis, vnde ab eo electi ſunt 72. diſcipuli, quorũ typũ gerũt presbyteri, atq; in eorum locum cõſtituti ſunt in eccleſia. Iuſtum conſcribi poſſet ſuper ea re volumẽ, ſed nos interim cõtrahamus vela, quia ſatis iam audiuimus apoſtolos principes & ductores eſſe eccleſiæ, atq; habuiſſe cõtraditum ſibi diuinitus regimẽ eccleſiaſticum, vt regerẽt eccleſiam, cultum diuinũ inſtituerent, quomodo omnia obſeruari deberẽt. ¶ Secunda poteſtas apoſtolica eſt, docere & prædicare euãgeliũ, lege nouã, teſtamentũ gratiæ. Legem enim veteré, legẽ timoris deſcripſerat iratus dominus in tabulis lapideis, nouã autem mitis & miſericors deus ſcripſit in cordibus carneis hominũ, ſicut per Ieremiam ante promiſerat, facturum ſe teſtamentũ nouum cum domo Iſrael, & legem ſuam daturum in mẽtibus eorum, atque deſcripturum in cordibus ipſorum. dominus igitur ipſe librum nullum ſcripſit, nec aliquod euãgelium, ſed bene deſcripſit in cordibus apoſtolorum, committẽs eis docere illud per vniuerſum mundũ, quãdo dixit, Ita & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docẽtes eos ſeruare omnia quęcũque prącepi vobis. Atq; hoc eſt quod dominꝰ dixerat eis, Vos eſtis

Beda.

c. in nouo diſt. 21.

Exo. 24. Iere. 31. Heb. 8.

Mat. 28.

Mat. 5.

sal terræ, sal sapiẽtiæ. ideoq́ dominus ait ad eosdem, Vos estis lux mundi: quoniã per ipsos dominus vniuersum illustrauit orbem terræ, cũ eorum doctrina, miraculis & operibus bonis. ¶ Hinc iam tertia sequitur potestas apostolorũ, quia poterant authoritate sua cõdere scripturam canonicã. Sic sanctus Ioannes euangelium scripsit, nũc si Christianissimus, imo mũdus conueniret totus, potestatem non haberet scribendi euangeliũ. Insuper, si martyres sancti omnes, cõfessores, doctores, virgines quoq; iã inde à tẽporibus apostolorum conuenirent, adhuc euangelium condere nõ sufficerent. Quodq́; maius est, si dicant aliquid quod credẽdũ siet, interim vero Ioannes cõtrarium affirmet, credendũ illud non esse, ibi sane S. Ioannis verbũ vnũ plus valebit, quã omnis omnium sanctorũ doctrina, causam iam ostendimus, quia in eorũ cordibus dominus scripsit euangelium, spiritus sanctꝰ eos edocuit omnẽ veritatẽ. Atqui omnis scriptura sacra oportet à spiritu sancto tãtũ proficiscatur, alias scriptura sancta nõ erit: ideoq́; apostoli sicut & prophetæ, certos scripserunt libros scripturæ sacræ. Quoniã sic ait Petrꝰ, Nõ volũtate humana allata est aliquãdo prophetia, sed spiritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti dei homines. ¶ Sic multi ex patribus volũt Marcum, eo quod apostolus nõ fuerit, nõ potuisse etiã scribere euangeliũ propria authoritate, sed tamẽ ecclesiã illud acceptasse ex cõfirmatione Petri, tãquam si ab apostolo scriptũ esset. vnde Hieronymus ait de viris illustribus, Marcus discipulus & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentẽ audierat, rogatus Romæ à fratribus breue scripsit euangeliũ. quod cũ Petrus audisset, probauit & legendum ecclesiæ sua authoritate dedit. Idẽ de S. Luca iudicium est, qui quãdo & ipse apostolus nõ fuit, sed vnus ex 72. discipulis, quorum nomina recensẽt Hieronymus ad Damasum, quia tamẽ individuꝰ fuit Pauli comes, sicut eius meminit Paulus nõ sine laude, quam illi esse plurimam per omnes ecclesias prædicat. Sic igitur ipsum quoq; aiunt scripsisse euãgelium sũũ, iubente Paulo, qui illud deinceps tradiderit ecclesiis. Hieronymꝰ de viris illustribꝰ, videtur addubitare. ait enim, Ob id excidisse quidã suspicantur, quotiescunq; in epistolis suis Paulus dicit, secundũ euangelium meũ, de Lucæ significare volumine. Quoniã sic ad Timotheũ ait, Memor esto dominũ Iesum Christũ resurrexisse à

Ioan. 16.

2. Pet. 1.

Hieron.

2. Cor. 8.

Hieron.

2. Tim. 2.

mor

mortuis, ex semine Dauid, secundū euangelium meū, in quo laboro vsque ad vincula. ¶ Quærat aliquis, Propria ne est potestas hęc solis apostolis, an ipsis cū quibusdā alijs cōmunis? Respondetur, quia potestas illa docēdi & prædicādi ad omnes apostolorum maxime pertinet successores. Vtinam quoq; nostri seculi pontifices grātiā haberent à deo tantam, vt curam agerent muneris prædicatorij & prædicatorū, vel prædicarent ipsi, sicut eos Bernardus præclare adhortatur, de consideratione ad Eugenium. Et tamen potestas hæc tam plena apud episcopos & prædicatores est, quam fuit penes apostolos, quia apostoli habebant id omne ex magistro spiritu sancto, qui tantā sapiētiam inscripserat cordibus eorū. vnde errare non poterant: omnes autem qui secuti sunt & si sancti fuerint, tamē labi potuerunt: ideoq; illi in seipsis fateri compulsi sunt verum esse hoc, quod ait Dauid, Omnis homo mendax, hoc est, vitiosus & defectu nō curet: sicut legimus nōnunquam sanctos dei homines errasse, Cypriānū martyrem, Papiā episcopum Hieropolitanum, Victorē episcopū Pictauiensem, Irenæum episcopū Lugdunensem. & Augustinus quoq; magnā doctrinæ suæ partem reuocauit, peculiari in hoc conscripto volumine Retractationum. Atq; ea ipsa sacrę scripturæ excellens est eminētia super omnia alia scripta, qđ ibi errari nō potest, reliqui autē scriptores falli possunt & fallere. Sic Augustinus ait, ad Hieronymū scribens, Ego solis eis scriptorū, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorē honoremq; deferre, vt nullum eorū scribendo errasse audeam credere: alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate polleant, non ideo verum putem quod ipsi ita senserunt, sed quia mihi ita per alios authores, vel canonicas vel probabiles rationes, quod à vero non abhorrent, persuadere potuerunt. Vide Ioannē Picum conclusione 1. apologiæ ad longum. 2 Etsi doctrina infallibilis penes aliquem purum hominem non inueniatur, communiter loquendo, ecclesia tamen apostolorum vestigia ingressa, quicquid generali cōcilio legitime cōgregato decernit, in eo errare non potest. siquidem & hic assistentem habet gratiā Christi & spiritū sancti, sicut ipse promisit, Ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Et alibi, Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi in medio eorū ego sum. Hoc est qđ pol-

Bernar.

Psal. 115.

Augusti.

Mat. vlt.

Mat. 18.

licitus etiam est Petro, Portæ inferorum non prævalebunt aduersus ecclesiã. portæ autẽ inferorũ, errores sunt & hæ-
August. reses. ideoq; præclare dicit Augustinus lib. 1. cõtra Pelagianos, Hæc est authoritas ecclesiæ, vt quisquis aduersus hunc insuperabilem murũ impegerit, in se conteratur. Vide contra Faustum lib. 11. & lib. 1. contra Donatistas, & de vnico baptismo lib. 1. &c. Hæc nimirũ fides illa est, de qua Chri-
Luc. 22. stus Petro dixit, Ego pro te rogaui, vt nõ deficiat fides tua. Reliqua remittamus ad scholas. Nos alio festinamus.

HOMILIA III. ET VLTIMA IN communi de XII. apostolis dei.

Constitues eos principes super omnem terram, &c. Psal. 44.

DISSERVIMVS hactenus charissimi, de vocatione, electione & confirmatione apostolorũ. cœpimus inde dicere, quid in se cõplectatur apostolatus. siquidẽ potestatẽ habuerunt apostoli regere ecclesiã, vniuersum mundũ docere, atque eius doctrinæ fuerunt longe certissimi, ita vt nequiuerint errare, iccirco soli illi potuerũt in nouo testamẽto scripturam condere euangeliorum, habuerũt enim primitias spiritus sancti, nunc porro reliqua quæ dignitatem apostolatus concernunt, prosequamur. ¶ Quarta apostoli
Rom. 8. officij maiestas & prærogatiua hęc est, quia fundamentum sunt ecclesiæ. licet nanq; præcipuũ illius fundamentum sit hoc, quod iam positũ est Christ⁹ Iesus, attamen ecclesia etiã super apostolos tanquã fundamẽta est extracta, sicut in A-
1. Co. 3. pocalypsi sua vidit Ioãnes, murum ciuitatis nouæ Ierusalem
Apoc. 21. habere duodecim fundamẽta, atq; in iis nomina duodecim apostolorum & agni. Agnus hic fundamentũ est vtiq;, sed ita, vt tamen apostoli quoque fundamenta sint proxime in Christo cõquiescentia. Ideo etsi vnicum sit ecclesię fundamentum principale Christus ipse, tamẽ gratiã hanc ille dedit apostolis, vt ipsi quoq; sint fundamẽta, quod apud prophetam dominus affirmat, dicẽs, Ecce ego mittam in funda-
Esa. 28. mentis Sion lapem, lapidem probatum, angularem, preciosum, in fundamento fundatum. vbi satis nobis demõstratur principale fundamentum Christus ipse, lapis angularis, de quo loquitur Petrus. (Vide & adhuc, si placet, atq; declara
1. Pet. 5. ex Paulo, quomodo fecit vtraq; vnũ. Ephe. 1. Fuit enim an-
Psal. 117. gularis ille lapis parietis Iudæorum & Gẽtilium.) Eo faciũt etiam

etiam fundamenta in Sion. fundaméta multa ſunt apoſtoli, vt ait Gloſſa ibidem. Fundamenta illa vidit in ſpiritu cœleſtis ille cõciuis Dauid, quum dixit, Fundamenta eius in mõtibus ſanctis, diligit dominus portas Sion. Vidit ille nimirũ ciuitatem Sion, cognouit quod diligit eã deus, & quod fundamenta ipſius ſunt in montibus. Qui autem ſunt montes? magni illi & præcelſi ſancti, qui in eccleſia eminẽt donis diuinis. ſed tamen nõ omnes mõtes ſunt fundamenta, ſed apoſtoli tantum, viri multum venerãdi, fundamenta ſunt eccleſiæ, quia ſuper eos fundata eſt eccleſia, & per ipſos in Chriſto, ſicut exponit Auguſtinus. Vis ſcire quod hæc ita ſint? audi quomodo princeps apoſtolorum poſitus ſit fundamentum eccleſiæ, cui dixit dominus? Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Inuident Petro gloriam iſtam neochriſtiani, qui ideo tantũ inimici ſunt eius, quia papa fuit. audiant autẽ iſti Paulum, qui ſtructurã eccleſiaſticam expedite cognouit, neque latuit illum quomodo poſitum ſit fundamentũ ſic autẽ ait ad Iudæos & Gentiles, Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorũ & domeſtici dei, ſuperædificati ſuper fundamentũ apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. En hic fundamẽtum tam apoſtolorũ in eccleſia, quam prophetarum in ſynagoga: quapropter & apoſtoli columnæ dicuntur eccleſiæ, vt ait Paulus de Petro & Ioãne & Iacobo, dicens quod exiſtimabãtur eſſe columnæ, quia cõfirmabant alios, totámq; fulciebant eccleſiam, quæ & ipſa columna & firmamentum veritatis appellatur. ¶ Merito autẽ apoſtoli columnæ dicuntur, quia ſic ait dominus, Quicũque vicerit, faciam eum columnã in templo meo. Atque hoc ipſum eſt quod eccleſia canit de apoſtolis, Iſti ſunt qui viuẽtes in carne, plantauerunt eccleſiam ſanguine ſuo. & ideo quum & ipſi ſint fundamenta, vocantur ab eccleſia vicarij Chriſti.

Pſal. 86.

Auguſti.

Matt. 19.

Epheſ. 2.

Calat. 4.

1. Ti. 4.

Apoc. 3.

¶ Quinta dignitas apoſtolorũ eſt, quod aſſeſſores illi erunt Chriſti in die nouiſſimo & iudices orbis, ſicut dominꝰ ipſe dixit. Qui quæréti Petro quale nã eos maneret præmium, quod relictis omnibꝰ ſequuti eũ eſſent, reſpõdit, Amen dico vobis, quod vos qui ſequuti eſtis, me in regeneratione quãdo ſedebit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicãtes duodecim tribꝰ Iſraël. Magna ſane dignitas eſt, ſummo aſſidere iudici in ampliſſi-

mo iudicio ſuper vniuerſum hũc mundum. Talis vero pro-
1. Cor. 6. fecto aſſeſſor ſiue iudex erit & Paulus, qui ideo dicit, Neſcitis quoniam angelos iudicabimus? Hinc puto enatam eſſe piam & laudabilem cõſuetudinẽ Chriſtianorũ, vt quiſque apoſtolũ habeat ſuum. Nã ſi in iudicio forenſi ſtudet quiſq; quã maxime propitios habere iudices, quur nõ omnes curemus diligentiſſime, vt ꝓpitios habeamus aſſeſſores & iudi-
Luc. 22. ces in illo extremo iudicio? Promiſit idem dominꝰ diſcipulis ſuis poſt cœnã, dicens, Diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnum, vt ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Et hoc illud eſt iudiciũ cõſcriptum, quod vidit in ſpiritu Dauid, quæ etiã gloria eſt omnibꝰ ſanctis dei. Idem alio Pſalmo ait, Ibi ſederunt ſedes in iudicio.
Pſal. 149. Pſal. 122. (Sedes accipitur pro iudice ſedente.) Vos itaq; dilectiſſimi religioſe colite ſanctos apoſtolos, cõmittite vos eorũ tutelę, inuocate eos ſedulo, & obſecrate vt ꝓpitij & clemẽtes ſint iudices veſtri: ipſi vobis quoq; gratiã à ſummo iudice Chriſto impetrent. Peculiare hoc munus eſt apoſtolorũ, nulli aliorum ſanctorũ infra eos cõceſſum, quia aliis dictũ eſt illud
Matt. 19. à domino. Omnis qui reliquerit domũ aut fratres aut ſorores ꝓpter nomẽ meũ, centuplũ accipiet. Ecce alij qui Chriſtum ſequũtur, relictis facultatibꝰ ſuis accipient centuplum, apoſtolis autẽ promittũtur ſedes iudiciariæ. O vos ſanctiſſimi apoſtoli Chriſti, tuq; adeo ſancte euãgeliſta & apoſtole domini Matthæe, gratiã mihi obſecro impetrare oẽs, &c.
¶ Sexta apoſtolatꝰ prærogatiua hæc eſt, quod apoſtoli euãgelium prædicauerũt per vniuerſum orbem. Magnum ſane quid eſt & admirandum, duodecim tantum homines totum impleuiſſe mundum euangelio Chriſti, Vidit & hoc ipſum
Pſal. 18. Dauid eſſe futurum, quũ dixit, Cœli enarrant gloriã dei, & opera manuum eius annunciat firmamentũ. Per cœlos Ambroſius intelligit apoſtolos. Auguſt. primũ ad euangeliſtas,
Ambroſ. Auguſti. & quod ſequitur, ad omnes refert apoſtolos, In omnẽ terram exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum.
Hieron. Hieron. per ceruos intelligit apoſtolos qui vniuerſum mũ-
Eſaiæ 35. dum peragrauerunt, atque alludit ad illud Pſalmi, Vox do-
Pſal. 28. mini perficientis ceruos. (Non me præterit quod Auguſti-
Auguſti. Origen. nus in epiſtola ad Eſitiũ, & Origenes ſuper Matthæum, magis inclinant ad cõtrariam ſententiam, propter barbaros ad quos venit Auguſtinus, qui de nulla lege audierant loqui.)

Fuit

Fuit autē hic grandis labor, in tam remotis regionibus prædicare, siquidem per totum orbem prædicatum est euangelium ante mortē apostolorum. Id ita esse, & prædicationis ipsorum sonitum peruenisse in vniuersum mundū, hinc liquet, quia principio hoc sic eis iniunxit dominꝰ, Ite in orbē vniuersum, inquiens, & prædicate euāgelium omni creaturæ. Cōmissionem huius præcepti impleuerūt apostoli ipsi, ita vt nequeas discere, eos hoc tandem impleuisse per successores suos, quia fuit præceptū hoc personale, sicut manifeste testatur Paulus, dicens, Quomodo inuocabunt in quem nō crediderunt? aut quomodo credent cum nō audierunt? quomodo autem audient sine prędicāte? Equidē dico, Nunquid nō audierunt? & quidē in omnem terrā exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorū. Ecce quod & Paulus vult omnes iam homines audisse euangelium in tempore suo, & prophetiam Dauidis esse impletā. Sic concludit etiā Chrysostomus, sic & Augustinus de Ancona, ad lōgum hęc recitat, atque per Originem nititur cōcordare Augustinū cum Chrysostomo, qui vult euangelium esse prædicatū per vniuersum mundum per apostolos & eorum discipulos, atque illos septuagintaduos ante excidiū Hierosolymitanū: sicque vbiuis gentium prædicatum esse euangelium Christi, aut certe quocunque locorum peruenisse sonum euangelicum. (Ideo Origenes notanter ponderat voculam, sonus, quia ex auditu perceperunt in vicinia prædicari euangelium.) Atque hoc ita esse, quod breui à deo tēpore apostoli mundum vniuersum, auxiliante gratia dei, repleuerint euāgelio, inde colligi potest, quod vnicus ille Paulus in plurimis locis prędicauit. ex Asia enim in Europam profectus, per vniuersam Græciam disseminauit euāgelium, prædicando, scribendo, disputando. Si ergo expendatur, quomodo ex Arabia profectus sit, Iudæa, Samaria, Syria, Cilicia, Galatia, Lycaonia, Pamphylia, Ionia, Phrygia, Pisidia, Caria, vsque in Græciā, Thraciam, Macedoniā, Atticam, Peloponesum, & inde Romam vsque, vnde adhuc voluit abire in Hispaniam, vt ipse testatur ad Romanos scribens, quantū prædicarunt eius apostoli, quos ille vndiq; instituit episcopos, & illorū discipuli rursus? Quot gentibus prædicauit Thomas? quot nationibus annunciarūt euangeliū reliqui apostoli, Matthæus, Bartholomæus, &c, in AEthiopia, Persia, India etiā Calicuti?

Mar. 16.

Rom. 10.

Chrysost.

Origen.

Rom. 15.

Hierusalem age tibi propone, vnde egressum est euangeliū, vsque ad fines orbis versus occidentem, quia sanctus Sauianus in Gallia quatuor templa erexit, viuente adhuc Petro, Senonis, quę tunc metropolis erat Galliarū, vnum in honorem Mariæ, secundū in veneratione Ioannis Baptistæ, tertium Stephano, quartum Petro sacrum. siquidem ille ratus erat eum esse mortuū, quem vbi cōpertum est adhuc viuere, dici cœpit templum illud ad Petrum viuentem. In eo sæ
Lyra. pius fui, qui scripsi hæc, inquit Lyra super caput decimū ad Romanos. & multi alij sancti in diuersis locis prædicarunt. Templum sancti Benedicti Parrhisiis ędificatū est anno 41. post mortem Christi. (Vide Ioānem Maioris in 4.) Quum igitur fides nostra ita se extenderit à Hierusalem versus occidentem vsque in Galiciam ad Cōpostellam, vbi quiescit sanctus Iacobus ad fines terræ, quur non pie sit credendum eodem modo in aliis plagis siue cardinibus mundi vsque ad orientem, meridiem & septentrionē, viuentibus adhuc apostolis, euangelium esse prædicatum? Maternus, Valerius & Eucharius à sancto Petro missi sunt in Germaniam. Idem
Coloss.1. roboratur ex verbis Pauli qui dicit, Propter spem quę reposita est vobis in cœlis, quā audistis in verbo veritatis euāgelij, quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mundo est & fructificat & crescit. Accedit huc & Glossa quędā super Lu
Luc. 10. cam, vbi dicitur. Designauit dominus & alios septuaginta-
Glossa. duos, inquit Glossa, septuagintaduo discipuli mittuntur ad prædicandum, quia totidem mundi gentibus & totidē linguis prædicandum erat. Hinc remansit opinio vulgaris, septuagintaduo esse in mūdo supremas siue capitales linguas.
¶ Sunt qui putent euangelium non vsque ad cardines mundi tam remote peruenisse viuentibus apostolis, & adducunt
Matt.24. in hoc verba Christi ex Matthæo, quę tamen pro nostra sententia & apostolorum honore magis facere patebit. Quum enim excidium templi prædixisset apostolis dominus, ita vt non remansurus esset lapis super lapidem, sequitur, Prædicabitur hoc euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio non mundi vtique, sed ciuitatis Hierusalē & templi. (Vide Au-
Actu.1. gustinū de Ancona, quęstione 85. articulo primo.) Cōcordat cum hoc quod dixit in die ascensionis ad apostolos, quā-
do eis præcepit, à Hierosolymis ne recederent, donec acci-

perent

perent virtutē ſpiritus ſancti, ſubdit, Et eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in Iudæa & Samaria, & vſque ad vltimum terræ. Quis autē dubitet chariſſimos Chriſti miniſtros apoſtolos, commiſſionem hanc conſtanter non impleuiſſe?

¶ Sexta apoſtolorum dignitas eſt ipſa virtus miraculorum, quoniā qui noua & inaudita prædicabant, eos decebat, etiā noua & ſtupendia operari, ſuſcitare mortuos, cęcis viſum & ſurdis auditum reſtituere. Poteſtatē hanc eis dedit dominus partim apud Matthæū, quando conuocauit ad ſe duodecim illos, & dedit eis poteſtatem ſuper ſpiritus immundos, vt eiicerent eos, & curarent omnē languorem. Hoc autem magis confirmauit Chriſtus in die aſcenſionis, vbi dixit, Signa eos qui crediderint, hæc ſequentur, linguis loquētur nouis, in nomine meo dæmonia eiicient, ſerpentes tollent, &c. Hæc omnifariam ipſo facto impleuerūt apoſtoli, ſicuti ſingulorum vitæ teſtantur, & bona ex parte Lucas enarrat in Actis apoſtolorū. Petrus enim claudum natum iam quadragenarium ſanauit, Aeneam paralyticū octennem curauit. In Ioppe quoque Thabitam mortuam reſuſcitauit. Inſuper in lectulis deportabantur infirmi in plateas, vt prætereunte Petro, ſaltem vmbra eius adumbraret & ſanaret illos. Per manus quoque Pauli, inquit Lucas, virtutes quaſlibet faciebat deus, ita vt etiam ſemicincta eius & ſudaria deportarentur ſuper infirmos, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebatur. Ex vmbra igitur Petri & ſudariis atque ſemicinctis Petri colligimus, Chriſtū affatim & vbertim ſeruaſſe, quicquid ꝓmiſit apoſtolis, quib⁹ ille dixit poſt cœnam, Amen amē dico vobis, qui in me credit, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora iis faciet. At qui de miraculis plura diximus in feſto aſcenſionis domini. Potes adhuc plura addere, quæ includat apoſtolatus, ſcilicet quod ſunt annunciatores pacis, ſicut eccleſia canit, Portantes pacem & illuminātes patriam. Lucæ 10. In quācūque domum intraueritis, primum dicite, Pax huic domui. Sicut vniuerſalis pax fuit in aduentu Chriſti, ſic angeli pacē annunciauerunt in hymno angelico. Et Chriſtus vocatur princeps pacis apud Eſaiam nono. Quia pax dei exuperat omnem ſenſum, Philippenſes tertio. Extende, vt noſti, item aliud priuilegiū apoſtolicū, quod fuerunt vocati ad ſtatum familiaris cōuerſationis cū Chriſto, & reuelationis ſecretorū. Nam

Mar. 16.

Actu. 3.

Actu. 10.

Actu. 5.

Actu. 19.

Ioan. 14.

post bonorum abdicationem, acceperunt potestatem clauium, omnium commissionem, ecclesiæ prolationē, & mysteriorum apertionem. Beati oculi qui vident, &c. Lucę 10. aliud item priuilegium apostolatus cofirmati, est certitudo quam habebant post spiritus sancti misionem de eorū perfectione in gratia, quo ad statum vitę, & in gloria quoad statum patriæ 2. Petr. 1. & 2. Timot. vlt. & ad Romanos 8. At breuitatis studio, omnia illa sciens & volens prætereo.

¶ Vltima apostolorum dignitas est, quod authores primiq; compositores fuerant professionis fidei nostræ, quam quotidie orantes offerimus deo, Credo in deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terrę, &c. Formulam hanc fidei descripserunt apostoli nondum diuisi per orbem, vt sic concors esset fidei professio, vnde & symbolum illud dicitur apostolorum, quoniam illi singulatim per articulos hoc modo digesserūt fidem nostram, quæ inde multo est antiquior euangeliis postea tandem descriptis. Sæpe meminit eius rei Augu. maxime in peculiari libello, vbi scripsit libr. quarto, ad catechumenos, & alium de fide & symbolo. Ille etiā hāc sæpe vocat regulā fidei nostræ, sicut ait in responsione tertiæ q. Dulciti, Huic proculdubio sententię cōueniet, quod in regula fidei confitemur, venturum dominū, iudicaturum viuos & mortuos: atq; ab initio, inquit, putat quod sufficiat fides symboli, qua confitemur Christum à patris dextera esse venturum ad viuos & mortuos iudicandos. Ad catechumenos sic inquit, Accipite fili j regulam fidei, quod symbolum dicitur. & quum acceperitis, in corde scribite, & quoti die dicite apud vos: antequā dormiatis, antequā procedatis, vestro symbolo vos munite. Meminit idē illius etiam in sermone primo pro vigilia pentecost. & sermo 2. in dominica palmarum. Docet hoc quoq; Ambr. Symbolū, inquiēs, specialiter debemus tanquā nostri signaculum cordis, antelucanis horis quotidie recēsere, (lib. tertio de virginibus, colum. 6.) Ruffinus insuper qui super symbolum hoc scripsit, ait, Parentes nostri nos docuerunt apostolos accepto spiritu sancto, quum iam vellent ab inuicem proficiſci, antea tamē generalem futuræ prædicationis regulam constituisse. Quomodo autem quilibet apostolus articulum suum posuerit, non quidem consentiunt doctores, nos tamen potiora dispiciemus, Amen.

Bonauentura

BONAVENTVRA

Petrus	1	*Credo in deum patrem omnipotẽtem, creatorem cœli & terræ.*
Andreas	2	*Et in Iesum Christum filium eius vnicũ dominum nostrum.*
Ioannes	3	*Qui cõceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine.*
Iacobus maior	4	*Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.*
Thomas	5	*Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis.*
Iacobus	6	*Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram dei patris omnipotentis.*
Philipphus	7	*Inde vẽturus es iudicare viuos & mortuos.*
Bartholomæ.	8	*Credo in spiritum sanctum,*
Matthæus	9	*Sanctam ecclesiam catholicam,*
Simon	10	*Sãctorum communionem, Remissionem peccatorum,*
Thaddæus	11	*Carnis resurrectionem,*
Matthias	12	*Et vitam æternam.*

AMEN.

AVGVSTINVS in hunc modum distinxit, serm. 2. Palmarum.

Petrus	1
Ioannes	2
Iacobus maior	3
Andreas	4
Philippus	5
Thomas	6
Bartholomæus	7
Matthęus	8
Iacobꝰ Alphæi	9
Simon	10
Iudas Iacobi	11
Matthias	12

¶ Alij adhuc aliter ordinant, vt est videre in Aureolo, Alexandro de Hales, Scoto, Bonauentura. Scotus ita contexuit. Petrus dixit 1. Credo in deum patrē omnipotentē, creatorē cœli & terræ. Ioannes dixit, 2. Et in Iesum Christum dominum nostrum, filium dei vnigenitum. Iacobus ait, 3. Qui cōceptus est de spiritu sancto, natꝰ ex Maria virgine. Andreas inquit, 4. Qui passus est sub Pontio Pilato, cruxifixus, mortuus & sepultus. Philippus dixit, 5. Descendit ad inferos. Thomas inquit, 6. Tertia die resurrexit à mortuis. Bartholomæus dixit, 7. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram dei patris omnipotētis. Matthæus ait, 8. Inde vēturus es iudicare viuos & mortuos, Iacobus Alphei dixit, 9. Credo in spiritum sanctū. Simon inquit, 10. Credo in sanctā ecclesiā catholicam, Sanctorum cōmunionē. Iudas Thaddæus inquit, 11. Peccatorum remissionē. Matthias cōclusit, Carnis resurrectionem & vitā æternam, Amen. Ego, si liberæ essem electionis, ordinarem apostolos, sicut fecit Aug. articulos vero dirigerē ad modum Bonauenturæ. Sunt tamē adhuc alij modi. sufficiat quod in symbolo apostolico conuenimus. ¶ Ad extremum quum satis iam multa audiuimus de sublimitate apostolatus, reliquum est, vt dissoluamus illud quod obiter iam supra tangere cœpimus, an etiam Paulus sit apostolus. quod si ita esset, sane viderentur, plures esse apostoli quam duodecim, & sic nos vnum adhuc articulum fidei desideraremus. De Paulo quidē dubiū nemini esse potest, quod sit apostolus, si modo eius epistolæ penitius cōsiderentur: quia sic ad Romanos ait, Paulus seruus Iesus Christi, vocatꝰ apostolus. Et in c. 11. apostolū se vocat gētium. Idē scribens Galatis, & ad Corinth. sic ait, Paulus vocatꝰ apostolꝰ Iesu Christi per voluntatē dei. Vt igitur res hæc quoq; de apostolatu fiat dilucidior, dicimus de apostolatu tribus modis, vel etiā quatuor, si Hiero. sequamur, dici posse. ¶ Primum quidem apostolos dicimus eos qui in sanctum hunc numerū duodecim à Christo sunt electi, tanquā proxima mēbra corporis Christi, tanquā cooperatores illius in ædificio & plātatione ecclesiæ, atq; eo modo 12. tātum sunt apostoli, sicut & euāgelia testātur, & veteris testamēti figuræ adumbrāt. Atq; hinc à numero Germani vocāt apostolos, q ex Græco idiomate missi siue nuncij dicuntur, Hebræi Silam nuncupant.

2 Adhuc tamē de apostolis loquētes, intelligimus eos qui

licet non ſint in numero illorum duodecim, attamen ipſis ſociãtur in omni dignitate, priuilegio & munere æquãtur, tanquam ſi etiã ipſi exnumero duodenario eſſent apoſtoli. ſic Paulus & Barnabas vocãtur apoſtoli, qui quanuis nõ fuerint ex iuſto numero, neq; in communi cum aliis vocatione tamen poſtea ſunt in æquale apoſtolici muneris cõſortium ſegregati, ſicut ſpiritus ſanctus iuſsit ſegregari ſibi Paulum & Barnabã in opus ad quod ſuſceperat eos. Sic Paulus quoque factus eſt apoſtolus à deovocatus, & reliquis duodecim æquatus. atq; inde Ambr. & Leo comparant Paulum cum Petro in feſtiuitatibus ipſorum. 3 Apoſtoli quoq; dicuntur, quotquot dominum viderunt in carne, ac deinceps eum prædicarunt & annunciarunt. Sic Hierony. putat loqui & intelligendum etiam Paulum, quum ait Chriſtum apparuiſſe Iacobo, quingẽtis fratribus & omnibus apoſtolis. Sic Paulus ipſe inquit ad Philippenſes. Neceſſarium exiſtimaui Epaphroditum fratrem & cooperatorem & commilitonem meum, veſtrum autem apoſtolum, & miniſtrum neceſsitatis meæ, mittere ad vos. Sic eccleſia Timotheum & Titum credit eſſe apoſtolos. Vide Hieronymum Gal. 1. Col. 1.

4 Poſtremò apoſtoli dicuntur, quotquot à deo miſsi ſunt ad nunciandam veritatem. Sic prophetæ vocantur apoſtoli, ſicut de Eſaia dicit dominus, Quem mittam? & quis ibit ad populum iſtum? Ad Moyſen quoq;, Veni, mittã te ad Pharaonẽ, &c. Sic Ioannes Baptiſta dicitur apoſtolus, quia miſſus eſt à deo. Et in vniuerſum apoſtoli vocantur omnes illi, qui aliquibus primi annunciarunt fidem Chriſti, quomodo Greg. apoſtolus dicitur Anglorum, Dionyſius Gallorum, S. Bonifacius Germanorum, S. Rupertus Baioariorum, S. Narciſſus Auguſtanorum, S. Kilianus Frãconum, S. Maternus Alſatiorũ, S. Eucharius Treuirẽſium, S. Colmãnus Auſtriæ, Vigilius Tridentinorum, S. Staniſlaus Polonorum, & Caſimirus rex Poloniæ apoſtolus dici poteſt Lituanorum. Neq; tamẽ interim iſti pertingunt ad maieſtatem & amplitudinem duodecim illorum, quos Chriſtus ex vniuerſo mũdo elegit, vt eſſent fundamenta & columnæ eccleſiæ, eamq; plantarent doctrina, exemplo, poteſtate quoq; ſibi à Chriſto tradita, & ad extremũ ſanguine ſuo. Hos igitur pio ſemper affectu proſequimini & colite, vt interceſſores vobis eſſe dignentur propitij apud Chriſtum iudicem, &c. Amen.

Eſa. 6.
Exod. 3.
Ioan. 1.

Stola iocunditatis induit eum dominus, coronam pulchritudinis posuit super caput eius. *Eccle. 45.*

(Nostra lectio diuersum habet.)

SI qua est virtus, quam homo habere potest in hoc seculo, perfecta, modisq; omnibus cõsummata ea vtiq; est dilectio dei, qua quis ardẽter deum diligit super omnia, sicut eam Paulus celebrat & laudat omnium maxime ad Corinthios. In nullo autem opere magis obseruatur illa dei dilectio, quam in subeundo martyrio, quum Christianus propter nomen domini & fidem in illũ potius se tradit in mortem quã vt abneget. Atqui feruentius se diligere deũ quisq; velut ex instituto profitetur, quo magis propter eum ré sibi chariorem relinquit, & sustinet aliud quiddã molestius. Quid autem homini naturaliter charius esse potest ipsa vita? sic ait Iob, Pellé pro pelle, & omne quodcunq; possidet, dabit pro anima sua, hoc est, vita sustentãda. Nihil quoque naturaliter magis formidat homo cũ grauiore horrore, quã mortem, quæ ex horribilibus omnibus rex maxime exhorribilis ideoq; opus hoc est summæ tum charitatis tum perfectionis, de quo ait dominus. Maiorem charitatem nemo habet, nisi vt animam suam quis ponat pro amicis suis. Atque ideo communis hæc est sanctorum patrum decisio, quod status martyrum coram deo perfectior, cæteris paribus, quam vel virginum vel cõfessorum. Siquidem quo durior pugna, & conflictus acerbior est, eo honestior efficitur victoria. preciosa enim mors sanctorum ante cõspectũ domini, quia per hoc martyr ecclesiam vniuersam docet & confirmat, sicut dicit Ambros. Martyr quum patitur, non sibi soli patitur, sed etiã aliis. sibi patitur ad præmium, cuilibet in exemplum sibi ad requiẽ, cuilibet ad sanitatem. Multum quoque deus in martyribus cõmendatur, dum eorum supplicia veneramur: quia laus ipsorũ, laus & gloria Christi est, propter quẽ passi sunt. Vnde Aug. ait, Non admiramur quod passi sunt. sed propter quem passi sunt. igitur nõ pœna in laude, sed fides est in honore. propter eiusmodi certamen gloriosum merito coronantur à deo, iuxta illud Pauli, Nemo coronatur nisi qui legitime certauerit. Et talé coronationem

1. *Cor.* 13.

Iob 2.

3. *Ethic.*

Ioan. 15.

Psal. 115.

Ambro.

Augusti.

1. *Timo.* 2.

præuidit

præuidit in ſpiritu Sapiens, quum ait, Stola iucunditatis induit eum dominus, coronam pulchritudinis, &c.

Euangelium ſicut in die S. Sebaſtiani, vel S. Laurentij, vel S. Mauritij.

NIHIL hic mihi, dilectiſsimi, animus eſt dicere de ijs, qui ſolo animo & voto cupierũt eſſe martyres, neq; facti ſunt ipſo opere, ſicut de ſancto Martino canit eccleſia, O ſanctiſsima anima, quã etſi gladius perſequutoris nõ abſtulit, tamẽ palmã martyrij nõ amiſit. Nihil inſup, de eo dicẽdũ mihi ſumo, ſicut Hieronymus loquitur de latrone Diſma, Chriſtus inuitauit eũ de cruce ad paradiſum, & ne quis aliquãdo ſerã conuerſionem putaret, fecit homicidij pœnã martyriũ, c. importuna de pœ. diſt. 1. ſicut interdum perfecta opera bona hominis Chriſtiani, ſuſcipiunt appellationẽ martyrij. id quoq; miſſum numero facimus, quoniã aduerſa tolerare patiẽter, ex animo condolere afflictis, etiã martyriũ eſt, ſicut Paulus fecit, qui de ſe dicit, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcãdalizatur, & ego non vror? ſic Gregorius ait. Ferre contumelias & odientẽ diligere, martyriũ eſt in occulta cogitatiõe. Omne autẽ illud martyriũ generaliter vſurpatur, quod opera iſta martyribus multum videantur eſſe ſimilia. Sed illi demum proprie ſunt in portu martyrum, qui mortem ſuſtinent violenter inflictã propter deũ vel virtutẽ dei, de quibus Paulus ait, Diſtenti ſunt, nõ accipiẽtes redẽptionẽ, vt meliorẽ inuenirẽt reſurrectionẽ, Alij vero ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tẽtati ſunt, & in occiſiõe gladij mortui ſunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus nõ erat mundus, in ſolitudinibus errantes, & in mõtibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ. Sic ſenior ille Ioãnes quæ ſiuit, Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt & vnde venerunt? quod quum neſciret Ioãnes, reſpondit ſenior, Hi ſunt qui venerũt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni. ideo ſunt ante thronũ dei, & ſeruiunt ei die ac nocte. Magna illorum eſt turba, collecta ex omnibus populis & tribubus, & linguis. Teſtatur enim Hieronymus tẽpore ſuo fuiſſe martyrum illorum, qui ſuo iam tẽpore innotuerunt, numerum tantum, vt cuique diei cedant & tribui

Ad Damaſum.

1. *Cor.* 12.

Gregor.

Hebr. 11.

Apoc. 7.

posſint quinq; eorũ milia, dempto circuncisionis die. Quot
Hieron. autẽ fuisse credemus martyres Hieronymo nõ satis cognitos? Quantũ iam inde à tẽporibus Hieronymi accesſit huic sancto exercitui martyrũ annis plus nongentis? Et ideo quia martyres morte sua Christũ sunt sequuti, triũphales coronas meruerunt de manu dei. Sed nos ne longius euagemur, videam⁹ principio quinã sint martyres, & quid requiratur ad hoc vt aliquis sit martyr. ¶ Principio itaq; ad martyrem pertinet certa supplicij sui causa. siquidẽ nõ omnis siue pœ-
1. *Pet.* 4. na siue mors martyrem facit: iuxta illud Petri, Nemo vestrũ patiatur vt homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorũ appetitor. si aũt vt Christianus, nõ erubescat, glorificet magis deum in isto nomine. Sed quod aliquis gloriã martyrũ assequatur per supplicium quod patitur, oportet pœnã causari ex aliqua sequentium causarum, prima est, pati & mori pro fide Christi, ipsoq; adeo domino Iesu. quod qui faciunt, ij demũ veri martyres sunt. Siquidẽ martyr ex Græco, testem nobis sonat. Præcipui ergo illi sunt testes, qui pro testimo-
Rom. 10. nij sui vera professione mortẽ nõ formidãt, sicut necessariũ est, vbi tẽpus & locus hoc requirẽt, dicẽte Apostolo, Corde creditur ad iustitiam, ore autẽ fit confessio ad salutẽ. Parati in hoc esse debent omnes Christiani, subire & perpeti mortem in persequutione Christianorũ suorũ, qualẽ resuscitabit Antichristus aduersus ecclesiã, sicuti sane periculum est præ foribus imminere tempus illud. sic apostoli pasi sunt,
Matth. 2. cũ gaudio euntes à conspectu cõcilij, quod digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati. ¶ Altera passionis causa est, propter Christũ vel etiã loco ipsius, quẽadmodum paruuli innocẽtes sunt occisi, in quibus singulis tyrannus putabat se Christũ occidere. nam super aquã baptismi dominus deus gratiã dat paruulis in ecclesia, ita per sanguinẽ illum quẽ profuderunt paruuli loco ipsius, coronã eis & gloriã martyrij contulit. de quibus multa iã supra diximus, siquidem Christũ quæsiuit tyrannus in paruulorũ sanguine & membris. ¶ Tertia ratio est, quum quis ob dilectionẽ &
1. *Pet.* 2. salutẽ proximi patitur, quo Christus caput est martyrũ omniũ, vt ait Petrus, Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplũ, vt sequamini vestigia eius, portauit peccata nostra in corpore suo super lignum, vt nos mortui peccatis, viueremus iustitiæ cuius liuore sanati sumus. sic quilibet

in pote-

in poteſtate ſublimiori cõſtitutus, ponens animã ſuam pro ſubditis, martyr vtiq; eſt. ¶ Quarta ratio hęc eſt, vbi quis moritur propter legẽ diuinit⁹ acceptã, ſic martyres adhuc colit eccleſia Machabęos illos fratres ſeptẽ, quos quũ cogere niteretur res Antiochus, vt ſuilla carne veſcerẽtur cõtra legẽ, ipſi vero reſiſterẽt fortiter, tyrannus vni poſt aliũ pręcidi fecit linguã, pellẽ abripi, manus & pedes amputari, tandemq; eos in lebete bulliẽte torquere & perire, ad extremũ matrem ipſi interfici. Et quãuis illi in veteri adhuc teſtamẽto paſsi ſunt, nõdum reſerata ianua cœli, tamen quia ſimili pariq; forma ſuſtinuerunt ſupplicium atrox & cruentum, ſicut martyres euãgelici, inquit Bernardus, Quod eis negauit tẽpus, cõceſsit martyrij forma. quia eo modo paſsi ſunt, quo & martyres noui teſtamenti. ¶ Ratio quinta, ſi patitur aliquis propter eccleſiam & eius immunitates atque prærogatiuas, ſicut ſanctus Thomas Cantuarienſis à nobilibus cõfoſſus eſt in Anglia, eo quo repugnaret ipſis violenter conantibus bona eccleſię diripere, ſibiq́ue vſurpare. Defuncto illi iamq; occiſo, quũ fratres ei⁹ exequias peragere vellent, ſicut pro defunctis fieri cõſueuit, inceperunt angeli cãtare, Lætabitur iuſtus, miſſam de martyre decãtari ſolitam. Sic plane oppoſuit ſe S. Ambroſius imperatori, volenti bona eccleſię ſimili exẽplo abripere, ſiquidẽ ille multa admodum perpeſſus eſt propter baſilicã. tu ipſe eũ cõſule in oratione cõtra Auxentium lib. 5. & epiſtolas ad Valentianum Imperatorẽ & Marcellianam ſororem. ſic autẽ ait epiſcopus ille vere pi⁹, Si rapis, ſi deuoras, ſi acceperis, ſuſtinebo. Si autem extẽderis manum tuã ad ſanctuarium dei, ibi me ſacerdotem inuenies. ¶ Cauſa ſexta ea eſt, ſi quis propter iuſtitiã deo exhibitã occidatur, ſicut Abel à Cain interfectus eſt eo tantum, quod iuſtus eſſet & ſacrificiũ iuſte deo obtuliſſet, atq; ideo gratus eſſet deo. Auguſtinus ait virginẽ & ſacerdotẽ & martyrem eũ fuiſſe, quia ab ipſo Chriſtus incepit colligere & Iudęis exprobrare ſanguinẽ martyrũ. Trã ſcripſit hoc idem ex Auguſtino de mirabil. ſacræ ſcripturæ lib. 1. Gratianus 23. q. 4. nimium. ¶ Beati, inquit dominus, qui perſecutionẽ patiũtur propter iuſtitiã, quoniã ipſorum eſt regnũ cœlorum. Et ſane quotieſcũque vir bon⁹ propter iuſtitiã iudicatur vel à vulgo vel tyrãno, parata eſt ei gloria felicitatis æternæ, vt inquit Petrus, Beati eritis, ſi quid

Ioan. 10.

2. Mac. 7.

Bernar.

Ambro.

Gene. 4.

Auguſt.

Mat. 24.

Mat. 5.

patimini propter iuſtitiam. Septima porro cauſa eſt, quum
Mar. 6. quis patitur ob confeſsionem veritatis. ſic Ioannes Baptiſta ſupplicium mortis ſuſtinuit, quod dixerat Herodi, Non licet tibi vxorem fratris tui habere. Ibi ſtatim eum in vincula cõiecit Herodes. Herodias quoque ex inuidia decolari ip-
Iere. 42. ſum curauit. ſic martyr factus eſt & Ieremias propheta, quẽ populus lapidauit qui fugerat in AEgyptum, eo tãtũ quod eis dixerat profectionẽ ipſorũ eſſe aduerſus deum, qui ideo
Hieron. eſſet ſupplicio affecturus, ſicut teſtatur Hieronymus. Sic Eſaias quãuis ſtirpe nobiliſsima natus, tẽpore Manaſſes re-
Auguſt. gis ſerra diſſectus eſt medi⁹ in duas partes. Atq; hinc Auguſtinus dicit, Diſcernendum eſt, qui & pro quo patiãtur. & erũt martyres, ſi pro veritate quæ Chriſti⁹ eſt, patiantur, & legitime coronẽtur. ¶ Poſtremo triplicẽ exponunt doctores martyris dolorẽ, quoniã nõnulli tantũ exaſperantur in corde, & patiũtur animo. ſic paſſa eſt virgo mater ſub cruce
Luce 2. filij ſtans: iuxta prophetiã Simeonis, Tuã ipſius animã pertranſibit gladius, ſic Hieronymus inquit, Ex dolore quẽ de morte filij habuit, pluſquã martyr fuit. Probant hoc ipſum doctores ratione (vt Hales, Lyra, Richardus & alij) quia tanto amarior fuit compaſsio Mariæ ſuper alios martyres, quãto paſsio ipſius magis fuit in ſpiritu & anima, vbi ſuſtinuit illa, quæ à tortore gladio paſsi ſunt martyres in corpo-
Ioelis 2. re ſicq; impleta eſt prophetia Ioelis, Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinẽ. ſol enĩ iuſtitiæ Chriſti⁹, in morte ſua conuerſus eſt in tenebras: luna autẽ Maria in ſanguinẽ per ardentiſsimam cõpaſsionẽ. ¶ Alij martyres præcipue patiuntur in corpore, interimq; ſpiritu mirabiliter reficiũtur per gratiã dei, ſicuti ſanctus Laurentius ardentibus prunis impoſitus corpore, in ſpiritu tamen conſolationẽ habuit. ſpiritus ſancti, adeo vt prunæ ei viderentur eſſe roſæ. Eodẽ modo ſanctus Tiburtius, ſancta Barbara, ſancta Margareta,
Act. 7. Stephanus quoq; in corpore ictus dum ſuſtinebat lapidũ, in ſpiritu tamen vidit Ieſum ſtantẽ à dextris virtutis dei, vnde animus eius immẽſam cõſolationẽ ſuſcepit. Huiuſmodicõſolationẽ & ſpirit⁹ dulcedinẽ ſubtraxit diuinitas benedictę
Tomo 1. animæ Chriſti, ſicut in eius ſupplicio dictũ eſt. Cæterũ tertius modus ſuſtinẽdi paſsionẽ, eſt ille, quando doloris acerbitas nõ tantũ in corpore, ſed etiã in ſpiritu ſentitur, ſicut in Chriſto accidit, qui quanuis grauiſsima pateretur ſupplicia

in cor

in corpore ob ipſam conſtitutionis eius ſubtilitatē, attamen dolor ſpiritus in immenſum fuit maior, quo ille pro omnibus totius mundi peccatis ſatisfecit, ſimulq; agnouit paſſionē ſuā nō ſolū in Iuda & Iudæis, verum etiā in tot milibus Chriſtianorū effectu carituram, ſicut in paſſione ad longū dici ſolet. neque enim temere de magnitudine paſſionis & acerbitate doloris cōqueritur dominus per prophetam, dicentē, O vos omnes qui trāſitis per viā, attēdite & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut eſt dolor meꝰ. Quēadmodū autē deus Chriſto nomē dedit ſup oē nomē, ipſumq; ſuperema gloria coronauit, ita etiam martyres coronauit corona decoris & pulchritudinis, de qua plura ſequēti diſſerem⁹ homilia, &c. *Thre.1.* *Philip. 2.*

ALTERA HOMILIA IN *communi de ſanctis martyribus.*

DE IMMENSO illo gaudio, qđ martyribus ſuis præparauit deus, humana infirmitas etiā cogitare digne nō ſufficit, tantū abeſt vt dicere & exprimere ſatis ꝓ dignitate poſſit. tāta enī eſt beatorū merces, vt dimēſionē nō recipiat: tā multa, vt nequeat numerari: tā plena, vt finiri nō poſſit: tā p̄cioſa, vt nemo digne eſtimare queat illā. Et quāuis admodū multa paſsi ſunt ſācti martyres hic in terra, attamē vniuerſa ea ſupplicia nulla ſunt, ſi cū beatitudine cōferantur: iuxta illud Pauli, Non ſunt cōdignæ paſsiōes huiꝰ tēporis, ad futurā gloriā quę reuelabitur in nobis. Quantū aūt nobis ſpiritus ſanctus in ſacris literis manifeſtauit, animus eſt hic ꝓſequi. & principio conſtat martyres à deo coronari vt alios beatos oēs corona aurea quæ ipſa eſſentialis eſt beatitudo, cōſiſtēs in viſione & fruitione diuinæ eſſentiæ, vel etiā gaudiū eſt, qđ habēt beati ex p̄ſentia eſſentię dei. omnes enī beatos, reges facit deꝰ & coronatos, ſicut Ioānes teſtatur, inquiēs, Feciſti nos deo regnū & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terrā. In cauſa eſt, quia poteſtatē dedit nobis dominus filios dei fieri. regis aūt alicuius filius merito coronā geſtat tradito ſibi patris ſui regno, qm̄ ſic dicet dominus electis ſuis, Venite benedicti patris mei, ꝑcipite regnū qđ paratū eſt vobis ab origine mūdi. Ad hoc deſignandū inoleuit mos ille in eccleſia, vt ſancti pingātur inſigniti diademate. quāuis illud cōmuniter nonp modū coronæ. ſed inſtar ſcuti ſolet depingi, eo qđ ſancti in profectione cōmorantur altiſſimi, iuxta illud, Qui habitat *Rom. 8.* *Apoc. 5.* *Ioan. 1.* *Mat. 25.*

Pſal.90. in adiutorio altiſsimi, in protectiõe dei cœli cõmorabitur. ¶ Huiuſmodi corona coronat⁹ eſt à deo Moyſes dicẽte Sapiẽte, Corona aurea ſuper mitrã eius, expreſſa ſigno ſanctitatis & gloria honoris. Atq; hæc ipſa corona ſanctis omnibus eſt cõmunis, quãuis nõ ęqualiter: quo enĩ quis plus meruit, honeſtiorem coronã à deo accipiet. Et illud ſane gaudiũ aureæ coronæ tantũ conſiſtit in ipſo deo & diuinę eſſentię perfectione, quia ſolus deus & prẽterhũc nemo, nullaq; in vniuerſum creatura poteſt hominis animũ aut angeli exatiare ira, vt quũ intuentur eſſentiã, bonitatem, ſapien-

Eccl. 45. tiam & potentiam dei, &c. 2 Neq; vero tantum corona aurea ſanctos ſuos coronat deus, ſed inſuper adhuc alia aureola, quum doctores aiunt eſſe gaudiũ beati, conceptum ex operibus quæ excellentis victoriæ habent rationem ſiue reſpectũ. ſicq; deus in corpore beati peculiarẽ faciet ornatum, qui ſit ſignũ illius interioris gaudij, principaliter quidem futuri in anima, ſed quod tãdẽ inde diffundetur in corpus. ¶ Suntq; adeo aureolæ illæ tres, quia non omnes ſancti acquirũt aureolã, ſed martyres tantũ, & doctores quoq; eccleſiæ & virgines. Sicut ergo equites aurati liberiorẽ habent poteſtatem geſtandi aurũ quam cæteri, ita qui fortiter decertarunt, habebunt in cœlo ſingularẽ ſuæ victoriæ ornatum, aureolam ſcilicet. Nã ea inferior eſt beatitudine eſſentiali. deſumptus autẽ eſt numerus aureolarũ ex numero militiæ ſpiritalis, ſiquidẽ Chriſtiano certandũ eſt aduerſus mundum, carnem & diabolum. Ex iis martyres excellenter ſuperant mundum, quãdo omnem eius gloriã & voluptatẽ contemnunt, ſuſtinentes perſecutionẽ vſq; in mortem. Virgines præ cæteris carnem domant, dũ ſibi tẽperant à carnis illecebris ſimul & operibus. Doctores diabolũ vincũt, dum eum eiiciũt per verbũ dei ex cordibus hominũ. (potes etiam adaptare tribus viribus animæ ſcilicet rationali, quam vincunt doctores, docẽtes captiuandum intellectũ in obſequiũ fidei: concupiſcibili, quam vincunt virgines, abſtinendo illecebris carnis: & iraſcibili, quam vincũt martyres, nõ reſiſtendo perſecutori, aut eũ inuadendo, ſed patiẽter violentiam tolerando.) De tribus illis nos ex ordine dicamus, & principio de aureola martyrũ. Quę ſane erit inſigne quoddã corporis ornamentũ in cicatricibus vulnerũ, aut alias in corpore, quo veluti ſigno ab angelis & beatis alijs dignoſcẽ

tur,

tur, quia mortem sustinuerũt propter deum vel propter iustitiã & veritatẽ, & sicuti causas illas iã supra recensuimus. ideo martyres nõ solum similitudinarie assequũtur aureolam, sicut mortificantes carnem, agentes cõtinuam pœnitentiam, pauperes spiritu voluntarie, & pueri in fornace Diceres, atqui S. Martinus tyrãni persecutionem nõ sensit, & tamen palmam martyrij nõ amisit. Ioannes quoque per martyrium non cõsummatus, sed tamen in oleum est repositus propter nomen Iesu à tyranno Domitiano. Respondetur, quoniam vbi manifestã scripturam nõ habemus, ibi aliquid constanter nõ possumus asserere, neque testimonium habemus diuinæ reuelationis vel decisionẽ ecclesiæ. Id ex sacris literis edocemur, martyres peculiarẽ habere aureolã. vtrum autem ij aut isti habeant, nos certo nõ scimus. sunt enim qui putant Ioannem martyrem nõ fuisse, atque id colligunt ex eo qꝙ dominus dixit Petro, Tu me sequere, neq; hoc voluit dicere ad Ioannem.) Alij volunt Ioannẽ quoque assequutũ eum aureolã martyrum. probant hoc ex eo, qꝙ Christus dixit ad ipsum & fratrem eius, Calicem meum bibetis. calicis autem nomine in sacris literis passio intelligitur, authore Hieronymo. Et horum sententia aureolam martyrum consequentur nõ tantum, qui passione consummati sunt, sed & qui supplicia sustinendi voluntatẽ habuerunt, & quibus tyrannus quantum quidem in ipso est, pœnam inflixit, quam passuri illi, cõmuni cursu naturæ mortui essent, vnde tamen diuino auxilio protegente sint liberati, neque hinc eis quicquam decedit de gaudio aureolæ. sic Ioanni voluntas fuit prompta in corde, cõfessio fidei in ore, martyriũ in corpore, tyrannus exterius, vt sic nihil defuerit ei ad mortem, nisi gratia dei, quæ ei non ad defectũ, sed incremẽtũ gratiæ profuit. illeque sic calicem Christi bibit. Simile est de iis, qui licet non in passione mortui, statim tamen spiritum postea suum ex supplicio obtulerunt, vt S. Vincentius, S. Timotheus, S. Vitus & alij plures. Vel etiam vbi aliqui in exilium relegati, vel in carceribus sunt mortui, sicut ecclesia Martinum papam pro martyre veneratur, quum tamen in martyrio mortuus non est: quia qui eum gladio transfodere parabat, subito cæcus factus est, ipse autem in exilio feliciter migrauit ad dominum. sic etiã quicũque pro fide Christi vltro crucem suscipiunt, & cõtra infideles pugnando occiduntur,

Ioan. 21.

Matt. 20.

Hieron.

aureolam vtique martyrũ acquirunt ex ſententia quorundam, quæ multũ fauoris habet & clementiæ. alij enim perſeuerant in eo, quod primo loco diximus, illos tantum qui propter martyrium moriuntur voluntarie, aureolam adipiſci. Itaque ſi quis defendere ſe paret, vt in bello Turcico, is non acquiret aureolam martyrum. (Et ideo excellentior eſt fortitudo, quæ fit ſine contrapugnatione, quam quæ fit cum cõtrapugnatione. nam eccleſia creuit ſub martyribus, quando non cõtrapugnabant. ſed poſtquam Chriſtiani inceperunt cõtrapugnare, cœpit imminui, primo ſub Saracenis, vbi perdidimus totam Aphricam, Arabiam, AEgyptũ, & terrã ſanctam: deinde ſub Turca, vbi perdidimus Aſiam minorem, totam Græciam, Bulgariam, Seruiam, magnam partem Hungariæ & Dalmatiæ.) ¶Sic ſanctus Mauricius cum ſociis ſuis noluit ſe defendere, in hoc vt palmam martyrij cõſequeretur. Chriſtianus quidam traditus fuerat Lõgobardis, vt refert Gregorius lib. 3. dial. occidendus, qui data ſibi optione, vt quam vellet eligeret mortem, noluit aliquam eligere, ſed offerebat ſe patienter ſuſtinere velle mortem quãcunque deus ei immitteret. Viciſſim ſanctũ Oſualdum credit eccleſia martyrem, quanuis in pugna ſit occiſus. & in S. Stephani inuentione legitur, Nicodemum à Iudæis magiſtratu ſuo priuatum, ex ciuitate eiectum, ſemimortuũ quoque cæſum. ſed quia nõ inde mortuus eſt ille, verum in pace migrauit, Gamaliel eum pro martyre nõ iudicauit. ſiquidem & ſolus ille calathus qui Stephani corpus monſtrabat, roſas habebat rubras, reliqui albas. quo arguebatur, ex 4. illis vnicum conſequutum eſſe aureolam martyrum. ¶Vide hiſtoriam. De iis igitur qui multa propter fidem ſuſtinuerunt ſupplicia, quæ tamen eis non intulerunt mortem, neſcio, an aureolam conſequuti ſint martyrum. ſiquidem & Germani iſti Longobardi S. Benedictum in ardentem fornacem proiecerũt atque ille interim ab eccleſia pro confeſſore colitur, nõ martyre. Ad hæc dicere non audeo, deum eis aureolam nõ dediſſe, quæ magna futura ſit temeritas. hoc vnum ſcio, quod deus opus bonũ nullum ſinit irremuneratum, quódq; gaudia beatorum maiora ſunt, quam ipſi cogitare poſſimus in cordibus noſtris, iuxta illud Pauli ex Eſaia, Oculus nõ vidit, ne auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparauit deus iis qui diligunt illum.

S. Mauricius.

Gregorius.

1. Cor. 2.

Eſa. 64.

¶Ad

¶ Ad alteram obiectionem de S. Martino, etsi ipse ab Arrianis Mediolani indigne tractatus & cęsus est, neque semel martyrium appetit sicut & sanctus Franciscus. de quo canimus, Martyr. & S. Dominicus, & S. Antonius de Padua, aliique complures, ea sane voluntas bona à deo irremunerata non relinquitur in æterna gloria, sed non ideo consequuti sunt illi aureolam martyrum. quamobrem verba illa ecclesiæ, quod nō amiserit Martinus martyrij palmam, quo ad auream, sunt accipienda, gaudium. s. essentiale beatitudinis, non quo ad aureolam hanc specialem sanctorū martyrum. Inuenire est apud quosdam doctores, palmam esse peculiare quoddam symbolum in vita æterna, quia sicut corona radici tribuitur diuinæ charitatis, aureola excellenti alicui operi datur, ita palma operis illius bonæ voluntati ascribitur. sic sanctus Franciscus ter emenso mari, cupiebat ab infidelibus occidi. sed deus eum miraculose conseruauit ad martyrium vitæ durioris, & quod signaturus eum esset stigmatibus passionis suæ. ¶ Secunda aureola doctorū est, qui alios erudiunt in fide, quam tamen non omnes doctores habebunt, sed ij tantum, qui viam docent salutis, qui prędicant semitem verā ad vitam. (oportet quod actu prædicent & propellant ignorantię tenebras, vel publice legant salubria animæ.) ideoque ad hanc turbam illumq; chorum sanctum nihil faciunt theologi isti ignaui, qui se non exercent. multo minus Iuristæ huc pertinēt, procul vero procul hinc arcentur tabulæ forenses, qui linguam tantum circunferunt venalem. Nihil cum hac sancta doctorum caterua cōmune est medicis aliisque scientiarum quarumcunque professoribus, sed tantum prædicatores iustitiæ aureolam hanc habebunt, modo gloriam dei & animarum quærant salutem, nō lucrum, nō quæstum appetant, nō venentur inanem aliquā gloriolam. Et de huiusmodi doctoribus inquit Daniel, Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas ęternitates. Lucem enim inferunt cordibus fidelium, vincentes per hoc diabolum, Quamobrem militię suę merito aureolā gestant, insigne aliquod decus in corpore suo, vel ore, vel etiam lingua. Huiusmodi aureolas habent apostoli, doctores quoque vt Dionysius, Chrysosto. & alij. magnaque confessorū turba qui diligenter prædicarunt & docuerunt.

Bonauen.

S. Fraciſc.

Dan. 12.

Matt.19. ¶ Aureola porro tertia virginum est vtriusque sexus, de quibus ait dominus, quia castrauerunt seipsos propter regnum dei. Et, qui potest capere, capiat. Accepturos autem eos aureolam peculiare præ aliis hominibus, promisit dominus per prophetã, dicentem, Hæc dicit dominus Eunuchis, *Esa.56.* Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meũ, dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomẽ melius à filiis & filiabus, nomẽ sẽpiternum dabo eis & quod nõ peribit, Ecce quanta hic pollicetur dominus eunuchis, hoc est, eis qui vouerunt perpetuam seruare castitatẽ. tales enim virgines scriptura & Christus ipse vocat eunuchos. neque tamen chorũ hunc introibunt omnes virgines, siquidẽ paruuli prius moriẽtes quam habeãt vsum rationis, aureolam hanc nõ acquirant, quia nõ militant in hoc vt cõcupiscentiam carnis vincant, neq; plenum habent propositum semper virginitatem seruendi (dicis, virginitas ei infunditur in baptismo, respondeo, vel non infunditur, quia nõ est necessaria ad salutem: vel si infunditur, ei nõ debetur aureola, quia illa debetur actui & operi, non priuationi vel habitui) Ad hæc virgines istæ quæ nubere cupiunt, aureolam hanc nõ habebunt, quanuis volũtatem illam in aliud propositum vertere, & virgines fieri possint deo placentes (volo dicere, integra corpore si proponit velle contrahere, amittit virginitatem cui aureola debetur. non enim est bonus victor, qui cogitat aliquando velle cedere hosti. perdit tamen virginitatem recuperabiliter, quia proponendo se nõ velle cõtrahere, recuperat eam) nõ secus atque quũ quis in die quo indictũ est ieiunium, sibi apponit nolle ieiunare, & tamen antequã comedit, mutata voluntate, *Matt.11.* ieiuniũ decernit se velle seruare, adhuc præceptum ecclesiæ non transgreditur, sicut in parabola dominus ostendit, quando paterfamilias dixit ad filium, vt iret operatum in vinea. qui recusauit, & tamen mutato animo abiit operari. ¶ Atque ideo doctores dicunt, Etsi Abel virgo fuerit, sicut *Augusti.* & Augustinus testatur, aureolam tamen virginum cõsequutus nõ est, quum propositum habuerit ducere vxorẽ. Aliter se res habet de Elia & Ioãne Baptista. Atque sicut de Hieremia ait Hieron. *Hierony.* In matris vtero sanctificatus ille, virginitate sua euãgelicũ virum Christi ecclesiæ dedicauit, quod ipse ex singulari iure cum instinctu spiritus sancti in virginali

nali castitate sese cõtinuit. nam in veteri testamento nõdum erat tempus virginitatis, quia pauci erant verũ deum agnoscentes, ideoq; oportebat pauculos illos non cõseruari tantum, sed & augeri. Quamobrẽ vitiosum habebatur corã hominibus sterilem esse, sicut historia Ioachim & Annæ testatur, & ploráns illa Anna Samuelis, satis indicat, dolens quoque Rachel, & vetula ista Sara. ¶ Porro adhuc volũt doctores virginibus illis non deberi aureolã, quæ rem in suspenso relinquentes, ignorant, malint ne castitatẽ vouere an nubere marito. Tales enim constantes non sunt in proposito suo vincendi carnem, sed pro incerto rei exitu animum quoque suum mutabilẽ gerunt. in iis tamen laudi tribuitur illud, si tam honesto & liberali sint animo, vt extra coniugiũ nolint virginitatem amittere. Dominus quoque in euãgelio commemorat quinque virgines fatuas, quæ etiam aureolã hanc pretiosam nõ acquirent. de iis plura diximus in homilia circa festum S. Barbaræ & S. Agnetis. Virgines quidem illæ dicuntur, sed fatuæ sunt, quia etsi virginitatẽ custodiãt, finem tamen debitum non habent cui innitantur, cuiusmodi sunt quæ virginitatẽ seruant ob petulantẽ aliquam & lasciuam gloriam, sicuti plerũq; fit vt aliqua casta maneat tantũ propter honorẽ, metuens vt nõ ne cõfusa, fiat fabula vulgi. Inepte sane & parũ recte. In hoc albo sunt, quæ libertatis amore nubere conténunt, timétes ne domino nubant, nõ marito, seq; in seruitutẽ præcipitent. Nihilo plus laudis mœrentur, quæ ad seruandã virginitatẽ coguntur, à parentibus detrusę in monasteriũ, quę si sint liberę, ad choreã magis properent quã ad cucullã. Aut si sit aliqua. cui nõ suppetant facultates, vt pro sua stirpe nubat pari, sicut vsu venire solet circa magnas familias in ciuitatib⁹, vbi pauperculę ciues, vetulæ fiunt virgines. Affectũ tamen hũc in rectius emendare atq; in deum dirigere possunt, vt si qua metu parentum ingressa est monasteriũ, faciat ex necessitate virtutẽ, atque voluntatẽ suam offerat deo, vouens se in gloriã dei animæq; suæ salutẽ, velle ibi manere neq; inde recedere. Tũc sane talis accedit numero virginũ prudẽtium, dum lãpadem suam iterũ sursum versus erigit in deum, habebit in ea oleum. (ne offendãtur corda simplicium & aures piæ nõ scãdalizentur. consulo non multum in sermonibus publicis insistẽdum de corruptis moribus iuuencularũ, quæ etsi carnis signaculum

1. Reg 1.

Mat. 25.

retinent incorruptũ, tamen variis modis carnales voluptates volũtariæ experiuntur. ſed in cõfeſſionibus, cum magna cautela tamẽ, eſt inquirendũ, ne doceãtur turpia, quæ forſitan alioquin nunquã veniſſent eis in mentẽ. Magna hic prudentia opus eſt, certum eſt, per libidinem & incentiuum fomitum, multa turpiſſima fieri. tamen in interrogationibus modus adhibendus eſt.) Vt ergo tandẽ finiam, quæcunque perſona vtriuſlibet ſexus ſibi ipſi proponit perpetuam ſeruare caſtitatem in honorẽ dei & animæ ſuæ ſaluté, ſiue tandem voueant virginitaté vel non, ſiue in cœnobio degãt aut in mundo, aureolam virginum cõſequitur, ꝓpter illam eximiam victoriam, quã habent aduerſus domeſticum hoſtem, carnem ſcilicet, contra quam bellum nõ vt martyres breue, ſed longum peneq́ cõtinuum gerunt, atque ſic ſunt velut quotidiani quidã martyres. Nũc rogate dominũ deum, &c. ¶ Memini me ante annos 21. ſermonẽ feciſſe in Vualkirch ad ſyluã Herciniã, de S. Margareta, adducto in hoc themate Cant. 2. ſicut liliũ inter ſpinas, ſic dilecta mea inter filias Hieruſalẽ. ibi explicaui quomodo quelibet virgo dici poſſit lilium, propter ſplendorem ſimul & odorem, cuiuſmodi lilia creſcunt in agro domini habet autem lilium folia ſex. ¶ Primũ virginitatis foliũ, ſobrietas eſt, cõtinẽtia cibi ac potus. Tit. 2. Dañ. 1. Luc. 3. Eccl. 31. ¶ Spina pungẽs & ſuffocãs folium hoc, ebrietas eſt, Eph. 6. Prou. 20. C. vinũ luxuriosa res eſt, diſt. 35. vt patet in Lot Geñ. 19. de filiis Iob, Iob 1. Romæ mulieres nõ bibebant vinum. ¶ Secundum virginei huius lilij folium, cultus ſeu habitatus eſt decẽtior 1. Tim. 2. ſicut Heſter c. 14. & Niniuitarum, Ionæ 3. Ioãnis, Matth. 3. ¶ Spina autẽ quæ ſolium hoc deterit, laſciuia eſt & petulãtia veſtiũ, Mat. 6. hinc oriuntur tot noui cultus iam diſciſſarum, iam exciſſarũ veſtium, hinc fucus & lenocinia. L. item apud Lebeonẽ, Sanctã virginẽ. ff. de iniuriis & lib. fa. Vulgare eſt quod ex plumis cognoſcitur auis plerũq; in fœlicem ſortitur exitũ, Eſa. 4. diues Luc. 16. & Soph. 1. ¶ Folium tertium, cuſtodia ſenſuũ eſt, puta viſus & auditus. ſtatim impingũt, qui vagabũdos oculos in omnes angulos, ꝓiiciũt 32. q. 5. nõ ſolo. Impudicus oculus, impudici cordis eſt nuncius. Viſus prima linea amoris. Corrũpunt bonos mores, 1. Cor. 15. ¶ Spina folij huius curioſitas eſt, cum ea ſint laſciuia virgines, vt velint videre omnia, admirabũdæ quid ei ſinguli dicant.

cant. Gallina si nido careat, nidulatur in vrtica Dina Gene. 34. Ambrosius super Luc. 1. & Dauid, 2. Reg. 11. ¶ Quartū folium est sermonis honestas, Hieronymus & Matth. 12. ex abundantia cordis. ¶ Spina huius, loquacitas est, quando ceteres nimis sunt in effutiendo, lasciua carmina cantant, literas amatorias scribunt, vel ab aliis scriptas accipiunt. ¶ Folium lilij huius quintum, est fuga proximæ occasionis peccati. Qui picem tāgit, Eccl. 13. Thamar, 2. Reg. 13. ¶ Spina est, sese dedere in periculum peccādi. stramina si ignibus admoueas, quid vetat quo minus ardeant? ¶ Sextum & vltimū huius lilij folium, est operatio virtutum, Hieronymus Psalm. vbique. ¶ Spina eius, ocium est, quamobrem magni etiam principes filiabus & vxoribus suis labores imponunt. Extēde illa cum historiis & authoritatibus sacræ scripturæ, & habebis popularem sermonem egregium.

IN DEDICATIONE TEMPLI, EVANGELIVM Lucæ 19.

In illo tempore, Egressus Iesus per ambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zachæus, & hic princeps erat publicanorum, & ipse diues. & quærebat videre Iesum quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrēs, ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum, quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus, vidit illum, & dixit ad eum, Zachæe, festinans, descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicēres quod ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autē Zachæus, dixit ad Iesum, Ecce dimidium bonorum meorū domine do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum, Quia hodie salus domui huic facta est, eo quod & ipse filius sit Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.

HOMILIA PRIMA.

IAM hodie soléniter templi huius cōsecrationem celebramus charissimi, cui festo euangelium hoc aptatur, propter verba quę in eo dixit dominus. Hodie salus huic domui facta est, nam & nos

credimus hoc cuilibet templo euenire in sua dedicatione.
nos igitur vbi prius euangelium explicauerimus, de templi
Ambro. dedicatione nonnihil differemus. ¶ Paulò antè hoc euange-
lium scribit Lucas dominum quendam sanasse cæcum, vbi
ait Ambrosius, Zacheus in sycomoro, cęcus in via, quorum
alterum dominus miseraturus expectat, alterum mansionis
Tom.1. suæ claritate nobilitat de Iericho antea diximus, Atque in
hoc itinere multa miracula operatus est dominus. Neq; ve
ro publicanus tantum erat hic Zachæus, sed & supremus
atq; adeo princeps aliorum, vnde nullus gratia dei desperare debet, qui modo conuersionem & emendationem sibi proponit, de publicanis itidem sæpius disputauimus. siquidem omnes præfecti officiis, quæ sine peccato peragere nō poterant, publicani dicebantur. sic telonearij eius temporis emebant vectigalia à magistratibus, deinde pro suo arbitrio vrgebant & opprimebant miseros, quæ res etiam hodie miseranda est, neque tolerari debet, quum enim sic officia vendunt superiores, nihil aliud faciunt nisi coactores & oppressores pauperum. ¶ Doctores ostendunt defectus tres quos telonarij habuerunt, nam & vectigalia extorquebant ab iis etiā, qui immunes erāt, à ministris dei, sicut & ab ipso Chri
Matth.17. sto acceperunt tributum. Quapropter ille Petrum rogauit, reges gentium à quibus tādem acciperent tributum. 2. deinde longe plus accipiebant quam ipsum per se vectigal habebat. 3. quia vias neque struebant, neque in pace conseruabant. Inuenias istiusmodi homines adhuc multos, qui tamen publicani appellari nolunt. Zachæus princeps erat, forsitan sub se habens ministros alios plures, aut etiā quia multorum vectigalium curam gerebat. Insuper desiderium magnum Zachæus habuit videndi dominum, ideoq; tā propitius fuit illi, vt prius videret eum quam videretur ab ipso.
Theoph. sic enim omnibus in locis, vt inquit Theoph. præuenit nos dominus, si tātum nos alacres & promptos videat. Zachæus si prius vidisset Christum, iam diu peccata reliquisset, nunc autem cupit eum videre. Multi qui in peccatis commorātur diutissime, si veniant ad homines pios & timentes deū emēdari possent. Zacharias autem non potuit assequi quod voluit præ turba, quia plurimos impediūt peccata, quo minus perueniant ad dominum, dum sui quisque peccati ex alieno exemplo prætextum quærit & excusationē, immemor eius

quod

quod Aug. dicit, Non minus ardebit qui cũ multis ardebit. Eadem hæc turba paralyticum impediuit, quo minus veniret ad aquas piſcinæ. Præ turba non poterant, qui geſtabant paralyticum, venire ad dominum. Turba ſuo tumultum fecit vt dominum morti adiudicaret Pilatus. Quid igitur mirum, ſi turba peccantium impediuit Zachæum? Altera cauſa quur non viderit ille dominum, hæc eſt, quia ſtatura puſillus erat. Quærit Ambro. Quid ſibi vult, quod nullius alterius ſtaturam niſi huius expreſsit ſcriptura? reſpondet, forſitan quia adhuc malitia vel etiam fide puſillus erat. *Ioan. 5.* *Mat. 9.* *Matt. 27.* *Ambro.*

2 Zachæus cõſilium inuenit quomodo voluntatem ſuam expleret, præcurrens, aſcendit in arborem ſycomorũ. Quãdiu in turba hominum erat, Chriſtum videre nõ potuit: vbi primum aſcendit vltra vulgi intellectum, vidit quẽ voluit. Myſtice quilibet Chriſtianus aſcendere debet ſuper arborẽ crucis, & paſsionem Chriſti in ea cõtemplari, ideoq; ficum fatuam ſiue ſylueſtrem hic vocat, quoniam Iudæis ſcandalũ erat, crucem prędicare & crucifixum, Gentibus autem ſtultitia, nos autem vltro debemus ignominiam crucis portare cum Chriſto, qui & ipſe viam hanc ingreſſus eſt. (extende ad placitum, eſt enim facile de ſuſcipienda cruce: quæ, quia ex ficu eſt fatua, nõ erit ſine dulcedine.) Quumq; dominus veniſſet in locum iſtum, ſuſpiciens vidit Zachæum. Ad hoc enim inquit Amb.) aduenit Chriſtus, vt ex lignis nõ poma, ſed homines naſcerentur. ſiquidem Nathanaëlem vidit ille ſub ficu, quoniam ſynagogam repræſentabat quæ ſub lege erat: Zachæum autem ſupra legem exiſtentem vidit in arbore, vbi euangelium deſignatur. Chriſtus etenim ſuo obtutu miſericordiæ Zachęum adduxit ad renouationem & emendationem vitæ ſuæ, quomodo & Petrum reſpexit negãtem ſe. ¶ Dixit igitur ad eum dominus, Zacheæ, feſtinans deſcẽde. Ibi ſane diuinam ſuam omniſcientiam arguit, quoniam ipſe regionis eius ignarus, nouit tamen Zachæum, quẽ proprio ſo cõpellat nomine. quumq; cognitor eſſet cordium, præſciuit etiam bonam ſuam voluntatem, & ſeipſum inuitauit ad eum, dicens, Hodie in domo tua oportet me manere. Vulgare eſt quod dici ſolet, Chari ſunt hoſpites qui ſeipſos inuitant. Hic iam dominus cœpit diligere Zachæum ſecundum præſentem iuſtitiam, quem ſemper dilexerat ſecũdum æternam prædeſtinationem, quamobrem etiam ſe inuitauit *1. Co. 1.* *Ambro.* *Ioan. 1.* *Matt. 26.*

id ipſum. O felicē hominem, ad cuius animā hoc modo dominus ſe offert venturum. Antiquus antea erat in ædib⁹ Zachæi hoſpes, qui multo iam tēpore ſibi ius hoſpitij vēdicauerat. ſed eum expellere volens dominus vltro ſeſe obtulit
1. *Ioan.* 3. hoſpitē. ſic Ioannes inquit, In hoc apparuit filius dei, vt diſ-
Luc. 11. ſoluat opera diaboli. Extēde quomodo Chriſtus fortis ſpoliauit diabolum. ¶ Zachæus vltro paruit domino, feſtinans
Theoph. enim deſcendit, & ſuſcepit eum gaudens. Non ignauus erat neq; deſes, ideo & nos parati eſſe debemus, quandocunque nobis dominus aliquid præcipit, quāuis multi hic cōtra dominum murmurabant. Alacriter faciēdum eſt quicquid vel deo propter deum pauperibus impenditur, quia hilarem da
2. *Co.* 9. torem diligit deus. ſic nimirū hilaris fuit hic Zachęus, etiam
Luc. 7. ſi alij ideo murmurabāt quod Chriſtus ad hominem peccatorem diuertiſſet, ſicuti & faciebāt Leui Matthæo, quando ad eum veniſſet dominus, ſed murmuratores iſti non conſiderarūt infinitam dei miſericordiā, quæ ſe ſuper peccatores quoq; & Gentiles extēdit, ſicut in ſpiritu præuidit Pſalmiſta, dicens, Memor ero Raab & Babylonis ſcientium me.
Pſal. 86.

3 Zachæus miſſa aliorum murmuratione, ſuo ſemet pede
Ambro. dimetiēs, atq; ſtans ante dominum, dixit, Dimidium bonorum meorum do pauperibus. Diſcant hic, ait Ambr. non in facultatibus crimen hærere, ſed in iis qui vti neſciunt facultatibus. nam ſicut diuitiæ ſunt impedimenta malis: ita bonis exiſtunt adminicula virtutum. vnde Zachæus dimidium bonorum ſuorum pauperibus erogauit, inſuper ſi quē defraudaſſet, ei quoq; reddebat. Diſcāt hic diuites, q⁹ vbi multa bona corraſerint iniquis contractibus, menſuris, pōderibus & vlnis falſis fefellerint miſeros, ſatis non eſt ſi imaginem aut ſtatuam crucifixi, ſiue tabulam pictam erexerint, ſed adhuc
Theoph. bona inique parta reſtituenda ſunt. Vnde Theoph. hic ait, Docet nos Zachæus nullum eſſe lucrum, ſiquidem habēs ex iniuſtitia pecunias aliis miſereatur, relictis illis quos iniuria
Exod. 21. affecerat. Zachæ⁹ reddit in quadruplo, vt ſatisfaciat iis quos offenderat. atq; ſic non damnum tantum reponit, ſed cū augmento, ſicut & in legetur tenebatur in quadruplo reſtituere. ¶ Sequitur inde quam pulchre & præclare euangelicus factus ſit hic Zachæus, dum dimidium bonorum dedit pauperibus, & quadruplum reſtituit iis quos falſo deceperat. Quantulum ergo ei remanſit, qui ſe totum denudauit? ſicq;

nudus

nudus nudum ſequutus eſt Chriſtum, quanuis hinc facile colligitur, Zachæum valde diuitem fuiſſe in bonis, quæ vel hæreditario vel alio iuſto titulo acquiſierit, ſiquidē non potuiſſet alias dimidium dare pauperibus. Duo hic præ cęteris diligentius cōſiderāt doctores: alterū, quod primo loco Zachęus opus miſericordię receſet in eleemoſyona, quū tamen ante omnia etiā opera pietatis, reſtitutio debiti & ablati p̄cedat, ſed ob immēſam miſericordiæ virtutē, & quia opus illius tātopere placet deo, ideo hic præcedit, quāuis in cōſummatione operis pri⁹ ille ſatisfecit offenſo. Deinde teſtatur Theophylactus præparatū illū beneć; inſtitutū Zachæi animū propēſam & bonam ſuā arguere volūtāte: dum ait, do & reddo, nō promittit futurū, vt multi auari, qui reſtitutionē iniuſte ablati differūt in extremā ſenectutē, ſemper procraſtinātes, & aliud ex alio cras promittentes quod nunquā præſtant: tandē vero quum hæredibus iniungunt, penitus actū eſt. Quilibet igitur ipſe maturi⁹ reſtituere debet bona iniuſte parta, ſimiliter & eleemoſynas & alia opera bona in flore inſtituere: iuxta illud Sapientis, Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi, quum ſtatim poſſis dare. Et alibi, Cor inopis ne afflixeris, & nō protrahas datū anguſtiāti. Hoc quoq; cōſiderāt doctores, qđ proprie ait Zachęus, Si quē defraudaui. qua cōditione annexa, declarat ſe timuiſſe dominū in defraudando proximū & in fraude vitāda, quātū licuit per officiū publicani. Et hoc forſitan dominus reſpexit, quod apud ipſum præ alijs diuertit. *Theoph.* *Prou. 3.* *Eccl. 4.*

4 Audiens miſericors dominus benignū & iuſtum Zachæi animū, euangelizat ei ſaluté, dicens, Hodie ſalus huic domui facta eſt, eo quod & ipſe filius eſt Abrahæ. quaſi diceret, Hodie das, hodie acquiris ſaluté. filiū vocat Abrahæ ob ſimilitudinem morū, ſiquidem vterque ex fide iuſtificatus eſt, vterque pauperum amator. Vide tu hic mutationem magnā dexteræ excelſi. Principio euangelij Zachæus princeps dicitur publicanorū, iam vero filius Abrahæ nō ex ſanguine, ſed virtutibus & probitate. Nam vt Abrahā patriam ſuā, ita Zachæus poſſeſsiōes ſuas reliquit propter dominum. Facit huc quod Paulus ait, non omnes qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij, ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, hoc eſt, filij Abrahæ non iudicantur ex carne, ſed promiſsione. Quumq́ue phariſæi & alij murmuraſſent contra dominū, *Theoph.* *Rom. 9.*

eo quod ad hominem peccatorem diuertisset, respondens
Matt.1. etiam ad hoc dominus, ait, Filius hominis venit quærere & saluum facere quod perierat. Venit de cœlo dominus quæsi tum oues perditas, ex quib⁹ & hic Zachæus fuit. sic de Chri sto prædixerat angelus, quoniam ipse saluum faciet popu-
1.Time.2. lum suum à peccatis eorũ, sic ille filium perditum Matthæũ inuenit ad teloneum, Magdalenam in conuiuio, latronem in cruce, quia ipse vult omnes homines saluos fieri. Deus itaque nobis etiam gratiam suam concedere dignetur.

HOMILIA II.

Assumpto vnctionis oleo, vnges tabernaculum cum vasis suis, vt sanctificentur altare holocausti & omnia vasa eius. Exod. 40.

PRIMA potissimaq; ratio, quur omnia in tẽplis, ipsaq; adeo templa consecrentur, hæc est, quod Adã ab initio ex dono originalis iustitiæ, in qua
Gene.3. conditus est, dominum habuit rerum omnium in vniuerso mundo, sicut dominus dixit ad eos, Implete terram & subiicite eam vobis, dominamini quoq; piscibus maris & volucribus cœli & omnibus animantibus quæ mouen
Luc.11. tur super terrã. Vsq; adeo hic creauit deus Adã potẽtissimũ totius orbis monarchã & imperatorẽ, qui tamen quum primum per peccatum præuaricatus, factus est inobediẽs deo, simul quoq; obediẽtiã mundi & animalium amisit. & sicut dicit dominus, Quum fortis armatus custodit atriũ suum, in pace sunt omnia quæ possidet: si autem fortior illo superueniens vicerit eũ, vniuersa arma eius aufert in quibus cõfidebat, & spolia eius distribuit: sic nimirum diabolus vicit Adã
Ioan.12. mum, & imperiũ eius atq; potentiã sibi vsurpauit, quãtum
14.35. permisit deus. hinc iã princeps mũdi etiã à Christo dicitur. Et quia hæc quę in mũdo sunt, obediũt diabolo, & quũ hoc permittat deus, tempestates & grãdines excitat, homines & pecudes offendit, nonnunq; homines ipsos obsidet, vt recte
Iob 41. dixerit Iob, qa non est potestas sup terrã quæ cõparetur ei. ¶ Vt autẽ creaturæ terræ veniãt in vsum hominũ, cõsecrari solẽt. vt carnes, herbæ, oua, luminaria, vinũ, aqua, sal, ignis, &c. ex vsu & consuetudine ecclesiæ. Atq; si benedictiones istiusmodi funditus põderẽtur, nihil aliud sunt quã orationes ecclesiæ, qbus illa inuocat dñm, orãs vt eiusmodi creaturas eripiat ex potestate diabolo, hominiq; salutares efficiat,

ideoque

ideoq; ante baptismū sic paruuli cōsecrantur & benedicū-tur per exorcismū, vbi diabolus cum vniuersa potestate sua eiicitur à paruulo. (Induc ex exequiali gratia exēpli de benedictione salis, vel vini, vel carnis vel exorcismū.) Quod si igitur hoc modo omnia cōsecrantur, quū veniūt in vsum hominum, quanto magis illa quę præcipue in cultu diuino vsurpantur, benedicēda sunt & deo dicanda, puta templa, ipsiq; sacerdotes, altaria & omnia ornamēta atq; vasa templi, nō eo tātum vt à potestate diaboli eripiātur, sed quia ex profanis sacra fiūt iuxta illud vnde cœpius differere, quādo dixit dominus ad Moysen, Assumpto vnctionis oleo, &c.

Euangelium Lucæ 19. vt supra.

RACILE mihi esset, festū dedicationis commēdare, si similitudinibus vellē insistere & mysticis expositionibus omniū eorum quæ sunt in templis. Ipsum nāq; domus dei est, in quo deus inhabitat. in eo cōclaue est piæ contēplationis, in conclaui lectus est mūdæ dilectionis in veritatibus dei. lucerna ibi in illustratione veritatis, & atriū speculationis, in quo mensæ tres paratæ sunt, vna sacrarū literarū, Lucæ 22. altera sacramenti eucharistiæ, Psalmo vigesimo secūdo tertia eleemosynæ pauperū, Thob. 2. Est adhuc ibi atriū spirituale, est & culina, est coqua, est balneum, est specula vnde ex alto prospiciatur, est pharmacotheca, est gazophylacium. (Si libet adapta omnia quæ episcopus in consecratione ecclesiæ orat & dicit. est omnino populare, & apud deuotos bene afficit. vide obsequiale episcoporū.) nos illis omnib⁹ omissis, tantum de tēpli dedicationis dicemus, quantū ex sacris literis liquet: quia vtique mundus ex curiositate nonnunquā magis quā pietate scripturarū requirit testimonia, quāuis ipsa ecclesiæ authoritas cuilibet Christianorū sufficere deberet, attamē affatim multa suppetūt pro dedicatione tēplorum. Nihil autē hic de consecratione ornatum aut similium differere animus est. etsi hic quoque ex veteri testamēto forte habemus fundamentum aduersus neochristianos. nam si vestes sacræ necessariæ erāt sacerdotibus, qui boues, vitulos & oues offerebant, quāto magis conuenit sanctis vestibus indutum esse presbyterū, qui in sancto missæ sacrificio Christum dei filium conficit, corpus & sanguinem eius, reliqua sacramenta, &c. Sed nos ad ipsam templi dedicationem re- *Leuit. 8.*

Rom. 15. uertamur. ¶ Fundamẽtũ ibi aſſumo huiuſmodi. Quęcunq; ſcripta ſunt, ad noſtrã doctrinã ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarũ ſpem habeamus. Alibi
2. *Tim.* 3. etiam ait Paulus, Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendũ, ad arguendũ, ad corripiendũ, ad erudiendũ in iuſtitia. ideoq; ſacris literis doceri nos oportet de myſterio dedicationis templi credẽtes illa in vtilitatẽ noſtrã eſſe
Gen. 28. deſcripta. Principio igitur in lege naturæ argumentum hoc habemus certum, quod Iacob in ſpiritu dedicationẽ templi cognouit, & quaſi exemplar fuit noſtrorũ epiſcoporum in dedicandis tẽplis, de quo ſic legimus, Vidit in ſomnis Iacob ſcalã ſtantẽ ſuper terrã, & cacumen illius tangens cœlũ, angelos quoq; dei deſcendẽtes & aſcendentes per eã, & dominum innixum ſcalæ, loquentẽ cum Iacob. qui quũ euigilaſſet, dixit, Vere dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebã. pauensq; ait, Quã terribilis eſt locus iſte? nõ eſt hic aliud niſi domus dei & porta cœli. Vocauit locũ iſtũ Bethel. Hebræis enim Beth domũ, & Hel deũ ſignificat. Si ergo iam locum illũ perluſtremus, hic ille eſt, in quo Abrahã auus illius voluit offerre filium ſuũ Iſaac, quẽ Moria, dominus videt. Eodem in loco ſiue monte, vbi propter peccatũ Dauid, occidit
1. *Par.* 12. & 22. dominus peſte ſeptuaginta milia hominũ, demptis mulieribus & paruulis, emit Dauid ab Hornã partẽ ſpatij, ibi erexit altare & obtulit. dũs quoq; deꝰ præcepit angelo, & impoſuit gladiũ ſuũ in vaginã. Statim ſubiunxit Dauid, Hæc eſt domus dei, & hoc eſt altare holocauſti Iſraël. Ibi quoq; ſuper montẽ Moria Salomon ædificauit tẽplũ domino, qui
2. *Par.* 2. locus mõſtratus erat Dauidi in area Hornã Iebuſæi, vbi Iacob vidit ſcalam & angelos vtiq; in ſpiritu cognouit tũc ille, quod eodẽ in loco poſt 800. annos extrueretur tẽplum. Qui locus quãta gratia ſit præualiturus, iã tunc aſcenſus & deſcenſus angelorũ ſatis mõſtrauit, quoniam ſic frequentes veniunt ad tẽpla noſtra angeli ſancti dei, vt orationes, cãtica & prædicationes afferãt in conſpectu domini. quẽ etiam obſeruare templa vel hinc conſtat, quod Iacob vidit eũ innixum ſcalæ. Ecce quã propitiũ & miſericordẽ dominũ habituri ſumus, ſi diligenter ei ſeruiamus in tẽplo: ideoq; domum dei & portã cœli vocauit Iacob. Qui quomodo locũ illum cõſecrarit, ſequitur in textu. Erexit enim lapidem in titulũ, fundens oleũ deſuper, quod ſignũ erat euidens futu-
Gregor.

ræ tum ædificationis tum consecrationis tẽpli, simulq; passionis & mortis Christi. Hinc ecclesia quæ gubernatore vtitur spiritu sancto, verbis illis Iacob vtitur in officio missæ de dedicatione. 2 Colligimus templorũ quoq; & altarium dedicationẽ insuper ex facto Moysis eo tẽpore, quo synagoga adhuc errabat & versabatur in deserto, ibi præcepit dominus Moysi, vt dedicaret & sanctificaret altare. forma etiam dedicationis in hoc præscripta, cuius bona pars in hunc vsq; diem remansit penes ecclesiã in luminaribus & thurificationibus. Sic autẽ dominus ait ad Moysen, Assumpto vnctionis oleo, vnges tabernaculũ cũ vasis suis, vt sanctificentur altare holocausti & labrum cum basi sua. omnia vnctionis oleo cõsecrabis, vt sint sancta sanctorũ. quę postquã omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculũ testimonij, & gloria domini impleuit illud, nec poterat Moyses ingredi tectũ fœderis, nube operiẽte & maiestate domini coruscãte. Quod si hoc ita factũ est circa tabernaculũ nõ fixũ, sed quod Leuitæ semper cogebantur secum circunferre, quocunq; populus commigrabat, instar castrorũ, quanto magis Christiani sua tẽpla consecrare & virtuti atq; gratiæ spiritus sancti debẽt dedicare, sicut hic dominus in apparitione gloriæ suæ manifestauit, quantum hoc illi placuerit. *Exo. 40.*

¶ Huiusmodi cõsecrationẽ tabernaculi adhuc alibi describit Moyses, quæ quãto apparatu & magnificentia sit perfecta, quomodo duodecim cõtinuis diebus, duodecim principes tribuũ duodecim sacrificia sua (Nunc nulla est amplius etiã inter Christianos in dedicationib⁹ sacrificiorũ cura, sed luxus tãtũ & ebrietas.) obtulerũt domino sex plaustra opera cũ 12. bobus semper pro duobus principibus siue ducibus plaustrũ vnũ, & pro singulis singulos boues. Primo die dedicationis obtulit sacrificium suũ Nason de tribu Iuda: fueruntq; in oblatione sua acetabulũ argẽteũ pondo centũ triginta siclorũ, phiala argẽtea habẽs septuaginta siclos, vtrũque plenũ similia cõsperſa oleo in sacrificiũ, mortariolũ ex decem siclis aureis, plenũ incenso, boue de armẽto, & arietem & agnũ agniculũ in holocaustũ, hircumq; pro peccato, & in sacrificio pacificorũ boues duos, arietes quinq;, hircos quinq;, agnos agniculos quinque. Et sic reliqui duces ex sua quisq; tribu. Tã eximiũ festum duodecim dierũ celebrarunt Iudæi in consecrtione altaris cũ tam preciosis munerib⁹, vt *Num. 7.*

Exo. 40. conficiant ea vltra duo milia & quadringẽta ſiclorũ argenti, cum tot bobus, arietibus, agnis, & hircis. Placuit quoque hoc deo, quia gloria ſua repleuit tabernaculum, vt diximus ab initio. 3 Quum porro Iudæi veniſſent cũ pace in ter-

1. Pa. 22. ram promiſsionis, etſi nunc ſtatim volebat ædificare Dauid templũ domino, prohibitus tamen eſt à deo facere illud, eo quod vir ſanguinũ eſſet, ſed à filio ſuo pacifico Salomone voluit ſibi ædificari templũ, ad cuius ſtructurã tamẽ Dauid ea parauit neceſſaria & ſumptus qui requirebãtur ad illud. Conſtituerat enim triginta milia hominũ, qui tantum ligna

3. Reg. 5. cæderent in mõte Libani, vbi ſemper decẽ milia laborabant per mẽſam lapicidas habuit 80000. & 70000. homines qui apportabant neceſſaria. Inſuper ter mille & trecẽtos habuit præfectos ędificij qui omnia ordinabãt. Multa dici hic poſſent, quibus ſumptibus, quãtoq; apparatu templũ illud ſit extructũ, ſed tamen ex hoc vno cætera omnia colligi facile poſſunt, quod textus ait nihil extitiſſe in templo, quod non

3. Reg. 6. fuerit auro mundo ad opẽrtum, etiã Cherub duo, quorum vnus habebat in altitudine cubitos decem. Omnia enim vaſa templi aurea erant, menſa, cãdelabra, emunctoria, forcipes, phialæ, thuribula, omnia hæc ex auro puriſsimo. vnde magnũ habuit bene placitũ deus, qui & apparuit Salomoni, adhortans eum ad cõſummationem operis, & vt ambularet in præceptis ſuis. hinc promiſit ſe ibi habitaturum in medio filiorũ Iſraël, & nõ derelicturũ eos. Qua ſolennitate & magnificentia conſecratũ ſit tẽplũ, ad longum teſtatur ſcri-

3. Reg. 8. ptura, quoniã ibi cõgregati ſunt omnes principes ex regno Iudæorũ, duces omnes tribuũ & alij prẽcipui. Tunc ſacerdotes tulerũt arcam in templũ, & Salomon multis orauit ad dominũ, dicẽs inter cætera, Domine deus meus audi hymnũ & orationẽ, quam ſeruus tuus orat corã te hodie, vt ſint oculi tui aperti ſuper domũ hanc nocte ac die, ſuper domũ de qua dixiſti, Erit nomen meũ ibi, vt exaudias orationem quam orat in loco iſto ad te ſeruus tuus, vt exaudias deprecationẽ ſerui tui & populi tui Iſraël, quodcunque orauerit in loco iſto, & exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, & cũ exaudieris, propicius eris. Si peccauerit homo in proximum ſuum, & habuerit aliquod iuramentum quo teneatur aſtrictus, & venerit propter iuramentum corã altari tuo in domum tuã, tu exaudies, &c. ¶ Hinc omnis generis petitiones

enarrat,

enarrat, quæ super huiusmodi necessitatibus suis ab hominibus proponuntur, confugientibus, ad templum domini. Vbi iam sunt neochristiani, qui etiam deo debitũ inuident honorem, volentes ditissimum hunc ipsum facere pauperẽ, quasi non possint mendici sustentari, nisi ex iis quæ detracta fuerint templis? Quod si tam diues fuit deus, vt omnes pauperes cibauerit tempore Salomonis, qui tantum bonorum collocauit in structuram templi. quid iam illi decedat? Mera igitur nostrorũ hominũ malitia est, qđ conãtur cultũ & ornatũ dei abolere, sed hæc alibi, Tom. 2. & alias sæpe. ¶ Salomon durãte dedicatione templi. obtulit domino viginti duo milia boum, centum viginti milia ouium, & sic à rege totóque Israële peracta dedicatio est magna cum gratulatione septem & septem, hoc est, 14. diebus. Atque mox deinde Salomon permisit populũ redire à sua. 4 Porrò si amplius diligentiús; sacras literas euoluamus, videbimus diruto templo illo Salomonis à Chaldæis post annos 442. quo ducti quoque sunt Iudæi in captiuitatẽ Babylonicam, vnde rursus liberi abire permissi sunt à Dario & Cyro, atque in Iudæa reuersi, cœperunt iterum ædificare templum, quanuis in eo multum resisterent ipsis Gentiles, nolentes permittere vt reædificarent templũ, vnde & ad arma parati semper erant, aliis laborantibus in reparando muro, aliis ad pugnandum instructis. sed & qui laborabant, altera manu operabãtur, altera gladium gestabant, & in vestimentis suis dormiebant. Quum igitur populus vrgentibus prophetis Haggæo & Zacharia structuram templi feliciter consummasset, filij Israël sacerdotes & Leuitæ alij que ex Babylonia reuersi, celebrarunt cum gaudio templi dedicationem, & in ea obtulerunt vitulos centum, ducentos arietes, quadrigentos agnos, & duodecim hircos pro peccatis, iuxta numerum duodecim tribuum Israël. Ecce quomodo continue festum dedicationis in vsu fuit apud Iudæos. 5 Cæterùm quum secundum templũ sub sacerdote Iesu & sacerdote Zorobabel esset restauratum, post trecentos annos Antiochus Epiphanes Hierusalem deuastauit & templum diruit multisque abusionibus Gentilium polluit. neq; multo post tamen, post annos. s. tres, Iudas Machabæus quod destructum fuit in templo restituit, ipsumq; purgauit, altare holocausti diruit, nouumq; ex lege reparauit, etiã vasa noua, cãdelabra

Nehe. 4.

1. Esd. 6.

& mensas restituit, candelabrorũ luminaribus accensis, obtulerunt super altare nouũ, & celebrarunt dedicationẽ altaris per dies octo, & holocausta obtulerũt cum gaudio, & ornauerunt faciẽ templi coronis aureis & scutis, ipsasq; portas & ædes sacerdotũ (pastophoria, loca vbi morabantur & dormiebant sacerdotes, quando erant in officio seruiendi in templo. Nõ enim dormiebant illo tempore cum vxoribus, sicut faciunt Lutherani apostatæ, aut incontinentes sacerdotes) consecrarunt, factaque est lætitia magna in populo.

¶ Ne vero cogites hanc consecrationẽ altaris semel tantum esse peractam, testantur ipsæ sacræ literæ eam quotãnis esse celebratam. sic enim Ioannes ait, facta esse encænia in Hierusalem, tuncq; adeo hyemẽ fuisse, Iesum autem ambulasse in templo in ipsa porticu Salomonis. vnde manifeste patet, Iudæos festum hoc dedicationis peregisse, quando illud dominus etiam sua dignatus est præsentia cohonestare. Insuper ordinarunt Machabæi per singulos annos celebrari debere consecrationem altaris. sic enim legimus in textu, Statuit Iudas & fratres eius & vniuersa ecclesia Israël, vt agatur dies dedicationis altaris in tẽporibus suis ab anno in annum per dies octo, à quinta & vicesima die mensis Casleu, hoc est, circa diem nonum Decemb. id omne patet ex Kalendario Iudæorum, qui inter reliqua festa diem quoq; dedicationis cõnumerant. Quũ itaque in veteri testaméto tabernaculum, templũ & altare sin cõsecrata, vbi tantum vituli, boues & agni immolabantur, quanto magis sanctificari oportet templum & altare domini in nouo testamento, vbi sanctus sanctorum tractatur, & sanguis Christi, nõ vitulorũ offertur, corpus quoque Christi cõficitur, baptismus cæteraque sacramenta administrantur, vbi non Moyses tantum & prophetæ leguntur, sed etiam sanctum euangeliũ Christi, fœdus illud nouum gratiæ quod iniuit & pepigit Christus cum spõsa sua ecclesia, imo & cum quacũque fideli anima? Et quãuis externa illa templorum dedicatio alacriter & cum gaudio celebrari debet, hominẽ tamen decet semet parare, vt in eius corde & anima dedicationẽ sanctam habeat dominus habitans in eo, siquidem omnis anima sancta, templum dei est spirituale, iuxta illud Pauli, Templum estis dei viuentis. probat ille hoc scripturis, quoniã dominus dicit, Habitabo in eis, ego ero eis in deum, & ipsi erunt mihi in populum

Ioan. 10.

1. Mac. 4.

2. Cor. 6.

populum. Et alibi, Nescitis, inquit ille, quod templum dei estis vos, & spiritus dei habitat in vobis? Templum enim dei sanctum est, quod estis vos. Ideoque cùm hodie templi huius celebrationem cum gaudio recolimus præcipue, debemus tamen, si non semper, certe in summis festiuitatibus spirituales facere dedicationes in cordibus nostris, recogitantes in templo immensam dei gratiam & misericordiam, quod ille nostri causa locum templi tam clementer sanctificat, vt ibi corpus suum conficiatur & sanguis, vt ibi semper sint angeli colligentes orationes iustorum, deferentésq; illas ante deum, sicut in Apocalypsi sua præuidit Ioannes. Ea enim est illa scala, in qua angeli descenderunt & ascenderunt, quemadmodum vidit Iacob in somnis. Et hic quoque celerius benigniúsq; exaudirevult deus orationes omnium, qui in templo necessitates suas deplorant apud dominum, vt Salomon ipse orauit. Siquidem deus viuus in scala cœli sedet, respiciens ad ciuitatē sanctam ecclesiæ suæ. Ecce cùm vixdum natus eras, ad templum es deportatus, mortuus iterum deportaberis ad templum, si tamen ea tibi gratia diuinitus parata est. estote igitur omnes modesti, pij, multúmq; reuerentes in templo, orantes patrem in spiritu & veritate, ociosa & garrula verba vitate, gestus lasciuos fugite, cogitationes impudicas mittite, ne date peccādi occasionē superbo vestitu, gestu turpi, cōuersatione in honesta & prauo aspectu: sed estote pij, deum timete & sedulo colite, à quo vicissim exaudiamini in orationibus vestris, & gratiā eius hic impetretis, illic vero gloriam consequamini æternam, Amen.

1. Cor. 3.

Apoc. 5. 8

Gen. 2.

3. Reg. 8.

¶ Illud vltimum extende, si placet, ex Summa Paraldi, reperio me fecisse sermonem ante 22. annos, cum essem admodum iuuenis, de abusu dedicationum, qui solet fieri maxime in pagis & villis. vbi plus seruitur crapulæ & luxuriæ quam deo. Non quod honesta conuiuia sint prohibita, cum populus dedicationem egerit in gaudio & lætitia, sed quod excessus vituperatur. Potes prosequi apud Robertum Holcot super librum Sapientiæ, lectione 141. per totum. Habent enim ventrem deum, altare affluentiæ, templū tabernam, sacrificia superfluitatis, oblationes iniquitatis, sacerdotes laborantes, scilicet venatores, piscatores, lanios, coquos, &c. cantores luxuriosas, histriones, mimos, ioculatores, &c. Extendere est facile.

IN DEDICATIONE HOMILIA III.

Domus mea domus orationis vocabitur. Matthæi 21.

ACCEDVNT, prohdolor, vltima iam tempora, olim à Christo & apostolis prædicta, quibus futuri sint homines seipsos amantes, superbi, elati, auari, habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. erunt enim magistri mendaces, qui inducent sectas perditionis, sicut fuerunt superioribus annis Sagarelli, qui etiam noluerunt aliqua templa habere. ideóque eorũdem dedicationem abnegarunt. Quorum errorem nonnulli ex neochristianis sequuti, dicunt templis opus non esse, nec aliquem illorum vsum, nisi vt conuocetur populus ad audiendum verbum dei. Error hic quũ multum sit & nociuus, & sacris literis contrarius, imo & contra animarum nostrarum pugnet salutem, operæprecium est eum hic refutare, quanuis idipsum verba etiam thematis assumpti requirunt & affirmant, Domus mea domus orationis vocabitur. Vbi manifeste declaratur, quur tandem extruantur templa, nimirum ab orationem. docuit idem Esaias iam olim, & renouauit dominus rursus in nouo testamento. Super iis vt liceat cum fructu differere, imploremus omnes gratiam dei, salutantes virginem matrem, &c. Poteris etiam inducere thema Matth. 21. Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim. Quæ applica ex Alberto ibidem, & habebis sermonem. ¶ Etsi in omnibus locis inuocari potest dominus, sicut & omni tempore ac loco non contemnit populum suum, sed adest illi, templum tamen præcipue ei rei deputatum est, vt ibi oretur dominus pie, iuxta illud Pauli, Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione. vbi nõ immerito externum etiam in orando gestum commemorat Paulus. leuationem manuum, etsi fortiter contemnant neochristiani. Quod autem præcipue templa parata sint orationibus, auditum est ex verbis Christi & Esaiæ, Domus mea domus orationis vocabitur. Ecce dominus templũ domum suam vocat, non huius aut alterius ædes priuatas, nõ prætorium aut arcem, sed templum domus dei est. Verum quidé est quod in templo docuit dominus, vbi omnes Iudæi cõueniunt, &

2. *Tim.* 3.

1. *Pet.* 2.

Matt. 21.

Esa. 50.

Sap. 19.

1. *Tim.* 2.

Ioan. 18.

in

in hũc vsque diem prædicare solet in templis, nisi quod recentes Sagarelli inuenerunt fratres hortenses. Et tamen dominus templum domum vocat, non prædicationis, sed orationis. Vos autem, inquit ad Iudæos, fecistis eam speluncam latronum. Nónne nunc quoque conqueri posset dominus domum suam fieri apud multos spelũcam latronum, qui catholicos inde arcent prædicatores, & subornant alios nouæ fidei? vere enim animicidæ sunt isti, qui animas hominum peruersis suis dogmatibus occidũt, quia dentes eorum sunt sicut dentes leonum. Huiusmodi pene sunt, quales erant de quibus aqostoli scripserunt Christianis Antiochiæ & Syriæ, quod audiuissent exiisse quosdam qui turbarent ipsos verbis, euertentes animas eorum. ¶ Alibi quoq; dixit ad Iudæos, Nolite facere domum patris mei domum negociationis, etsi omnes Simoniaci hic redarguuntur, quorum scelus vt est per se magnum, ita grauiter offendit deum. Possunt quoque verba illa ad neochristianos commode referri, qui templa & cœnobia faciunt armentaria, domos negociationis, & in quibus vina reponuntur, atque in consimiles vsus profanos conuertunt. inique sane fit hoc & contra leges ciuiles, quibus sæpe cautum est, ne bona semel dicata deo, in profanum redeant vsum, sicut Leo & Antonius imperatores sanxerunt. Ea quæ ad beatissimæ ecclesiæ iura pertinẽt, vel post hac forte peruenerint, tãquam ipsam sacrosanctam ecclesiam & religiosam, intacta conuenit custodiri, vt sicut ipsa religionis & fidei perpetua mater est, ita eius patrimoniũ iugiter seruetur illæsum. Sic habet alia constitutio, Multo magis prohibetur ipsius monasterij alienatio, qua redeat in antiquum statum & seculare vsum. ideoq; imperatores, Gratianus, Valentinianus & Theodosius. A. A. A. prohibent, ne quis Apostolorum vel Martyrum sedem, humanis corporibus existimet esse concessam. Concordat aliud decretum Iustiniani, quod sic habet, Sancimus nemini licere sacratissima atque arcana vasa vel vestem, cæteraq; donaria quæ ad diuinam religionem necessaria sunt. cum etiam veteres leges ea quæ iuris diuini sunt. humanis flexibus non illigari sanxerunt, vel ad venditionem vel hypothecam, vel pignus trahere, &c. Quisquis autem vendiderit, pecuniam eam amiserit, &c. Iam prohdolor, sacra profanis sunt omnia mixta, vestes sacræ vndique circunferuntur, & ta-

Ioan. 2.

Eccl. 21.

Actu 15.

Ioan. 2.

L. iubem⁹. C. de sacr. san. eccles.

In authẽ. multo ma. glo. ibi. L. 2. ibil. sancimus.

men vniuersa testatur scriptura non relinqui hoc à deo im-
Exod. 35. punitum. Mitto reliquos locos, vt ad sacras literas redeam.
Placere nanque deo templa & eorum ornatus, hinc princi-
pio patet, quod tam diligenter ille commisit fabricam &
structuram arcæ, propiciatorij, mensę sacræ, candelabri, al-
taris, velorum, Cherubim, vestium sacerdotalium appara-
Exod. 31. tum, & omnium aliorum vasorum tabernaculi. Atque vt
ea omnia maiore cum dignitate transigerentur, impleuit
deus artifices deus Beseleel & Ooliab spiritu dei, sapientia,
intellectu & scientia in omni labore inueniendo, quicquid
ex auro, argento & ære parari poterat, ex marmore, gemmis
& lignis preciosis. Quod si nō placuisset hoc deo, vtique nō
præcepisset fieri, neq; artificibus scientiam per spiritū suum
2. Reg. 1. indidisset. Vsqueadeo sanctū & diuinum quid est condere
Psal. 88. templa, vt noluerit deus permittere hoc Dauidi, quāuis re-
gi & prophetæ magno, támque grato apud deum, vt dice-
1. Par. 17. ret, Inueni Dauid seruū meum secundū cor meum, sed quia
2. Reg. 7. vir sanguinū erat, & occiderat multos, noluit ab ipso tem-
plum sibi extrui, sed expectauit hoc à filio eius Salomone.
Præterea constat ex sacris literis, sedisse Dauid ante domi-
num, quū sederit ante arcam. siquidem vbi quis ante locum
Augusti. dei sedet, iam proximus assidet deo, inquit Augustinus, &c.
Intelligitur autem sanctior quædam præsentia dei, quam in
Gene. 28. aliis locis. Imo & Iacob locum sanctum & terribilem esse
Lucæ 7. credidit, atque adeo domum dei. Christo placuit Centu-
rio, quod synagogam ædificasset Iudæis, qui ideo eum lau-
darunt domino. Neque laboramus in eo quòd clamant
isti, deum vbique esse, nec posse templo concludi. Quis
2. Par. 6. enim est qui id nesciat, aut dubitet aliquando non fuisse?
Sciuit hoc vtique Salomon, quum dixerit, Ergóne credi-
bile est, vt habitet deus cū hominibus super terram? si cœ-
lum & cœli cœlorum non te capiunt, quanto magis domus
ista quam ædificaui? Sed ad hoc tantum facta est, vt respicias
ad orationem serui tui & obsecrationem eius domine deus
meus, & exaudias preces quas fundit famulus tuus coram
Dan. 6. te, vt aperias oculos tuos super domum istam, &c.
¶ Ad hæc, locum certū iuuare orationes nostras, ex Dani-
ele patet: qui, quum esset in captiuitate Babylonis, nec posset
Deut. 12. orare in templo, apertis tamen fenestris versus templum
& 15. orauit. Nouit enim propheta ille plenus spiritu sancto,

quid

quid sibi voluerit deus, quando dixit Moysi loco ipsius, In loco quem elegerit dominus deus vester, vt sit nomen eius in eo, Et inde, Non poteris imolare phase in qualibet vrbium tuarum, sed in loco quem elegerit dominus deus tuus, vt habitet nomen eius ibi. Ecce hic differentiam locorum etiam apud deum, qui in vno loco ampliorem exhibet misericordiam quam alibi. Errant igitur Sagarelli, dum templa templorumque contemnunt ornatum. Debebant illi vtique diligentius attendere verba domini tam serio præcipientis, Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur. Quod nũc prohdolor, fit in multis locis, vt quod cuique placet, id credat & dicat. In euangelio quoque præ omnibus aliis viduam laudat dominus, quæ duo minuta æra obtulit in gazophylacium, quo conseruabatur eleemosyna hominum, collecta ad conseruationem templi. id si non esset opus placens deo, non laudasset Christus viduam istam. Ipse quoque dominus frequẽs fuit in templo. paruulus enim in illud delatus est, quum iam sex menses peregisset. duodennis deinde cum parentibus suis ex Galilæa profectus est in Ierusalem, vbi amissum eum parẽtes inuenerunt in templo. Hinc semper venit in templum, docens ibidem, sicut ipse apud Annam profitetur. Postremo & Paulus contra eos inuehitur, qui dehonestabãt ecclesiam conuiuiis indecentibus, quum ait, An non proprias domos habetis ad manducandum? an ecclesiam dei contẽnitis? Apostoli palatium illud occuparunt, in quo Christus cum eis peracta cœna eucharistiæ instituit sacramentum, ipsique deinde spiritum sanctum acceperunt, & tamen eo non contenti, ascenderunt Petrus & Ioannes in templum ad horam orationis nouam. Ecce quod & apostoli templum domini inuiserunt. & nouum non est illud de horis canonicis, siquidem apostoli etiam hora orationis nona venerunt in templum. & alibi legitur, Petrum hora sexta ascendisse in partem superiorem domus. Multi potentes & optimates priuatas ædes suas donarunt deo & diuino cultui dedicarunt, sicut Aristodemus, Cornelius, &c. Sanctus Ioannes quoque moriturus, deduci se permisit in templum, ibique spiritum tradidit deo. & semper magno solatio fuit fidelibus, potuisse venire in oratorium. quamobrem singuli templa suis adiuuerunt subsidiis simul & ornamenta templorum, sicut

Deu.12.
Mar.12.
Luc.21.
Luc.2.
Lu.19.21.
Ioan.18.
1.Cor.11.
Act.1.2.
Act.3.
Act.19.

Exo. 53. in deserto viri omnes & mulieres, magno pioque affectu munera sua obtulerunt, vt opera parari possent quæ deus præceperat, quemadmodum in textu patet ad longum.

¶ Quum itaque constet, dedicationem templorum in sacris literis esse fundatam in vniuerso Christianismo per omnia secula vsurpatam, nemo Christianorum auertatur à veritate per somnia contraria sentientium, etiam Parabaptistarum, qui ad suos errores torquent & laniant scripturam. *Ioan. 4.* Dominus enim dicés mulieri Samaritanæ, Crede mihi, quia veniet hora quando neq; in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis, sed veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate, aliud non voluit, nisi templum desiturum, sicut & alibi dixit lapidem non mansurum super lapidem. *Matt. 24.* ¶ Templo autem successuram multitudinem ecclesiarum, & aliud sacerdotium, ostendit in parabola, qua narrat de vinea in qua ædificauit turrim, hoc est, templum, authore *Mat. 21.* Hieronymus. Postquam autem agricolæ & seruos occide- *Hieron.* runt & filium, hoc est, Christum, prophetas & apostolos, quid sequitur nisi quia ille vineam suam locat aliis agricolis, nempe Christianis? sed interim vinea illa iam turri non caret ecclesia sine templo, vbi nō minus possunt orare Christiani in spiritu & veritate, quam Catabaptistæ aut fratres hortenses extra templum. Sed nimirum, decet ita hæreticos nō esse in templis dei, quod iis sint indigni, sed in antris & *Hieron.* spelūcis, vt pulchre Hieronymus subscribit super Esaiam 65. & Ezechielem 33. Vulpium enim est commorari in fo- *Ambro.* ueis, vulpes autem hæretici sunt, sicut Ambrosius super Lucam capite nono docet. atque in hoc cum vulpibus conueniunt. pij vero Christiani etiam in templis orant in spiritu & veritate, templa quoque sua exornant in gloriam dei, pro gaudio habentes ecclesiæ decorem, iuxta illud Dauidis, *Psal. 25.* Dilexi domine decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Beati igitur qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te, hic in gratia, illic in gloria perpetua. Quod nobis donare digneris domine Iesu Christe, Amen.

Ex sermonibus Bedæ studio nihil voluimus hic inferre. qui tamen sunt egregij & populares, diligens lector apum more aliquem gustum ex eis decerpat pro virili sua.

IN

IN PROCESSIONIBVS
siue supplicationibus.

HOMILIA PRIMA.

Vocate cœtum, congregate populum sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos & sugentes vbera. Ioëlis 2.

ETSI sæpe multis profuerunt pericula miseriæ & æruminæ, vt à peccatis auersi vitam viuerẽt deo beneplacentem, per quam illam cõsequerentur æternam: vnde prouerbio dici solet, Infortunium citius aliquem probum efficit q̃ secundæ res. Testatur idem & quotidiana experientia, & sacra scriptura. Sic enim ait Dauid, Imple facies eorum ignominia, & quærent nomẽ tuum domine. Et alibi In camo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Nam luxuriam animi rebus plerunque secundis, tũc multi neque deum metuunt, nec sanctos reuerentur, imo ne cogitant de deo, nisi infirmitate aliqua affecti: tunc tandem ad se reuersi cognoscunt deum, sicut inquit Psalmista, Cognoscetur dominus iudicia faciens. alias in felicitate sua inflati permanent & pereunt, de quibus etiam ille ait, In labore hominum non sunt, & cum iustis non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia, & operti sunt iniquitate & impietate sua. prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. ecce ibi peccatores & abundantes in seculo, obtinuerunt diuitias. Ita interdum tribulationes salutares sunt medicinæ, dicente propheta, Domine, in angustia requisierunt te. sic Dauid inquit, Ad dominum cũ tribularer, clamaui, & exaudiuit me. Alibi quoque, Tribulationes multiplicatæ sunt in cordo meo, erue me de necessitatibus meis. ideoq́ue quando nos tribulatio circundedit & angustia (applica materiã) vel belli, vel charitatis annonæ, vel aquarum, vel siccitatis nimiæ, vel pestis vel similium, nos quoq; curramus ad dominum, opem eius implorantes. Nam vt maxime nos premant angustiæ vndiq;, melius est incidere nos in manꝰ domini, quia multæ sunt misericordię eius. Absolute ergo loquendo, satius quidem foret non esse tribulationes. Nos vero ad supplicandum deo iam hic conuenimus, diuinam maiestatẽ inuocaturi ob imminentem necessitatem. ita enim nos docuit

Psa.82.31

Psal. 9.

Psal. 72.

Esa.26.
Psal.119.
Psal. 24.

1. Par.21.

illud facere, propheta, ſicut à principio dicere cœpimus, Vocate cœtum, congregate populum, &c.

Euangelium Ioannis 16. require Tomo 2. in Rogationibus. Euangelium Lucæ 11. vide Tomo 2. in Rogationibus. Alias & de oratione ampliter ſcripſimus. Tomo videlicet 2. in Rogationibus.

DE SVPPLICATIONIBVS.

REPERIO me aliquando prædicaſſe in iſta materia ſic, vt primo loco dixerim quomodo Chriſtus docuit nos orare & orauit, & tota ſcriptura nos docet. ſecundo loco dixi de oratione in communi, de qua multis diſſeruimus ſupra, vt hic citauimus. tertio dixi ſpecialiter de oratione proceſsionali. At modo alia nobis incedendum eſt via. Principio & pium & deo beneplacitum opus, imo etiã actus eſt latriæ, ſupplicationes ſiue proceſsiones rite perficere id patet ex loco Ioelis adducto, qui rationem illius oſtẽdit, dicens, Conuertimini ad dominum deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat, & relinquat poſt ſe benedictionem? quaſi dicturus eſſet, Multum offenſus eſt deus per peccata veſtra, grauiter ad iram prouocaſtis eum, ſed tamen adhuc conuertimini vos, & viciſsim ille cõuerſus miſerebitur veſtri. Vt autem funditus intelligatis quid ad proceſsiones pertineat primo loco vos docebo, quid illæ erga deum noſtri cauſa nos commonefaciant. nam hic primum deo ſingularis exhibetur reuerentia, dum ſupremus agnoſcitur eſſe rerum omnium gubernator: qui ſi non cognoſceretur dominus eſſe bellorum omnium, tempeſtatum quoque, caritatis annonæ & morborum omnium, non confugerent homines in eiuſmodi malis ad dominum, inuocaturi eũdem. Proprie igitur hoc op⁹ eſt quo deus colitur, & pro deo habetur, pro potenti gubernatore mundi & omniũ quæ in eo ſunt. Tria enim proprie agnoſcimus à domino deo circa huiuſmodi proceſsiones: primo, excellentiam dei quæ longe ſuperat omnes bellorum dominos, poteſtates tempeſtatũ, morborum & omnium quæ in cœlo ſunt & in terra, quaſi hic diceremus cum eccleſia, Tua eſt potentia, tuum regnum domine, tu es ſuper omnes gẽtes. Creator omnium deus, terribilis & fortis, iuſtus & miſericors. Canitur in dominica qua imponitur

Ioel 2.

Heſt. 13.

nitur historia Machabæorum, Et cum Mardocheo, Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & nō est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israël, tu fecisti cœlum & terram, & quicquid cœli ambitus continetur. dominus omnium es, nec est qui resistat tuę maiestati. Huiusmodi multa sunt in sacris literis, quæ in ecclesiastica cantica trahuntur. 2 Deinde confitemur in deo per processiones omnem sufficientiam, quoniam ille sufficiens est exaudire omnes petitiones nostras, vt sic Paulum sequētes dicamus, Omnis sufficiētia nostra ex deo est. Quid enim est quod non acceperimus? Sic promisit dominus filiis Israël per prophetam, sese inducturum super eos omne bonum quodcunq; pollicitus esset. Sic dixit ad Moysen, Ostendam tibi omne bonum. Itaque sufficientiam huiusmodi confitemur in deo, petentes ideo ab ipso pacem, sanitatem, fertilitatem, &c. 3 Agnoscimus & in processionibus nostris, debere nos deo emendationem vel in conuictu, vel per satisfactionem delictorum, quasi diceremus cū Salomone, Peccauimus, malefecimus, iniuste egimus. Et cum ecclesia, Emēdemus domine in melius, quod ignoranter peccauimus. Recte ergo diximus ab initio, processiones actus esse latriæ & religionis, quod sic homo tali affectu, vt supra diximus, simul circumiens seruit deo, & opus bonum facit (cæteris paribus) deoque beneplacitum. 2 Quum iam dixerimus quid cogitare debeamus, quod in se contineant supplicationes erga deum, reliquum est dicere, quo pacto considerare eas debeamus quo ad nos, Atque hic principio occurrit, quod humiliatio illa nostri esse debet erga deum, quoniā in mundo fieri videmus, quod si quādo ciuitas principem offēderit, illumq; cupiat placare, excipere ipsum solet magno & cōmuni omniū hominū occursu, volens p hoc humilitatē & subiectionē suā exhibere: sicut imperori Friderico cōtigit, duci Sueuorū, qui à barba rufa cognomē traxit. is quū multo tēpore obsedisset Mediolanū, & ad deditionem cōpulisset (quāuis ea libera suiq; iuris ciuitas esset, nulli subiecta principi) processio ei ordinata est ex omni populo, occurrentibus illi ecclesiasticis & religiosis omnib⁹ cum reliquiis. eos sequuti sunt duæ magnæ turbæ paruulorū vtriusq; sexus in albis, & portantiū virētia arbusta. Mox ciuiū processerunt filiæ omnibus modis exornatæ, hinc matronæ

2. Cor. 3.
Iere. 32.
Exod. 33.
1. Par. 6.

nigris veſtitæ. Quas vltimo loco ſequuti ſunt optimates & nobiles, apertis capitibus, portãtes gladios nudos circũ colla diductos. Poſtremo aliquot milia hominũ ex vulgo nudis pedibus ingreſi ſunt, habentes funes in ceruicibus ſuis, inclamãtes omnes, Miſericordiã miſericordiã imperatoris. ¶ Eaq; ſupplicatione irati Cæſaris animũ emollierũt, permouerũtq; vt ipſos in gratiã receperit, quãuis neq; ſic illi fidem ſeruarũt promiſſam. quapropter ille obſides eorũ 64. in Kaiſerſlauter ſuſpendi permiſit. Quomodo igitur non placeret deo humilitas populi ſui in hunc modum collecti, quũ maxime reſpiciat ille humilitatẽ ſicuti Mariæ humilitatẽ reſpexit & Niniuitarum? Ad Eliã quoq; dixit dominus, Nõne vidiſti humiliatũ Achab corã me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, nõ inducam malũ in diebus eius, ſed in diebus filij ſui inferã malũ domui eius. Quod ergo vnicus Achab impetrauit nõ impetrabit tanta hominũ multitudo vnanimiter cõgregata, veluti violentiã inferens regno cœlorum, quod iam olim vim pati dixit Chriſtus, ita vt violẽti rapiant illud? Sic Paulus cõmunem obſecrationem petit ab eccleſia, dicẽs, In eum ſperamus quoniam adhuc eripiet, adiuuantibus & vobis in oratiõe pro nobis, vt ex multarũ perſonis facierũ, eius quæ nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. 3 Quis dubitet rite inſtitutã ſupplicationẽ, bene placere deo, quoniã populus hic collectus ad ſupplicandum propria confitetur peccata quibus illum offenderat? Vnde Dauid inquit, Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Propria enim coram deo agnoſcere peccata, magnum quid eſt, hinc promanat vt quiſque ſe diuinæ miſericordiæ committat. Inſuper ea ipſa ſupplicatione palam teſtatur populus neceſsitatem ſuam, inopiam & defectum: ſiquidem ſpeciales eiuſmodi proceſsiones, non niſi magna imminente neceſsitate celebrantur. Quilibet etiam diligẽter modo conſiderans, quur ſupplicationes decernantur, is videt teſtimonia illa eſſe vrgentis neceſsitatis ſimul & magnæ erga deum fiduciæ. Supra diximus teſtari hic populum obedientiam ſuã erga deũ, cui ſubiectũ ſe humiliter cõfitetur. ¶ Et tantũ quidem de ipſo proceſsionis opere in ſe, dictum ſufficiat, quod bonũ ſit & acceptabile deo, ſicut infra ex ſcripturis probabimus. nunc interim concluſionis loco diſſe-

Luce 2. *Ionæ 3.* *3. Reg. 21.* *Mat. 11.* *1. Cor. 1.*

differemus, quomodo institutos & affectos esse oporteat, qui supplicationibus intersunt. Vbi vt primũ, ita potissimũ nobis occurrit illud, vt quisq; recedat à peccatis, propter quæ deus fuerat offensus. conuertatur autẽ ad dominũ per contritionẽ & pœnitentiã. Hoc & scriptura docet & persuadet ratio. nam flagella dei, aduersitates & tribulationes nobis resistunt propter peccata nostra, iuxta illud quod dominus dicit per prophetã. Si nolueritis audire me, sed prouocaueritis ad iracũdiã, gladius deuorabit vos. Et per aliũ, Si pœnitẽtiã egerit gens illa à malo suo, quod loquutus sum aduersus eam, agã & ego pœnitentiã super malo quod cogitaui, vt facerẽ ei. Sic alius itẽrũ prophetã dicit, In ira domini exercitũ cõturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis. (Adde si placet Esã 59.) Quum ergo cõfiteri cogamur pœnã nobis immitti à deo propter peccata nostra, sicuti Daniel testatur, inquies, O domine, omnia quæcunq; feci sti nobis, in iusto iudicio feci sti, quia peccauim⁹ tibi, & nõ obediuimus seruis tuis prophetis. Vide illud caput Danielis & adduc quæ volueris, quia multa sunt ibi ad propositum. Sequitur enim, Propter peccata nostra & iniquitates patrum nostrorũ, Ieruſalem & populus tuus in opprobriũ sunt omnibus per circuitum nostrum. Quia ergo pœna ex peccato venit, radix aggredienda primũ est, & peccatum ipsum amputandum, vt sic quisq; rectius conuertatur ad dominũ, qui ideo dicit per prophetã. Cõuertimini ad me in ieiunio, in fletu & planctu, scindite corda vestra, & nõ vestimẽta vestra. Tũc enim gratiã impetrauimus: iuxta illud propheticũ, Cõuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos. Sic Samuel docuit Iudæos, dicens, Si in toto corde vestro reuertimini ad dominum, auferte deos alienos de medio vestri, & præparate corda vestra dño, & seruite ei soli, & eruet vos de manu Philistiim. Et vos itaq; emẽdate vitã vestrã, peccata iã porro mittite, vt supplicatio vestra deo gratior efficiatur, impetretq; vobis quod petitis. Obseruate sedulo illud Sapientis, quinos monet ante orationem præparare animã, ne simus sicut homo tentans deum. Sic veteres fecerunt in suis supplicationibus, rex Ioſaphat, Iudith, & Machabæi, quorum exempla si vos quoque sequuti fueritis, non tantum mala tribulationum auertetis & persequutionum sed & gratiam & gloriam impetrabitis æternam, Amen.

Esaiæ 1.

Iere. 18.

Esaiæ 9.

Danie. 9.

Ioel. 2.

Zach. 1.

1. *Reg.* 7.

Eccl. 18.

IN HOMILIA SECVNDA DE supplicationibus.

Aperi oculos tuos domine, & vide afflictionem noſtram. circundederũt nos gentes ad puniendũ nos. Vel, Scitote quoniã exaudiet dominus preces veſtras, ſi manẽtes perſeueraueritis in ieiunijs & orationibus in conſpectu domini. Iudith 4.

QVIS obſecro eſt qui neſciat? certe enim cuiq; Chriſtiano firmiter hoc credendum eſt, deum potẽtẽ eſſe omnium creaturarum, imo & huius ampliſimi mundi gubernatorẽ, regémq; adeo regum omniũ, quia in fimbria eius ſcriptum eſt, Rex regum & dominus dominantiũ. Illius ſiquidem eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo. Quamobrem etſi potentes contra nos pugnant hoſtes, quanuis ſint fortes & horribiles, tamẽ ſi cõfidamus in auxilium & adiutorium dei, ex animo petentes illud, nosq; conuertamur ad dominum, ex ipſo ſolatiũ omne ſperantes, ſane adiuuabit ille nos: iuxta illud Pſalmi, Iacta in dominũ ſpem tuam & curã tuam, & ipſe te enutriet, neque dabit in æternum in fluctuationem iuſtum. Quicũque enim plus fiduciæ & ſpei repoſuerunt in potentia & viribus ſuis quam in deo, ſuccubuerunt. Quanto rectius fecit rex Ioſaphat, qui cũ impeteretur à valido fortiq; exercitu clamauit ad dominum, dicens, Quum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolũ habemꝰ reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te? Et vos igitur hoc facite dilectiſsimi, quum videatis irruentẽ in nos potentiſsimum Turcarum imperatorẽ, qui iam velut hæreditario iure hoſtis eſt Chriſtiani tũ ſanguinis tum nominis, & fidei noſtræ, Is ipſe tantum ſibi ditionum vendicauit, quantũ duo olim poſsidebant imperatores: inſuper quoq; plurima regna, ampliſsimos ducatus, inſulas & vrbes potentiſsimas ſubegit, Chriſtianos occidit, trucidauit, in perpetuã ſeruitutẽ abduxit, innocẽtes paruulos ad parietes allidere veritus nõ eſt eoſdẽ quoq; in ſua infidelitate ad perpetuã dãnationẽ educauit, virgines ſtuprauit, parẽtum cõſpectũ nihil reueritus, vxores quoq; impudẽter tractauit maritis cernẽtibus, (exaggera, ſi potes, quia nẽ tam dira dicere poteris, quin truculẽtiora & crudeliora fecerint.) tẽpla vel diruunt, vel in ea dãnatiſsimũ Mahomet collo-

Apoc. 19.

Pſal. 59.

2. Pa. 20.

collocarũt, crucifixi imaginẽ & cõſpuerunt & ſagittis tranſfixerũt, venerabile euchariſtiæ ſacramẽtũ pedibus cõculcarunt, aliaq; magis horrenda exercuerunt, quæ fieri permiſit dominus propter magna & multa peccata noſtra. ¶ Conſiderãtes ergo hoſtis noſtri potẽtiã, quid faciemus cõſultius, niſi vt cõfugiamus ad auxiliũ dei, clamantes vſq; in cœlum? Sciendum enim hoc nobis eſt, & ſedulo præ oculis habendum, qđ ſacerdos magnus Eliachim dixit ad Iudæos quãdo irruiſſet in eos Holofernes potẽtiſſimi regis Nabuchodonozoris dux exercit⁹ & princeps, Quoniã exaudiet dom⁹ preces noſtras, ſi manẽtes ꝑſeuerauim⁹ in ieiuniis & oratio nibus in cõſpectu dñi, &c. quæ verba fuerũt thematis, vnde præſenté homiliam exorſi ſumus. Media vita in morte, &c.

Euangelium vt ſupra.

CONGREGATI hodie dilectiſſimi in Chriſto adiplorãdã inq̃rẽdãq; dei gratiã & miſericordiã, victoriã quoq; petẽdã ex hoſtibus (ſecũdũ qualitatẽ hoſtis exaggera, & mitiga inductionẽ ad cõmouẽdos affectus auditorũ) diſcamus ex ſacris literis, quomodo qualesq; nos in tãtis periculis exhibeamus, qm̃ ſic videbimus quid illi fecerint, qui gratiã & pacé impetrauerũt apud dominũ, quorũ nobis veſtigiis erit inſiſtẽdũ. Et quãuis in ea re cõſiliũ nobis optimũ eſſet, miſsis peccatis cõuerti ad dñm, ſicut antea diximus, & piis ꝑcibus obnixe dñm precari, vt ille animabus noſtris ꝑ gratiã ſuã mederetur, nobisq; infunderet voluntatẽ bonã, eandemq; in nobis cõſeruaret: ſiquidẽ ſua tantũ gratia indigemus, ſicq́ue clamemus cum Dauide, Domine, non ſecundũ peccata noſtra facias nobis, neq; ſecundũ iniquitates noſtras retribuas nobis. *Pſal. 102*

¶ Diceret hic aliquis, Audio, ſed videor hinc mihi colligere oẽs ſupplicationes noſtras eſſe vanas, quũ bona ſupplicantium pars ſint peccatores, pauci quoq; pœnitẽtiã egerint, iã contriti de peccatis ſuis, propoſitũ habẽdo ea vitare. Sane enim hic corruerent omnes proceſsiones noſtræ, plane vanæ futurę. Reſpõdetur, Et ſi ſint in ſupplicationibus peccatores, qui nõ habeãt animũ deſiſtẽdi à peccatis, illorũ tamen quoque petitio fruſtra nõ eſt: ſiquidẽ vt maxime etſi nihil mereãtur, poſſunt tamen nõnihil impetrare id ita declarant doctores, quia dicit dñs, Omnis q̃ petit, accipit. Addit Chryſoſtom⁹, Siue ſit iuſtus, ſiue iniuſtus, non quidẽ hoc intellige, ſi pecca *Mat. 7. 18* *Chryſ.*

tor petat ſecundum malam concupiſcentiam ſuam, pro eo quod faciat illi ad iniquitatem ſuam promouēdam, ſed hoc ſenſu cum natura peccatoris in ſe ſit bona atque adeo à deo creata, quicquid autem creauit deus, hoc ei placet, ſiquidem nihil odit eorum quæ fecit. Ideoque etiā oratio peccatoris in reſpectu naturæ poteſt placere deo, ſi hoc omnino petat quod boni petunt. ſicque ex ſuperabundanti miſericordia plus dat nobis deus quam noſtra dignitas, imo indignitas poſtius mereatur, atque remunerat opus in ſe, non attenta operantis iniquitate. Quid multa? reſpicit opus operatum, non conſiderans quod operans eſt indignus & nihil meretur, quia meritum aliqualiter innititur iuſtitiæ diſtributiuæ, ſed impetratio mere innititur gratiæ. ¶ Rurſus obiicies, ſcimus quia deus peccatores non exaudit. Itaque nō exaudiet deus orationem noſtram etiā in ſupplicationibus, quum tot ſint inter nos peccatores. Audi reſpondētem tibi Auguſtinum, quoniam dictum hoc cæci eſt, qui adhuc loquitur inunctus. nam & peccatores exaudit deus. ſi enim id non eſſet, fruſtra ille publicanus oculos in terram demittens, & pectus ſuum percutiens, diceret, Deus, propicius eſto mihi peccatori. Locum itaque habet iſtud cæci dictum, in tribus tantum caſibus. Primum quando peccator petit quæ petere parum deeet: deinde, quum petitio eius oritur ex radice eius peruerſa, puta ſuperbia aut hypocriſi: poſtremo, quando petit contra interdictum eccleſiæ cum ſcandalo, vt ſi orat excommunicatus, aut ſi peccator publicus, presbyter orationē ſuā coram toto populo etiā officio ſuo id exigente perficit. Huic enim dicit dominus illud quod habet Pſalmiſta, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentū meū per os tuū? ¶ Alias ſacris literis hoc contrarium non eſt, quod deus peccatores exaudiat in orationibus ſuis. Nam ita exaudita eſt mulier peccatrix Maria, & publicanus ille percutiens pectus ſuū, deſcēdit iuſtificatus in domum ſuam. Conſtat hoc idem ex more totius eccleſiæ, quæ in Litania clamat ad dominum, Peccatores te rogamus, audi nos. Similiter patet illud ex eo quod dominus dixit in parabola, Serue nequam, omne debitum remiſi tibi quia rogaſti me, Ecce omne debitū remiſit ille ſeruo, nequā, homini peccatori, quoniā rogauerat eum. ſic nos quotidie oramus, diuina inſtitutione formati, Dimitte nobis debita noſtra, confitentes per hoc

Ioan. 9.
Trac. 44. ſuper Ioā.
Pſal. 49.
Lucæ 7.
Lucæ 10.
Mat. 18.
Mat. 6.

nos

hoc nos esse peccatores, vt ait Augustinus. Quia ergo peccamus quotidie etiam peccatorũ remissionem petere debemus. Et hinc iam satis patet, quomodo etiam peccatores in orationibus suis impetrare aliquid possint, quãuis nihil mereantur dum sunt in peccatis. (adde si placet de obstetricibus AEgyptiis, quæ fuerũt idololatræ, & sic peccatrices. tamen quia timuerũt deum, ideo à deo impetrarũt, vt eis ædificarentur domus.) 2 Quanuis in processionibus plures sint mali quam boni, attamen spes bona est, inter nos quoq; aliquod esse bonos. Tam efficax autem est oratio bonorum apud deum, vt etiam pro malis illi, neque pro se tantum impetrare aliquid valeant. sic enim dominus dixit ad Abrahã, si inueniret decem homines iustos in Sodoma, se nõ perditurum eam. sic Moyses & Aaron sæpe steterunt ante dominum, orantes pro populo nequam, & exauditi sunt. Elias homo vnicus erat, & tamen oratione sua recõciliatum placatúmque deum reddidit vniuerso regno etiam peruersi regis Achab. Accedit huc ratio, sicut pulchre arguit Augustinus, quoniam tanta debet esse vnitas humanæ societatis, vt quisque sic sit pro alio solicitus, tanquã vnum corpus essemus omnes. & propter hanc societatem humanam, fit, vt alius pro alio hic plectatur in terra. nam quod sæpe mali homines peccatis suis merentur bella, famem, pestem, hic quoque cum malis puniuntur boni. Quod cum fiat, vt bonos cũ malis affligat deus, quur nõ vicissim cui propria est misericordia, interdũ malis propter bonos peccata dimittat? Spes igitur nos bona manet, implere dominum deum verba prophetæ sui sancti in supplicationibus nostris, Domine deus, quum iratus fueris, misericordię recordaberis. & quod Dauid dixit, Nõ retinet in ira misericordiã suã. dixi, motus est pes meus misericordia tua domine adiuuabit me. Plena vndiq; est scriptura testimoniis misericordiæ diuinæ, quã obrem sic orat ecclesia, Deus, cuius misericordię nõ est numerus, & cui nunquã sine spe misericordiæ supplicatur. Porrò etiam peccatores mœreri aliquid apud deum supplicationibus & aliis operibus bonis, facile est colligere ex duobus exemplis: altero Niniuitarum, quorum ciuitatem subuertere deus volebat, sed quũ ieiunarent illi, & alia opera bona exercerent, quãuis peccatores & idololatræ essent, misericordiam tamen dei impetrarunt, vt nõ veniret plaga illius su-

August.

Gene.18.
Exod.32.
Num.14. & 21.
3. Reg.18.
Augusti.

Abac.3.

Ionæ 1.

per eos. ſimili exemplo tyrānus etiam Achab, pponi poteſt,
3. Reg. 21. ad quem cùm veniſſet Elias à deo miſſus, prænũcians quod eodem loco vbi antea canes linxerunt ſanguiné Naboth, ibi futurum eſſet vt lingerent etiá ſanguiné ſuum, ſequitur ibi, Hæc dicit domin⁹, Ecce inducá ſuper te malũ, & demetá poſteriora tua, & interficiá de Achab mingentẽ, ad parietem, & claudũ & vltimũ in Iſraël. Audiens hæc Achab, ſcidit veſtimẽta ſua, & operuit cilicio carnẽ ſuã, ieiunauit & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite. Et factus eſt ſermo domini ad Eliá, Nónne vidiſti humiliatũ Achab corã me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, nõ inducá malũ in diebus eius, ſed in dieb⁹ filij ſui. 3 Simul atq; ergo humilitas etiá peccatoris placet deo, quis nõ videat quomodo humi-
Matt. 6. litas Chriſtianorũ adhuc magis placet deo? idq; eo maxime, quod illi multas habent orationes pias, illam cũ primis, quã nos docuit Chriſtus ipſe, cui & ideo non poteſt nõ placere quãdo oram⁹, Libera nos domine à malo: deinde cãtica plurima & oratiões pene innumerę ſunt in eccleſia, miſſę quoque peculiares in hoc inſtitutæ ab ipſa eccleſia, quæ guber-
Eph. 3. 5. natoré habet ſpiritũ ſanctũ, ſponſaq; Chriſti eſt, cui cùm ſit illa chariſſima, quomodo excludat oratiões & preces ipſius,
Apoc. 22. ſicut Aſſuerus preces Heſter facile admiſit? Auget inſuper
Heſt. 7. pium hominũ affectum, neque parũ adiuuat impetrandi facilitatem, quod cõmuniter in ſupplicationibus deferri ſolent triũphalia Chriſti trophæa, vexilla & cruces, quod ſignum etiá apparebit in cœlo, quũ dominus ad iudicandũ venerit. ¶ Ad hæc cõmuniter in ſupplicationibus circunferri ſolent reliquiæ ſanctorũ, idq; in eorum veneratiõné, quantis tunc quoque profitemur nobis illorum ope opus eſſe & auxilio, tanquã interceſſorum noſtrorũ apud deum, vt qui per merita ſua facilius poſſint nos adiuuare. Teſtimonium inſuper hoc idem eſt fidei noſtræ, cõfitentibus ſic nobis, credere nos quod viuant iam cũ Chriſto vt amici poſt hanc vitam & mortem, quoque nobis ſæpius interuentu ſanctorum ſuorum benefaciat deus, alias nõ facturus, ſicuti per lõgum diſſeruimus de interceſſione ſanctorũ in feſto ſanctorũ omnium. ¶ Pro reliquis etiam argumentum efficax habemus ex eo, quod mulier ſolo fimbriæ contactu in veſte Chriſti ſa-
Matth. 9. nata eſt. Quis enim neget Chriſtum adeſſe reliquiis ſanctorum ſuorũ, qui virtute diuina aſtitit ſuæ veſti? nemo vtique

inficias

inficias ibit, Christo chariorem fuisse Petrum aut Paulum quam vestimentum. Aut quur non magno sit solatio Christianis, sanctorum reliquias in processionibus circunferre, quum tamen magna fiducia & consolatione freti Iudæi, arcam detulerint in aciem aduersus hostes suos? alias quoque commigrantibus Iudæis & sublata arca, dicere solitus est Moyses, Exurge deus, & dissipentur inimici tui, fugiant à facie tua qui oderunt te. *Num. 10.* Quid quod sacerdotes septies circumierũt vrbem Iericho, tantisper secum deferentes arcam fœderis, dum corruerent mœnia? 4 Ne nos deterreat à supplicationibus, quod nõnunq; nõ statim desinit afflictio, ob quam supplicabatur domino: forsitan enim iratus nobis dominus, nisi eiusmodi supplicationibus fuisset aliquantulum placatus, maiora pericula immissurus erat. deinde, etsi non statim sentiamus auxilium, meminisse tamen debemus eius quod dicit Augustinus, Orationes aliquæ nõ nobis denegantur, sed differũtur, vt nobis tempore opportuno reddantur. *Augusti.* Quanuis mora eiusmodi potest nobis cedere in bonum, dum sic mouemur & in oratione perseuerare, & instantius aliquando petere, nonnunquam etiam aliquid mali & illiciti vitare. vel tribulationes tales quibusdam sunt incrementa virtutum & augmenta meritorum, etsi nos ignoremus. Quis enim diuinorum iudiciorũ ponderet rationes? *Rom. 11.* quis cognouit sensum domini, aut quis cõsiliarius eius fuit? Nunquid nõ medicus morbum ęgrotantis melius agnoscit, quam ipse qui infirmatur? ¶ Ante omnia quoque, quũ dubium nõ sit, patrẽ misericordiarũ & deum omnis cõsolationis nullũ relinquere bonũ irremuneratũ, ideo etiam non secundũ petitionẽ nostrã recipiamus, ipsæ tamen supplicationes sua mercede nõ destituerentur. nos quoq; si sumus peccatores, ecce illos sic dilexit deus, vt vnigenitũ filium suum miserit in hũc mundũ in similitudine carnis peccati, qui nobis misericordiã suã largiri dignetur hic & in futuro, Amẽ. *Rom. 8.*

HOMILIA TERTIA.

Domine deus, quum iratus fuerit, misericordiæ recordaberis. Abac. 3.

QVandoquidẽ semel homo vestẽ innocẽtiæ amisit per peccatũ Adæ, ingresso per vnum hominẽ peccato in mũdũ, ipsaq; per peccatũ morte, sane peccatũ in causa est, quod deus mũdũ in iracũdia *Gene. 3. Rom. 5.*

gubernat. Nos autem quum in hac vita nondum simus desperati, vel in peccatis obfirmati instar damnatorum, possumus adhuc gratiã dei impetrare. semper ego in omnib⁹ operibus dei, quæ fiunt in hoc mundo, concurrunt illa duo, misericordia & veritas, hæc quidẽ punit malum, illa pœnam moderatur & mitigat. hanc mitigationem impetrare possumus precibus piis, sicut vndiq; tota scriptura testatur, quia
Eccle.25. oratio humiliãtis se penetrat cœlos. Quemadmodũ orante
Exod.17 Moyse, victus est Amalech. orante Iosue, sol stetit, orante
Iosu.10. Anna, dedit dominus prophetã illum magnum Samuelem:
1. Reg.1. orante Ezechia facta est prolongatio vitæ, solq; retrocessit:
Esa.38. orante Elia, nõ pluit per trienniũ, eodẽ rursus orante, aper-
3. Reg.17. & 18. tum est cœlũ & pluit iterũ. Quapropter quũ iratus dominus tribulationes nobis immisit, cõgregemur in orationib⁹ sanctis, Clamemus cum Machabæis vsq; in cœlũ, vt ille nobis misericors esse dignetur. populus enim sic collect⁹, veluti vim quandã deo inferre videtur, iuxta illud, quia regnum dei vim patitur, & violẽti rapiunt illud. Quomodo autem nõ exaudiat dominus orationẽ tantæ multitudinis hominũ,
Matt.11. pio affectu cum humilitate cõuenientiũ ad inuocandũ eum, vt irat⁹ ille nobis, adhuc tamẽ recordetur misericordię⁹ quę verba fuerũt thematis, &c. Media vita in morte sumus, &c.

Euangelium vt supra, vel si forte bella grassantur, dic euangelium Matthæi 24. aut Lucæ 21. Quũ audieritis prælia.

Vt volumus precationes nostras deo esse acceptas, quibus gratiam impetremus, declinantes iram eius magnam, cõmodissimum est tales nos gerere, sicut à spiritu sancto in sacris literis edocti sumus, ideoq; eas euoluentibus nobis, primum se offert
2. Pa. 20. historia regis Iosaphat, contra quem quum pugnarent filij Moab & Ammon omnésque qui trans mare sunt & de Syrja, ipse etiam iam certo cognouisset eos irrupisse sibi in regionem suam, perterritus ille, totum se contulit ad rogandũ dominum, & prædicauit ieiunium vniuerso Iuda. edoctus
Deut.9. vtique erat à Moyse, ieiuniis dominũ placari, quoniã quum Iudæi adorassent vitulum aureum, dixit ille, Iacui corã domino quadraginta diebus ac noctibus, panem nõ comedens & aquã non bibens, propter omnia peccata vestra quæ gessistis contra dominum, & eum ad iracundiã prouocastis. sic
Ioel.2. ad ieiunium hortatur Ioel, dicens, Cõgregate cœtũ, coadu-

nate

nate populum, ſanctificate ieiunium. Et inde, Canite tubis in Sion, ſanctificate ieiunium. Sic ieiunauit Achab, ſic crediderũt Niniuitæ prophetæ Ionæ, & prædicarũt ieiunium. *Ionæ 3.* Quondam ſolennis fuit ea veterũ Chriſtianorum cõſuetudo, vt aliquot dies, cõmuniter tres, ieiunarent ante ſupplicationes, & adhuc mos ille permanſit in Italia & Roma & Gallia quando in magnis neceſſitatibus ſupplicatio inſtitui ſolet, tunc ea prius denũciatur, & homines certis diebus ieiunare admonentur, confiteri quoque & ſacramentũ ſuſcipere tum vero demum proceſſio celebratur. At nos frigidi Germani quid facimus? didicit hoc Ioſaphat à Samuele, qui qui grauiter oppreſſis Iudæis à Philiſtæis, dixit ad eos, Con- *1. Reg. 7.* gregate vniuerſum Iſraël in Maſphat, vt orem pro vobis dominum, & cõuenerunt ibi, hauſerúntque aquam, & effuderunt in conſpectu domini (quod ſignum erat humilitatis, quanuis alij accipiant lachrymas contritionis) & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt, Tibi peccauimus domine.

2 Sequitur in textu, Cõgregatus eſt Iudas (hoc eſt populus omnis ex tribu Iuda & Beniamin, quibus imperabat Io- *2. Pa. 10.* ſaphat) ad deprecandũ dominum, ſed & omnes de vrbibus ſuis venerunt ab obſecrandum eum. Cæterùm placere deo huiuſmodi ſanctam cõgregationem, ſatis audiuimus ex Ioele (vide ſupra homilia prima huius materiæ) vt quo cõmunior eſt oratio, eo magis placeat deo. non temere inoleuit dictum de generali oratione, neque ea fruſtra aut inuanum vſurpatur in eccleſia, ſiquidem illam Apoſtolus quoque docuit, dicens. Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, *1. Tim. 2.* orationes, poſtulasiones, gratiarũ actiones pro omnibus hominibos, pro regibus, &c. Idem frequenter huiuſmodi communem obſecrationem petit à Romanis, Corinthiis & Coloſſenſibus. Notabitis autem quod illi de omnibus vrbibus ſuis accurrerunt in Hieruſalem, quo nonnulli longum iter habebant. Nos quam torpemus deſides & ignaui, qui vix ad ædem parochiæ noſtræ accedimus proceſſionem celebraturi? Magna ſemper nobis incumbit laborandi neceſſitas, ſicuti ſeruiendum eſt deo, alias perierimus. Veruntamen interim dum ipſi ocioſos dies nobis eligimus, quibus madeamus vino, ibi omnium laborum nos capit obliuio. ſed hæc *Luc. 2.* alias Ieſus, Maria & Ioſeph longum iter profecti ſunt ad templum in Hieruſalem, & nos piget pietatis ſtudio cum

reliqua hominum congregatione quam minimum itineris
2.Pa.20. ſpatium arripere? 3 Quumque ſtetiſſet Ioſaphat in medio
cœtu Iudæ & Hieruſalem in domo domini ante atrium no
uum, ait, Domine deus patrum noſtrorum, tu es deus in cœ
lo, & dominaris cunctis regnis gentium, in manu tua eſt for
titudo & potentia, nec quiſquam tibi poteſt reſiſtere, &c.
In nobis non eſt tanta fortitudo, vt poſsimus huic multitu-
dini reſiſtere quæ irruit ſuper nos, ſed quū ignoremus quid
agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos no-
ſtros dirigamus ad te. Verba hæc magnam optimi regis fidu
ciam erga deum arguūt, & ideo ille adiuuit eum, qui ſaluos
facit omnes ſperantes in ſe, & quicunque ſperat in deo, illū
Pſal.10. miſericordia circundabit. Diſcamus & nos exemplo Ioſa-
& 32. phat rogare dominum, ſperare & confidere in illum.
4 Sequitur ergo hinc auxilium & conſolatio dei, poſt ha
bitam ſupplicationem & congregationem factā, habitamq;
2.Pa.20. orationem. Venit enim ſpiritus domini ſuper Iazihel Le-
uitam, & ait, Attendite omnis Iuda & qui habitatis in Hie-
ruſalem, & tu rex Ioſaphat, hæc dicit dominus vobis, Noli-
te timere, nec paueatis hanc multitudinem. non eſt enim ve
ſtra pugna, ſed dei. Ecce quomodo deus cōſolatur ſuos iam
metu magno pertulſos, quibus & victoriam promiſit domi
nus, & modum oſtendit quo ſuperaturi eſſent hoſtes ſuos.
Huiuſmodi conſolationem ſemper certo expectare debent
Luc.22. boni homines à deo. In eius rei exemplum etiam Chriſto ſu
dorem ſanguineum ſudanti, apparuit angelus de cœlo, con-
fortans eum. Præterea quum pluſquam ſeptuaginta milia
hominum occidiſſet deus propter peccatum Dauidis, & ta-
men eo ſperante in dominū, apparuit illi angelus imponens
2.Reg.24 gladium. Iacobo occiſo ab Herode, & Petro fortiter obmu
nito, tota autem Chriſtianorum multitudine pro eo orāte,
Actu.12. apparuit angelus domini & liberauit illū. Laurētius quoq;
cum à tyranno Decio ſuper cratem ferream impoſitus tor-
reretur, gratiam ille adhuc dei habuit & dulcedinem ſpiri-
tus tantam, vt prunas putaret eſſe roſas. Atq; eiuſmodi con
ſolationibus vndique ſcriptura abundat. Sicut ergo Iazihel
prædixerat, ita exierunt in aciem, & rex conſuluit vt canto-
res domini ſtatuerent in ordine ſuo, qui laudarent deum &
Pſal. 135. antea cederent exercitum, ac voce conſona dicerent, Confi-
temini domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſe-
ricordia

ricordia eius. Quumque cœpissent laudes canere, vertit dominus insidias hostium in semetipsos, ita vt Ammonitæ & Moabitæ occiderent habitatores montis Seir, deinde quoque mutuis conciderent vulneribus. Porro Iuda quum venisset ad speluncam, vidit procul omnem late regionem plenã cadaueribus, exuit quoque & spoliauit occisos, abripiés secũ quicquid inuenerat, ita vt nõ facile liceret portare ea omnia. hinc rursus profecti sunt in Hierusalẽ, & ingressi sunt cũ psalteris & citharis & tubis in domũ domini. Discant hic qui deũ deiq; ministros cõtemnũt, & in pugnis suis fiduciã omnẽ reponunt, discant inquã & potentiã dei contemplẽtur, qui antea multũ inflati & turgidi, vbi ad rem ventũ est, fuga sibi cõsulunt, neque supplicationes nec quaslibet orationes cultus diuini admittũt. Ecce & nos experimur hoc exẽplo, quã fœliciter hactenus pugnauerimus aduersus infideles. Ecce quomodo rex Iosaphat cum omni populo venit in domum domini, gratias egit deo, quem simul cõfessi sunt illum esse à quo omnis victoria est, quoniam nõ in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Et sic Zorobabel benedixit regem cœli, dicens, A te est victoria, sapientia & claritas. Extende ad placitum super eo, quo egerunt gratias deo, & hoc fecerunt in hymnis & psalmis. ¶ Sed aliam quoque videamus historiam, proposito huic nostro deseruientem, vnde discamus quomodo supplicationes nostras celebrare debemus in hoc vt placeant deo. Quum Sennacherib rex assyriorum expeditione mota in Iudæam profectus esset aduersus regem Exechiam, ipsumque permouere conaretur vt se ei dederet, nihil iam sperans in deum, adductis in hoc multis blasphemiis contra deum viuentem, Ezechias scidit vestimenta sua, & opertus est sacco, ingressusque est domum domini, & misit ad Esaiam, vt rogaret dominum pro populo suo reliquo, qui consolatus est eum, nilque timere iussit. Insuper cum rex Sennacherib literis eum admoneret, ne se à deo suo decipi sineret, in quem reponebat spẽ omnem, rursus ingressus templũ, expandit literas corã domino, & orauit in cõspectu eius, dicens, Domine deꝰ Israël, qui sedes super Cherubim, tu es deus solus regũ omnium terræ, tu fecisti cœlum & terram. inclina aurem tuã, & audi omnia verba Sennacherib, Orauerũt itaq; 2. *Mac.* 3. 3. *Esdr.* 4 4. *Re.* 18. & 19. *Esa.* 37. 1. *Par.* 38.

Ezechias & Esaias aduersus blasphemias Sennacherib, clamantes vsque in cœlum. Et sicut dominus Esaiæ reuelauit, ipse adeo prophetauit, ita angelus domini ea nocte de exercitu Sennacherib occidit in castris suis centum octogintaquinque milia hominum. Sennacherib autem mane visis cadueribus mortuorum, abscessit domum, vbi quum in templo adoraret idolum suum, à duobus filiis suis occisus est.

Iud. 3. ¶ Accedat iis duabus adhuc alia historia, quam legimus in libro Iudith, quoniam quum rex Assyriorum Nabuchodonosor vicisset potentissimum Medorum regem Arphaxad, emisit Holofernem supremum ducem suum cum exercitu prævalido, qui statim deuicta Syria & subiugata Mesopotamia, Lydia quoque, Cilicia & Idumæa subiectis, quũ cognouissent hoc Iudæi, admodum exterriti sunt, ne similiter ille faceret sibi & templo sancto domini. Scripsit ergo sacerdos dei Eliachim Iudæis, vt occuparent angustias & *Iud. 4.* montes quibus ad Hierosolymam pateret accessus, omnisq; populus clamauit ad dominum, & animas suas humiliauerunt in ieiunio & orationibus ipsi & vxores ipsorum, sacerdotes etiam induti sunt cilicio, & paruuli prociderũt in terram versus templum, altare quoq; operuerunt cilicio, simul omnes proclamantes ad dominum deum Israël, ne infantes eorum darẽtur in prædã atq; rapinam, & vxores in diuisionem, hoc est, adulteriũ, ciuitates autem in exterminiũ, & sancta eorum in pollutionem, fierentq; in opprobrium gẽtibꝰ. ¶ Ecce illi non tentarunt dominum, sed pro viribus quod in se situm erat, fecerunt angustias & montana occuparunt, de reliquo se commendarunt domino in orationibus suis. faciamus idem & nos tempore belli, quæ virium nostrarum sunt agamus diligẽter, paremus arma, morbi pestisq; tempore quæramus medicinam, in caritate annonæ frumenta con-*Genes. 42.* quiramus. sicut pro illis misit Iacob filios suos. nam qui nihil ipse facturus omnia relinquere deo vellet, quid ille nisi deum tentaret? atq; id prohibitum grauiter est, sicut & do-*Matt. 4.* minus ait, Non tentabis dominum deum tuum. deinde con-*Deuter. 6.* sidera affectum pium illorum, qui magnam gerebant curam templi & altaris plusquam corporum suorum, ne forte ibi gentes idololatriam committerent. Ad hæc humiliauerunt se omnes tũ viri, tũ mulieres, sacerdotes quoq;, insuper paruulos infantes detulerunt ante templum, quasi facto ipso dicere

cere vellent, Domine deus, etsi nos huiusmodi pœnam peccatis nostris meruimus, attamen infantulos hos respice, qui peccatum non habent, & miserere nobis. Præterea considera quare populus humiliauerit animas suas, oratione scilicet & ieiunio, sacerdotes quoq; cilicio, non inuenias talem pietatem iam inter nos, quanuis supra diximus supplicationem veram instituendam esse præuio ieiunio & oratione. Super hoc clamauerunt vnanimiter ad dominum, congregato omni populo & per modum processionis veniente in Ierusalem. Adhuc quatuor accurarunt diligēter. soliciti enim fuerunt de liberis, ne in seruitutem abducerentur per rapinam: vxorum, ne per adulteria diuiderentur ab eis: ciuitatū, ne cum iis ipsi quoq; cogerentur hostilem sequi exercitum: *Iudith 4.* & templi atque sanctorum, ne in abusum verterentur & opprobrium gentibus. ¶ Cæterùm quum sic omni Iuda humiliaretur, Eliachim sacerdos circumiuit omne Israël, dicēs eis, Scitote quoniam exaudiet dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiuniis & orationibus in conspectu domini, Memores estote Moysi serui domini, qui Amalech *Exo. 17.* confidentem in virtute sua, in potentia & exercitu suo, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit. Ad hanc eius exhortationēm deprecantes dominum, permanebant in conspectu domini, ita vt etiam ij qui offerebant domino holocausta, præcincti ciliciis essent, & cinerem haberent super capita sua. Atque ex toto corde suo omnes orabant deum, vt visitaret populum suum Israël. Obserua hāc mihi exhortationem Eliachim, quia sacerdotum & prædicatorum est in magnis periculis plebem ad pietatem exhortari & orationem, quoniam potens esse debet huiusmodi in *Tit.1.* doctrinam salutari, sicut Paulus fecit quum diceret, dominus noster Iesus Christus exhortetur corda vestra, & confirmet ea in omni verbo & opere bono. Deinde vide perseue *2. Thes.2.* rantiam eorum in orando, sicut & apostoli fecerunt, & Paulus inquit, In disciplina perseuerate. quoniam ea conditio *Act.1.* est bonæ orationis, vt sit perseuerans. quisquis enim perseuerauerit vsque in finem, saluus erit. *Heb.12.* *Matt.10.*

¶ Mox considera sacerdotes aliquid feciſſe vltra vulgus hominum, quia præcincti cilicio habebant cineres in capitibus suis sic nimirum sacerdotes nostri eiusmodi pietatis officiis semper reliquos vincere debent, quoniam eorum officium

proprium eſt orare pro populo dei. ſic nanque Moyſes ad
Leuit. 9. Aaronem dixit, Offer holocauſtum, & deprecare pro te &
Heb. 5. pro populo, ſic Paulus ait, Omnis pontifex ex hominibus aſ
ſumptus, pro hominibus cõſtituitur in iis quæ ſunt ad deũ,
vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Præterea quum A-
chior ob dictam Holoferni veritatem ab Aſſyriis alligatus
eſſet arbori in Iudæa, iamque Iudæi rem omnem intelligerent, & quid mentis haberet Holofernes acciperent, popu-
lus totus nocte conuocatus in templum, orando implorauit
auxilium domini dei Iſraël, qui mos fuit multum pius apud
Chriſtianos etiam, quod in magnis feſtiuitatibus totas no-
ctes duxerint peruigiles, vnde vigiliæ ſunt dictæ, quæ tamẽ
iam abolitæ ſunt, partim ex abuſu multarum rerum quæ no
ctu contingebant. (Vide Hiero. contra Vigilantium.) par-
tim ex refrigeſcente charitate Chriſtianorum, negligẽtium
honorem & cultum diuinum. Quumque Iudæi præcenſiſ-
ſent Holofernem appropinquare cũ exercitu ſuo, pro lapſi
in terram, conſperſerunt ſe puluere, & orarunt dominum.
ſed Holofernes, phibuit ciſternas forti cuſtodia. ita vt vel-
lent tradere vrbẽ. Ozias autem ſacerdos Bethuliæ, perſua-
ſit eis vt quinque adhuc dies different, expectantes miſeri-
cordiam domini. eo tempore ſi nil fieret, tunc tandem ſe
Iudith 8. dederẽt hoſti. ¶ Ibi matrona honeſtiſsima Iudith iã in quar
tum annum vidua. habebat in ſuperiori parte ædium habi-
taculum, vbi ſola degebat incluſa cum puella. ipſa vero cili-
cium geſtabat in lumbis ſuis, ieiunabat quotidie. ſabbato &
neomeniis demptis, quanuis eſſet formoſa admodum & di-
ues, abundans proceſsionibus, multisq; pecudibus, bobus &
ouibus. Ea irata eſt quod Ozias tempus certum cõſtituiſſet,
ſiquidem terminum & modum ponere diuinæ miſericor-
diæ, nihil aliud eſſet quàm tentare dominum. Admonuit er
go & exhortata eſt illos ad pœnitentiam & humilitatem,
dixitque ſacerdotibus duobus Chambri & Charmi, Nunc
fratres, quoniam vos qui eſtis presbyteri in populo dei, &
ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium veſtrum cor-
da eorum erigite, vt memores ſint quia tentati ſunt patres
noſtri, vt probarentur ſi vere colerent deum ſuum. Repu-
temus itaque hæc ſupplicia minora eſſe flagella domini, &
quia ſic corripimur non ad perditionem noſtram, ſed emen
dationem. Inde commiſit eis vt orarẽt pro ſe dominum, ad

probandum

probandũ an consilium suum esset ex deo. postea ingressa oratoriũ suum, orauit dominũ pro liberatione populi. Statim exornauit se vestimẽtis suis preciosissimis, & cũ ancilla sua egressa est in castra hostium, vbi cominotus aduersus eã est Holofernes, & in cõcupiscentiã eius exarsit. die ab hinc quarto repletus est vino vltra quã fuerat antea vnquã, volens cum ea cõcubere. quæ amputato duobus ictibus capite illius, reuersa est cum eo in ciuitatẽ. eam vero custodes putabãt iuxta cõsuetudinem suam ire ad orationem, sic exaudiuit dominus orationẽ & gemitum eorũ per masculã virtutem Iudith. Expende quã sancte tenuit viduitatẽ, non lasciua, non in publico versata, nõ crapulosa, &c. ¶ Nũc postremo discamus, quomodo nos in supplicationibus exhibeamus, ex historia Machabæorum, Quum enim Simon de tribu Beniamin ædituus esset, & Onias nollet permittere vt ærarij thesauros diuideret, prodidit ille pecuniã præfecto regis, qui misit Heliodorum Hierosolymas, vt pecuniã illam transportaret. Is quum veniisset Ierusalẽ cum mandato regio, & peteret istud ab Onia, nõ modica per vniuersam ciuitatem concitata est trepidatio. sacerdotes enim ante altare cum stolis suis iactauerunt se, & inuocauerunt deum cœli qui depositis legẽ posuit, vt iis qui deposuerat ea, salua custodiret. Alij cõgregati de domibus confluebant, publica supplicatiõe obsecrates pro eo, quod in contẽptũ locus esset venturus, accinctæq; mulieres ciliciis pectus, per plateas cõfluebant. sed virgines quæ cõclusæ erant, procurrebãt ad Oniam, aliæ autẽ ad muros, quædam vero per senestras aspiciebant, vniuersæ tamẽ protendentes manus in cœlum deprecabantur. ¶ Heliodorus autẽ mandatum regis impleturus, iam ęrario proximus quum esset factus, apparuit equus horrendus qui cum impetu Heliodoro priores calces elisit. qui autẽ ei insidebat, videbatur arma habere aurea. alij etiã duo astiterũt ex vtraq; parte, flagellis ipsum verberantes continuo. Heliodorus concidit in terrã. quem multa caligine circunfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum eiecerunt, qui ibi iacebat mutus. omni spe & salute priuatus. Tunc vero ex amicis Heliodori quidam rogabant Oniam, vt inuocaret altissimum, qui in supremo spiritu erat constitutus. Quumq; ille summus sacerdos exoraret, iidem iuuenes eisdem vestibus amicti

Iudit. 9.
Iud. 10.
Iud. 12. 13.
2. Mac. 3.

astātes Heliodoro, dixerūt, Oniæ sacerdoti gratias age, nā propter eū dominus tibi vitā donauit. Tu aūt à deo flagellatus, nuncia omnibus magnalia dei & potestatē. Heliodorus ergo hostia deo oblata, Oniæ gratias agēs, recepto exercitu, repedabat ad regem, status omnibus ea quæ sub oculis suis viderat opera magna dei. Quum autem rex interrogasset Heliodorum, quis esset aptus adhuc semel Hierosolymam mitti, ait, Si quē habes hostē aut regni sui insidiatorē, mitte illuc, & flagellatū eum recipies, si tamen euaserit, eo quod in loco sit vere dei quædam virtus. Ecce quantū valeat oratio sacerdotū qui hic prociderūt in terrā, ecce quid possit oratio multitudinis totius publice congregatę, quātum efficiāt gestus externi mulierum & aliorum omnium, quorum humilitate commotus est deus potentiam suā exhibere ad affligendum Heliodorum. ergo & nos si in deo spem nostrā reposuerimus sicut Iosaphat, humiliauerimus nos etiam in ieiuniis, orationibus, cilicio, cinere, clamātes ad dominū perseueranter, quis scit si conuertatur & remittat peccata, benedictionē autē nobis suā infundat, quando non est abbreuiata manus domini, qui facile possit imminentem istam à nobis auferre necessitatem? Id adeo præstare dignare Christe Iesu per amarissimam passionē & mortē tuam, per vulnera tua & sanguinem preciosum, fiat fiat, Amen.

SPERANDAM. ESSE IN BREVI VICTORIAM ADVERSVS

Turcam, Ioannis Eckii homiliæ quinque, ad reuerendissimum patrem & d.d. Bernardum, S.R. E. cardinalem, ac episcopum Tridentinum, anno M. D. XXXII.

IN NOMINE TVO DVLCIS IESV, AMEN.

Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem quam retribuisti nobis. *Psal.* 136.

Exo. 20. IVSTVS est deus, puniens peccata nostra. Nam ego sum dominus deus tuus, inquit, fortis zelotes, visitās iniquitatē patrū in filios, in tertiā & quartam generationem: eorum qui oderūt me:

Ose. 4. ideo per propherā inquit, Audite verbū domini filij Israël, quia

quia iudicium domini cũ habitatoribus terræ: non eſt enim veritas, & nõ eſt miſericordia, & non eſt ſcientia dei in terra. Experta eſt nempe Chriſtianitas iam ab octingẽtis ferme annis ira dei in Saracenico primũ, deinde in Turcico flagello, vt vere dicere poſsimus gemẽtes, Iudicium domini cum populo ſuo. Abſtulit Mahumetes è manibus Chriſtianorum Arabiam, vbi deo ſic permittẽte, & peccatis Chriſtianorũ exigẽtibus, Saraceni AEgyptũ occupauerunt, Lybiã, & totam Aphricã: & traiicientes mare, Hiſpanias inuaſerũt, ex quibus nõ poterãt expelli, potiſsimũ ex Granatæ regno, vſque ad ſecula noſtra, vbi glorioſiſsimus rex Ferdinandus, Cæſaris noſtri maternus auus, ſpecioſiſsimo triũpho regnũ illud Chriſtianitati reſtituit. Quoties inter ea irruperunt in Gallias, in Siciliam, in Italiã, in ipſam deniq; Romã Chriſtiani orbis caput? & non ſemel S. Petri eccleſiam vaſtarunt. vicerũt item Saraceni terrã ſanctam, pedibus ſaluatoris noſtri calcatam: & factus eſt hoſtis Chriſtiani nominis, cuſtos dominici ſepulchri. Maxima profecto dei ira quæ tot regna tot prouincias, tot ampliſsimos epiſcopatus Chriſtianitati abſtulit. nõ alia certe cauſa, niſi quia Chriſtiani nõ timuerũt deũ, nec ei ſeruierũt, & vt Samuel inquit, Nõ audierũt vocẽ domini, ſed exaſperauerũt ſermones eius: ideo fuit manus domini ſuper eos, & ſuper patres eorũ. Inclinantibus autem ſe rebus Sultani AEgyptiaci, ſurrexit Turca, eo nec in tyrannide, nec in odio Chriſtiani nominis inferior, qui mox Bithyniã arripuit, Cappadociã, Lyciã, Ciliciam, Armeniã minorem, Cariam, Lydiam, Paphlagoniã, Lycaoniã, Phrygiam, pontum, Pamphyliã, Galatiã, & in ſumma, totã Aſiã minorẽ, quæ hodie magna Turcia dicitur, ſuo ſubiecit imperio: & per diſſidiũ Chriſtianorũ, væh vobis, traiecto mari, irrupit in Europam, & occupauit Achaiã, Atticã, Thraciam vniuerſam, cũ imperio Cõſtantinopolitano, Bœotiam item & AEtoliã, Peloponneſum, Moreã, Epirũ, Macedoniam, Albaniã: ac ſuperato regno Bulgariæ, Boſnę, Seruia, Raſcia, Rhodo. Nigropõto & Belgrado, imminet Hungariæ, Poloniæ, Croatiæ, Dalmatiæ, & iamiam, prohdolor, Germaniæ; Germaniæ inquam & nobis, ſine parua aut vlla pene reſiſtẽtia, nõ ſine magna plaga dei: vt vere videatur de populo Chriſtiano dicere, Abiecerũt legẽ domini. ideo iratus eſt furor domini in populũ ſuum, & percuſsit eum. per-

Mich. 6.

Anno domini. 1492.

I. Reg. 22.

Eſaiæ 5.

cusit deus Christianos, quorum tot milia Turcicus gladius perdidit, tot milia in perpetuam seruitutē abduxit, tot milia cum omni posteritate in perfidiam Mahumeticā & ęternam damnationem seduxit. Et adeo non sunt cōmota aliorū Christianorum viscera super cōfratribus, vt nihil minus meditentur, quam reliquā partem Turcis finitimā, à tanta tyrannide vendicare. sed hæc est ira dei, sicut per Esaiam in-
Esa. 65. quit, Vltionem capiam, & non resistet mihi homo, quoniā iratus sum super populū meū. Effundā super eos indignationem meā, & omnem irā furoris mei. Hæc inquā heu nimis vera sunt & certa, ac veriora quā vellē, & omnino quā omnes Christiani velle debent. ¶ Fatemur ista gementes & flentes, at nō adeo absterreamur dei iustitia, quin bene sperare nobis liceat de eius misericordia: & quod Moyses in-
Exo. 14. quit, Dominator domine deus, misericors & clemēs, patiēs & multæ miserationis ac verax, qui custodis misericordiam in milia. cū ergo miserationū domini non sit numerus, quid
Rom. 11. ergo, si deus voluerit modo Christianitatis misereri? quis nouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit? vt sic Christiani retribuamus filiæ Babylonis Turcicæ retributionem quam retribuit nobis, cum verissimum sciamus es-
Psal. 88. se, quod Dauid inquit, Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea. quod vt deus faciat, expansis palmis, ardenti pectore, deuota mente, profusis lachrymis orate, sicut dominus apostolos & omnes Christianos docuit. Pater noster.

Euangeliū Lucæ 19. Cum appropinquaret. Vel Lucæ 21. Cum audieritis prælia. Vel Ioannis 16. Si quid petieritis.

ANTEQVAM veniam ad exhortationē, vt confidenter oretis deum pro victoria cœlitus conferenda principibus nostris D.D. Carolo Cæsari, & Ferdinādo regi Romanorum, aduersus Christiani nominis & sanguinis hostem Turcam præueniam pios fidelium aliquorum cogitatus, qui dum expendunt taciti totius mundi, qui in maligno positus est, malitiam, desperant victoriam Christianis cōtingere, sed iram dei pluere super peccatores laqueos, ignem & sulphur & spiritum
1. Ioan. 5. *Psal. 10.* procellarum. ¶ Primū autē motiuū, quo desperent victoriā de Turca, poterit sumi ex canonica nostrorū peccatorum

respon

reſpondentia. Sane vſq; clamat ſacra ſcriptura, tribulationum & bellorũ flagella ideo contra nos ſæuire, quia inobedientes non ceſſamus male viuendo deũ offendere, ita enim inquit dominus per Eſaiã, Ecce non eſt abbreuiata manus domini, vt ſaluare nequeat: neq; aggrauata eſt auris eius, vt nõ exaudiat: ſed iniquitates veſtrę diuiſerũt inter vos & deũ veſtrum, & peccata veſtra abſconderũt faciẽ eius à vobis ne exaudiret. Similiter per Ieremiã inquit, Repẽte loquar aduerſus gẽtẽ & aduerſus regnũ, vt eradicẽ illud, & deſtruã & diſperdã ſi pœnitẽtiã egerit gẽs illa à malo illo, quod locutus ſum aduerſus eã, & ego agã pœnitentiã ſuper malo, qđ cogitaui vt facerẽ ei. Et hoc eſt quod dominus per Pſalmiſtam comminatur, Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit, arcũ ſuum tetendit & parauit illum: & in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit. Et tota hoc loquitur ſcriptura, incipiẽs à Moyſe vſq; ad Ioannẽ. At Turcã immiſſum Chriſtianitati propter ſcelera & peccata noſtra, nemo eſt qui ambigat. ipſe enĩ eſt Aſſur noſter, de quo dicit dominus, Væ Aſſur, virga furoris mei & baculus ipſe eſt, in manu eius indignatio mea, ad gentẽ fallacẽ mittã eũ, & cõtra populũ furoris mei mãdabo illi, vt auferat ſpolia, & diripiat prædã, & ponat illum in cõculcationẽ quaſi lutum platearũ. Nõnne videtur de Turca dictũ (qui ex Scythicis clauſtris erupit, & tot regna ac prouincias ſibi vendicauit) quod per Ieremiã dixit dominis, Ecce adducam ſuper vos gentẽ de lõginquo, gentem robuſtã, gentẽ antiquam, gentẽ cuius ignorabitis linguã, pharetra eius. quaſi ſepulchrũ patẽs, vniuerſi fortes? Aſpice & cõſidera ac expende, vbi ſunt imperatores Cõſtantinopolitani & Trapezũtini. vbi reges Ieruſalẽ, Ciliciæ, Boſnæ, Cariæ, &c. vbi principes Moreæ, Epiri, Pelopõneſi, Albaniæ, Seruiæ, &c. omnes deleti ſunt, omniũ terras poſſidet Turca. quid ſi principatus etiã auferatur à ducibus Germaniæ, à banis Hungariæ, à palatinis Poloniæ, à baronibus Bohomiæ, ſimili de cauſa? Ita enim comminatus Sapiens, Regnum à gẽte in gentem trãsfertur ppter iniuſtitias & iniurias, & cõtumelias ac diuerſos dolos. vtinã in regnis Chriſtianis peccata iſta nõ late dominarentur. Quãtum autem ad crudelitatẽ attinet Turcarũ, plane eorũ ferocitatẽ apparet depinxiſſe Eſaias. non enim bellum agunt Turcæ, more aliorũ regũ, qui victoria & terris

Eſa. 58.

Iere. 18.

Pſalm. 7.

Eſaiæ 10.

Ierem. 5.

Eccl. 10.

potiti, ſatiantur: Turca ſanguinem ſitit Chriſtianum & ſer
Eſaiæ 12. uituté. Rem ante oculos ponit propheta, dum inquit, Omnis qui inuentus fuerit, occidetur: & omnis qui ſuperuenerit, cadet in gladio: infantes eorum allidentur in oculis eorum, diripientur domus eorum, & vxores eorum violabuntur. Infra, Sagittis paruulos interficient & lactantibus veteris non miſerebuntur, & ſuper filios non parcet oculos eorum. Hoc ne remotiora petam⁹ loca, à ſeptuaginta annis & citra, tam ſæpe audiuimus factitatum à Turcis in Croatia, Carniola & Carinthia, & nouiſsime in Auſtria, in Stiria, in ſinu Germaniæ: neque pilo facti ſumus meliores, ſed cogi-
Danie. 9. mur fateri cum Daniele, Omnia quæ feciſti nobis domine, in vero iudicio feciſti, quia peccauimus & non obediuimus
Iere. 30. tibi. ¶ Neque tamen audientes iſta, etiã nunc reddimur meliores, vt miſericordiam mereremur à deo, cum de nobis videatur dicere dominus, Si forte audiẽtes vniuerſa mala, quæ cogito eis facere, reuertatur vnuſquiſque à via ſua peſsima, & propicius ero iniquitati & peccato eorum, quoniam ma-
Leuit. 26. gnus furor & indignatio eſt, qua locutus eſt domin⁹ aduerſus populum iſtum. Cum ergo in peccatis perſeuerant homines, quæ ſpes nobis poteſt eſſe reliqua miſericordię dei, auertentis flagella Turcica irati dei à Chriſtianis? ſed potius creſcentibus flagitiis, indies etiam flagra incrudeſce & fieri aſperiora, ſicut dominus comminatur, Si non audieritis me, neque feceritis omnia mandata mea, viſitabo vos velociter in egeſtate: ponam faciem meam cõtra vos, & corruetis. Et quod alibi minatur, Tradat te dominus corruenté, ante ho-
Deut. 28. ſtes tuos, per vnam viam egrediaris cõtra eos, & per ſeptem fugias. & diſpergaris per omnia regna terræ. Nam etſi deus nõ ſolum per Turcam viſitat iniquitates noſtras, ſed etiam per peſtem, per caritatem annonæ, per inauditas & incognitas infirmitates puſtularum, ſudoris Anglici, &c. nihil tamẽ proficit deus in nobis, ſed reddimur de die in diem deteriores, vt obiicere nobis illud poſsit. Ecce fames & plaga & tribulatio & anguſtia miſſa ſunt flagella in emendationem, & in his omnibus ſe non conuertunt ab iniquitatibus ſuis, neque flagellorum memores erunt ſemper. & plura alia quæ ſequuntur in eodem capite, Cum ergo nullis caſtigationib⁹ dei abſterreamur à peccatis, & reconcilietur deo, quid aliud eſt nobis futurum, niſi quod manente cauſa manebit effectus?

ctus? Et nō ſolum deus nō auferet iſta mala belli Turcici, & alia à nobis, ſed magis exacerbabitur, & cū multiplicata ſit malitia & iniquitas, & cōfortate ſint auerſiones noſtræ, cōfortabūtur & multiplicabūtur etiā flagella domini, ſicut minatur in Leuitico, Sin autē nec ſic obedieritis mihi, addam correptiones veſtras ſeptuplum ꝓpter peccata veſtra, & cō teram ſuperbiā duritiæ veſtræ. Quod ſi quis expēdat, Turcam iam ita acceleraſſe in Germaniā, vt qui ante duodecim annos Belgrado, ne ꝓgrederetur arcebatur, tam paruo tempore tantū terrę ſibi peruium fecit, vt vltra ſeptuaginta miliaria Germanica: vbi tamē minus centū annis prius ad Belgradi clauſtra ꝓhibitus, coactus fuit ſubſiſtere, vt lōge iam ſuperare Turcæ videantur celeritate Chaldæos, de quibus Abacuc inquit, Ecce ego ſuſcitabo Chaldęos gentē amaram & velocem, ambulantē ſuper latitudinē terræ, vt poſſideat tabernacula nō ſua. horribilis & terribilis eſt. leuiores pardis equi eius, & velociores lupis veſpertinis, & diffundētur equites eius. equites eius de lōge venient, volabūt quaſi aquila feſtinans ad comedendū, omnes ad prædā venient. facies eorum ventus vrens. & cōgregabit quaſi arenam captiuitatem, & ipſe de regib⁹ triūphabit, & tyrāni ridiculi eius erūt. ipſe ſuper omnem munitionē ridebit, & cōportabat aggerem & capiet eam. Ex quibus omnibus fortiter apparet cōcludi & euinci, nullam eſſe ſpem victorię aduerſus Turcas, niſi prius pœnitētia de peccatis prēteritis peracta, reformemur in melius, & reconciliemur deo. Nam niſi prius deum iratum placuerimus, fruſtra ad cœlū clamabimus. ſed prius induti armis ſpiritualib⁹, emendemus vitā in melius, pœnitentiam agamus de peccatis, orationē deuotam corā deo offeramus, ſanctos dei implorem⁹ & corpus ieiuniis & abſtinentiis maceremus. ſed quotuſquiſque militum eſt aduerſus Turcas prælianti, qui hoc faciat? aut qui ſunt domi, qui hac Chriſtiana arte inimicū oppugnent, pauciſſimi reperiūtur. maior erat veterū Germanorum zelus ac deuotio, qui ante paſſagia, orationibus, ieiuniis, eleemoſynis ac omnis generis bonis operibus ſe ad bellū futurum accingebant. Iam ſi campana pulſatur ad orandū aduerſus Turcas, pro ridiculo habetur, & centeſimus nō orat pro populo Chriſtiano. tāta ſumus corrupti in diuino miniſterio acedia. ideo ni prætēritis malis cautiores facti, emēdemus in melius quod pecca-

Iere. 5.

Leu. 26.

Abac. 1.

Iere.44. uimus, maiora mala sicut Hierusalem expectare debemus. Qua de re omnē Christianū ex causis iam tactis, ad meliorem frugem admoneo, & ad vitam synceram, puram honestā, *1. Esd.4.* Christiano homine dignam. proculdubio cū omnis victoria à deo sit, deus petentibus per magnā misericordiā suam, non deerit, sed mittet auxilium suum de monte sancto suo, *Psal.19.* & de Sion tuebitur, qui est benedictus in secula, Amen.

HOMILIA SECVNDA.

Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem, &c. Psal. 136.

QVM nobis hostis immineat crudelissimus, simul & potentissimus. Turca, quid fidelibus sperandū sit, post diligentē sacrarum literarum reuolutionem ꝓpositū cōferre in mediū. Nam etsi Methodij, Hildegardis, Merlini, Cyrilli, Ioachimi & Brigittę reuelationes nō omnino asperner neq; reiiciā, solis tamen canonicis scripturis hoc loco decertare visum est. Potentem esse aduersarium, dolenter referimus, cui nec arma desunt, nec equi, nec milites, nec belli neruus pecunia, & omnis generis tormenta bellica: qui tot speciosis insoleſcit victoriis, tot regnorum & prouinciarum tumescit regimine, & quæ antecessoribus suis iam multis seculis fuerunt inuicta, ipse vicit & expugnauit, Rhodū videlicet & Belgradum, nō modo Hungariæ, sed totius quoque Germaniæ & antemurale & propugnaculum. Accessio quoq; regni AEgyptiaci Sultani, cū reddit ferociorē. At nos catholici, qui omnē curam in deo iactare debemus, nouim⁹ dominū non saluare in gla- *Psal.45.* dio, nec in hasta, vt Dauid dixit ad Goliam, & quod non est *1. Reg.17.* difficile domino saluare, vel in multis vel in paucis, sed qđ *1. Reg.14.* Iudas ait, Facile est concludi multos in manu paucorum: & *1. Mac.3.* non est differentia in cōspectu dei se liberare in multis & in paucis, quoniā non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est: quod sacræ nobis explanant histo- *Gene.14.* riæ, cum Abrahā percusserit quatuor reges cum 318. vernaculis. Iosue quoq;, Gedeon, Iepthe, Dauid Samson, Delbora, Iosaphat & Ezechias & alij mirabiles retulerūt de gentibus victorias. Quis autē velit asserere, deū nolle iam Chri- *Esa.59.* stianis fidelib⁹ suis assistere, cum nō sit abbreuiata man⁹ domini, vt saluare nequeat? Quare parādus est equus ad diem *Prou.21.* belli, vt Sapiens inquit, Quis scit si dominus salutē tribuat

&

& victoriam? vt insultantes Turcæ victi, dicamus, Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet, &c. Pater noster.

¶ Non me præterit, plures pio atque catholico succurrere homini causas, statum totius orbis expendenti, quibus ille desperet victoriam obtineri aduersus Turcam, nisi dum ad Agrippinæ rura, vt vetus rumor habet, peruenerit: inter quas potissima illa videtur esse, tantus Christianitatis & in fide & in moribus lapsus, vt dum peccata nostra in omni statu nō cohibentur, perseueret irati dei flagellū nos puniens & corripiens, cum iam iniquitas superabūdet, & refrigeat charitas multorū. Accedit ad hæc, numerositas sectarū *Matt. 24.* & hæresum, & harum non simpliciū, sed variarum. nā vnaquæq; secta, plures complectitur errores, & quasi infinitos. Hic enī sunt Lutherani, istic Zuingliani, alibi Parabaptistę, qui blasphemias innumeras exercēt, nō modo aduersus sanctæ matris ecclesiæ saluberrimas sanctiones, sed & cōtra sanctorum & amicorum dei veneratione ac reuerentiam, aduersus sacratissimum eucharistiæ sacramētum, & diuā virginem ac deum ipsum, de quibus omnib⁹ impietatibus, plura dicere dolor prohibet. Cum ergo ecclesiæ desolentur, sacrum altaris sacrificium iacet, monasteria religiosis destituuntur, deo dicati passim vota frangunt & incestos hymenæos, agunt, & omnia quæ sunt fidei, quæ pietatis, quę religionis, pessum eunt, adeo vt satius esset inter Turcas viuere, quam inter apostatantes istos & perfidos Christianos.

¶ Et si nō solum schismaticos sub iudiciū vocat, sed & omnes status Christiani imperij, inueniet illos nō parum excidisse à recti & veri tramite. Nā vbi vnquā tot fuerūt principes & nobiles, & minor iustitia? vbi tot milites & iudices & minus defendūtur viduæ, pupilli, agricolæ? quādo fuit maior numerus doctorū, & tamē tot vigent errores? vbi maiores diuitię, & pauciores eleemosynę? vbi vnquā tot senatores, & minor cura reipublicæ? In clero quādo apertior simonia, magis publica scādala, rerum secularium maior cura? vbi in monachis minus viguit deuotio, ieiunia cessauerūt, humilitas exulat? quādo plures fuerunt iurecōsulti, & causæ secūdum iuris ordinem minus absoluuntur? Quando vnquam à Christo nato plus fuit euāgelij in plebe, & minus bonorum operum? taceo publica adulteria, stupra, rapinas, tāta Christiani sanguinis effusionē, exactiōes, vectigalia & huiusmodi

oppreſſiones innumeras, pompã veſtium vltra ſtatus decentiam, ebrietates, cõpotationes, quales non fuerunt à ſeculo. Quãdo vnquã ſexus fœmineꝰ impudicior & laſciuior? quãdo iuuentus indiſciplinatior? quãdo ſenectus indeuotior? & in ſumma, quãdo vnquã minor fuit dei timor in hominibꝰ, minor honeſtas, maior faſtus in omnibꝰ ſtatibus quã iam ſit? *Pſal.13.* vt liceat ingemiſcere cum Dauide, Nõ eſt iuſtus, nõ eſt intelligens. omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. Nõ *Eccle.7.* eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonũ, & nõ peccet. Quæ omnia nũc & in ꝓximo ſermone memorata, altius expenſa, virum bonũ & deo charũ abſterrere poſſent, vt deſperaret de victoria cõtra Turcã. Sciẽs & volens prætereo? qua obediẽtia ſunt principes erga diuũ Cæſarem, & Romanorũ regem, qua fidelitate & animi prõptitudine ſibiipſis ſuccurrant & adiuuẽt, vt cõmune hoc malũ euitetur, & cõiunctis viribus Turca expugnetur, qua religiõe & timore dei milites bello iſti accigãtur. Nã ſi zelum veterũ principũ Germanorũ & militũ expendamꝰ ad præſentẽ rerum ſtatum, quando paſſagium fecerũt ſub Godfrido duce de Buliõ, ſub Cõrado imperatore, ſub Frederico primo Barbaroſſa, ſub Hẽrico ſexto & aliis, Germania vix tibi Germania eſſe videbitur, cum iam nec nomẽ cruce ſignatorũ audiatur. ¶ Et licet illa hoc pacto ſe habeãt, & formidine cõcutiãt ſyncerũ Chriſtianũ, ne peccatis noſtris exigẽtibus irati dei iuſtiſſima pœna nos diutius per Turcã affligat, attamen ſuggerã cuiq; bono & cordato Chriſtiano, vt ſpem cõcipere poſſit victoriæ Chriſtiani exercitus cõtra Turcam. Vt auté hanc ſpem animo firmare poſſit, adducturus ſum motiua ex ſacris literis, quæ etſi ꝓteruo cõtradictori nõ ſatisfacient, proderunt tamen bonis & deum timentibus, vt ſic maiori alacritate animi, manus expandãt coram altiſſimo, & tribus téporibꝰ flectant genua in die, & adorẽt deum cœli, vt tandẽ miſereatur populi Chriſtiani, & liberet à graui captiuitate plus quã *Dan. 9.* Babylonica Turci, quis ſcit ſi deus preces ad ſe clamantium exaudiat? Enumeremus per ordinem, quæ ſumus polliciti.

Primum motiuum vnde nobis ſperanda ſit victoria.

PRINCIPIO vnde ſperare nobis liceat victoriã, mouere poteſt & debet, quod ſuperius meminimꝰ homilia prima de virga Aſſur. Fatemur enim Turcã eſſe virgã Aſſur furoris domini, at

virga

virga post longum vsum in ignem mittitur, inquit Augustinus. Quid si iam sit tẽpus proiiciendi virgam Turcicam? *Augustin.*
Ita enim sequitur apud Esaiam, Et erit cum cõpleuerit dominus cuncta opera sua in mõte Sion & in Hierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur & super gloriã altitudinis oculorum eius. Dixit enim in forritudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi, & abstuli terminos populorum, & principes eorũ deprædatus sum, &c. vbi liquet, dominum postremo etiam visitare virgam suam, quemadmodum in eodẽ textu cõtinenter additur, Noli timere populus meus habitator Sion ab Assur, in virga enim percutiet te, & baculum suum leuabit super te in via AEgypti. Adhuc enim paulu/um modicúmque, & cõsummabitur indignatio mea, & furor meus super scelus eorũ, & susciabit super eum domin⁹ exercituum flagellũ, iuxta plagã Madiam. & erit, in die illa auferetur onus de humero tuo, & iugum eius de collo tuo. Vnde nemini dubiũ esse debet, quin Turciæ iugum auferatur à Christianis, modo rogemus dominum vt cito fiat, & videamus impletũ quod idem ꝓpheta ait, A voce domini pauebit Assur virga percussus. Euidentius porro videtur hoc ꝓmisisse dominus fidelib⁹ suis apud eundem prophetã, dicẽtem, Et requiescere faciã superbiam infidelium, & arrogantiã fortium humiliabo. Quantum autem superbiat Turca, tot auctus regnis & ꝓuinciis, quis est qui nesciat? Denique per Ezechielẽ dicit dominus, Mucro mucro, euagina te ad occidendum. Et infra, Reuertere ad vaginam tuam, in locum in quo creatus es, in terra natiuitatis tuæ iudicabo te, & effundã super te indignationem meã. Satis supérque furit gladius Turcicus, recõdendus est tandẽ in vaginam, quia & excessit terminos iræ diuinæ crudelius sæuiendo in Christianos, quã ratio societatis humanæ permittit, & cum hoc Turcæ sunt sceleratissimi, in omem beluinam luxuriam propensissimi, vt nec bestiis parcant, impij & iniuriosissimi in Christũ, & in summa, apud eos quod libet, licet, nulla vel honestatis vel iustitiæ habita ratione. Manebunt ne tot tyrannides, tot homicidia, tot rapinæ, tot oppressiones, tot flagitia, & omnis generis incõtinentiæ inultæ? non dominus tandem visitabit in gladio quoque scelera eorum, & vibrabit gladium suum in Turcam, & arcũ suum parabit, & vindicabit honorem nominis sui sancti? Non est *Esa.10.* *Esa.10.* *Esa.30.* *Esa.13.* *Ezec.12.* *Psal.7.*

Esa.48. enim pax impiis, dicit dominus. Suffocetur ergo tandē Tur-
Exod.15. ca, ſicut alter Pharao, qui perſequitur populū domini, ſicut
1.Reg.17. alter Golias occidatur, quia exprobrauit aciem dei viuētis.
Iudic.6. Fiat ei ſicut Holoferni, ſicut Sennacherib, ſicut Agag, ſicut
Judit.13. Nabuchodonoſor, ſicut Balthaſari, ſicut Antiocho, ſicut
1. Reg.15. Herodi. Et quēadmodum quinq; regibus Amorrhæorum
4.Reg.19 cōtra Ioſue pugnantibus, pluit dominus lapides ſuper eos,
Dan.5. vt plures morerētur lapidibus quā gladio: ſic libera populū
2.Mac.7. tuum domine de manib⁹ Turcæ, & benedic hæreditati tuæ.
Actu.12. ¶ Porro vbi Abacuk deſcripſit victorias & prædas Chal-
Ioſu.10. dæorū, mox ſubiungit, Ipſe ſuper omnē immunitionē ride-
Abac.1. bit, & cōportabit aggerē, & capiet eam. Tūc mutabitur ſpi-
ritus & pertrāſibit & corruet, quomodo nō ſperandum eſt
etiā in Turca mutari ſpiritum, & eum corruere, cū ſuis Baſ-
ſis & Timarcinis ac Laniceris, qui etſi iam triūphent & glo-
Dan.12. rientur, tamē & ipſi præcipitabūtur, velut Daniel ait, Filij
quoq; præuaricatorū populi tui extollētur, vt impleant vi-
ſionē, & corruent. Quod ſi repugnas, caſurū quidē Turcā,
ſed nō modo ꝓpter iniquitates noſtras. reſpōdeo, Si peccata
noſtra impedient caſum Turcæ, tunc cùm illa ſemper cre-
ſcēt vſq; ad aduētū Antichriſti, cōſectariū eſſet ipſum nun-
Matt.24. quā caſurum, quoniā multi ſcādalizabuntur, & multi pſeu-
doprophetæ ſurgent & ſeducent multos, & quoniā abunda
bit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Infra, Erit tunc
tribulatio magna, qualis nō fuit ab initio mundi vſq; modo,
neque fiet. Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua
omnis caro. Et per analogiam proportionis eſiditur hæc cō
tradictio. nā Iudæi ob peccata ſunt ducti in captiuitatē Ba-
bylonicam, ſicut totus Hieremias hoc clamat, & tamē libe-
rabantur ex illa captiuitate adhuc peccantes, quia immiſcue
1. Eſdr.9 runt ſe abhominationibus Iebuſæi & Ammonitarum. adeo
vt ſacerdotes quoque ducerent vxores alienigenas, repudia-
tis Iudæis, quod & domin⁹ exprobrat eis apud Malachiam,
Malac.2. Quia dominus teſtificatus eſt inter te & vxorem pubertatis
tuæ, quam tu deſpexiſti. Sicuti ergo peccata Iudæorum non
impediuerunt eorum liberationem à Babylonis, ita nec im
pedient liberationem noſtram à filiis Babylonis Turcia.

¶ Roborantur ſuperiora per verba Chriſti apud Lucam dicentis, Erit preſſura magna ſuper terram, & ita populo huic, & cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes.

gentes. Et Hierusalé calcabitur à gétibus, donec impleãtur tépora nationum. Vbi liquido appret, gétes nõ semper obtenturas Hierusalé, sed solum vsq; dum impleantur tempora nationum, quibus expletis, reditura est Hierosolyma iterum ad manus Christianorum. Nõ attinet in præsentia referre, quoties perdita sit Hierosolyma. Illud certum est, Iudæos nunquã ibi recturos, iuxta prophetiã Amos, Super tribus sceleribus Israël, & super quatuor nõ cõuertã eum, pro eo q̃ vẽdiderit pro argento iustum, & pauperẽ pro calceamentis. Amissa est autẽ Hierosolyma nouissime à Christianis, Anno gratiæ 1187. duodecima die Iulij. & sic præterierunt anni 345. tot enim annis occupatur à Saracenis & Turcis. quis modo nouit, an tépora nationum sint impleta? Impleta esse intelligo, dum satis scelerum ac flagitiorum admiserint Turcæ, latrones, homicidæ, blasphemi, persecutores Christi in mẽbris suis. Sic enim ait dominus ad Abrahã, exponens causam, cur non daret mox semini suo terrã Chananæorum, Necdum enim, inquit, completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsq; ad præsens tẽpus. Posset aptari prædictio prophetica Esaiæ de casu Babylon, & q̃ meminit sessoris asini & cameli, per quem Romanorum imperator designetur, qui primo tardus & piger erit ad vlciscendũ Christianos contra hostes Turcas: sed irritatus, vt camelus cum ingẽti furorevindictã sumet de Turcis. sed breuitatis studio illa missa faciamus. Sic quoq; Ezechiel aperte videtur prædicere destructionẽ Turciæ, & cum sanguinẽ oderit Christianorum, sanguis Christianorũ persequetur Turciã. sed ista missa facimus. ¶ Et cõcludendo hãc rationẽ, speramus prope esse destructionẽ Turciæ per signũ S. Methodio datum. (scio quid Picus dicat de Methodio.) Qui dum prædixisset victorias filiorũ Ismaëlis, per quos intelligit Turcas, q̃ non erit gẽs aut regnum sub cœlo, quod posit cum eis in prælio confligẽdo superare eos, vsq; ad numerum tẽporis octo septimanarum annorum. Et inferi⁹ inquit, Et tolletur honor à sacerdotib⁹, & supprimetur ministerium dei, & quiescet omne sacrificium ab ecclesiis, & erũt sacerdotes sicut & populus in septimo hebdomadico tempore. Statim post subdit, quomodo super filios Ismaël subito insurget rex Romanorum in furore magno, & expergiscetur tãquam homo à somno vini, quẽ æstimabant homines tãquam mortuũ esse,

Amos 2.

Gene. 15.

Esa. 21.

Ezec. 35.

Picus. Metho.

Metho.

& in nihilo vtilem profecisse, hinc vincet eos. Cùm autem experiamur (quod dolenter referimus) cessasse sacrificium missæ in pluribus locis, honoré à clero ablatum, sperare debemus, post ista mala, secutura multa bona, destructioné scilicet Turciæ, & potissimũ, cum idé vir sanctus videatur affirmare Turcá nó superaturũ Germaniá & Italiá. & cũ iam immineat Germaniæ, profecto profligandus est Turca, qui alioquin quietis impatiés, nunquã nisi victus dabit pacé Germaniæ. Nos autem flexis genibus ore & corde supplices clamemus ad dominum, Deus vltionũ dñs, deus vltionũ libere egit. exaltare qui iudicas terrã, redde retributioné superbis. Vsquequo peccatores domine, vsquequo peccatores gloriabuntur? Effabuntur & loquétur iniquitaté, loquétur omnes qui operátur iniustitiã? Populũ tuũ domine humiliauerunt, & hæreditaté tuã vexauerunt. Viduã & aduenã interfecerunt, & pupillos occiderũt. Captabũt in animã iusti? & sanguiné innocenté condénabunt? Et factus est mihi dominus in refugium, & deus meus in adiutoriũ spei meę. Et reddet illis iniquitaté ipsorum, & in malitia eorũ disperdet eos disperdet illos dominus deus noster. fac illis sicut Madiã & Sisaræ, sicut Iabin in torréte Cison. pone principes eorũ sicut Oreb & Zeb & Zebee & Salmana, Omnes principes eorum, qui dixerunt hæreditate possideamus sanctuarium dei. Deus meus pone illos vt rotã, & sicut stipulá ante faciẽ venti: sicut ignis qui cóburit syluã, & sicut flamma comburés mõtes. Ita persequeris illos in tépestate tua, & in ira tua turbabis eos. Saluum fac populum tuum domine, Amen.

Psal. 93.

Psal. 82.

HOMILIA III.

Filia Babylonis misera, beatus qui, &c. *Psal. 136.*

ETSI nomé à deo acceperimus in baptismo, cruceque fuerimus signati & gratia spiritus sancti, inuncti, attamé quia denuo adhæremus diabolo & pópis eius, cui renunciauimus, ideo sententia domini venit in nos: quoniã seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & nó fecit secundum voluntaté eius. plagis vapulapit multis, vbi recte colligitur fideles, delinquentes grauius puniri infidelibus. sequitur enim, Qui autem nõ cognouit, & fecit digna, plagis vapulapit paucis. Ideo non miremur, si deus hactenus afflixit Christianos, Turcis & Saracenis triumphãtibus & vincẽtibus quia iustitia dei clamat vindictam

Luc. 21.

vindictam ſuper Chriſtianos, & deus nos punit in profectũ noſtrum citius q̃ infideles: ſicut ſcriptũ eſt, Nõ ſicut in aliis nationibus dominus patiẽter expectat, vt eas cũ iudicij dies aduenerit in plenitudine peccatorũ puniat. Sic quoque ait per prophetã, Tantũmodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, idcirco viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras. Nihil apertius poterat dicere, niſi quia ille erat populus dei, eo magis viſitandus in iniquitatibus. Ita conquerebatur dominus per Ieremiam de Iudæis, Ecce incircũciſæ aures eorum, & audire nõ poſſunt. ecce verbũ domini factũ eſt eis in opprobrium, & nõ ſuſcipient illud. idcirco furore domini plenus ſum. At è regione citius deus miſerebitur populo ſuo, & miſericordiã ſuam nõ diſperget ab eo, ſicut ait per Eſaiam, Vade populus meus, abſcõdere modicum ad momentũ, donec pertranſeat indignatio mea, Vtcunq; ergo propter peccata noſtra deꝰ affligat Chriſtianitatẽ per Turcam, tamẽ ſperãdum eſt de miſericordia dei, Chriſtianũ populũ non derelinquentis, ſicut in Machabæis inquit, Nunq̃ à nobis miſericordiã ſuã amouet, corripiens vero in aduerſis populum nõ derelinquit. & adoleſcentior ex Machabęis inquit, Etſi nobis propter increpationẽ & correptionẽ dominus deus noſter, modicum iratus eſt, ſed iterum reconciliabitur ſeruis ſuis. Quod vt nobis Chriſtianis faciat deus, excuſſo Turcæ duriſsimo iugo, ſedulis precibus à deo poſtulemus, vt aliquãdo fugato & victo Turca, dicere poſsimus gaudẽtes, Filia Babylonis miſera, &c. Quod vt deus faciat, & cito, inclinate corda & capita veſtra, & humiliamini ſub brachio dei excelſi. dicentes, Pater noſter.

2. Mac. 6.

Amos 3.

Iere. 6.

Eſa. 62.

2. Mac. 6.

2. Mac. 7.

¶ In tãta rerum perturbatione, dilectiſsimi, diximus virum timentẽ deum, merito expaueſcere, attẽtis peccatis & flagitiis noſtris, ne Turca flagello ſuo etiã premat colla Germanorum, eo q̃ non cognouimus diẽ viſitationis noſtrę, ſicut nec Ieruſalem: ſicut per prophetã inquit dominus, Percuſſi vos vento vrenti, & ærugine & grandine omnia opera manuum veſtrarũ, & non fuit in vobis qui reuerteretur. quare nõ ſine formidine vir bonus & prudens timet deum iratum etiam flagella ſua immittere Germaniæ, ſicut Ieremias inquit, Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, & tempeſtas ærumpens ſuper caput impiorum veniet, cum reuertetur furor domini vſq; dum faciat, & vſq; dum compleat

Luc. 19.

Hagg. 2.

Iere. 23.

cogitationem cordis tui. Ideo trepidat, ne furor domini per Turcā progrediamur cōtra Germaniā, quod reuera timendū est. At oculum habētes ad misericordiā dei, speramus potius victoriam à deo aduersus Turcā, qui etsi attētet Germaniam, nō tamē eā superabit, cōtra falsam ex Merlino desumptam prædictionē, quod in Colonia Agrippinæ primū debeat Turca succumbere. ¶ Et præter motiuum præcedenti homilia allatum iam secundo loco hāc afferamus rationem, vnde sperāda sit nobis victoria aduersus Turcam. Nā dum sciamus sub Turca in regnis & prouinciis suis adhuc restare maximum numerum Christianorum, vt in Bulgaria, in Seruia, in Bosna, in Romania, &c. qui patiēter ferūt flagellum Turcicum à deo inflictum, licet cum magna anguſtia spiritus, expectātes redēptionē. Hi cum miris modis opprimantur à Turcis, nō solum in tributis & præstationibus, sed & iniuriis & contumeliis omnis generis, vt etiam leuissima de causa vita spolientur, quāto autē sunt in maiori tribulatione, tanto orant feruentius & deuotius, sicut Dauid inquit, *Psal. 119.* Ad dominum cum tribularer clamaui. Vnde pulchre Gre- *Grego.* go. in homi. 37. super verbo, Cōpelle intrare, sic inquit, Homines cum se frāgi in desideriis suis aduersante modo conspiciunt, quid de se authori suo debeāt, cōmonentur. Tota enim sacra scriptura nobis indicat, quomodo p tribulationes deus homines ad se venire compellat. Ita inquit Dauid, *Psal. 82.* Imple facies eorum ignominia. Et iterum, Cognoscetur do- *Psal. 9.* minus iudicia faciēs. Vnde sicut multis nimia fortuna est occasio ruinæ & lapsus, ita tribulatio è regione plures humi- *Psal. 72.* liat, & cōpellit recurrere ad deū, tanq̄ ad tutissimū asylum & refugium. Nā de iis qui nimia fortuna intumescunt, testatur Dauid, In labore hominum nō sunt, & cū hominib⁹ nō flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia, & operti sunt iniquitate & impietate sua. At pauperes Christiani qui sub seruitute Turcica degunt, profusis lachrymis deuotissimis orationibus, in ieiunio, cinere & cilicio clamant ad deum, sicut *Esa. 26.* Esaias inquit, Domine, in anguſtia requisierunt te, & expectant consolationē omnipotētis dei vbiq; in sacris literis p- missam, quoniam etsi multæ sint tribulationes iustorum, de *Psal. 33.* his tamē liberabit eos dñs. Quam sæpe nunc illū, nūc alium locū scripturę, multis suspiriis & gemitibus reuoluunt? Iam 4. *Esd. 12* enim apud Esdram legunt, qūo deus populum Christianum

pressum

preſſum alloquitur, Cõfide Iſraël, & noli triſtari tu domus Iacob, eſt enim memoria veſtra corã altiſsimo, & fortis deꝰ nõ eſt oblitus veſtri in tentatione. Et infra, Audite dilecti mei, dicit dominus. Ecce ad ſunt dies tribulationis, & de his liberabo vos. ne timeatis, nec hæſitetis, quoniã deus dux veſter eſt. ¶ O quot innocẽtes pueri Chriſtiani, quot virgines incorruptæ, quot religioſi monachi & anachoritæ, die & nocte cultui diuino dediti, pro redemptione deo ſupplicãt, & prẽcipue in loco, qui dicitur agios oros mõs ſanctꝰ. Quot viduæ & maritatæ, viri, iuuenes & ſenes quotidie fletibꝰ orã rigãt, & deum cœli pro conſolatione & liberatione, magnis eiulatibus inuocãt, vt excuſſo Turcico iugo, libere deo ſeruire poſsint? Cõuerſus eſt furor tuꝰ, cõſolatꝰ es nos. Quã ſæpe mitiſsimi dei verba, ruminãt, qñ ad Moyſen ait, Vidi afflictionẽ populi mei in AEgypto, & clamorẽ eius audiui. Et infra, Clamor filiorũ Iſraël venit ad me: vidi afflictionẽ eorum qua ab AEgyptiis opprimuntur. Si ergo audiuit clamorẽ filiorũ Iſraël, quis deſperet deum clementiſsimum nõ exauditurum clamorem pauperum Chriſtianorũ, oppreſſorum à Turca? & ecce plus quam Pharao hic. Nonne aliquãdo ſperãdũ eſt, vt aures domini ſint in preces eorũ, clamantiũ & ſupplicãtiũ perpetuis lachrymis, exaudi nos domine in die qua inuocauerimus te? quãdo ergo, quãdo exaudiet dominus orationes iuſtorũ? cum tam ſæpe ſit dominus pollicitus ſe exauditurum preces orantiũ, ſicut per Ieremiã inquit, Ego ſcio cogitatiões quas ego cogito ſuper vos, ait dominus, cogitationes pacis & non afflictionis, vt de vobis finẽ & patiẽtiã: & inuocabitis me, & viuetis: & orabitis me, & ego exaudiã vos: quæretis me, & inuenietis. ¶ Porro captiuitas Babylonica, eo quod aliqui boni erãt inter eos, Daniel, Tobias, Eſdras & quidã alij, licet maior pars inter eos eſſet mala, tamen miſericordiã ſuam deus non in æternum diſperſit ab eis, ſed in ſeptuageſimo anno eos liberauit, ſicut prædixit per Ieremiã prophetã, Cũ impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper regẽ Babylonis & ſup gentẽ illã, dicit dominus, iniquitatẽ eorum, & ſuper terram Chaldęorum. Et verba Ieremiæ intellexit Daniel, vt cõplerentur de ſolationes Ieruſalem ſuper ſeptuaginta annis. Cur ergo nõ eſſet ſperandum de piiſsimo ſaluatore noſtro, vt miſeros illos Chriſtianos, qui integerrime fidem Chriſtianam ſub

4. Eſd. 16.

Eſa. 13.

Exod. 3.

Pſal. 33.

Pſal. 19.

Prou. 15.

Iere. 29.

Iere. 25.

Dan. 9.

Turca obſeruant, non aliquando liberaret ab eius turpiſſima ac ſæuiſsima ſeruitute, qui non minus feruide quam Iudæi clamant ad dominũ, Vt quid deus repuliſti in finẽ? iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ. memor eſto cõgregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio. Gloriati ſunt qui oderunt te, in medio ſolennitatis tuæ. incẽderunt igni ſanctuarium tuũ, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. Vſquequo domine improperabit inimicus, irritat aduerſarius nomẽ tuũ in finẽ? Ad inſtãtiſsimas itaq; preces Chriſtianorum ſub Turca miſerrime viuẽtium, quis nõ ſperaret conſolationem diuinã aliquãdo eis affuturã. ſicut per Eſaiã promiſit, Conſolamini cõſolamini populo meus. ego, ego ipſe conſolabor vos, gaudiũ & lætitiã tenebunt, fugiet dolor & gemitꝰ. Fide itaq; ſtabiles Chriſtiani per Bulgariã, Macedoniam, Epirum, &c. nihil minus timeant quã dominum, dormire in tãtis procellis tribulationum & tẽpeſtate bellorum, ſed pro liberatione iugiter ad deum clamẽt, Deus noſter refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerũt nos nimis. Hoc adiutoriũ promiſit deus afflictis ſuis ouibus per Ezechielẽ prophetã, Hæc dicit dominus deus, Ecce ego ipſe requiram oues meas, & viſitabo eas ſicut viſitat paſtor gregem ſuum, in die quãdo fuerit in medio ouiũ ſuarũ diſſipatarum, ſic viſitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerãt. Si ergo deus peccatis noſtris iraſcitur, tamẽ fideles ſuos ſub Turca nõ deſeret in finẽ, ſed liberabit eos. Nouit enim deus pios de tentatione opere, ait S. Petrus, iniquos vero in diẽ iudicij reſeruare cruciandos. Quod ſi dixeris. Nõ omnes Chriſtianos ſub Turca eſſe bonos, ſed iuxta quod Dauid inquit, Et cõmixti ſunt inter gẽtes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierũt ſculptilibꝰ eorum, & factũ eſt illis in ſcãdalum. & ſicut in Machabæis legitur de Iudæis, qui Græcorũ literas optimas arbitrabãtur, & eorũ inſtituta emulabãtur, ac per omnia his cõſimiles eſſe cupiebãt, quos hoſtes & peremptores habuerant. Hoc equidem negare nõ poſſumus, quin multi à fide Chriſtiana apoſtatãtes, Turcis cõiungãtur, & legitima eorum faciãt. Quẽadmodum nõ eſt minimum grauamẽ parẽtibus Chriſtianis in Turcia degẽtibus, quod filios in diſciplina honeſtatis nõ ſemper retinere poſſunt: ſed quãdo cum eis duriuſcule agere nitũtur, eóſque ad normam honeſtatis & fidei coercere,

Pſal. 73.
Eſa. 40.
Eſa. 51.
Mat. 8.
Pſal. 45.
Eze. 44
2. Pet. 2.
Pſal. 105.
2. Mac. 4.

mox disciplinæ virgã abiiciétes, ad Turcarũ præsides deficiũt, à quib⁹ in rebellione & inobedientia parẽtũ defendũtur. At tales etiã fuerũt in captiuitate Babylonica, qui comedebãt ex cibis Gẽtiliũ, duxerũt etiã alienigenas, vt Esdras & Malachias cõquerũtur. Quod etsi aliqui ex iis declinauerint, tamẽ magna pars ex eis est fidei tenax & cõstans in sancta religione, quorũ miserebitur deus, Vnde si dñs volebat parcere Sodomæ, propter decẽ viros iustos in ea repertos, quãto magis misericordiã faciet eũ tot milibus Christianis sub iugo Turciæ gementibus & deũ inuocantibus, qui nõ minus firmiter & fideliter obseruãt sacrę fidei institutа ac mysteria, quã Tobias & alij Iudæi in captiuitate Babylonica legitima veteris testamenti obseruabãt? Quare bene sperandũ est, exercitũ Christianũ triũphaturũ de Turca & hostibus fidei, deo auxiliũ præbẽte ob precestot iustorũ in Turcia pro victoria Christianorũ orantiũ, sicut Iosue vincebat Amalechitas, orante Moyse. O quoties expãdũt manus ad creatorẽ cœli, cõquerẽtes & dicẽtes, Deus, venerunt gentes in hæreditatẽ tuã, polluerũt tẽplũ sanctũ tuũ, posuerunt Ierusalẽ in pomorũ custodiã. Posuerũt morticina seruorũ tuorũ escas volatilibus cœli, carnes sanctorũ tuorũ bestiis terræ. effuderunt sanguinẽ ipsorũ tanq̃ aquã in circuitu Ierusalẽ, & nõ erat qui sepeliret. Facti sumus opprobriũ vicinis nostris subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt. Vsquequo dñe irasceris in finẽ? accẽdetur velut ignis zelus tuus. Effunde iram tuã ingentes, quæ te nõ nouerunt, & in regna quæ nomẽ tuũ nẽ inuocauerũt. Adiuua nos de⁹ salutaris noster & propter gloriã nominis tui domine libera nos, & propicius esto peccatis nostris propter nomẽ tuũ sanctũ. Ne forte dicãt in gẽtibus, vbi est deus eorũ? & innotescat i nationib⁹ corã oculis nostris. Vltio sanguinis seruorũ tuorũ q̃ effusus est, introeat in cõspectu tuo gemit⁹ cõpeditorũ. Et redde vicinis nostris septuplũ in sinu eorũ, impro periũ ipsorũ quod exprobrauerunt tibi domine. Excita potentiã tuã & veni, vt sãlues nos, Domine, miserere nostri. teneri expectauimus. esto brachiũ nostrũ in mane, & salus nostra in die tribulationis. Domine deus noster, domini possederũt nos absq; te, tantũ in te recordamur nominis tui. Et similia multa quotidie profundũt corã deo miseri captiui, sicut Daniel in captiuitate Babylonica, sicut Iosaphat cir-

Tob. 1.

Cene. 12.

Tob. 1.

Exo. 17.

Psal. 78.

Esa. 33.

Esa. 26.

Dan. 9.

2. Pa. 20.

cũdatus ab infidelibus, ſicut Iudith in afflictiõe Holoferni,
Iere.32. ſicut Ieremias, p auxilio cõtra Chaldæos, ſicut Iudas Macha-
Iudith.9. bæus aduerſus multitudiné Lyſiæ, ſimiliter qũ fuit circũda-
1.Mac.4. tus à Nicanore. (Inducat concionaturus vnã ex his quã vo-
1.Mac.15. luerit. (Cũ autem ſit miſericors & miſerator dominus, non diſperget ab eis miſericordiã ſuã. Clamantibus ergo Chriſtianis in ſeruitute Turcica in cœlũ, Vſquequo dñe obliui-
Pſal.12. ſceris noſtri in finẽ? Vſquequo auertis faciẽ tuã à nobis? Vſ-
Pſa.144. quequo exaltabitur inimicus noſter ſup nos: prope eſt dñs
Pſal.9. inuocãtibus eũ in veritate, & deſideriũ pauperũ exaudit do-
Pſal.106. minus, vt ſic liberati cõfiteantur dño, & laudẽt dominũ deũ noſtrũ, qui eripuit eos de iteriorib⁹ & de inimicis eorũ fortiſſimis, & exprobrent Turciæ, filia Babylonis miſera, &c. Quod vt fiat, ſimul cũ eis rogem⁹ dñm, p eorũ liberatione.

HOMILIA IIII.

Filia Babylonis miſera, beatus, &c. Pſal. 136.

NEMO eſt qui non timore cõcutiatur (cui ſaltem mens ſana fuerit) cũ audierit cõfratres noſtros Chriſtianos, Turciæ nõ modo conterminos, ſed etiã remotiores, gladios, cædibus, rapinis, vinculis & incẽdiis, & omniũ rerũ vaſtitate, confici, impugnari & deſtrui, quod etſi iã plus centũ annis (quãdo Imp. Sigiſmũdus Belgradũ à deſpota Seruiæ emit) Hungariã habuimus antemurale, tamen experti ſumus, quantũ Turca ſaltũ fecerit breui tẽpore: & trãſita Pannonia inferiori, ſuperiorem (hoc eſt, Auſtriã) infeſtat, villas incendit, arces diripit, bona prædatur, virgines defloret, vim infert mulieribus, viros occidit, pueros ad parietes excarnificat, innocentẽ ſanguinẽ, & ingentẽ multitudinem vtriuſque ſexus in perpetuã ſeruitutem abducit. ¶ Hoc omnes animarũ curati iam pro cõcione plebi inculcare debent, & Stẽtorea voce cohotari ad pœnitentiã & emendationẽ vitæ, vt deus optimus maximus flagellũ iſtud à nobis auertat. alioquin nõ erit iuſt⁹, ſed reus huiuſmodi raucus paſtor, clamare non volens, cui dominus per Ezechielẽ comminatur, Si viderit ſpeculator gladiũ ve-
Ezech.3. nientẽ, & nõ inſonuerit buccina. & populus ſe nõ cuſtodierit, veneritq; gladius, & tulerit de eis animam: ille quidẽ in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autẽ eius de manu ſpeculatoris requiram. Rationem huius reddit dominus apud
Iere.36. Ieremiam. Si forte audiente domo Iuda, vniuerſa mala quæ

ego

ego cogito facere eis, reuertatur vnuſquiſq; à via ſua peſſima: & propicius ero iniquitati & peccato eorum, quoniam magnus furor & indignatio eſt, quã locutꝰ eſt dominus, aduerſus populũ hũc. Quando ergo videbitur animarũ curato imminere flagellum dei, omnẽ populum admonere debet, & ad orandũ, ieiunandum ac humiliandũ animare. Sic enim præcipitur ſacerdotibus, Canite tuba in Sion, ſanctificate ieiuniũ, vocate cœtum, cõgregate populum, ſanctificate eccleſiam, coadunate ſenes, congregate paruulos & ſugentes vbera. Quid autem facere debent, ſequitur, Orabunt, & dicent, Parce domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. *Ioel.2.*

Quod ſi iuxta monita Eliachim ſacerdotis fecerint. Scitote, inquit, quoniam exaudiet dominus preces veſtras, ſi manẽtes perſeueraueritis in ieiuniis & orationibus in conſpectu domini. Et futurum eſt quod Ioel ait, Zelatus eſt dominus ſuper terram ſuam, & pepercit populo ſuo. Imitentur Dauidẽ dicentem, Ad te domine leuaui animam meam, deus meus in te cõfido, nõ erubeſcam, neq; irrideant me inimici mei. etenim vniuerſi qui ſuſtinent te, nõ confundẽtur. Suggeret itaq; paſtor populo, vt clamet ad deũ cum Eſaia, Domine miſerere noſtri. te enim expectauimus. eſto brachium noſtrũ in mane, & ſalus noſtra in tẽpore tribulationis. quis ſcit an miſerebitur deus, & cõuertatur & ignoſcat, & dicat populo Chriſtiano, Liberabo te de manu peſſimorũ, & redimã te de manu fortiũ? vt ſic illudentes Turciæ dicere poſſimus, Filia Babylonis miſera, &c. Quod vtdeꝰ miſericors & benignus faciat, & cito, ore & corde dicatis oẽs, *Iudit. 4.* *Ioel.2.* *Pſal. 24.* *Eſa.33.* *Iere.15.*

Pater noſter. Aue Maria.

¶ Hoc voluimus ſaxum, an ex ſacris literis ſpes aliqua hauriri poſſit, vt victoriã de Turca habeamꝰ, & populus Chriſtianus aliquãdo audire mereatur illud Sophoniæ, Abſtulit dominus iudiciũ tuum, auertit inimicos tuos. Rex Iſraël in medio tui, nõ timebis malum vltra, dominus deus tuus in medio tui fortis, ipſe ſaluabit. Suaſimus propinquam victoriam in ſermone ſuperiore, ex Chriſtianis hodie viuẽtibus & afflictis in Turcia. Idẽ iã ſuadere conabimur à Chriſtianis mortuis ſanctiſsimis illis viris, martyribus & cõfeſſoribus, atq; adeo ipſis apoſtolis pro victoria Chriſtianorũ orãtibus. quod vt credibile fiat, affero viſum Iudæ Machabæi, *Soph.3.* *1. Mac.15.*

quãdo vidit Oniam protendentẽ manus, & orare pro omni populo Iudæorum: alium item apparuiſſe virũ, ætate & gloria mirabilẽ, de quo Onias dixit, Hinc eſt fratrũ amator & populi Iſraël, hic eſt qui multũ orat pro populo & vniuerſa ciuitate ſancta Ieremias ꝓpheta dei. Quod ſi Ieremias & Onias orauerunt deũ pro populo Iudaico, quanto magis orabunt ſancti apoſtoli Andreas, Paulus, Barnabas, Lucas, Titus, Chryſoſtomus, itẽ Polycarpus, Baſilius, Nazianzenus, Niceta, Tecla, Dionyſius, Philippus diaconus, Gregorius, Damaſcenus, Ignatius, Nicolaus, Blaſius, Theophylactus, Theodorus, Chriſtophorus. Methodius, & multa milia martyrũ & confeſſorũ orientalis & Græcæ eccleſiæ pro reſtituenda & liberãda illa à ſeruitute Turcica: qui & baſilicas ibi habẽt, & quorũ venerãtur in hũcdiẽ reliquias? quid nõ ſuſtinuit Paulus pro fratribus viuus, ꝓ Corinthiis, pro
2. *Theſ.* 1. Philippenſibus, pro Theſſalonicenſibus, Similiter orat pro
Coloſ. 1. Coloſſenſibus & poſtulat, vt impleantur agnitione voluntatis dei. Corinthiis quoq; ſcribit, Oramus autem deum, vt
1. *Cor.* 13. nihil mali faciatis. Quis modo ita deſipit, vt exiſtimet S. Paulum hodie beneuolentia non proſequi ſuos Græcos in
Hieron. cõ. Vigi. Turcia miſere degẽtes? Quod ſi deus nollet exaudire modo viu ẽtes, & flecteretur ſaltẽ precibus mortuorũ. id quod ex
Prou. 15. multis iã faciemus probabile. Nã Sapiens de eis inquit, eorũ
Pſal. 149. vota eſſe placabilia. Et Dauid de eis teſtatur, qui ſunt beati, hoc eſt, in eccleſia triumphante. Exultabunt ſancti in gloria & gladij ancipites in manibus eorũ, ad faciendã vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorũ in compedibus, & nobiles eorũ in manicis ferreis, vt faciant in eis iudiciũ cõſcriptum. quod ſi regi alicui hæc intulerunt, Turca in primis meruit ſic alligari. ¶ His accedit, quod dum iratus dominus deus pluit ſuper Sodomã & Gomorrham ſulfur & ignem, ait textus, Cũ ſubuerteret dominus ciuitates regionis illius, recordatus eſt Abrahæ, & liberauit Lot de ſubuerſione vrbium, in quibus habitauerat. Quod ſi hic Lot fuit liberatus obtutu Abrahæ amici dei, quis non ſperet Chriſtianos ſub Turca aliquando & breui liberandos ob interceſsionem ſanctorũ, qui eccleſiis illis vel
3. *Re.* 11. præfuerũt, aut patroni deputati, illarũ cuſtodiam & curam
4. *Re.* 8. gerunt? Si quando minabatur Salomoni ſciſsionẽ regni, ait ad eũ, Veruntamen in diebus tuis nõ faciã, propter Dauid,

patrem

patrem tuum. Ita de Ioram rege legitur. Noluit autem dominus disperdere Iudam, propter Dauid seruum suum. Et tempore Ezechiæ quando Assyrij inuaserant Iudæam, dixit dominus per Esaiam, Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum. Si ergo deus protexit Hierusalem, & nõ disperdit Iudęam propter Dauid, qui nõdum tamen erat beatus, nondũ essentia fruebatur diuina, nondũ apertis ianuis trãsierat in regnũ cœlorum: quid facturi sunt sanctissimi apostoli & discipuli dñi? quid tot milia martyrũ? tot sancti patriarchę & episcopi? nõ orabũt pro sedibus suis, vt his restituatur catholici? S. Ioannes pro Ephesõ, S. Andreas pro Achaiis, S. Paulus pro Corinthiis & aliis, Dionysius pro Atheniẽsibus, Lucas pro Antiochenis, S. Georgius pro Berytinis, S. Chrysostomus pro Cõstantinopolitanis, & sic alij cœlestes principes, pro aliis suis clientulis orabũt, nõ minus quã Dauid Hierosolyma. 4. Reg. 19

¶ Et vt maior spes victoriæ habeatur. accedit etiã continua angelorum oratio, & archangelorũ ac principatuũ, quorum custodiæ & curæ hæ ,puinciæ sunt deputatæ: iuxta illud Sapiẽtis, In vnãquãq; gentẽ præposuit rectorẽ, & pars dei Israël facta est manifesta. quid hic per rectorem intelligit, nisi angelos regimini prouinciarũ deputatos, qui aduigilãt strenue super populo eis cõmisso, vt dirigãtur in viã salutis æternę? Et hãc explanationẽ esse verã, prẽter hoc quod cõmuniter recepta est à sanctis patribus, roboratur tamen ex illlo Deuteronomij, Quãdo diuidebat altissimus gentes, quãdo separabat filios Adam, cõstituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël, pro quo legunt Septuaginta, Eccl. 17. Deut. 32.

ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ, Constituit terminos gentium iuxta numerum angelorum dei. Singulis ergo ,puinciis, singuli attributi sunt angeli. Hæc omnia indubitatam recipiũt fidẽ ex Daniele, vbi dilucide attestatur. angelos præliari & orare pro populo sibi cõmisso. quando enim angel⁹ apparuit ei & dixit, Princeps regni Persarũ restitit mihi viginti & vno dieb⁹, & ecce Michaël vn⁹ de principibus primis venit in adiutoriũ meum, & ego remansi ibi iuxta regẽ Persarũ. Et infra, Nunc reuertar, vt prælier aduersum principẽ Persarũ: cùm enĩ egrederer, apparuit princeps Græcorũ veniens, & nemo est adiutor meus in his omnibus, nisi Michaël princeps vester. Hæc Danielis verba, Dan. 10. Libro 7. mo. c. 7.

quæ altius expensa, intantum nostrorum locuplete probât. Ex ea expendit B. Gregorius & inquit, Quia certa angelorum ministeria, dispensandis singulis quibúsque gentibus sunt prælata, cum subiectorum mores aduersum se vicissim prępositorũ spiritum opem merentur, ipsi qui prę sunt spiritus cõtra se venire referuntur. Is nanque angelus qui Danieli loquebatur, captiuis Israëlitici populi in Persida constitutis, prælatus agnoscitur: Michaël autem eorum, qui ex eadem plebe in Iudææ terra remãserant, prępositus inuenitur. Subscribit B. Hiero. Principes autẽ primos, archãgelos intelligimus. Videbim⁹ autẽ hic amicabilẽ pugnã angelorũ, cũ vnus certat pro vna prouincia, alius pro alia: neque tamẽ adeo sibi aduersantur, quin omnes se diuinę cõforment voluntati. Neque existimet aliquis ita archangelum Persarum infidelibus addictũ, vt mallet illorum victoriis fauere, quam Iudæorum liberationi, vt pulchre Hieronymus innuit, sed quia multa bona fiebant in Persida, & propter magnitudinem miraculorũ, plures Gentiliũ veniebant ad agnitionem vnius veri dei viui. Hinc archangelus Persarum restitit Michaëli, restitit archangelo populi Iudaici, impediendo liberationem, vt ex Persis plures animas lucrifaceret deo. Sufficiat nobis cõmonstrasse ex sacris literis, archangelos habere custodiã prouinciarũ: qui etiã orent, & tam instãter orent, vt dicantur prælíari pro salute habitatorũ in prouinciis eorũ.

Hieron.

Hieron.

¶ Hinc euangelicus ppheta archangelos appellat custodes murorũ. ait enim Esaias, Super muros Hierusalẽ cõstitui custodes, tota die & nocte perpetuo nõ tacebunt. vbi per custodes, intelligi angelos Hierony. non abnuit, & Glossa expresse testatur, adducés illud Paul. Omnes sunt administratorij spirit⁹ in ministeriũ, propter eos qui hæreditatẽ capiũt salutis. Et frequẽs est explanatio, vt per muros intelligãtur prælati: & per custodes, angeli super intendẽtes rectoribus ecclesiæ, vt egregie inquit B. Ber. Benignus es dñe, qui nõ es cõtentus nostrarũ fragilitate murorũ, sed ipsis hominum custodibus, angelicã superponis custodiã. Si ergo die ac nocte nõ tacebunt perpetuo, certum est, quod non tacent laudem Hierusalẽ, nõ tacent laudẽ dei: tamẽ nec cessant die ac nocte orare pro custoditis, vt eos dirigere valeant in vitam salutis æternæ: & idcirco significanter dictum est à Paulo. Propter eos missi, qui hæreditatem capiunt salutis. Cum ergo archangeli

Esa. 26.

Hieron.

Heb. 1.

changeli à deo deputati ſint pro cuſtodia Thraciæ, Moreæ, Eubœæ, Peloponneſi, Myſiæ, Daciæ, &c. Etiam ſi eis reſiſtat princeps regni Turcarũ, & iam reſiterit per multos annos, tamẽ ipſi pro miſeris Chriſtianis captiuis deputati, inceſſanter orant pro eorũ redẽptione. Neq; princeps angelus regni Turciæ orat pro eis, niſi inquantũ tendunt ad fœlicitatẽ æternam & gloriam dei. Et profecto temerarius eſt, qui cõtemnit cuſtodiã angeli ſui, & iudicio meo exili, culpabiles ſunt prædicatores & curati, qui nõ ſæpiſſime adhortantur plebem, vt recurrant & refugiũ quærant ab angelis cuſtodibus, tum priuatis, tum publicis vel perſonis vel locis attributis. Vnde omnes Chriſtiani inuocare deberent S. Michaëlem aduerſus hoſtilem exercitum Turciæ. Ipſe enim princeps fuit primæ militiæ, eccleſiæ militantis in cœlo ſicut Ioannes in Apocalypſi vidit, dum ait, Et factum eſt *Apoc. 12.* prælium magnum in cœlo, Michaël & angeli eius prælia-bantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius, & non valuerunt, neque locus eorum inuentus eſt amplius in cœlo. Ipſe eſt qui pugnauit pro Iſraëlitis aduerſus AEgyptios. nam dum multis malis affeciſſet AEgyptios, dicit *Exod. 12.* ſacra ſcriptura. Tollénſque ſe angelus domini, qui præcedebat caſtra Iſraël, abiit poſt eos, & cum eo pariter colũna nubis priora dimittens, poſt tergum ſtetit inter caſtra AEgyptiorum & caſtra Iſraël. Ipſe eſt qui pugnauit pro corpore Moyſi occultando, ne Iudæis præberetur occaſio idololatriæ, vt Iudas apoſtolus teſtatur. Ipſe eſt qui pugnauit pro Iudea aduerſus principem Perſarum, veluti iam audiuimus ex Daniele, & ita præfuit ſynagogæ, vti ex antedictis colli- *Dan. 10.* gitur. Et ita modo præeſt eccleſiæ catholicæ, quare eccleſia *Eccleſia.* vocat eum merito iure præpoſitum paradiſi. Sicut ergo venit in adiutorium angelo prælato Iudæis captiuis in Babylonia, quis deſperet eum venire in adiutorium angelis, qui pro cuſtodia deputati ſunt Chriſtiani per Bulgariã, Albaniam, Moream, &c. conſtitutis? vnde & ſignifer ab eccleſia dicitur, quare merito omnes aduerſus Turcam pugnaturi, *2. The. 2.* eius interceſſionẽ implorare debent & eius imaginem in ſignis ferre. Vnde cum ipſe pugnaturus ſit contra Chriſtum, quis non ſperet eum quoque contra Antichriſti membrum Turcam pugnaturum? quare & ſæpe & multum S. Michaëlis implorandum eſt auxilium. Hinc intelligimus, cur verba

Iob 3. B. Iob, Requieſcerem cum regibus & conſulibus terræ, in-
Gregorius. telligat Gregorius de angelis. Terra, inquit, aëre fœcundatur, aër autem ex cœli qualitate diſponitur. ſic iumentis homines, hominibus angeli, archangeli vero angelis præſunt. ¶ Adhuc mihi alia occurrit ratio, vt ſperandam arbitrer victoriam ex Turcis, propter interceſſionem ſanctorum & angelorum, ſpecialem curam ſuper Chriſtianos in Turcia
1. Cor. 15. habentium. Diuus Paulus inquit, Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum. Stella enim à Stella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. Hic S. Paulus ſanctos comparat ſtellis, at ſtellarum eſt influere in hæc inferiora, motúque & lumine ea quæ in terris ſunt, vegetare & alere atque conſeruare. quare hoc idem non facerent lucidiſſimæ ſtellæ ſpiritales, magna illa ſidera ante deum lucentia, patroni eccleſiarum in Turcia exiſtentium? ſimiliter angelici ſpiritus & archangeli eis in cuſtodiam deputati, influerent interceſſionis radios in pauperes & captiuos Chriſtianos, maxima ſeruitute à Turcis preſſos, qui eiulant &
Pſal. 55. plorant ante dominum, Miſerere mei deus, quoniam conculcauit me homo, tota die impugnans tribulauit me. Conculcauerunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes aduerſum me. Eripe me de inimicis meis deus meus, &
Pſal. 58. ab inſurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris ſanguinum ſalua me. Diſperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus domine. Oſten diſti populo tuo dura, potaſti nos vino cõpunctionis. Dediſti nos tanquam oues eſcarum, & in gentibus diſperſiſti
Pſal. 99. nos. Vendidiſti populum tuum ſine precio, & non fuit mul-
Pſal. 43. titudo in cõmutationibus eorum. Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum his qui ſunt in circuitu noſtri. Exurge deus & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua. Exurge domine deus, &
Pſal. 67. exaltetur manus tua, ne obliuiſcaris pauperum tuorum.
Pſal. 9. Exurge domine, & iudica cauſam tuam, memor eſto improperiorum tuorum, eorum quæ ab inſipiente ſunt tota die.
Pſal. 73. Exurge, quare obdormis domine? exurge domine & ne re-
Pſal. 43. pellas in finem. Exurge domine, adiuua nos, & redime nos
Pſal. 64. propter nomen tuum. Exaudi nos deus ſalutaris noſter. ex-
Pſal. 19. audi nos in die qua inuocauerimus te, velociter exaudi nos
Pſal. 142. tu domine. Fiat bone Ieſu, fiat, Amen.

HO-

HOMILIA QVINTA.

Filia Babylonis misera, beatus qui, &c. *Psal.136.*

MAGNA est ira dei super populum Christianum, quæ tot annis permitti illum vinci à Turca, spoliari, & occidi. Eleuauit dominus hostes Rasin super eum, & inimicos in tumultum vertit. Syriam ob oriẽte, & Philistim ab occidẽte, & deuorauerunt Israël toto ore, & vere in Christianos cõpetit, quod dixit Ieremias, Ecce ego visitabo super eos, iuuenes moriẽtur in gladio, filij eorũ & filiæ morientur fame. soris vastabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem simul ac virginem, lactantem cum homine sene. Conclusit in gladio populum suum, & hæreditatem suam spreuit. iuuenes nostros comedit ignis, & virgines eorum non sunt lamentatæ. Sacerdotes nostri in gladio ceciderunt, & viduæ non plorauerunt. Durauit hoc malũ iam multis annis, & tot regna & tot prouincias Christianitati Turca ademit, vt pene oblitus nostri videatur deꝰ & quasi nostri nolit misereri, sicut der Esaiam inquit, Non est populus Sapiens, propterea non miserebitur eius, Et qꝑ per Ieremiam inquit, Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire nõ poterunt: clamabunt ad me, & ego nõ exaudiam eos. Non parcam, & non cõcedam neque miserebor, vt non dispersam eos. Peccata nostra & scelera hæc mœreri, nemo pius sine gemitu agnoscit, ideoq́ue veretur iudiciũ dei: sperat tamen in misericordia, quam non dispergat à populo suo, neque profanabit testamentum suũ, vnde clamant deuoti ad dominum, vbi sunt misericordiæ antiquæ domine, sicut iurasti Dauid in veritate tua? Memor esto domine opprobrij seruorũ tuorum, quod continui in sinu meo multarum gentium, quod exprobrauerunt inimici tui domine. Quis scit si dominus conuertatur & sciant omnes gentes, quia deus est qui redimat & liberet Israël? Et Solymanus Turca comprehensus, lamentetur cum Adonibezech, Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibꝰ, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias, sicut feci, sic reddidit mihi dominus. Vt sic exultantes Turciæ dicere possimus, Filia Babylonis misera qui, &c.

Jere.11. *Deute.33.* *Psal. 77.* *Esa. 9.* *Iere. 11.* *Iere.15.* *Psal.88.* *1. Mac. 4.* *Iudic.1.*

Pater noster. Aue Maria.

¶ Magnum & diuturnum est flagellum, quo nos deus per Turcam affligit & cum pullus sit peccatorum nostrorum *1. The. 4.*

finis, timere debemus deum iudicem, omnibus peccatis effundere ſuper nos indignationẽ & omnem iram furoris ſui.
Sopho.3. Sic enim cõminatur nobis deus per Sapientem, Impiis qui
Sapien.19 non agunt pœnitentiam, vſque in nouiſſimũ ſine miſericordia ira ſuperueniet. Prædixit etiam per Hieremiã prophetã,
Hier.44. non poterat dominus vltra portare propter malitiã ſtudiorum veſtrorum. & propter abhominationes quas feciſtis, & facta eſt terra veſtra in deſolationem & in ſtuporem & in maledictum. Vtcunque tamen peccauerimus, auſi ſumus tamen ſpem dare victoriæ aduerſus Turcam, & in breui quidem motiua huiuſmodi ſpei aperuimus, reſtat vt aliud & poſtremũ adiiciamus, non tamen parui momenti, imo apud me eſt potiſſimũ. Quoties enim populꝰ dei à vero eius cultu in fide deſciuit, toties alium populũ fidelem ſibi deus in alio loco ſuſcitauit. Cùm autẽ per nouas ſectas Lutheranorum, Zuinglianorũ, Parabaptiſtarũ, Chriſtus plures animas amittit, quæ mittuntur cateruatim in orcũ ad parentẽ omnis ſchiſmatis & diſcordię in ęternã damnationẽ, vt magnæ ciuitates, magni ducatus & dominia inficiãtur huiuſmodi peſte, vbi iacet neglecta religio, cultus dei aboletur ſancti dei cõtemnũtur, templa pfanantur, deſtruuntur altaria, & monaſteria in vſus profanos & armamentaria vſurpãtur. Deus autem nõ vult propterea carere ſeruitoribus & cultoribus. vnde iam fide Chriſtiana incipiente deficere in Germania, in Dacia, in Noruegia, in Pruſſia, &c. alicubi deus ſuſcitabit ſibi populum fidelem, qui ſine ſchiſmate & hæreſibus ei
Eſa.1. integra deſeruiat. Quare pluribus de victoria aduerſus Turca deſperantibus ꝓpter ſectiones, ſchiſmata & hæreſes Germaniæ, nihil ſemper cõtra viſum eſt, hoc vrgere victoriam, vt ſemẽ ſit nobis reliquũ, ne efficiamur ſicut Sodoma. Hoc primum biblicis ſcripturis roborabimus. Et primo quidem
Pſal.109. exigit hoc ratio diuinæ prudentiæ, quæ diſpoſuit ruinã angelorũ ſupplere per homines, velut Dauid inquit, Iudicabit in nationibus implebit ruinas, ſcilicet angelorum. cum au-
Apoc.12. tem draco lucifer tertiam partem ſtellarum ſecum traxerit, velut Ioãnes teſtatur, tot ruinæ ſupplendæ ſunt. Quod ſi in multis locis Germaniæ exulat fides & religio, vt ex his deus non poteſt ſupplere ruinas cœlicas, inquirẽdus eſt deo alius populus & ſuſcitandus. Hũc autẽ futurũ eũ arbitramur qui modo ſub Turca eſt. Porro Simeon ait, Ecce poſitus eſt hic

in

in ruinam & resurrectionem multorum in Israël. Christus itaq; ruētib⁹ aliquib⁹ & deficiētibus, resurrectio est alterius populi, cum quo pangit fœdus, vt sit illis in deum, & ipsi ei in populum. Addo verbum Christi, vt qui non vident, videant, & qui vidēr, cæci fiant, quid hoc sibi aliud vult, quum hoc esse iudicium dei, vt qui non vident per veram fidē, videant, lumen fidei accipiant, & fideles efficiantur, contra vero, qui vident, qui fidem acceperāt, & ea abutuntur vel per schisma, vel per hęresim, illi efficiantur cæci, & proiiciātur à deo, quia ipsi proiecerūt fidē? Cum ergo per Germaniam à paucis annis tot vidētes facti sint cæci, vt nihil omnino mirer quomodo Antichristus in tam breui tempore mundum peruertet mendacibus signis, potentia & diuitiis, cū Luther Antichristi membrū & præcursor, sine miraculis, sine diuitiis, sine armis, tot milia hominū subuerterit. Hoc est ergo iudicium dei, vt dū vidētes in Germania & Dacia cæci facti sunt, vt deus per Bulgariam Mysiam, Macedoniā &c. faciat cæcos videre, & incredulos credere. Ita futurum non prętē riuit prophetas. Nā de infidelibus eleuādis dixit David, Populus quem nō cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Sequitur autē de fidelib⁹ collapsis, filij alieni, hoc est, à me alienati per hæreses, mētiti sunt mihi. omnis enim hæreticorum doctrina mendaciis scatet. & Luther omnium est mēdacissimus. Filij alieni inueterati sunt, occalluerūt in erroribus. Hominē enim hæreticum post vnam & alteram admonitionē deuita, sciēs quia subuersus est, qui huiusmodi est, & claudicauerūt à semitis suis per schismata. qui enim prius perficiebāt gressus suos in semitis rectis, dū ecclesiam dei veram derelinquunt, & ad hæreticorum declinant latibula, claudicant in veritate fidei. propterea cōfitebor tibi in nationibus domine, & psalmum dicam nomini tuo in gētibus. ¶ Hanc fidei seu populi fidelis translationem Ioannes in Apocalypsi appellauit motionem candelabri, dum ait, Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrū tuū de loco suo, nisi pœnitētiam egeris. Id de Germanis quoq; nostris dici potest à fide & ecclesia apostatātibus, si nō memores fuerint vnde exciderit ab vnitate ecclesiæ & congregatione fideliū, deus mouebit candelabrū eorum, in quo est lumen fidei, de loco suo, & aduocabit sibi alias gentes quas

Ioan. 9.

2. The. 2.

Psal. 17.

Tit. 3.

Psal. 161.

Apoca. 2.

illuminabit per fidem. Et implebitur quod dominus prædi
Esa.53. xit per Esaiã, Ecce genté quam nescíebas, vocabis: & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current. Et profecto hæc est mutatio dexterę excelsi, quod homines electos & populum peculiarem deus proiicit, & eleuat populum ignotum, hoc est, cum qui non nouit legẽ dei, ad agnitionem veritatis sua gratia perducit. Quod si nihil scripturarum haberemus, sufficeret nobis Christi parabola de vinea, vbi cõtra malos ope
Mat.22. rarios durã fert sententiã, Malos male perdet, & vineã suam locabit alijs agricolis, qui reddãt ei fructum tẽporibus suis. quod etsi de vniuersali vinea domini verificetur, quæ primo in synagoga fuit, vt sæpe meminerũt prophetæ. Dauid
Psal. 79. enim dicit, Vineã de AEgypto transtulisti, eiecisti gẽtes, & plantasti eam. Illam autẽ fore populum Israëliticum, Ieremias & Esaias sæpe nobis significarunt, Vinea domini exer
Esa.5. Iere.2. cituum, domus Israël est. quæ trãslata est in ecclesiã, & aliis
Ioan.10. agricolis locata, de quibus dominus dixit, Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili. & illas oportet me adducere, & vocé meã audient. ¶ Quod si pergamus in sacris literis vide illam translationẽ, inuenimus S. Paulum constanter
Act.13. Iudæis dicentẽ, Vobis oportebat primum loqui verbũ dei, sed quoniã repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce cõuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis do
Esa.49. minus, Posui te in lucẽ gentium, vt sis in salutẽ vsq; ad extre
Roma.11. mum terrę. Hoc idẽ testatum reliquit Romanis, dum scriberet, Cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gẽtium intraret. Quod ergo cõtigit in vniuersali ecclesia semel, cõtigit sæpe in particularibus ecclesiis. Cum itaq; cæcitas contigit in multis ecclesiis particularibus Germanię, Daciæ, Prussiæ, &c. subindevocabit dominus alium populum, qui ingredietur ecclesiã. nã adhuc locꝰ est in regno cœlorũ. ideo si viri qui vocati sunt, nolũt gustare cœnã domini, sed malunt hæresibus adhærere, tunc dominus dicet seruo, Exi
Gregor. invias & sepes, & compelle intrare. Vbi Greg. inquit, Cum cõuiuas suos colligi ex viis & sepibus præcipit, nimirum aggregem populum (id est, Gentilem) colligere quærit, Non
Ioan.14. enim patitur deus ob malitiam nostram, regnum suum manere aut incolis destitutum, sed mansiones multæ quæ in domo patris sunt, oportet impleri. ꝓpterea scripsit Ioan-
Apoca.3. nes angelo ecclesiæ Philadelphiæ, Tene quod habes, vt ne-

mo

mo accipiat coronã tuã. Si ergo Christiani sacri baptismatis aqua perfusi nolunt tenere quod habẽt, sed gaudẽt nouis erroribus, schismatibus Lutheri, Zuinglij, Baldasaris, &c. necesse est, vt alij accipiant coronã illorum, qui ex gentibus ad fidem vocãtur, & surrogãtur in locum malorum Christianorum, quoniã potens est deus, vt Baptista ait, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. ¶ Hæc omnia roborantur per expressa verba sacræ scripturæ. ita enim loquitur dominꝰ, Quid tibi faciã Iacob? noluisti obedire Iuda, transferam me ad alias gentes, & dabo eis nomẽ meum, vt custodiam legitima mea, quoniã me dereliquistis: & ego vos derelinquã, pentibus vobis à me misericordiam, nõ miserebor, quando inuocabitis me, ego nõ exaudiam. Quid apertius dici poterat, quod deus transferat se ad gẽtes, quando Iacob & Iuda nolunt eũ audire? sicut iam schismatici nolunt audire Christum per ecclesiã sponsam suam loquentẽ, sed eã contẽnunt nouam sibi fingentes & facientes ecclesiam. ideo dominus alias gentes susci piet, quibus dabit nomen suum, vt à Christo Christiani dicãtur, qui custodiẽt legitima & ceremonias legis euangelicæ, quæ schismatici ab vnitate ecclesiæ discedentes, obseruare contẽnunt. Et erit quod dominus dixit, Multi ab oriente & occidente veniẽt & recumbẽt in regno cœlorum. filij autẽ regni eiicientur in tenebras exteriores. ꝙ etsi dictum sit de malis Iudæis, vti Aug. Chryso. & Hiero. explicant, tamen cur non intelligatur quoq; de malis Christianis, non video, cum Christiani sint filij regni, eiiciendi propter hæresim in tenebras exteriores, vt dolẽtes de eis dicant veri Christiani. Ex nobis prodierunt, sed nõ erãt ex nobis. Quibus omnibus rectè expensis & trutinatis, videbor non iniuste conclusisse, Lutheranismum, Capharnaitarũ & Anebaptistarum horrẽdas blasphemias, adeo nõ obstare victoriæ aduersus Turcam, vt etiam hinc oriatur magna fiducia, terras Turcæ recuperandi, & plantãdi rursus fidẽ Christianam in gentibus. ¶ Quibus omnibus accedat vaticinium Oseæ, dicentis, Et misarebor eius (terræ) quæ fuit absq; misericordia, & dicam nõ populo meo Populus meus es tu. & ipse dicet, Deus meus es tu. Vtinã hoc fiat in diebus nostris, quod & sanctus Paulus repetit Romanis, Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: non misericordiam consecutam, misericordiam consecutã. Quis

Matt. 3.

4. Esd. 1.

1. Ioan. 2.

Oseæ 2.

Rom. 9.

enim virtute dei ausus est dicere effœtã, quod nõ etiam hodie possit vocare non plebẽ suam, vt ad deum cõuerterentur, & efficerentur filij dei hi qui crederent in nomine eius? sicut per eundẽ prophetã inquit dominus, Et erit in loco, vbi dicetur eis, Non populus meus vos: dicetur eis, filij dei viuentis. His autem qui à vera fide deficiũt, & ad hæreticorũ cryptas cõfugiunt, dicit dominus, Vos nõ populus meus, & ego non ero deus vester. Nisi vererer ne fastidiũ parerẽ, rem etiã exemplis & experientia cõprobarem. Ná abiectis Iudæis, deus gẽtes susceperit. cum in Asia maiori & Aphrica homines à fide defecerũt, Germania quæ adhuc in tenebris versabatur idololatriæ, fidem Christi susceperit, Bonifacio, Ruperto, Kiliano, Corbiniano, Gallo & aliis prædicatoribus fidẽ plantãtibus, circa annũ domini 700. Quando Asia minor & Syria spurcitiis Mahumeti fuerunt infecti, Hũgaria, Morauia & Bohemia fidem Christi susceperunt, & mox Polonia circa annũ domini millesimũ, vbi magna pars Græciæ se ab ecclesia sciderat. Et quid opus est pluribus? dũ Bohemia & Morauia per hæresim à Roma recederent, Lituania, &c. Christum agnouerunt, sicut olim Prussia & Liuonia, quãdo amissa fuit Ptolemais. ¶ Hæc ita cõpendio addu ximus, ne Christiani ex tot victoriis Turcæ omnino desperent ei posse fieri resistentiã, & pusillanimes nõ recurrãt ad deum piis & deuotis orationibus: quin potius per superiora animati, confidenter clament ad deũ pro auxilio, vt Turcam, suum & Christiani nominis hostẽ prosternat, iuxta qđ per Esaiã dicit, Gẽs & regnũ quod nõ seruierit deo, peribit. ¶ Recte itaque singulis sermonibus thema illud ex Psalmis præfiximus, Filia Babylonis misera, &c. Filiã Babylonis iure diximus Turciã, quę affligit filios dei & populũ electum, sicut Assyrij & rex Babylonis olim diuexabãt & opprimebant filios Israël. ideo merito diximus Turcã esse virgã Assur. Quãdo itaq; deo volente succũbet Turca, desolabitur imperiũ eius, tunc Christiani in hymnis & cãticis laudabũt deũ, & illudentes Turciæ, dicturi sunt, Filia Babylonis misera, beat⁹ qui retribuet tibi retributionẽ quã retribuisti nobis. Vtinã beatus ille iã viuat, vtinã beatus ille iam regnet, siue Carolus sit imperator, siue Ferdinãdus rex, per quẽ deus liberet populũ Christianum à Turcica captiuitate, sitq; noster Othoniel & saluator, Domine deus exercituũ, tibi supplica:

Ioan. 1. *Osee 1.* *Esa. 60.* *Esa. 10.* *Iud. 3.*

plicat plebs deuota per Christianũ orbem profusis lachrymis, vt quod per puerũ tuum Danielẽ prædixisti, iã impleas per famulos tuos Carolũ & Ferdinandũ. vbi inquit, Cõuertetur rex aquilonis, & præparabit multitudinẽ multo maiorem quam prius & in fine temporũ annorumq; veniet properans cum exercitu magno & opibus nimiis. Et in temporibus illis multi cõsurgent aduersus regem austri. Et veniet rex aquilonis, & cõportabit aggerẽ, & capiet vrbes nouissimas, & brachia austri non sustinebunt. Et consurgent electi eius ad resistendũ, & non erit fortitudo, & faciet veniẽs super eum, iuxta placitũ suum, & nõ erit qui stet cõtra faciem eius. Et stabit in terra inclyta, & consumetur in manu eius. ponet faciem suam, vt veniat ad tenendum vniuersum regnum eius. Quod fac bone & piissime deus, & cito, Amẽ. *Dan. 11.*

TEMPORE BELLI FRAGMENTVM HOMILIAE.

Prout ipsi placet, deus dat dignis victoriam. 2. *Machab.* 15.

QVANDO omne datum optimum & donũ perfectum descendat desuper à patre luminum, vtiq; & victoriã à deo esse, necesse est. sic Abraham quatuor regibus victis, patrium suũ Lot elegit, sic Iosue triũphauit de Amalech, Moyse expãsis ad deũ manibus orante. Ex gratia dei Samson Gedeon, Iepte quoque sæpius vicerũt Philistæos, In auxilio & manu dei Dauid pusillus quũ esset, gigantẽ vicit Goliã. Eodẽ exemplo rex Iosaphat Ammonitas superauit, neq; semel tantũ Iudas Machabæus victor abiit adiuuante deo. Cõstantinus magnus conspicatus in cœlo signũ crucis, audiuit vocẽ sibi dicentem, In hoc signo superabis, quod & factũ est, quãdo deinceps vniuersum exercitũ regis Persarum Cosroæ strauit. Miro quodam modo fratres Teutonici deuixerũt Prutenos infideles. Historiæ quoq; bellorũ Hispanicorum multos habẽt triũphos, quos habuerunt de cœlo contra Saracenos, donec eos ex Hispaniis eiecerunt, maxime vero quod & sanctus Iacobus apparuit anno à Christo nato 822. sub rege Ramiro, quando vltro septuaginta milia Saracenorum occiderũt. Et ab illo tempore cepit initium ordo fratrũ militarium S. Iacobi. Hinc quoq; originẽ duxit illa militum acclamatio, vt in conflictu proxime post deum implorẽt etiã S. Iacobum. Vnde verissimũ esse constat, quod omnis victoria fit à deo, *Iacob. 1. Ge. 12. 17. Iudic. 6. 11. 15. 1. Reg. 17. 1. Mac. 3. Chronica Polonorũ. 2. Ma. 15.*

& ſicut Iudas inquit, quoniá non ſecundum armorum potentiam, ſed prout ipſi placet, deus dat dignis victoriá, &c.

Euangelium Matthæi 24. Quum audieritis.

Mar. vlt. RIVSQVAM circa illa Iudæ Machabæi verba cõſolatoria, ita vt cœpimus, porro aliquid dicere proſequamur, operę precíũ eſt, pactionẽ quãdam præmittere huius homiliæ. Chriſtus enim quũ emitteret apoſtolos ſuos in opus euãgelizãdi, iuſſit eos prædicare euangeliũ omni creaturæ. Quamobrẽ ſciant prędicatores euãgeliũ ſibi eſſe prędicandũ, nunciũ lętum, quicquid omnino facit ad animarum ſalutẽ, quod homines prouocet ad opera bona. circa ea nimirum omnis verſari debet

Gregor. prædicatoris intentio, ſicut pulchre docet Gregor. Cauendum igitur & ſolerter elaborandũ eſt prędicatori, vt modeſte agat omnia, ne dũ vitia corripit, perſonæ hominũ mordeantur, vnde plus ſcandali quã emendationis conſequeretur, niſi forte exprimẽdi ex nomine eſſent aliqui, quos inde

Apoc. 1. poſſent vitare ſimplices, ſicut Ioannes nominatim exprimit

1. Tim. 1. Nicolaitas, & Cyprianus Nouatũ, Athanaſius Arriũ, Auguſtinus Pelagiũ, Paulus Alexandrũ & Hymenæũ. Hoc eo libuit præmittere, vt ſimul velut ex pactione conuenirem, ſi quid in hac homilia aduerſus illuſtriſsimũ principem, &c. N. dicerem, cõſtet non eam mihi eſſe volũtatẽ neq; affectũ, quaſi illuſtrẽ ipſius celſitudinẽ per hoc velim reprehenſam ſiue contemptam, ſi quidẽ illud neq; officiũ meũ exigit, neq; ei⁹ rei aliqua mihi eſt cõmiſsio. Crediderim quoq; ſi id face rẽ ex improuiſo, illuſtriſsimo principi noſtro id nõ placiturum, quoniá hoc oẽs teſtãtur hiſtorię quod principes alij cũ alijs bella geſſerũt, alij aliorũ ſubditos perdiderũt & offenderunt ſine tũ mutua ducalis honoris & dignitatis offenſa. Tãtum hic animus eſt vobis indicare, quãtũ incõmodi, perditionis & excidij poſsit in publico bello ab hoſtibus veſtris inferri, ſimulq; vos exhortari ad orãdũ & inuocandũ deũ, vt irá ſuam à vobis auertat, neq; hoſtibus veſtris permittat dura expeditione belli vos grauare, regionẽ teramq; veſtrã deperdere. Quin potius deus Opti. Max. dignetur illuſtriſsimo principi noſtro gratiam ſuã, potẽtiá, virtutem ſimul & ſapientiá conferre, vt ille vos omnes ſuamq; ditionẽ totam in pace queat & tráquillitate gubernare. Inducta ſunt poſtmodum, quo pacto preces deuotæ poſſunt repellere hoſtẽ

& minas

& minas belli, ſicut teſtatur & Samuel. 1. Reg. 7. Ioſaphat. 2. Para. 20. Achab humiliatus. 3. Reg. 21. poſtea inductũ eſt, quomodo bellare ſit licitũ Chriſtianis, de quo Tom. 1. Atq; quod ad iuſtũ bellũ requirãtur, tria, ſcilicet authoritas, iuſta cauſa, & iuſta intẽtio. ¶ Diceres, Accipio eũ qui velit gerere bellũ, debere habere intentionẽ dextrã & honeſtã, ne vel vindictã appetat, vel inuidiæ ſtimulis vel honore excitetur, vel etiã quia aliena bona concupiſcat, quamobrẽ & cauſam eum habere oportet æquiſimã. Quid igitur oratione opus, vbi quis antea iuſtã habet? Reſpondetur, quod ſit non raro, vt quis cauſam ſibi videatur habere iuſtiſsimã, & tamen fallitur. ſi aduerſarium interrogemus, forte reſponſurus & ipſe eſſet cauſam ſe iuſtam tueri, atque ſic rei ſuæ prætextum quæſiturus optimum. Atqui nec mihi nec tibi cõceſſum eſt belli cauſas excutere, quę non cuiuis ſunt apertę, imo vix pauciſsimi norunt vnde ſit enata belli occaſio. ſatis interim eſt hoc tibi, vt quandiu contrarium non cõſtat, credas principem tuũ cauſam habere iuſtioręm, & ſic faciant ſubditi ſingulorum principum. Porro quod obiicitur nihil eſt, quaſi protinus ideo nõ ſit orandum, quod quiscauſam iuſtam habeat. At qui vnquã cauſam vel vidit vel habuit ipſe iuſtiorem, quã Machabæi? & ij tamen quoties clamauerũt ad dominũ? quoties cæſi ſunt à Turcis Chriſtiani, qui tamen cauſam fidei habent iuſtiſsimam? Quomodo filij Beniamin bis vicerint vniuerſum populum Iſraël, cauſam tuentes falſam & iniquam? Multi ſane ſunt in vnica belli expeditione homines nequam, quos quid mirum ſi proponat deus affligere, vt ſimul cum eis aliorum multa milia perirent? Oremus. *Iud. 19.*

HOMILIA IN EXEQVIIS FVNEBRIbus glorioſiſsimi inuictiſsimiq; D. D. Maximiliani, laudatiſsimæ ſemper memoriæ, qui Romanorũ fuit imperator ſemper Auguſt⁹, archidux Auſtriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, &c. marchio Morauiæ, Burgau, comes Tirolis, Flandriæ, Habſpurgi, Hohembergi, Ciliæ kyburgi, &c. natusque eſt princeps ille perpetua memoria digniſsimus, Anno domini 1459. in die cœnæ domini, inde baptizatus die ſancto Paſchæ. Mortuus eſt in oppido quod dicitur Vuelſ. Anno 1519. die 12. Ianuarij. Vixit annis 59. menſibus 9. diebus 19.

Memor esto iudicii mei, sic enim erit & tuum. Mihi heri, & tibi hodie. Eccles. 38.

DEVS optimus maximus prouidētissimus rerum omniū gubernator, quā nihil negligit, qđ necessariū vel vtile sit nobis ad animarū salutē, ita variis modis nos instruit, nūc scripturis, nunc viuētiū admonitionib⁹, interdū tacito suo instinctu, aliqñ etiam miraculis, alias flagellis iracundiæ suæ. sic Niniuitas corripuit per Ionā, regē Saulē per Samuelē, & Eli per Samuelē puerū. Achab rursus per Eliā, Ieroboā per virum dei. Et ne quid intermittat, ipsos mortuos introducit per sapientē loquētes. Quisquis ergo es homo mortalis qui iāiā moreris, te inquā appello ô homo q quotidie ī tabē resolueris & corrūperis, creatura vilissima, proponetibi in animo tuo & prę oculis cordis tui præfigi iniūctissimū illū quondā imperatorē Maximilianū, qué vtiq; multi ex vobis viderūt. certa nemo vestrū est qui nō plurima de tāto principe audierit, ecce ille imperiū exornauit Romanū, tot regna, tot ducat⁹, comitatus, & similes ditiões, tot regiones, ciuitates, arces quoque (& quid deniq; nō?) illustrauit, ab oriēte per Danubiū vsq; in forū Iuliū, Coriciū & Tirolim: versus occidēté, Hegau, sylua Herciniā, Sūtgau, Brisgoiā, Mortnau & Elsatiā, Rhenū vero versus septētrionē, Brabantiā, Hollandiā, Phrisiam Lutzelburgū, Hennegau, Flādriā, &c. Hic ille Maximilianus, qui tantū bellorū gessit aduersus Pannonios, Venetos, ipsumq; Galliarum regē, aduersus Flamingos, Heluetios & Gelrios. Hic inquā ille Maximilianus, quē tot principes & optimates formidarūt, imo ex cuius solo nomine plurimi cū tremore exhorruerūt, qd obsecro iā est? terra, puluis & vmbra esca vermiū, receptaculū busonū, incola terrę, fimus, putre, exāgue & sine nomine corpus, Atq; exhortatur iam oēs homines, & ipsi huiusmodi finē expectēt. Iā ergo clamat ad nos, ad oēs perij quōdā sui homines, inq; omnib⁹ hęreditariis suis, puinciis p illa Sapiētis verba, O homo, memoresto iudicij mei sic enī erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie, &c.

Euangelium Ioannis 5. vide in die animarum.

NEQVE nulla neque sane exigua causa est mortuorum commemoratio, dilectissimi, quos nos etiam commoneamur morte nostrā recolere. Et ô felicē quisquis hoc frequenter facit. quantum

tum ille peccatorum intermittet? quâ vero humiliabit ſe, & omnem gloriam temporalem, pompam, ſuperbiam, diuitias & voluptates contemnet? ſic enim Sapiens ait, Homo, memorare nouiſsima tua, & in ęternum nõ peccabis. Quapropter & Sapientes ex gentibus ſolo naturę lumine ducti, exiſtimarunt præcipuam hanc eſſe philoſophię partẽ, ſedulam mortis contemplationem. vnde Plato dixit omnem ſapientum vitam, mortis eſſe meditationẽ. Pręclare ſcribit B. Hieronymꝰ ad Heliodorũ de lachrymis Xerxis, qui validiſsimũ eduxerat exercitũ in Gręciã terra mariq́ue decies & ſepties cẽtena milia peditũ, & vltra octoginta milia equitũ, ſine cęteris adminiculatoribus. In Abydone quum videret tãtam hominum multitudinẽ, flere cœpit, quod poſt 100. annos nullus eorũ victurus eſſet, imo poſt quinquennium nõ multi ex eis erant ſuperſtites. Sic ergo ait Hieronymus, Si poſſemus ſuper talẽ aſcẽdere ſpeculam, de qua vniuerſam terram ſub pedibus cerneremus, iam tibi oſtenderẽ totius mũdi ruinas, gentes gentibus, reges regibus, regna regnis colliſa: alios torqueri, alios necari, alios abſorberi fluctibus, alios in ſeruitutem trahi: hic nuptias, ibi planctũ: illos naſci, iſtos mori: alios affluere diuitiis, alios mẽdicare. & non tantum Xerxis exercitum, ſed totius mũdi homines qui nunc viuũt, in breui ſpatio defuturos. Sermo ipſa rei magnitudine ſuperatur, neque tantum eloqui poſſumus. igitur quiſq; ad ſe reuerſus cogiter, quãdo infans, puer, adoleſcens aut vir fuerit, quãdo conſenuerit, ecce quotidie morimur, dilabimur, mutamur. & ea tamen ſumus veſania, vt ſic in diẽ viuamus, quaſi perpetuo victuri. Ipſum ecce intuere Maximilianum quondam imperatorem, quem totius cognouit orbis, Itali, Hiſpani, Galli, Angli, Boemi, Pãnonij, Poloni, Dani, Moſchouitæ, Græci, Turcæ & Aethiopes, omnes illũ cognouerunt. quid autem iam eſt? cadauer putridũ, corpus mortuum, in quo iam vermes naſcuntur. Magnum hoc eſt, conſurgamus ergo ad altiora, Ille qui omnes totius imperij principes iudicauit, ecce & ipſe iudicio ſiſtitur, ſolus aſtat ante tribunal iudicis, ſemotis omnibus eius conſiliariis, doctoribus, falconarijs, venatoribus, ducibus quoque & aliis. Id adeo iam optimus princeps vos commonefacit, dicẽs, Memor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuum. Sed quo maxime nos iudicij huius Maximiliani memineri-

Eccl. 7.

Plato.

Hieron.

mus,ſane & in duobus & propter duo .Principio, vt ipſe quoque cogites te eſſe mortalem,hinc ad morte te præpares,quia non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futurã
Hebr.13. inquirimus. (potes hic expẽdere latiſsime de cogitatione mortis. Vide Gerſonẽ & Kempis de teſtamẽto & meditatione mortis.) 2 Meminerimus iudicij Maximiliani, etiã ſua gratia. Vere enim multa habet de quibus nũc reddit rationem,ſicuti plus nouit diuina iuſtitia,quã diiudicare poteſt noſtra cæcitas,neſcio dicam magis an temeritas.propter nos quoque recordemur mortis ſuæ,miſerat nos miſeria cõ munis hominũ omnium,propter peccatum adductorum in
Roma.5. anguſtiam mortis,quia per vnũ hominem peccatum introi-
Chryſo. uit in mũdũ,& per peccatum mors. ſic ergo ait Chryſoſto-
Ioan.11. mus,Quod ſi cum lachrymis infremuit in ſpiritu Chriſtus Lazarum reſuſcitaturus,miſertus tũc generis humani,quod præceps corruit in mortẽ per peccatum Adæ quid nos facere ęquum erit? Mors inquit Ariſtoteles,terribilium om-
3. Etic. nium terribiliſsimum eſt.tam amara ſane & acerba illa eſt, vt vnico homini morituro totus debeat cõdolere orbis terrarũ,quãto magis dolẽdum eſt nobis,quod oẽs mori debemus? Extra iocum ſane res hæc agitur, & inepte rem ſeriam vertunt in luſum,qui dicunt rurſus alicui excidiſſe coclear, ſignificãtes eum eſſe mortuum. Imo memento potius iudicij ſui,quia ſi erit & tuũ. Moritur ſenex? cõpatere illi,quod niſi amara parte non poteſt grauem ſenectutis ſarcinã deponere. Moritur infantulus? & hic triſtare, quia neminem offendit,ſed vix viſa luce rapitur in mortem. Moritur vir, mulier aut virgo maturæ ætatis? hic quoque cõdoleto,quo-
Eccl.40. niam vix acquiſito ætatis flore,concidit. O mors, quã amara
& 41. eſt memoria tua,quũ omnia quę ex terra prognata ſunt,
Sapien.7. rurſus debeant in terram reſolui, ſiquidem vnus omnibus
Eccl. 22. ad vitam ingreſſus & exitus eſt. Omnibus itaque compatiamur,quia Sapiens nos iubet flere ſuper mortuũ. Quod autem viduam flere vetuit dominus,aliud erat. quia tunc ſtatim ille defunctum iuuenẽ reſuſcitare volebat, neq; nos ita multum doleremus, ſi noſtri mortui iam cito reſurgerent.

2 Et ſi condolere debeamus omni in vniuerſum omniũ hominum morti, plus tamen & ſpecialius dolendum nobis eſt ex laudatiſsimi imperatoris morte, & ſunt adhuc quidã adeo rudes vt dicant, Quid mihi cum imperatore? non ſic,

imo

imo quum quiſque teneatur pro ſuis magiſtratibus deum rogare, quod in præcepto illo includitur de honore parentum vt ſenſit Auguſt. quia quam patri tuo obedientiam debes & reuerentiam, eandem quoque debes imperatori, regi tuo, prælato, principi, & nobili: deinde etſi quis ad imperiū à principibus electoribus deligatur, princeps ab imperatore inſtituatur, nobilis ab imperatore vel principe, à quo tandem feuda percipit, ea tamen ordinatio à deo eſt. ſic Paulus inquit, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita *Roma.13.* ſit, quoniam non eſt poteſtas niſi à deo, à quo quicquid ordinatum eſt, non poteſt nō eſſe ordinatiſſimū. ideo quiſquis *1. Pet. 2.* poteſtati reſiſtit, dei ordinationi reſiſtit. & infra, quoniam princeps vicarius eſt & miniſter dei, ordo hic ſubiectionis, etiam cōmiſerationem requirit. Ad hæc, filij ſumus eccleſiæ, ſequamur ergo matrem quæ in omnibus officiis miſſæ pro imperatore orat, in canone, & in litania, ſimiliter & in principibus quando dicitur, Oremus pro rege noſtro, domine ſaluum fac regem. & ſic in die paraſceues ſpecialiter pro eo orari ſolet. in fine homiliarum auditis ipſi pro vtroque ſtatu ſeculari & ſpirituali fieri obſecrationes, ſicut hoc didicit eccleſia à Paulo, qui admonet pro omnibus fieri obſecrationes, & gratiarū actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus in ſublimitate conſtitutis. Quæras quæ ſit eius rei cauſa, en eam tibi, profecto vbi tentatio maior eſt, ibi plus diligentię impendendum eſt. ſcit autem diabolus quod vbi imperatorē aut principem ad peccatum adduxerit, multa per hominū milia peritura, in rebus bellicis maxime. id prēuenire ſtudens eccleſia, pro magiſtratib⁹ tanta diligentia precatur. deinde qui magiſtratu funguntur, tenentur iuſtitiam adminiſtrare, iuuare, tuerique & defendere omnes ſuos ſubditos. Quur ergo recuſes tu viciſſim te aliquid ei debere? Ecce ſi imperator ille vilisſimū aliquando imperij ſui mancipium vel oppreſſit vel inique tractauit, iam pro eo cogitur reddere rationem. Contra ſi iuſte ſuo fungatur officio, multū mœretur, vt ait Gregorius 25. ſuper Iob in Moral. Magna eſt potentia temporalis, quæ habet apud deū meritū ſuum de bona adminiſtratione regiminis. Omnia poſſunt extendi, ſed volo manere, ſicut feci ſermonē ab initio. Multa de inclyto & inuictiſſimo illo imperatore dici deberent & poſſent. electus enim eſt anno 1486.

die 16. Februarij, Primis adhuc annis captus, est ab incolis Pruck Germaniæ inferioris: bella gessit plurima propter vxorem suam, quæ Caroli vltimi ducis Burgundionū vnica fuit filia. Diu multúmque cogitauit, quomodo cōmunem moueret expeditionem aduersus Turcam pro defensione Christianorum, sed sustinere apud alios optimates & principes ob emergentes bellorum iniurias non potuit. Magnus fuit amator iustitiæ, subditos quantumuis abiectæ conditionis clementer audiuit. clerum supra modum fouit, maxime vero fratres in monasteriis. Timuit deum, magnámque semper pœnitentiam egit & continentissime vixit in septimana magna passionis dominicæ. sæpenumero etiam ob cōscientiam tutandam ad se accersiuit virum clarissimū D. Ioannem Kayserspergium, prędicatorem Argentinen. in multis quoque rebus & causis cōscientię, vsus est reuerendo patre Gregorio Reuschio, Priore Carthusiæ Friburgi Brisgoiæ, qui & author est nō pœnitendi operis, quod inscribitur margarita philosophica. Eundem etiam ad se accersiuit ad oppidum Vuelss, quum iam decumberet grauiter ægrotus, sicut & ad eum venit. Vitam porro ille suam finiuit longe fœliciſsime, omnibus ecclesiæ sacramentis pie præmunitus, & ad iter fœlicitatis æternæ instructus, quanuis maluerit semper in acie & cōflictu emori pugnando aduersus impium & cruentum hostem Turcam. sed hoc superis visum est, quod ipse etiam dei beneplacitum gratus accepit, sacrosanctam Christi fidem in extremo etiam spiritu suo constantissime confessus. Cuius animæ vos sedulo bene precantes, nunc quoque in cōsolationem & auxilium pia mente dicite orationem dominicam, & symboli apostolici cōfessionem. Christo laus & gloria, Amen.

¶ Homiliæ de sanctis, Ioan. Eckij fœliciter finem habent, ad laudem dei ac omnium sanctorum, & fidelium in ecclesia catholica ædificationem, sub sedis apostolicæ ac piorum omnium benigna correctione.

SOLI DEO GLORIA.

INDEX

INDEX EVANGELIORVM ET HOMILIARVM TOMI TERTII DE SANCTIS, secundum ordinem festorum.

IN die sancti Andreæ apostoli. Euangeliũ Matthæi 4. Ambulans Iesus iuxta mare. Homiliæ duæ. 4

¶ De S. Barbara, Euangelium Matthæi 25. Simile est regnum cœlorum, &c. Homilia vna. 9.10.

¶ De S. Nicolao, Euãgelium Lucæ 19. Homo quidam nobilis. Homilia vna. 13

¶ De conceptione Mariæ, Euangelium Matthæi 1. Liber generationis. Homiliæ quatuor. 18

¶ De S. Thoma, Euãg. Ioan. 20. Thomas vnus ex duodecim. Homiliæ duæ. 31

¶ In die natuitatis Christi, Euangelium Lucæ 2. Exiit edictum. Et euangeliũ Pastores loquebãtur ad inuicẽ. Homiliæ quinque. 37.46

¶ De S. Stephano protomartyre, Euangelium Matt. 23 Ecce ego mitto. Homiliæ tres. 51.52

¶ De S. Ioanne apostolo & euangelista, Euang. Ioan. 21 Dixit Iesus Petro. Homiliæ quatuor. 60.61

¶ De Innocentibus, Euangelium Matthæi 2. Apparuit angelus domini. Homiliæ duæ. 71

¶ In die Circũcisionis, Euãg. Luc. 2. Postquã consummati sunt. Homiliæ quinque de nomine Iesu. 77

¶ De Epiphania domini, Euangelium Matthæi 2. Cum natus esset Iesus. Homiliæ quinque. 91

¶ De S. Sebastiano, Euangelium Lucæ 6. Descendens Iesus de monte. Homiliæ duæ. 104.

¶ De S. Agnete, Euangeliũ Matt. 25. Simile est regnum cœlorum decem virginibus. Homilia vna. 110

¶ In die purificationis Mariæ Euangelium Lucæ 2. Postquam impleti sunt. Homiliæ tres. 114

¶ De Cathedra Petri. Homilia vna. 122

¶ In die Cinerum, Homilia vna. 123

¶ De sancto Matthia lectio Actu. 1. Exurgens Petrus. Homilia vna. 126

¶ De sancto Ioseph, Homiliæ duæ. 129

¶ In die annunciationis Mariæ, Euangelium Lucæ 1. Missus est angelus. Homiliæ quinque. 135

¶ In die Paschæ, Homiliæ tres. 152

¶ De S. Georgio, Euangeliũ Ioan. 17. Ego sum vitis ve. Homiliæ duæ. 161. 162

¶ De S. Philippo & Iacobo apostolis, Euangel. Ioan. 4. Non turbetur cor vestrum. Homiliæ quatuor. 168.

¶ In die ascensionis domini, Euangeliũ Marci 16. Recumbentibus vndecim appa. Homiliæ sex. 178

Contra Parabaptistas.

¶ In die Pentecostes, Euangelium Ioan. 14. Si quis diligit me. Homiliæ duæ. 199

¶ De sancta Trinitate. Homilia vna. 205

¶ In festo corporis Christi, Euãg. Ioan. 6. Caro mea vere est cibus. Homiliæ tres. 209

¶ De S. Ioanne Baptista, Euangelium Lucæ 1. Elizabeth impletum est tempus. Homiliæ sex. 218

¶ De S. Petro & Paulo apostolis, Euangeliũ Matt. 16. Venit Iesus in partes. Homiliæ quinque. 235

¶ In die visitationis Mariæ, Euangeliũ Lucæ 1. In diebus illis, Exurgens Maria. Homiliæ duæ. 256

¶ De S. Margareta, Euãgelium Matthæi 13. Simile est regnum cœlorum thesauro. Homiliæ duæ. 262

¶ De S. Magdalena, Euangel. Luc. 7. Rogabat Iesum quidã. Homiliæ tres. 266

¶ De sancto Iacobo apostolo, Euangelium Matthæi 20. Homiliæ duæ. 276

¶ De sancta Anna. Homiliæ duæ. 282

¶ De S. Laurentio martyre, Euangeliũ Ioannis 12. Nisi granum frumenti. Homiliæ duæ. 286

¶ In assumptionis Mariæ festo, Euãg. Luc. 10. Intrauit Iesus. Homiliæ quinque. 293

¶ De sancto Bartholomæo, Euange. Luc. 22. Facta est contentio. Homiliæ duæ. 311

¶ In natiuitatis Mariæ festo. Euang. Mat. 1. Liber generationis. Homiliæ duæ. 318

¶ De S. Matthæo euangelista & apostolo, Euangelium Matt. 9. Vidit Iesus hominem. Homiliæ duæ. 326.

¶ De S. Mauricio & sociis, Euang. Matt. 5. Videns Iesus turbas. Homiliæ duæ. 333

¶ De S. Michaele principe ecclesiæ, Euangeliũ Matth. 18 Accesserunt ad Iesum. Homiliæ octo. 341

¶ De S. Simone & Iuda, Euangel. Ioan. 15. Hæc mãdo vobis. Homilia vna. 367

¶ De omnibus sanctis, Euãg. Matth. 5. Homiliæ duæ. 370

¶ De animarum cõmemoratione, Euangelium, Ioan. 5. Venit hora & nunc est. Homiliæ sex. 381

¶ De S. Martino episcopo, Euãg. Luc. 12. Sint lũbi vestri præcincti. Homiliæ tres. 399

¶ De

¶ De S. Catharina. Euange. Mat. 13. Simile est regnū cœlorū thesauro. Homilia vna. 407
¶ De sanctis apostolis. Homilię tres. 410
¶ De martyribus & cōfessoribus. Homilię duæ. 421
¶ De dedicatione ecclesię, Euangeliū Luc. 19. Ingressus Iesus perambulabat. Homilia tres. 428
¶ In processionib⁹ & litaniis. Homilię quatuor. 437
¶ De sperāda victoria ex Turca. Homil. quinq;. 446
¶ In depositione diui Cæsarii Maximiliani, Homilia vnica & vltima. 463

¶ Homilię omnes.

INDEX NOTABILIVM SENTENTIARVM TOMI TERTII HOMILIARVM Ioan. Eckij.

AGNES martyr & virgo. 113
Alleluia. 151
Annæ 4. 281
Annæ genealogiæ. 282
Annæ defensio quod multinuba fuerit, pluresque habuerit filias. 283
Andreas apostolus. 4. & seq.
Angeli cōfortāt timidos. 42
Angeli sunt in cœlo & in terra. 44
Angelus monuit Ioseph. 72
Angeli orant pro nobis. 373
Angeli æstimati esse hoīes. 138
Angelus aperuit Christi sepulchrum. 158
Angeli lætati in ascensu Christi. 125
Angeli interrogabant Mariā ascendente. 308
Angelorum natura, numerus, custodia, motus, locatio, &c. 349. & deinceps.
Angeli ante omnia sunt creati. 250
Angeli sunt perfectiores hominibus. ibidem.
Angelorū tertia pars cecidit. 351
Angeli creati sunt in multis donis. ibidem.
Angelorum hierarchiæ & ordines. 353
Angelorum vires tres. 354
Angeli custodiunt nos decenter. 353
Angelorum custodiæ vtilitas. ibidem.
Animarum cōmemoratio instituta. 381. & deinceps.
Antichristus cito veniet. 111
Apostoli sæpe vocati. 4
Apostoli variis linguis locuti. 204
Apostolorum contentio. 311
Apostolorū ecclesiæ ceciderūt, dempta Petri. 240
Apostoli interfuerunt morti Mariæ. 304

Apoſtolorum non omnium vocatio ſcripta. 310
Apoſtolorum dignitates multæ. 413
Apoſtoli diſpenſarunt temporalia & ſpiritualia. 55
Apoſtolorum miracula maiora quam Chriſti. 172. & dein.
Arrianorum hæreſis. 70
Auguſtinus & Ioſeph, idem ſignificant. 41
Aureolæ tres ſanctorum. 23

B.

Baptiſmus non æqualiter operatur in pueris. 17
Baptiſmi puerorũ ſemper fuit in eccleſia. 181. & deinceps.
Barbara virgo & martyr. 9
Bariona. 237
Bartholomæus apoſtolus. 317
Bartholomæus dies feſtus quãdo agitur Romæ. 318
Baldaſar Hiebmair reſuſcitator hæreſis Parabaptiſtarũ. 189
Beati qui nõ viderunt & crediderunt. 36
Beatitudo eſt inæqualis in beatis. 369
Beatitudo paratur trifariam. 170
Beatitudo triplex. 372
Beatitudines octo. 335. 373.
Benedictus canitur in matutinis. 223
Bethleem. 42
Benedicere cereos. 120. 121

C.

Caro nõ prodeſt, quomodo intelligitur. 213
Calix in ſcripturâ. 278
Charitas dei laudatur. 261
Capharnaitæ negant euchariſtiam. 209. & deinceps.
Cœlorum regnum mercari. 8
Cereos & lumina benedicere. 120. 121
Chriſtus non ſolum verbo docuit ſed & opere. 300
Chriſti incar. ſimile. 151
Chriſtus deſcẽdit ad inferos. 153
Chriſtus deſcendit in purgatorium. 154
Chriſtus etiam diu fuit in inferno. 155
Chriſti anima læta in reſurrectione. 156
Chriſtus leo eſt & agnus. 158
Chriſtus quatuor vicit. ibidẽ
Chriſti aduentus. 115
Chriſti apparitiones in Paſc. 159
Chriſtus cõſolatus eſt apoſt. 169
Chriſtus venit ad apoſtolos in ipſorum morte. 200
Chriſtus eſt via, veritas & vita. 171
Chriſtus aſcenſionem diſtulit. 179
Chriſti aſcenſionis figuræ. 194
Chriſti aſcenſionis hiſtoria. 195
Chriſtus portas cœli aperuit. 196
Chriſtus ſedet ad dexteram patris. 397
Chriſtus in cœlo & in ſacramento. 214
Chriſtus interrogat non ex inſcitia. 277

Christus apparuit multis in morte. 305
Christus est flos. 323
Christum sequi. 327
Christus cur ascendit in montem. 334
Christus comedit cum malis. ibidem
Christus non habuit angelum custodem, sed angelum confortantem. 358
Christus plus fructus attulit mortuus quã viuens hic. 286
Christus est iudex. 381
Christ⁹ retinuit cicatrices. 34
Christus natus in summa pace. 38
Christus primogenitus. 42
Christus natus in paupertate. 43
Christi natiuitas myst. 43.49
Christi natiuitas gaudij plena. 49.*&* deinceps
Christus assimilauit se gallinæ. 44
Christus stat & sedet in cœlo. 57
Christ⁹ fugit in Aegyptũ. 72
Christus cur circuncisus fuit. 78.*&* deinceps
Christi præputium. 80
Christi virtus. 140
Christus est Messias. 119
Christus conceptus est in instanti. 143
Christ. cõce. est in Martio. 145
Christiani grauius peccant cæteris. 261
Christiana anima est virgo. 11
Cinerum benedictio in capite ieiunij. 123
Circuncisio Iudæorum. 78
Circũcisionis significatus. 79
Circunciduntur etiam Gentiles. 81
Circuncisio non fiebat ante diẽ octauum. 62
Circuncisio fiebat cultro petrino. 84
Circuncisio est euacuata. 85
Ciuitas dei mystic. 264
Claues primo soli Petro promissæ. 239.240
Concordia necessaria. 293
Conceptio & natiuitas infantis. 25
Corporis Christi festum solenne. 209
Credere & videre. 37
Crux multiplex. 278
Culpa dimittitur absque pœna. 383

D

Danielis hebdomades. 91
Dauid præponitur Abrahæ. 19
Dauidis ciuitas. 40
Dauidis sepulchrum apertum. 41
Dedicatio ecclesiæ. 428. *&* deinceps.
Descriptio orbis vniuersi. 43
Deus trimonius in tribus legibus. 80
Deus solus iustificat. 164.165
Deus pater est in filio, et filius in patre. 174
Deus non apparuit patribus in essentia. 363
Diaconi ordinati. 55

Diabolus cur inuidet homini. 345
Dimittũtur ei peccata multa, quoniã dilexit multũ. 272
Disputare contra hæreticos. 51
Diuites non sequuntur Christum. 26
Dominica dies, sabbatũ & feria sexta, dies priuilegiati. 158
Dominica dies sancta. 156
Dona dei varia. 30
Dona dei supplicia. 200
Duodecim tribus Israël ex vn decim fratribus. 115

E

Ecclesiæ insunt boni & mali. 407
Ecclesia nominatur ciuitas. 16.
Ecclesia audienda in exponẽdis scripturis. 338
Ecclesiasticus status. 25
Ecclesiasticus stat⁹ habet suã virgam. 314
Eleemosyna. 101
Elizabeth plena spiritu sancto. 260
Elizabeth prophetauit ex Ioanne. 224
In electione non aspicere personam. 7
Episcopi non promoueant in doctos cognatos. 279
Episcopis non adimatur regimen. 313. *& deinceps.*
Episcopi antiqui etiam sancti fuerunt diuites. 314
Euangelium vbi in insulis nõ prædicatum. 315
Euangelium tertium ab angelis allatum. 40
Euangelium primum in mundo. 49
Euæ triplex maledictio. 141
Eucharistiæ veritas, adoratio, &c. 209. *& deinceps.*

F

Famam bonam temere debemus. 236
Festum luminum. 119
Fides sola non iustificat. 180 271. 272.
Filij patiuntur pro parentibus. 25
Filij obediant parẽtibus. 134
Filij habent nomina parentum. 220
Filius dei, est verbum dei. 53
Fragilitas humana. 23

G

Gabriel annunciauit natiuitatem Christi Mariæ & Ioannis. 325
Gabriel. 365
Gabriel sæpe apparuit. 149
Gabriel cur Mariæ apparuit, & non Elizabeth. 137
Gabriel est de supremo ordine. 147
Galilæa quid significat. 148
Gallina symbolum Christi. 53
Gaudium patrum de aduentu Christi. 152. 153
Gaudium mundanum. 371
Georgius martyr. 162 *& deinceps.*
Glorificatum corpus potest se occultare. 34
Granum tritici Christus. 286

H

HAEreticus quilibet arrogat sibi Christũ. 214
Hæreses sunt portæ inferorũ. 65. & deinceps.
Herodis malitia. 240. & deinceps.
Herodes diligẽs & astutus. 98
Herodum genealogia. 182
Herodis mors. 281
Hieronymus mortuus in Bethlehem, Romæ sepultus. 38
Homo est omnis creatura. 18
Humilitas. 44

I

IAcobus minor & ad eum spectantia. 176
Iacobus maior. 280
Ieiunij quatuor dies vnde. 122
In ieiunio mutare vestimenta. 125
Ierusalem in medio terræ. 38
Ierusalem ciuitas Dauid. 39
Ierusalem minatus est Christus. 53
Ierusalem ciuitas Iudæ & Bẽiamin. 257
Iesus nomen sanctissimum. 83 & deinceps per totum.
Imago dei in homine. 206
Imaginum euersores Iconoclastæ. 162
Infantes sanctificãtur. & deinceps.
Infantes inæqualiter sunt beati. ibidem
Inferni partes quatuor. 153
Innocentes pueri. 71. & deinc.
Insulæ vbi euangelium nõ prædicatum. 179
Iob scripta deseruiunt defunctis. 381
Ioannis Baptistæ cõceptio, natiuitas, mors, laudes, &c. 221. & deinceps.
Ioannis euangelistæ priuilegia. 61. & deinceps.
Iosephus dat testimonium baptistæ. 229
Ioseph fuerunt quatuor. 129
Ioseph fuit iuuenis & sanctificatus in vtero. 130
Ioseph comitatus Mariam per montana. 156
Iosuetres, figuræ Christi. 84
Iubilei annus. 199
Iudas Thaddæus frater Iacobi, non filius. 286
Iudas Iscariothes quando se suspendit. 127
Iudæi cæci. 94
Iudæi cum Herode. 101
Iudæi descripserunt genealogias per familias. 320
Iudæus cum negociari, periculosum. 330
Iudicium extremum quando fiet. 111. & deinceps.
Iudices molles inutiles. 342

L

LAmpades & oleum virginum. 112
Laurẽtius Leuita & martyr. 286. & deinceps.
Legati Papæ, olim apocrisarij. 34
Lex Moysi data cum timore. 171
Lex Moysi vsque ad Ioãnem. 233

Liber generationis Christi. 18
Libri conscientiæ. 37
Liberum arbitrium asseritur. 56. 57
Libellus repudij. 98
Lumina & cereos ardere in ecclesia. 120. *& deinceps*
Lupanaria tolerare. 266
Luther negat tres magos fuisse reges. 92. *& deinceps*
Luther nescit vbi sit Saba. 93
Luther sæpe confessus est purgatorium. 390. *& deinceps*
Alia vide in dictione Neochristiani.

M

Magdalenæ dixit Christus, noli me tãgere alter Thomæ. 35
Magdalenæ vita & reliq. 266 *& deinceps*
Magnificat canitur in vesperis. 259
Magi tres fuerunt reges. 91
Magi primitiæ ecclesiæ gentium. 88
Magis stella apparuit non angelus. 92
Magi cognouerunt stellam & reliqua. 103. *& deinceps*
Magistratus periculosus. 97
Magistratus puniat delicta. 98
Magistratus à Christo non prohibitus. 313. *& deinceps*
Magistratus non semper seueriter puniat. 44
Mali quærunt excusationẽ ex scripturis. 172. 173
Manducare in cœlo spiritualiter. 317
Mariæ conceptio gaudiosa. 21
Maria facta sine peccato originali. 28
Maria virgo in partu. 41
Maria gaudebat Christo nato. 51
Maria desponsata Ioseph. 130
Maria dispar Euæ. 137
Maria interpretatur. 138
Mariæ annunciatio ab angelo facta. 136. *& deinceps*
Mariæ visitatio. 256. *& dein.*
Maria habuit personam Marthæ & Magdalenæ. 296. *& circiter*
Mariæ mors et assumptio. 297
Mariæ natiuitas. 323. *& deinceps.*
Martius primus mensis. 149
Marcus scripsit euangeliũ Romæ. 247
Martialis discipul⁹ Petri. 341
Margareta virgo & martyr. 262
Margaritas quærere. 263
Martha solicita. 295. *& circiter*
Martyres retinebunt cicatrices. 34
Martyrum aureolæ, palmæ. 422
Martini episcopi laudes. 405
Matthæus genealogiam Christi descripsit descendendo, Lucas ascendendo. 18
Matthæus vnde habuit nomina patriarcharum. 321
Matthæus non ex leuitate secutus est dominum. 326. *& circiter*

An

An pri⁹ fecerit calculū. 329
Matthæi euangelium Hebraū perditum. 333
Mauricius martyr cum ſocijs. 337
Manichæi hæretici. 165
Mendicantiū ordines expoſiti periculis. 299
Meremur etiam in re ineuitabili. 27
Meretrices publicæ Iudæis prohibitæ. 257
Michael archangelus. 355 *& deinceps.*
Miſſæ tres in natali do. 50
Miſſio ſpiritus ſancti. 199 *deinde ibi de miſſione ad longum.*
Miracula ſanctorum. 175. 193 *& deinceps.*
Quis illa operetur. 104 *& deinceps.*
Monaſtica vita placet deo. 295
Monaſteria habẽtia redditus liberiora ſunt à ſcandalis. 285
Mors martyrū meritoria. 27. *& 28*
Mortis nexus. 254
Moriturus prius videat natos. 302
Mortuis proſunt ſuffragia vinorum. 388. *& deinde per totum.*
Mortui reſuſcitabuntur voce dei. 382
Mulieres non doceant. 38. 39
Mundus eſt magnus liber dei. 162. 163

N

Natalis ſanctorum dicitur dies mortis eorum. 319
Natales dies celebrare. 315
Nazareth patria Chriſti. 136
Nazaræi dicti ſunt Chriſtiani. ibidem
Neochriſtiani non inclinant ſe coram Chriſto. 102
Neochriſtianorum puerperæ non benedicuntur. 115
Neochriſtiani permiſſa ob pecuniam licentioſe volunt facere. 116
Neochriſtiani cereis nõ vtuntur in templo. 120
Neochriſtiani blaſphemi ſunt filij Iudæ. 122
Neochriſtianorum mulieres ſtultæ & temerariæ. 128
Neochriſtiani aſpernantur ſalutationem angelicam. 146
Neochriſtiani aiunt omnes dies eſſe æquales. 155
Neochriſtiani negant liberum arbitrium. 165
Neochriſtiani reliquias ſanctorum contemnunt. 174 175
Neochriſtiani ſolam fidem extollunt. 179. *& dein.*
Neochriſtiani inhoneſti ſunt libellis famoſis. 26
Neochriſtiani pœnitentiam nõ ſuſcipiunt. 270
Neochriſtiani rebelles ſunt & ſeditioſi. 312. *& dein.*
Neochriſtiani ſcandalis ſunt pleniſſimi. 347

Neochristianorum fides noua ac recens. 368
Neochristiani sancti sunt insurioſi. 373
Nicolaꝰ episcopus 13. *& dein.*
Nomen dei ineffabile. 83.84
Nominis mutatio nõ ſine cauſa. 88. 237
Nomen dei non in vanum innocandum. 23
Nomen Christianorum cœpit. 89
Nox natiuitatis domini. 49
Nunciꝫ malorũ ciuium ſignificant. 16

O

OBlatio trium magorum. 102
Oblatio puerperæ. 117
Octauas celebrare feſtorũ laudabile. 32
Oecolampadius corrupit Theophylactum. 359
Officiales nunc habent omnia venalia. 327
Omnis ſignificat plures. 30
Opera bona & meritoria. 371
Oratio generalis intelligenda eſt. 30
Orare in nomine Ieſu. 87
Orando procidere. 101
Orare pro temporalibus licitũ. 106. *& deinde.*
Orare pro variis formis. 139. 140
Orando non ſemper aliquid petitur. *ibidem*
Orare pro defunctis pium & aliquando neceſſarium. 388. *& dein.*

P

PAleæ ſunt omnes peccatores. 288
Panis qui de cœlo deſcendit 216.
Papæ nomen cur mutatur. 237
Parabaptiſtarũ hæreſis. 179. *& dein.*
Paſtoribus cur nunciatus ſaluator natus. 42
Paſchæ dies ſanctiſſimus. 155
Cur habet veſperas inſolitas. 156
Pauli vita, peregrinatio & omnia quæ ad deum attinẽt à ſol. 249. *vſque* 255
Pauperes fuerunt liberatores Iſraël. 43
Pax inter deum & hominem. 272
In pace mori. 119
Peccatum originale. 21. *& deinceps.*
Peccatum agnoſcere, magnũ. 266
Peccator peccatorem non contemnat. *ibid.*
Peccare occulte, minuit peccatum. 344
Pedatura. 120
Pœnitentiam iniungere. 269
Pœnitentia ſita eſt in dei miſericordia & hominis humilitate. 123
Pentecoſte feſtum Iudæorum & Chriſtianorum. 199. *& dein.*
Pelagij hæreſis. 164
Perſecutio Chriſtianorum. 52

Petere

Petere in nomine Iesu. 88
Petra est Christus & Petrus. 239
Petri apostoli omnia. 237 *& dein.*
Philippus apostolus. 171
Piscatores spirituales. 56
Plebanus sit piscator. 8
Plenitudo gratiæ varia. 135
Portæ inferorum hæretici. 237
Prædicatores faciunt retia. 7 *& deinceps*
Prædicatores pastores. 46. 47
Prædicator aduertat auditorum capacitatem. 105
Prædicantes quæstus causa. 295
Prædicator quando potest tacere. 146
Prædicatores audiantur humiliter. 294
Prædicatores aliqui religiosi volebant ab initio parcere Luthero. 367
Prædicator non murmuret, si sermo suus non acceptetur. 368
Prægnantes nõ se temere moueant. 257
Prælati curent spiritualia. 58 *& deinceps*
Prælati mali Iudæ. 327
Prælati non sint duri subditis. 398
Prælati sint honesti. 399
Primogenitorũ priuilegia & eorum permutatio. 115. *& dein.*
Processio cum eucharistia laudabilis. 216
Processiones cum litaniis laudabiles, & reliqua quæ huc pertinent. 438. *& deinceps*
Prophetizat quis opere. 225
Prohetæ post Ioannem. 232
Publicani sunt officiales nostræ tempestatis. 326
Pueros educare. 74
Puerie fficiamur innocẽtia. 331
Purgatoriũ probatur ex scripturis, & reliqua quæ huc attinent. 386. *& deinceps*
Purificatio puerperarum. 115
Purificationis festum quomodo incepit. 120

R.

Rachel plorãs filios suos. 76
Raphael archangelus. 365
Rationẽ reddere de donis acceptis. 15
Regnum cœlorum est præsens ecclesia. 10
Regnum cœlorum mercari. 81
Regnum cœlorum est nouum vocabulum noui testamen. 107.108
Regnum Christi. 10. *& deinceps*
Reges olim eligebantur ex magis. 92
Regularis persona habeat regulam pro muro. 296
Regula cuiusque ordinis seruanda per vouentem, ibid.
Regula quod dictum de vna persona, intelligatur de alia. 74.75

S

SAdai nomen dei ab initio mundi. 83
Sanctorum intercessio. 373 & deinceps.
Sanctos inuocare contra infirmitates licitum. 106.107
Sanctorum varia dona. 101. & dein.
Sancti iam sunt beati. 370
Sancti multi cum corpore & anima in cœlo. 308
Sanctis multis reuelata eorum mors. 305
Sancti sunt patroni ciuitatum & prouinciarum. 340
Sanctos dei venerari. 392.373
Sancti qui sunt in hac vita. 372
Scandala fieri necesse est, & quicquid ad scandalum attinet. 342. & deinceps.
Scripturas quærere, & eis non credere. 99
Scripturam oportet impleri. 127
Scriptura est ex spiritu sancto. ibidem.
Scribæ qui fuerunt apud Iudæos. 97
Sebastianus martyr inclytus. 108
Sectarum & schismatum malum. 179.180
Seruos conducere hæreticos, malum. 342
Sequi Christum. 62
Serui fideles bene tractandi. 401
Sigillare pro pecunia illicitũ. 343
Symbolum apostolorum. 420
Simeonis virtutes. 116.117
Sinistra male interpretatur. 275
Simon & Iudas apostoli. 269
Somnus decem virginum. 110
Sors electionis Matthiæ. 201
Societas mala fugienda. 202
Spiritus sanctus datus hora tertia. ibid.
Missio eius cum attinentibus. 201. & deinceps.
Stapulensis error. 149
Stella magorum. 92. & deinc.
Stephanus protomartyr. 51
Steriles olim contemptæ. 219
Steriles miraculose concepe-runt. 282

T

TAlẽta quæ Christus dedit seruis. 13
Thesaurus absconditus quid significat. 262
Thomas in Hebræo significat dubium. 31
Et ea quæ ad Thomam pertinent. 32
Thomas Cantuariẽs. martyrio coronatus propter bona eccle. 314
Tetragrammaton nomen dei ineffabile. 84
Transsubstantiatio in eucharistia. 212
Trinitas operata est incarnationem. 151
Trinitatis festum. 205
Trinitas difficilis intelligẽtiæ. 206

Turcæ circunciduntur. 78
Ex Turca ſperanda victoria. 446. & deinceps.

V

VEnia non datur dimidiata. 270
Veſpera plena myſteriis. 259
Via anguſta ad cœlum. 342
Vigiliæ quatuor noctis. 401
Viri dominentur mulieribus. 324
Vitis Chriſtus. 162
Vitis proprietates. 163 & deinceps.
Vita contemplatiua melior actiua. 296. & deinceps.
Virgines fatuæ & prudentes. 9
Virginitas comparatur theſauro. 262
Virgines quæ aureolam recipiunt. 442
Virginum laus. ibid.
Verbum dei eſt filius. 46
Viſitat nos chriſtus. 224
Vnitas neceſſaria. 296

Z

ZAcharias pater Barachiæ. 53
Zacharias pater Ioannis peccauit dubitando. 144

FINIS.




ECKII.
DE SAN
CTIS
ANT
609